5.1.316

5 U. 1.

A2

XXIV

BELLUM
LUSITANUM.

Ad Vso di D. Franceso M.ª del Riccio de Che: Reg: e della Libreria

BELLUM LUSITANUM, EJUSQUE REGNI SEPARATIO A REGNO CASTELLENSI CUM ABROGATIONE SUPERADJECTA ALFONSI REGIS LUSITANI.

AUTHORE R. P. D. CAJETANO PASSARELLO
Catanſarienſi, Clerico Regulari, è concionibus CAROLI II. Hiſpaniarum Regis, & in ſacro Hiſpaniæ Inquiſitionis Senatu Cenſore.



Ad Uso di D. Francesco M.a Del Riccio Che.o Reg.e e Libreria

LUGDUNI,
Apud ANISSONIOS, JOAN. POSUEL, & CLAUD. RIGAUD.
M. DC. LXXXIV.
CUM PRIVILEGIO CHRISTIANISSIMI REGIS.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO

CAROLO SECUNDO
HISPANIARUM,
ET INDIARUM REGI.

DUPLICI tibi vinculo adſtrictus, Auguſtiſſime Rex, *& naturalis clientelæ, & aulici famulatus, officii tributum quod variis negotiis, ac ſtudiis implicitus in ſacroſacello tibi lingua perſolvere minimè potui, ſtylo rependo. Eſt enim hiſtoria lux veritatis, magiſtra vitæ, cujus velut ſtylo depictis exemplis inſtruimur prava corrigere, fugere turpia, vitium odiſſe, virtutem amplecti, à malis ſecernere bona, & quod aureæ virtutis lutulenta inter expoſita vitia refulget, tanquam à ſcoriæ purgamento ſejunctum eligere. Quis enim vetera monumenta legendo non indignatur crudelitati Neronis? quem non delectat clementia Cæſaris? cui admirabilis non videtur pudicitia Lucretiæ? cui non execràbilis impudicitia Liviæ? Hoc quoque modo Alexander Uliſsis, atque Achillis ab Homero luculenter expreſſas imagines intuens, exemplar exemplo pulchrius in ſemetipſo delineavit; & Cæſar ab Alexandro hiſtoricè plauſo, & eloquentiæ coloribus picto, lumina ſumpſit quibus mirificè claruit, & Scipio major hujuſmodi imitamento, Scipionem minorem edidit, atque in rigida Catonis minoris vita Cato major deſcriptus eſt. Ita in ſuggeſtu ſedet Hiſtoria, Orbiſque terrarum ejus doctrina imbuendus auditor aſsiſtit; méque per illam decet ejus explere muneris partes, quod mihi honorifice impoſuiſti. Habent etiam Hiſtorici templum, & aram, & tutelarem veluti Deum, & thura optimi odoris, & holocauſta fidei, ubi, & votis causâ ſtylus velut appenſus memoriæ hominum conſecratur, & inde præterea, ne veritas ipſa, & qui nudam eam repræſentat per livorẽ aliquando lædatur patrociniũ validius aſſumit, quàm quod à phantaſtica Muſa Poëtæ ſuſcipiebant. Hic porrò quaſi Deus tutelaris, & ille, qui ex veteri adagio homo homini Deus appellatur quem ad præſidium ſimul, ac lucem in fronte operis ſui collocare rerum geſtarum ſcriptores ſolent, Rex eſt, ſive Princeps, cujus eò ſecurior patet aſylus, eò*

nobilior cum luce, ac decore permiſta diſtenditur umbra, quò excellentior eſt Princeps, cui lucubratio ſacratur. Ego te Rex inter homines omnes, qui jure, & imperio temperant Orbem, & leges immenſo populo dicunt elegi fautorem, & tanquam aſtrum propitium volumini meo, quò ipſum radiis majeſtatis illuſtres, calore potentiæ foveas, ac velut Numini conſecratum nemo violare audeat. Si enim divitiæ, ſtrepitúſque potentiæ hominem ornant, quis te potentior? Si amplitudo, ſi ſplendor, ac dignitas nominis, quis te amplior? quis te ſublimior? Si fortuna, ſi virtus, te quis auguſtior? Laudent te alii, quòd ſoboles, ſtipéſque ſobolis es tot Regum, tot Romanorum Imperatorum. Extollant, quòd duplex tibi curvatur mundus, ſolíſque propemodum curſum dominatione metiris. Celebrent te, quòd inter inteſtinas diſcordias, ac domeſtica turbamenta jactatum ne omninò periret, cum infans eſſes, Imperium, tua felicitate, & auſpicio paratum eſt, ac deinde penè puer, cum regnum ingreſſus eſſes, fluctus, quos infantia excitaverat, ſenili prudentiâ uſus compoſuiſti. Mihi inter omnia maximè placet continentia, temperies, moderatio animi tui qua tibi imperas, te ipſe vincere ſcis, ac planè ſuperior humanis affectibus es: ſimul pietas, religio, fides, morum omnium concentus, plúſque equidem venerari, miraríque delector, quod per acquiſitas virtutes, & egregia potentiæ, atque animi pignora moderamine culta mereris, quàm id, quod fortuna de te quanquam hæc ſeſe effuderit tibi, merita eſt. Hæc eſt ara, hoc virtutis ſacrarium, in quo vel ritè dicatur, vel ad cuſtodiam, reponitur opus. Hic eſt receptus quò veritas ſtylo & cum melle, & aculeis expreſſa, ut aliis grata, aliis ingrata ſtylis fortaſsè repungenda confugit. Nec in mediocrem profectò laudem, & gloriam tuam ceſſerit, quòd vel in hoc aurea Trajani, ac Nervæ ſecula revocaveris, cùm unicuique, regnante te, Carole, liceat liberè dicere, ac ſcribere, & longè plus tibi metuas ab aſſentante, quàm arguente. Proinde accipe donum majeſtate tua, ac ſacerdotio meo dignum, ſcilicet integrum, & incorruptum, & ab omni adulatione, aurium aucupio, & vanitatis illecebra caſtum, quale Hiſtoriam eſſe oportet virgini ſimilem nobili, ac verecundæ, ſine cincinnis, & calamiſtris, ſine artis colore, ſine fallaciæ fuco, ſua naturali ſpecie, ſuíſque duntaxat præditæ dotibus, quas ei libertas ingenii, & veritatis candor appoſuit. Huic ſi gratiæ tuæ fulgor acceſſerit melior fiet. Proprium eſt enim altiorum Principum gratiæ lutum in aurum, vapores in ſtellas convertere, & quod viſu pulcherrimum eſt, pulchritudinem etiam addere. Vale, & in Catholicæ Eccleſiæ ſubſidium feliciſſimè regna. Datum Mantuæ Carpetanorum Pridie Kalendas Octobris anno 1682.

Majeſtatis Tuæ,

Addictiſſimus Cliens, atque famulus,
CAJETANUS PASSARELLUS,
Cler. Regularis.

AUCTOR LECTORI.

CUM triginta circiter annos Mantuæ, Carpetanorum apud Catholicam aulam moratus eſſem, meæ ibi religionis officio, & externorum quoque Principum à Regis clientela pendentium ſervitio, & commodis mancipatus; ereptum occupationibus tempus ad Luſitanam ſcribendam Hiſtoriam contuli, quàm illud, quod tunc propè aures ad Caſtellæ confinia cum tumultu, ac ſtrepitu confluentium belli claſſicum obſtrepebat, in animum excitavit. Primùm quia perutile eſt, res militiæ, domíque geſtas integra fide ad poſteros mittere, quapropter homo quanquam, & ipſe ſenex, qui nihil ſcit præter id, quod tractavit, aut vidit, aut perfunctoriè percepit parum à puero diſtat; caligátque profectò illa intellectus acies, quæ intuitu præterita non complexa, & alibi interfluentia minimè curans, ex brevi curriculo vitæ, arctioríque humani ſenſus menſura, objectúque, electionem in opere ſtatuit, & prudentiæ præcepta colligit. Deinde cum ſumma Hiſpanorum prudentia, arcano, quod imprimis ſacratum eſt, negotiorum auctoritatem ſuſtineat, aut exitum quærat, aut ſimul opinioni vulgari ſtudeat, ac vires ſuppleat ingenio, rerum notitias alias obſtruit, alias colore corruptas ſpargit; adeò ut, cum eorum facta, & conſulta inexplorata pleráque jaceant, atque ignorantiæ caligine tecta, nec ſapientia Hiſpanorum, quæ ſumma in extricando negotio eſt, nec veritas rerum, in qua vivendi diſciplina conſiſtit, citra corruptelam, aut fucum, inter Hiſtoriæ volumina pateat, atque ideò à republica erit tot rerum viciſſitudines, tot fortunæ ludibria, tot militares, & Politicas artes, tot exempla, atque lumina rerum excidere oblivione, aut falſitate labefactari minimè pati. Huc etiam accedit, hanc noſtram bellicæ Hiſtoriæ narrationem propter aulæ Hiſpanæ propinquitatem, unde belli converſiones, & motus, & propiora conſilia erant, & utilitas bello, ea tempeſtate, quæſita

in

in aulæ incrementa refundebatur, cum ejuſdem aulæ vertigine, ac joco connexionem habere maximam; Quocirca ſæpè videbis cum 'allade Martem ludere, & Leones à vulpibus vinci, & qui ſpeciem ſtultorum præ ſe ferebant, per depreſſam jactantiam, ingeniíque vim ·[illegible]am intentam ſapientiorum acumina obtundere, & ad calculos verti ·onſilia, & arma è manibus propè fluere, quos propria utilitas revocabat: ac tandem inter militarium, & aulicarum artium confuſionem id agi, id potiſſimè quæri, ut felicior quis in aula venator, quàm conſultor, aut miles in bello eſſet, atque tunc reſpublica ſtaret, cùm privatæ non offeciſſet. Hujuſmodi, & aliæ potiores fortaſsè cauſæ, quas ſilentio tranſire libet, ad hanc contexendam Hiſtoriam quemdam animo meo inſtinctam, torpentíque propè calamo impulſum dedere. Cæterùm hoc mihi difficile iter ingredienti primò ſe ſcopulus offert, quò plures temerè impacti, aut fidei, cùm falſa; aut rerum ſuarum naufragio, cùm vera dixiſſent, afflicti ſunt. Quippe, ne dum recentis memoriæ hominum, quorum & lubrica quoque narratio eſt, ſed etiam præſentium, & in apice, ac ſpecula poſitorum acta, & conſilia ſcribere aggredior. Hic autem, ſi viventibus aſſentabor, veritatem; ſi minus perſonas offendam; ſi ſuſpenſo veſtigio, ac trepido propè calamo inter vitia, ac virtutes inceſſero, ſervile, & hiſtorico indignum munus exerceo; ſi curſim res aliquas tangam, aut tacitè præteribo, mutilatur Hiſtoria, & ideò inutilis, atque deformis publicæ ſcenæ apparebit. Quid ergo exterminanda eſt Hiſtoria, & omnino excicandus artis Politicæ fons, & prudentiæ theſaurus exhauriendus? An tunc res geſtæ tradendæ poſteris ſunt, cùm per interpoſita ſecula expungit, aut minuit, aut mutat, illas oblivio? Cùm rerum notitiæ velut ſitu ex longo tempore ducto marcent? Cùm famæ, qua nihil mendacius, aut vulgari traditioni, qua nihil incertius, ac volubilius, credendum eſt, atque ideò inter cadavera, & cineres, & graveolentium fragmenta oſſium, ut ita viventibus mos geratur, voltanda ſemper erit Hiſtoria, & inſuper ipſa ambigua, implicita, obſcura, niſi plena erroribus, plena mendaciis? Satius igitur erit malè doctos homines dedocere, ut intelligant, quod ſi quis immunis à labe, & extra lapſum telique jactum humanæ miſeriæ vivit, Deus eſt, aut Deo ſimilis, aut faciliùs bellua eſt, ac minimé decet, inter tot foveas, & laqueos, & humanarum vortices rerum, quibus unoquoque penè veſtigio mortalium natura periclitatur, labi malle, quàm erudiri; aut erubeſcere dicta, quàm facta. Prætereà, ſi vera eſt, qua contumelia jactaris, cur non emendas? ſi falſa, cùm delinquere nemo alieno peccato poſſit, cur non irrides? ſi forte ſu-

perbus

perbus, & auribus inſolens poteſtatem opúmque pro te ſubſidium, & ornamentum appellas, quando iſta diſplicent tibi, ſcias, quod pejora de te poſteri audient, cùm mortuus aculeos non ſenſeris, ac tunc temperantia noſtra cum illorum libertate collata mores tuos excuſare potiùs, quàm accuſare videbitur. Inter mortuos, & vivos illud, quod oblivio appellatur Lethe flumen interfluit; hoc ſi nimis inflari excurſu temporis ſinimus, cum ſtylo quærimus mortuos, nec vada quidem inveniemus: ſic media inter vivos, recentíque vita defunctos cùm verſetur Hiſtoria, nihil atrum antiquis ab umbris, nihil vanum oblivionis à flumine hauſtum, ad publicam lucem referet. Exue igitur hoc aurium faſtidium, & arrogantiam animi non ferendam, téque tractabilem, atque mitem vel erudiendum, vel admonendum, vel expurgandum bono Hiſtorico trade. Providendum eſt enim, ne propter paucorum indociles aures, & aliorum pavida ingenia, ea ſegete rudimentorum, ea fructus ubertate, atque copia, quàm ex Hiſtoria reſpublica ſuſcipit, defraudetur: & me quoque non mediocriter juvit, domeſticis curis, laboribúſque quibus me redundantes in aula fluctus aliquantulum aſperſerunt, quaſdam ſucciſivas animo meo inducias per hæc otia litterarum applicuiſſe, diuturnámque in Hiſpana Provincia moram prorſus inutilem non feciſſe.

SUMMA TOTIUS OPERIS.

LIBER PRIMUS.

LUSITANIÆ deſcriptio. Hanc Regionem, olim incultam, ac propè deſertam, Henricus Lotaringius reſtaurat, incoláſque ad civiliorem vivendi formam redigit. Ei Caſtellæ Rex filiam collocat, data pro dote Portu urbe, cum Portugalliæ Comitis titulo. Alfonſus Henrici filius, ob proſtratos prælio Mauros, Rex proclamatur. Sebaſtiano in Africa cæſo, ſuccedit Henricus Cardinalis. Is moriens abſque liberis, multos relinquit regni competitores. Philippus II. Hiſpaniæ Rex, Antonio Portugallio devicto, rei Luſitanæ potitur. Dux Bregantię, regni amiſſi dolore perculſus, ſimul & metu Philippi, occumbit. Theodoſius Ducis filius, deſperatâ regni cupidine, phreneticus moritur. Gallię Rex Ludovicus XIII. Hiſpaniæ Philippus IV. totum regiminis pondus, ille in Cardinalem Richelium, hic in Comitem Ducémque Olivarium, devolvit. Olivarius diſſidia in Gallia ſuſcitat. Richelius Suecum, Danum, & Hollandum in Auſtriacam familiam commovet. Catalaunia deficit à Catholico Rege. Mutationis imperii in Luſitania variæ cauſæ. Sub miniſtris regiis Suario & Vaſconcello omnia venialia. Richelius, ad ſuſcipiendum avitum regnum hortatur Bregantium, qui operâ Pinti ad explorandas & flectendas civium mentes utitur. In colloquio Uliſippone habito, diverſæ ſententię de Luſitano imperio mutando. Locuſtarum prodigio pręnunciatur imperii converſio. Variis dolis circumvenire Bregantium conatur Olivarius, qui ipſe ſuis dolis capitur. Contra eum Miniſtrorum quęrelę apud Regem. Luſitanorum affectus erga Bregantium. Ad ipſum Almadæ oratio. Iuſſu Regis vocatus ad Aulam, ire recuſat. Cunctantem tandem ipſius animum Antiſtes Elvenſis expugnat. Occultum uxori conſilium aperit, quę virum jampridem ſpe, metúque pendentem ad Regni rapinam impellit. Rei agendę tempus & ordo ſtatuitur. Fortuitus caſus, parvique momenti res, conjurationem penè diſjicit. Audax Georgii Meli facinus. Philippa Villiena defectionis die conſtitutâ, filios accendit & armat, exemplóque ſuo alias nobiles Luſitanas peracuit & illuſtrat. Conjurati Regiam occupant. Vaſconcellus in armario latens ab Antonio Sotenlio conficitur, cadaver ejus pecudum alimento relictum, à Sodalibus Miſericordię ſepelitur. Ejus virtutes & vitia. Diripitur domus Decani Bracarenſis. Margaritę Principis conſtantia. Antonii Silvę fides refulget. Antiſtes Uliſipponenſis ſolemnem inſtituit proceſſionem, in qua verum aut fictum miraculum vulgus maximè movet. Is in ſpeciem invitus uſque ad Bregantii acceſſum, novæ gubernationis arbitrium ſubit. A Legatis Regni nomine miſſis, Bregantius Rex ſalutatur. Uliſipponem ingreditur magnâ pompâ, ibique coronam ſuſcipit. Margaritam Principem ad Cœnobium extra urbem transferri jubet. Ad Iulianam arcem occupandam

toto

toto conatu incumbit. Ioannes Cueva ad defectionem inducitur, ſpe pręmii. Ad exhauſtum ęrarium locupletandum, argenti uſurarii acervos conferunt Cives, quin & mulieres monilia ultrò offerunt. Variis ærumnis affligatur Margarita, inſtigante Franciſco Luſena. Quis aulæ Catholicæ motus & habitus fuerit, cùm deſcivit Luſitania, & Olivarii in primis. Rex ea de re belli, ſtatúſque Senatum conſulturus accerſit. Ognatus cenſet omiſsâ Catalaunia Luſitaniam ſine mora urgendam. Ejus argumenta. Contra Olivarius differit, cujus ſententia vincit. Comparantur copiæ pro Caſtellæ munimine, quibus pręficitur Dux Sidonię Medinę. Luſitanię defectio, reliquas regiones quę antiquę ſuę ditionis & juris erant, attraxit.

LIBER SECUNDUS.

ANnus 1641. Legationibus ad exteros Principes, vario illarum eventu, & internis, externiſque diſcordiis inſignis. Publica indicta regni Comitia. Elvenſis Antiſtes, & qui obtulerant, & qui aſſumpſerat regnum, collaudat. Deleta tributa, quæ poſt Philippi II. Imperium introducta fuerant. Legationes ad Reges decernuntur, in quibus Imperator ſilentio præteritus. Odoardus Bregantii frater, Catholici Regis opera, & Cæſaris juſſu, apud Germanos cuſtodiâ detinetur. Ad Regem Galliarum miſſus Legatus à Luſitano, ita auctus honoribus eſt, ut reliquos Aulæ Oratores æmulatione perculerit. Apud Hagam regiis inſignibus exceptus Luſinatus Legatus, ineundam cum Hollanda Republica amicitiam, proponit. Dux Sidonius in Bætica, regnum ſibi parare conſtituit. Hollandos, dum unâ cum Luſitanis, terrâ marique Catholicum Regem oppugnare intendunt, major tenebat ſollicitudo, quonam modo apud Indos, Luſitanas opes everterent. Illorum mandato, Comes Naſſaus Angolam diripit, urbem Divi Thomæ flammis abſumit. Complures Nobiles Luſitani clam in Regis Catholici fide perſiſtunt. Terretur Bregantius contra ſe machinantium, multitudine. Suarii domum odio publico devovet. Præclarum pudicitię exemplum edit Suarii filia. Antonius Menezeus, claſſem Indicam quam à Philippo moderandam ſuſceperat, in eundem hoſtiliter ſumpſit. Ad Tertias Inſulas expeditio. Hollandorum perfidia. Civium pecunias & opes cenſet Bregantius. Regis Catholici exercitui pręeſt Monregius Comes, cujus inertiâ Elvi per proditionem recipiendi, dilapſa eſt occaſio. Circa Elvum pręlium conſeritur, in quo ſuperior Caſtellenſis. Memorabilis quorumdam oppidanorum in Bregantium fides. Toralti Marchionis occiſio. Impetum facit in Olivençam Ioannes Garaïus, ſed Monregii ſegnitie vacuus miles revertitur. Uliſippone graves in Bregantii caput initæ inſidiæ autore Brarenſi Antiſtite, qui ſupremum fidei-queſitorem, Cruciatæ Præſidem, primoréſque multos ad ſuas partes trahit. Edocetur Olivarius de ſtructis inſidiis, ſed conjuratorum litteræ ab Ajamontio interceptæ ad Bregantium deferuntur. Is ſtatus, Bellique Senatum cogit, quò Antiſtes & alii conjurati temerè ingreſſi, capti & cuſtodię traditi ſunt. Omnes crimen confeſſi, nullo diſcrepante ſuffragio, capite condemnantur. Villę regalis Marchio, Camignæ Dux, cæterique plectuntur, evitato in ſacras Perſonas ſupplicio, ne Pontifex offenderetur. Nicolaus Velaſcus Minorita, à Sidonio immiſſus ut conjurationis negotia tractaret. Franciſcus Sancius Caſtellenſis, expreſſo per artes à monacho, ſecreto; per ſpeciem quærendi Sidonium, ad Regem Catholicum iter inſtituit, ac fœdus inter Bregantium, & Medinæ Ducem, initum expoſuit. Olivarius manifeſtum cognati ſcelus, omnino aut ex parte diluere conatur. Subdolus ejus ſermo ad Regem, qui Sidonii cauſam illius judicio relinquit. Se ad Aulam confert Sidonius, Conjurationis ordinem fatetur, &

delicti quo tenebatur cauſam ab Ajamontii Marchione ducit. In bonis multatus, & reliquum vitæ valliſoleti ducere jubetur. Ajamontius in urbe Segovia, eliſis in carcere faucibus perduellionis ſupplicium dedit. Margarita Princeps Uliſippone diſcedit. Eam Olivarius à congreſſu, aſpectúque Regis arcet. Monregio, è belli præfecturà dejecto ſucceſſit Ioannes Garzius, qui per artes militum animum, & Civium fidem explorat. Dum Valverdem impetu capere intendit Franciſcus Rabellus, Urbem jam ingreſſus Luſitanus, ac penè victor, in fugam vertitur. Romanam Legationem apud Urbanum Octavum agendam, Lameci præſul mandato Bregantii ſuſcipit. Ioannes Ciumazerus, qui Hiſpani Oratoris munus obibat Romæ, cautè & ſedulò Luſitani conatibus it obviam. Urbanus rem Cardinalium ſuffragiis excutiendam reſpondet, Cardinalis Sachettus Luſitanum Legatum regiis inſignibus eſſe admittendum exiſtimat. Hoc diſſuadet Cardinalis Pamphilius, cujus ſententia probatur. Ne dum à Pontificis aditu procul, ſed urbis etiam Romanæ Luſitanus habetur. Dolum componit Cardinalis Antonius Barbarinus, quo captus Pontifex jubet ad Curiam accedere Legatum Luſitanum, quem Gallus Orator cum magno apparatu in domum ſuam hoſpitem excipit.

LIBER TERTIUS.

FOrtuita, parváque res Luſitanos & Caſtellenſes, celeriùs quàm anteà ſoliti erant, ad tractanda arma commovet. Alfonſus Melus captivos Caſtellæ milites, velut mancipia turpiter exercet. Ludovicus Lancaſtrus commilitonum injurias ultum mittitur. Campomajoris, dolo per Hiſpanos tentata receptio, fallaci exploratoris fide, corrumpitur. Valverdem diripit & incendit Luſitanus. Occupat Tellius oppidum Elcæ, cujus arcem ad primùm tormenti bellici jactum prodit Gubernator. Dux Albæ amiſſam arcem fruſtrà recipere tentat. Sancti Martini obſidionem irritam Tellius tollit, inde Elcam urit, & arcem exſcindit. Viverus & Burgius quàm plura Luſitaniæ oppida incendunt, & diripiunt. Memoria poſterorum digna quarundam mulierum Luſitanarum virtus. Iſabella Borbonia Regis Catholici uxor frequentes exercet cum Olivario contentiones. Urget per ſe, clientéſque ſuos, Regis profectionem ad Aragoniam. Nectit difficultates Olivarius, Regémque voluptatis blandimentis, à belli curis abſtrahere conatur. Invito ac palàm repugnante Olivario, ſecundum Marchionis Granenſis ſententiam Cęſaraugustam Rex ſeſe confert. Bellum Luſitanum elangueſcit. Viennæ agunt Hiſpani cum Cęſare, ut ex Germania, Odoardus Mediolanum traducatur. Olivarii genus, cultus, vitęque inſtitutum. Invitus, à patre Salmanticam mittitur, ad Iuriſprudentiæ addiſcendam doctrinam. Morte fratris ad Regiam tranſlatus, ſervitio ſeſe addicit Hiſpaniarum Principis, quo ad regnum evecto, Imperii regendam molem ſuſcipit. Deficiente Catalaunia, Regis in ipſum minui cœpit benevolentia. Regina pręſentiens labare jam Olivarium, extremæ illius ruinæ miniſtram eligit Margaritam Sabaudiam. Secretum Margaritę cum Rege colloquium. Comes Caſtrillius, inſtinctu Reginę detegit Regi, quæ ipſum latebant, reipublicę vulnera. Olivarius, quo liberius imperaret, inter Cęſarem & Philippum diſſenſionum, ac diffidentię ſemina jacebat. Hinc Regina, Marchionem Granenſem monet, ut contra Olivarium inſurgat. Anna Guevara nutrix olim Philippi tyrannicam Olivarii Gubernationem Regi exponit. Rex & Regina ęgrè patiuntur, Balthaſſarum Hiſpaniarum Principem, ętatis annum quintum decimum agentem, Olivarii artibus malè educatum, ac pejùs edoctum, inter

mulieres

mulieres adoleſcere. Henricum filium nothum famulitio Principis præficere cupit Olivarius. Manu Regis conſcriptos codicillos accipit, ut Loeccium pergat. Olivaria lachrimis, Regis Reginæque animum mittigare nequit. Ludovicus Arus, ut triduò in palatio maneret Olivarius, impetrat à Rege. Incredibilis lætitia, & publica gratulatio omnes afficit, ob lapſum Olivarii, qui impendens à furore populi periculum arte ſubterfugiens, Loeccium petit.

LIBER QUARTUS.

Franciſcus Luzena Bregantii adminiſter, egregiè munus ſuum obit. Ei ab Olivario tenduntur inſidiæ. Proditionis accerſitur. Inſons extremo, nimiſque feſtinato ſupplicio tollitur. Bregantius acriora belli tractare conſilia cœpit. Arma hoſtium nedum expectat domi, ſed ultrò quoque in Caſtellam infert. Galli milites terrâ marique frequentes Ulisipponem appellunt. Luſitaniæ vires. Armorum imperium Vaſco Maſcaregno traditur. Anceps Caſtellæ rerum conditio. Sancti Stephani Comes copiis Caſtellenſibus præeſt. Exercitus Luſitanus ducitur ad oppugnandum Valverdis oppidum, ab iiſdem aliàs incenſum, & ab Hiſpanis reſtauratum. Captum oppidum funditùs diruitur. Badajocium obſidere aggreditur Maſcaregnus. Ratus fore obſidionem diuturnam, retrò copias abducit. Exauctoratur à Bregantio, & in ejus locum ſublegitur Mathias Albuquercius. Novi Ducis initia. Alconcellum primo impetu invadit. Arcem capit, firmóque præſidio munit. Villanovam petit, & occupat. Geldrius arcis gubernator, eam per honeſtas conditiones Luſitanis concedit. Eodem tempore, eodémque æſtu res Luſitana in ora Gallæcia promovetur. Caſtelmeliorii Comes, jubente Bregantio, infeſtus Gallæciam intrat. Salvaterram furtim invadit, & expugnat. Rex Catholicus, ſummoto Navarræ Priore, Cardinali Spinulæ armorum regimen defert. Amiſſi nuper oppidi receptionem illi commendat. Cardinalis inglorius, & inanis Compoſtellam repetit. Braccarenſis Antiſtes conjurationis in Bregantium initæ auctor, diem obit in Luſitania. Marchio Turrecuſius, à Rege Catholico, ad Luſitaniæ fines cum armorum imperio transfertur. Propè collapſam militum diſciplinam reſtituit. Dux Luſitanus urbem Albuquercium adoriri decernit. Sed re infecta diſcedit. Turrecuſio certam in hoſtem expeditionem præcipienti, petulanter obſiſtit miles. Antiſtes Badajocii Turrecuſium furibundum, & ad Aulam iter parantem, artificio deludit. Montitium vaſtat Albuquercius. Molingenius Belga, urgente Turrecuſio, conſerit cum hoſte pugnam, evaditque victor. Fractus Albuquercius redit in Luſitaniam, & falsò ſeſe victorem profitetur. Santalexium capit Molingenius. Luſitani cujuſdam militis furor. Rex Catholicus Turrecuſium, ire Elvum ad oppugnandum jubet. Franciſcus Melus Luſitanus magiſter equitum ſuperatur à Molingenio Ad urbem Elvum cum omni obſidionali apparatu movet Turrecuſius. Terretur initio ferali omine. Locus, tempus, fortuna, cœlum ipſum illius incœptis obſtant. Famâ tandem, ac viribus diminutus Badajocium redit. Se Magnatum Hiſpanorum quos Grandes appellant, numero adſcribi poſcit. Rex ea de re præter morem Senatum conſulit. Moleſtè fert Turrecuſius hanc dignitatem non fuiſſe ſibi attributam jure ſobolis perpetuò propagandam. Militiæ miſſionem petit, & impetrat.

LIBER QUINTUS.

Turrecuſium, ad armorum imperium in Luſitania ſequitur Marchio Leganeſius. Prævalidum propugnaculum, pontémque inter Elvum & Oliveņçam, expugnat & excindit. Luſitanorum duo peditum millia, ac totidem fermè equites, partim cædit, partim fugat. Monroïum Iurumeniam mittit, ſed prædâ ineſcatus miles frangitur ab oppidanis, & præceps abſcedit. Leganeſius ad prædas agrorum, exuſtiones villarum, & vicorum excidia convertitur. Villavitioſam capit ac diripit. Alburquercium in fugam vertit. Orta Romæ contentio inter Oratorem Hiſpanum Zirolæ Comitem, & Zedofreite Priorem, Luſitanæ cauſam Eccleſiæ agentem, univerſam propemodum Curiam permiſcet. Invadunt Hiſpani milites Priorem, è famulis unum confodiunt, alium lethaliter vulnerant. Innocentius, urbanum Prætorem jubet viâ juris de crimine inquirere. Ex ſententia Purpuratorum, manet Orator congreſſu Pontificis interdictus donec Sicarios traderet. In Aula Catholica Apoſtolicus Nuncius petit ut avocetur Comes Zirolenſis, quem Rex Legati munere exutum Româ diſcedere jubet. Mediolani, auro corruptæ Germanorum cuſtodiæ, Odoardum Bregantii fratrem ab arce dimittere promittunt. Crimini datur Odoardo, quòd fratri, Regis nomen impoſuiſſet. Iudices delegantur à Rege Catholico qui in ea cauſâ ex Majeſtatis lege procedant. Mœrori ſuccumbens Odoardus lethali morbo corripitur, & judicum ſententiam antevertit. Molingenius, ob præclarè geſta, Marchionis titulo inſignitus, militiæ præfecturam adminiſtrat. Telenæ propugnaculum à Leganeſio extructum, per turpem deditionem Alburquercio traditur. Molingenius hanc infamiam diluturus, Luſitanum ad Anæ tranſitum cædit, propugnaculúmque reſtaurat. Remiſſi, aut intermiſſi potiùs in Luſitania belli, multiplex cauſa. Carolus Padillia in Regem conjurat. Per inſidias & dolos captat Ari benevolentiam. Lutetiam mittitur ut pacis inter Gallos, & Hiſpanos negotium urgeat. Rodericus Sylva Dux Ixarenſis, acres cum Aro gerit ſimultates. Per venenum, Bregantium de medio tollendum, Regi proponit Dux. Facinus averſatur Rex. Padillia, ſuum de conjuratione conſilium aperit Ixarenſi. Hic fidem Carolo obſtringit, ſéque conjurationis principem fore profitetur. In partes adſciſcitur Petrus Sylva Vegenſis. Series conjurationis. Ioannes Padillia Caroli frater, Vercellenſis civitatis Præfectus renunciatur. Carolus fratrem in ſceleris ſocietatem adducturus, ſcribit ei litteras, quæ ad Arum Mantuam Carpetanam remittuntur. Compinguntur in vincula Conjurati. In eos ut reos Majeſtatis capitale ſupplicium ſancitur. Animo interritus jugulatur Carolus. Regis Catholici pietas. Ixaræ Ducis cauſa à Iudicibus verſatur. Decernitur, ut veritas, per cruciatus exquiratur. Dux ad tormenta ſuſtinenda mirè compoſitus pergit. Prætoris & tortorum ſævitia, & Ducis conſtantia. Lex, vetúſque Caſtellæ uſus, ut reis inconfeſſis pro vita indemnitas præſtetur. Ixarenſis perpetuò carceri mancipatur, & in arce Legionis occluſus, multo ibi poſt tempore ſenio, ac valetudine reſolutus, interiit. Ioannes Padillia, dum Mediolano, Mantuam Carpetanam adducitur, voluntaria per iter inedia, judicium prævertit.

LIBER

LIBER SEXTUS.

BRegantius lethali morbo correptus, adminiſtros, regnique Principes convocat; deque fide ſervanda monet, vi apoplecticâ tortus occumbit. Ejus mores. Imperii juri, opibûſque paternis, Alfonſus maximus natu filius, regnique tutela ex vi teſtamenti ſuccedit Aloiſia Guſmana, Bregantii uxor. Hæc Laurentianum Comitem qui regni confinio cum milite præerat, Barcarotæ arcem petere jubet. Franciſcus Tuttavilla Sangermanenſis Dux, armorum pro Caſtella Præfectus. Quibus moliebatur inſidiis Luſitanus capere, capitur. Rex Catholicus, ad acriùs quàm antè, Luſitaniæ bellum redintegrandum permovetur. Status Senatu coacto, Dux Medinæ cenſet, non incumbendum receptioni Luſitani regni, niſi poſt ſtabilitam cum Gallo pacem. Ejus Oratio. Contra ſentit Belvaſius Spinula. Ejus argumenta. Ardet Arus cladium quas Olivarii inſolentia pepererat, reſtaurator dici. Sangermanenſis milites contra Olivençam ducit. Laurentianus Badajocium contendit, ut ab Olivençæ obſidione Caſtellenſes abſtrahat. Ibi accepta clade ab urbe obſidenda deterretur. Valentiam irrito conatu aggreditur. Olivença honeſtis conditionibus Caſtellenſi traditur. Saldanius quòd nec pro fide, nec pro viribus Olivençam deffendiſſet, perpetuo exilio multatur. Aloiſia, fœdere cum Gallis & Anglis ſancito, ultra fines Caſtellæ arma tranſlatura exercitum cogit, cui præficitur Ioannes Mendus Vaſconcellus. Is ad Badajocii obſidionem ſe applicat. Frangitur primus Luſitanorum impetus ad propugnaculum Sancti Chriſtophori. Caſtellenſium equitum duo millia cæduntur. Pugna memorabilis inter Venti, & Majæ colles. Civitatis obſeſſæ nuncio perturbatur Aula Catholica, & belli expeditionem ſuſcipere cogitur Arus. Luſitanus Badajocii ſolvit obſidionem. Triumphantis in modum, urbem Arus ingreditur. Vil'abuim diripit. Elvum obſidet. Subſidia magno ſtrepitu Uliſippone comparantur. Cantagnedæ Comes ſummus exercitus Luſitani Dux, Elvum liberaturus pergit. Prænunciat Aro per litteras, qua ipſe die, qua hora, quibus copiis, qua parte ſubſidio ſociis venturus ſit. Inito certamine, Sangermanenſis in capite ſauciatur, unde proſternitur Caſtellenſium acies. Elvus obſidioni eximitur. Arus ad Aulam revocatus, in eodem gratiæ loco, quo anteà retinetur. Studioſiùs cum Gallo pacem tractat, ut univerſas imperii vires in Luſitaniam convertat. Conſulitur quiſnam ex Europæ Principibus inter utrumque Regem, diſcordiarum arbiter, melior æſtimaretur. Summus Pontifex, Cęſar, Veneti ſuſpecti. Maturandę pacis negotia Mazarino & Aro commendantur. Congreſſus inter eos apud Irunem utriuſque regni confinium, condicitur. Anglus Legatus, Galli, Hiſpanique auxilia pro reducendo ſuo Rege, implorat. Summa utriuſque partis contentione, Luſitanię articulus agitatur. Capitum ſumma inter Hiſpanum, Gallúmque ad Pyrenęos compoſitę pacis. Quæ Maria Thereſię cum Gallo, nuptiis firmatur.

LIBER SEPTIMUS.

REx Catholicus in Luſitanum parandum bellum intendit. Acerrimè tractatur de ſummi Ducis electione. Ioanni Auſtriaco Philippi filio notho arma commendantur. Gubernator armorum ſecundo loco Sangermanenſis renunciatur. Militum

numerus. Exercitus Campomajorem initio petere viſus, averſo itinere Origuelam repentè invadit, arcémque adjacentem delet. Arroncii oppidum Ioanni ſe addicit. Sexdecim Luſitanorum equitum turmæ, vim hoſtium laceſſere auſæ, partim cęduntur, partim fugâ dilabuntur. Alconcellum recuperat Auſtriacus. Acria per otium, inter Italos, Hiſpanóſque, de ordine & loco, oriuntur diſſidia. Ioannes, Duces Italos aſperrimis verbis increpat. Emanuël Caraſa pro Italica natione reſpondens, ob libertatem in cuſtodiam conjicitur. Dirimitur per regem, nationum litigium. Vere appetente, Auſtriacus in proximi belli conatum incumbit. Non minor agitatio ſollicitos habet Luſitanos, unde ſeveriùs invehuntur tributa. Catharina Portugallia Bregantii ſoror Regi Britanno deſponſatur. Ei Tingi, ſitum in Africa oppidum pro cumulo dotis accedit. Religionis causâ Rex Catholicus municipium intercipere inſtituit. Ejus promiſſa averſatur Ludovicus Almeïda, & oppidum in Angli ditionem concedit. Villabuim funditùs diruit Auſtriacus. Multas equitum Luſitanorum turbas fugat Alexander Correra. Morba per iter invaditur. Iurumeniam verſus dum tendit Ioannes, novus repentè de cælo, nubilâ nocte, conſpicitur fulgor. In Luſitania quæ circum oppidum erant propugnacula, Caſtellenſes irrumpunt. Inteſtinus oritur in urbe tumultus, qui Pinti Præſidis prudentiâ extinguitur. Meneſius Luſitani exercitus Dux, expeditionem quamprimùm parare milites jubet, ad ſuccurrendum Iurumeniæ. Urbis tuendæ ſpe prorſus afflictâ, palam inde re infectâ diſcedit. Iurumenia poſt arctam integri menſis obſidionem, Auſtriaci virtute atque auſpiciis evicta, Regique Catholico reſtituta. Ad villamvitioſam ducit exercitum Ioannes, Luſitanúmque nititur elicere ad pugnam. Avcirum recipit, dimiſſiſque cum vita & opibus Oppidanis, ad terrorem ſolo equat. Monſortis deditur. Crati excidium, cujus Gubernator Auſtriaci juſſu, ſclopis in medio foro tranſverberatus occumbit. Adverſus Oguelam victor exercitus tendit. Dum Gubernator, Ioannis colloquium petit, Caſtellenſis miles ſine imperio urbem pervadit, prędęque duntaxat avidus, à ſanguine abſtinet. Prędam Luſitanis reſtituendam jubet Auſtriacus, honeſtáſque illis conditiones tribuit. Sartiranę Comitem Oguelę Pręſidem relinquit.

LIBER OCTAVUS.

Ulisipponis petendæ conſilio omiſſo, Auſtriaco permittitur bellum pro ſuo arbitratu gerere. Paratur Claſſis, ejúſque regimini imponitur Dux Averenſis. Veteres Legiones quæ Mediolani verſabantur inutiles, in Caſtellam tranſvehuntur. Bregantius à matris avulſus tutela; virtutis & fortunę opinionem penes indigenas, & exteros captare optat. Cantagnedæ Comitem ad ſe vocat, & Tranſtaganę armorum imperium in Sancium Emanuëlem Comitem Villaflorę transfert. Is inviſens arces, & opida regni, Eboram negligit. Ioannes, diutiùs quàm crediderat belli expeditionem extrahit. Qua de cauſa. Badajocio profectus, Eboram petit. Sancius ultimam Caſtellenſis exercitus aggreſſus aciem, cùm aliqua cęde recedit. Auſtriacus, per Didacum Cavallerum circunjacentia municipia, ad deditionem compellit. Ludovici Meſchitę Gubernatoris Eborę, viri militiæ planę imperiti, juſſa recipere detrectant Duces. In ſubſidium urbis electi mittuntur equites, ſed improſpero exitu. Ludovicus de Souſa electus jam Portus Antiſtes, communi deditionis conſilio pertinaciter obſiſtit. Civium confuſio. Milites pugnę cupidos compeſcit Auſtriacus, ne prędâ opulenti diſtraherentur. Nono poſtquam obſeſſa eſt die, Civitatis fit deditio.

Allato

Allato Uliſipponem urbis amiſſæ nuncio, populus concitatur. Irrumpit in ſedes Antiſtitis & Cantagnedæ, eáſque diripit. Extinguitur voce Principis tumultus; cujus auctores aliorum obtentu criminum, ſceleris pœnas dant. Severè præcipit Rex Catholicus ut Eboræ cives clementer tractarentur. Copias, Ioannes ad dimicationem instructas movet. Infeliciter ad Odigebenſe flumen cœptâ pugnâ, greſſus avertit ab hoſtibus. Sancium reſtitantem flectit ad pugnam Scombergius. Canalia pugna, in qua Luſitanus plenâ, opimáque potitur victoriâ. Caſtellenſium cæſorum; ſauciorum, captorum numerus. In Marchionem Pirovanum mira canis fidelitas. Uliſipponenſis Antiſtes, populo hilariter turbulento, duo millia nummûm ex feneſtra projicit. Amiſſa Ebora, brevi à Luſitanis recipitur. Didacus Cavallerus miſſus ab Auſtriaco, ut Elvum furtim caperet, expectatione deluſus revertitur. Ignis injectus bellico pulveri funditùs evertit Arroncium. Aulicorum Auſtriaco iratorum queſtus. Huic pręcipit Rex, ut cum lectis è ſtatus, bellique Senatûs conſiliariis, ſibi de bello meliùs gerendo conſulat. Dux Oſſunenſis propugnaculum extruit propè Almcidam. Conflictus apud Ireſium, in quo Caſtellenſis primo impetu obrutus, poſteà concidit hoſtem. Accedit ad Aulam Sangermanenſis, ut excutiat calumnias ſibi ab æmulis afflictas. Militiæ munere devolutus, arma in Luſitaniam reſumere vetatur. Alexander Farneſius externi equitatus Magiſter renunciatur. Cantagneda Valentiam Alcantaræ petit, in ejúſque poſſeſſionem pro Bregantio traducitur. Oſſunenſis cum exiguis copiis Caſtellum Roderici aggreditur. Obſidionem ſolvit, & deinde profligato exercitu ſibi fugâ conſulit. Philippus Auſtriacum exauctoraturus, ipſum per miniſtrum monet, ut ultrò abdicatis militiæ curis, Conſocram continuò ſecedit. Comes Marſinus curam armorum ſubit, donec Ioanni ſuccederetur. Propugnaculum ab Oſſunenſi conſtructum ſolo æquat.

LIBER NONUS.

AUſtriaco ſufficitur Marchio Carazenæ. Is ſententiam expromere juſſus, cenſet Uliſipponem rectà petendum; aut prętermiſſis munitis oppidis, omnia incidio, ferróque vaſtanda. Didacus Correa, dum inhibere prædarum impetum conatur, à Luſitanis, cum quingentis equitibus ſternitur. Comes Marſinus avidè certaminis cauſas quęrit. Alexander Farneſius Valentiam intercipere tentat, ſed re vacua diſcedit. Ad primores Ducum Oratio Carazenæ, qui cum exercitu ad Villævitioſam dirigit iter. Oppidum capit, cujus Gubernator Britius ad arcem confugit. Interrita Carneri Centurionis audacia. Cantagneda ſubſidia laturus obſeſſis, Carazenenſis adventus ſui certitudinem denunciat. Montiſclari pugna, in qua victor Cantagneda, Luſitani tandem diadema regni in Bregantii capite fixit. Obſidio arcis Villævitioſæ ſolvitur. Gravis Regem, ac miniſtros cura percellit, an, & quomodo bellum reparandum. Philippi Regis interpoſita mors, belli conſilia ſuſtollit. Hujus interitum cometes paucis antè menſibus nunciavit. Per dolum mutato Regio codicillo, pro Medinæ Duce, Aitonæ Marchioni, Imperii regimen adſcribitur. Ioannes, ultimos patris amplexus exoraturus, accedens, non admittitur. Philippi mores. Apud Eſcurralium ſepulchro conditur. Teſtamenti ejus ſeries compendiaria. Rege tumulato, prima quæ Reginam Gubernatricem potiſſimùm urſit cura, fuit de Luſitano bello deliberatio. Regina cupidè huic imponere bello finem deſiderat. Favet ejus conſiliò Medinæ Dux. Ejus oratio in Status Senatu. Contrà diſſerit Everardus Nitardus. Auſtriaco, Provincię Belgicę demandatur Prefectura. Rex Anglię, ni pacem amplectantur Hiſpani, Luſitano ſe terrâ, marique affuturum

rum jactat. Reginæ conſenſu, cum Luſitano quæſita pacis interventor aſſiſtit. Pacis conditiones. Octavo & vigeſimo poſt defectionem anno, Luſitania ſuo tandem Regi redditur.

LIBER DECIMUS.

B*Ello externo compoſito, quaſi civile in Luſitania prorumpit. Regis Alfonſi vita, inſtituta & mores. Odemiræ Comiti traditur erudiendus. Antonius Contius ſubdolè captat Alfonſi benevolentiam. Stolidâ fortitudinis oſtentatione, in mortis diſcrimen bis ſe Rex implicat. Per Status Senatum publico nomine monitus, vitia mutat, non mores. Partes & factiones in Aula fovet Contius. Inter filium & matrem contentiones exoriuntur. Senatus decreto, Contius, omnéſque ejus impuræ factionis clientes, ad Braſiliam exules ejiciuntur. Aloiſia quod diutiùs tenere non poterat, Imperium Alfonſo dimittit. Aſſumptæ dominationis initia. Comes Caſtelmeliorius, Comes Autogiæ, Caſárque Meneſeus ad Imperium ſibi tenendum, Triumviratus ſimilitudinem conſtituunt. Regis tandem, regnique unicus moderator remanet Caſtelmeliorius. Primarios regni cives exilio multat. Conſilium orditur opprimendæ Aloiſiæ, quæ juſſu Regis à Regia diſcedit. Alfonſus, nullo adverſante ad priſtina facinora redit. Marchionem Fontanum ad interitum quærit. Sicarii Regis impetum faciunt in Comitem Eneerenſem. Ab iis Noronia lethali confectus vulnere, extinguitur. Religio in ludibrium adducta. Contius Uliſipponem revocatus in regni fines expellitur, artibus Caſtelmeliorii, cujus potentia decreſcere cœpit. Pulcherrimo vitæ inſtituto, moderationis laudem ſibi promeretur Petrus Alfonſi frater. Regis cum Principe Nemurtia connubium. Aloiſiæ Guſmanæ mors, & animi dotes. Inter Regem & Petrum ingraveſcunt diſſidia. Regina, à viro ludibriis, à Caſtelmeliorio expulſionem injuriis affecta, ad Petri partes accedit. Is Caſtelmeliorii expulſionem à Regia, depoſcit. Senatus ſuper ea re variæ ſententiæ. Proceres, urbiſque Patricii à Petro convocati, illius ſe cauſæ alacriter affuturos reſpondent. In ejus favorem tumultuatur Uliſippo. Caſtelmeliorius ſe ab Aula furibundus proripit. Henricus Miranda, & Antonius Souſa nocte intempeſta diffugiunt. In ſumma rerum confuſione, regni Comitia coguntur. Regina ad Franciſcanarum Monialium Cœnobium divertit. Litem de matrimonii reſciſſione apud Eccleſiæ Iudices incohat. Exutus imperio, cuſtodiæ traditur Alfonſus. Omnia imperii jura, præter Regias faſces & nomen, Petrus aſſumit. Regina, dirempto cum Rege matrimonio, ordinum conſenſu Petro nubit. Rex ex Inſulis Tertiis revectus prope Uliſipponem degit, attentiſſimè cuſtoditus.*

APPROBA

APPROBATIONES.

DE mandato noſtri admodum Reverendi Patris Generalis vidimus opus cui titulus eſt, BELLUM LUSITANUM, &c. nihilque in illo reperimus, quod Orthodoxæ fidei, aut temperantiæ morum oppoſitum ſit, imò ſcriptionem elegantem, & cultam, & utilium documentorum refertam, quæ authori laudem, reipublicæ emolumentum, & eruditis delectationem, & uſum comparatura ſit. Idcirco publica luce dignum cenſemus. Matriti die ſexta Septembris 1682.

Don ANDREAS TELERA,
Cleric. Regularis.

Don LUDOVICUS ABAUNZA,
Cleric. Regularis.

HOc opus inſcriptum BELLUM LUSITANUM, & à Rev. P. D. CAJETANO PASSARELLO, Præpoſito noſtræ Domus Matriti compoſitum, & juxta præfixam aſſertionem Patrum, quibus id commiſimus approbatum, ut typis mandetur, quod ad nos ſpectat; facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes Litteras manu propria ſubſcripſimus, & ſolito noſtro ſigillo firmavimus. Datum Tuſculi die 11. Octobris 1682.

D. THOMAS SERSALIS,
Præpoſitus Generalis, C.R.

D. ARSENIUS CAVEDONE,
Secretarius C.R.

SUMMA

SUMMA PRIVILEGII A CHRISTIANISSIMO Rege conceſſi.

LUDOVICUS MAGNUS Galliarum et Navarræ Rex Christianissimus, Diplomate ſuo ſanxit ne quis per univerſos Regnorum ſuorum fines intra ſex proximos annos à die publicationis exemplarium computandos, imprimat ſeu typis excudendum curet, & venale habeat opus, quod inſcribitur, *Bellum Luſitanum ejúſque regni ſeparatio à regno Caſtellenſi cum abrogatione ſuperadjecta Alfonſi Regis Luſitani, Authore D. D. CAIETANO PASSARELLO Catanſarienſi Clerico Regulari*; præter ANISSONIOS Bibliopolas Lugdunenſes, aut illos quibus ipſimet conceſſerint. Prohibuit inſuper eâdem auctoritate Regia omnibus ſuis ſubditis, idem opus extra Regni ſui limites imprimendum curare, & impreſſum divendere, vel quempiam ubicumque fuerit ad id agendum impellere, ac inſtigare ſine conſenſu dictorum Anissoniorum; Qui ſecus faxit, confiſcatione librorum, aliâque gravi pœnâ multabitur, uti latiùs patet in diplomate regio. Dabatur Verſaliis, die vigeſima Januarii, anno Dom. 1683.

Ex mandato Regis,

Signatum IUNQUIERES.

Inſcriptum Regiſtro Bibliopolarum Pariſienſium, juxta Senatus Decretum, die 27. Februarii 1683. Signat. ANGOT.

DE

DE BELLO LUSITANO LIBRI PRIMI

SUMMA.

LUSITANIÆ deſcriptio. Hanc Regionem, olim incultam, ac propè deſertam, Henricus Lotaringius reſtaurat, incoláſque ad civiliorem vivendi formam redigit. Ei Caſtellæ Rex filiam collocat, data pro dote Portu urbe, cum Portugalliæ Comitis titulo. Alfonſus Henrici filius, ob proſtratos prælio Mauros, Rex proclamatur. Sebaſtiano in Africa cæſo, ſuccedit Henricus Cardinalis. Is moriens abſque liberis, multos relinquit regni competitores. Philippus II. Hiſpaniæ Rex, Antonio Portugallio devicto, rei Luſitanæ potitur. Dux Bregantiæ, regni amiſſi dolore perculſus, ſimul & metu Philippi, occumbit. Theodoſius Ducis filius, deſperatâ regni cupidine, phreneticus moritur. Galliæ Rex Ludovicus XIII. Hiſpaniæ Philippus IV. totum regiminis pondus, ille in Cardinalem Richelium, hic in Comitem Ducemque Olivarium, devolvit. Olivarius diſſidia in Gallia ſuſcitat. Richelius Suecum, Danum, & Hollandum in Auſtriacam familiam commovet. Catalaunia deficit à Catholico Rege. Mutationis imperij in Luſitania variæ cauſæ. Sub Miniſtris regiis Suario & Vaſconcello omnia venalia. Richelius, ad ſuſcipiendum avitum regnum hortatur Bregantium, qui operâ Pinti ad explorandas & flectendas civium mentes utitur. In colloquio Uliſſipone habito, diverſæ ſententiæ de Luſitano imperio mutando. Locuſtarum prodigio prænunciatur imperii converſio. Variis dolis circumvenire Bregantium conatur Olivarius, qui ipſe ſuis dolis c..pitur. Contra eum Miniſtrorum querelæ apud Regem. Luſitanorum affectus erga Bregantium. Ad ipſum Almadæ oratio. Juſſu Regis vocatus ad Aulam, ire recuſat. Cunctantem tandem ipſius animum Antiſtes Elvenſis expugnat. Occultum uxori conſilium aperit, quæ virum jampridem ſpe, metúque pendentem ad Regni rapinam impellit. Rei agendæ tempus & ordo ſtatuitur. Fortuitus caſus, parvique momenti res, conjurationem penè disjicit. Audax Georgii Meli facinus. Philippa Villiena defectionis die conſtitutâ, filios accendit & armat, exemplóque ſuo alias nobiles Luſitanas peracuit & illuſtrat. Conjurati Regiam occupant. Vaſconcellus in armario latens ab Antonio Sotenlio conficitur, cadaver ejus pecudum alimento relictum, à Sodalibus Miſericordiæ ſepelitur. Ejus virtutes & vitia. Diripitur domus Decani Bracarenſis. Margaritæ Principis conſtantia. Antonii Silvæ fides refulget, Antiſtes Uliſſiponenſis ſolemnem inſtituit proceſſionem, in qua verum aut fictum

miraculum vulgus maximè movet. Is in ſpeciem invitus uſque ad Bregantii acceſſum, novæ gubernationis arbitrium ſubit. A Legatis Regni nomine miſſis, Bregantius Rex ſalutatur. Ulyſſiponem ingreditur magnâ pompâ, ibique coronam ſuſcipit. Margaritam Principem ad Cœnobium extra urbem transferri jubet. Ad Iulianam arcem occupandam toto conatu incumbit. Ioannes Cueva ad defectionem inducitur, ſpe præmii. Ad exhauſtum æra ium locupletandum, argenti uſuarii acervos conferunt Cives, quin & mulieres monilia ultrò offerunt. Variis ærumnis affligitur Margarita, inſtigante Franciſco Luzena. Quis aulæ Catholicæ motus & habitus fuerit, cùm deſcivit Luſitania, & Olivarii in primis. Rex ea de re belli ſtatúſque Senatum conſulturus accerſit. Ognatus cenſet omiſſâ Catalaunia, Luſitaniam ſine mora urgendum. Ejus argumenta. Contra Olivarius diſſerit, cujus ſententia vincit. Comparantur copiæ pro Caſtellæ munimine, quibus præficitur Dux Sidoniæ Medinæ. Luſitaniæ defectio, reliquas regiones quæ antiquæ ſuæ ditionis & juris erant, attraxit.

BELLI LUSITANI

LIBER PRIMUS.

LUSITANIA, quæ, & Portugallia parvo diſcrimine dicitur, ad Oceanum occiduum in extremo Hiſpaniæ angulo ſita, fines ab Auſtro Anam per amnem dirempta, Bæticam habet, à Septentrione per Durium diviſa, Hiſpaniam Tarraconenſem. Hoc regnum exigua ea quoque parte comprehenſum, quæ Portugalliæ ei nomine jungitur, tres in Provincias ſciſſum Ciſtaganam habet, & Tranſtaganam Provincias Tago interfuſo fluvio diſtinctas, ſimul etiam eum terræ tractum, qui ultra Durium præcipua ſoli ubertate, omníſque pabuli copia ad Minium uſque fluvium extenditur. Univerſum autem longitudine amplectitur quadringenta millia paſſuum, minori multò latitudine, & ubi latiùs explicat ſe centum amplius ſexaginta, ubi magis contrahitur octoginta. Inſigni nobilitate continet idem urbes Cis Tagum Uliſipponem regni caput, & ſedem imperii, circumſparſæ telluris amœnitate, annonæ abundantia, cæli temperie, mæniúmque circuitu, Hiſpanarum urbium nulli ſecundam. Eboram ultra Tagum, quæ ob ejus præſtantiam, & incolarum frequentiam inter arcti cæteras regni urbis prænomen ſortita eſt; & Bracaram etiam Sacrorum antiquitate, ac ſplendore, ac ruinarum memoria primatus auctoritatem jactantem. Regionis ſolum, niſi quod pleno alveo, aut ex eo latè manantibus rivis circunfuſa flumina rigant, magna ex parte ſterile, incultum, atque infæcundũ eſt; ſiccitate, ſolis æſtu torretur; ſolitudine ſqualet. Id tamen incolarũ adeò labore, curáque & nundinarii propè maris ſuppletur obſequio, ut nedum regio exuberet neceſſariis, ſed etiam in mercibus peregrinis aliqua ad vitæ uſum, plura ad omniũ ferè ſenſuum oblectamenta extra Europæ latitudinem mittat. Hoc frequentibus antea regnum, raris nunc incolis habitatur. Id modo indigenæ tribuunt fortuitæ Martis ruinæ, bellíque quod ibi nuper exarſit voracitati; nos autem, & volvi hanc provinciam cenſemus fato quodam totius Hiſpaniæ, quæ jam effæta, & valdè incolis imminuta plus opinione, & conſilio, quam vi, & robore externis imperitet. Gens Luſitana tamen eo loco, eo hominum numero adſtricta, ſed virtute, atque animo longè amplior, Africæ quondam potuit ſubigere partem, novas Inſulas aperire, & per ignotum navigantibus iter evadere ad Indos, illíſque tributum imponere; totam fermè Aſiam com-

mendatione rerum geſtarum, armorúmque terrore complere. Mores eorum, niſi æmulatio, aut contumelia fortè tetigerit, aperti, faciles ſunt, & mitiores, quàm in fronte jactantur, cultus elegans, non ſumptuoſus; victus ſplendidus, & frugalis. Religionis, juſtitiæ, ſapientiæ, armorum mirifico ſtudio tenentur. Caſtellenſes vanitatis, atque ſuperbiæ odio potiùs quàm ioco Luſitanos inſimulant, unde illos turgidos vocant, ſed quidam in illis animi tumor nobis oriri magis videtur ex magno animo, quàm inflato. De hujuſce gentis origine, prætermiſſis veterum monumentis, temporis labe, aut invidia, aut negligentia ſcriptorum cum fabularum varietate corruptis, unde ſcilicet orti, unde aucti, propagatíque fuerint, quàm peregregiè obſtiterint Luſitani Romanæ virtuti, atque ejuſdem quæ univerſa premebat imperio ſublimioris potentiæ moli, quidve ſingulariter geſſerit Viriatus tot illatis Romanis cladibus celeber, & quod tanquam hæreditario gloriæ armorum incitamento, ornatúque Luſitana indoles agitetur; pro certo conſtat, hanc Luſitanam regionem horrentem olim, incultam, ac propè deſertam, incolas ejus aſpero more, diſſona lingua, ruſticis fermè ſedibus vagos ab Henrico Lotaringio reſtauratam primùm fuiſſe multis ex Gallia coloniis adjectis, eóque horrido propè more ad civiliorem vivendi formam redacto. Hunc virum natura ſua bellicoſum, & animo acrem, ſtirpis præterea claritate tumentem, & quod arma ea tempeſtate Gallorum latè, ac victricia, per Orbem obſtreperent, propinquum animo inquietum, præfervidúmque cum metueret Alfonſus hujus nominis ſextus Caſtellæ Rex, ſatiúſque propterea duceret gratia experiri, quàm maleficio novum Principem velle generum ſibi adſcivit, ei collocata filia Thereſia, auctóque pro dotali ſtipendio Portu urbe, aliiſque Durii ad oſtium jacentibus oppidis cum Portugalliæ Comitis titulo, ex qua Portu civitate nationi, ac nomini Galliæ muliebrem per dotem adjuncta, rectè plerique ſentiunt Portugalliæ appellationem conflatam.

Ex Henrico, & Thereſia Comitibus eſt ortus Alfonſus, qui ob Mauros in prælio inſigni cæde proſtratos militari ſtudio, atque plauſu in illo ardore victoriæ Rex proclamatus, auguſtum hoc ſibi partum virtute nomen, aliis poſt dotibus auctum, atque exinde retentum ad poſteros tranſtulit. Regius inde ſtipes effuſus præclara Principum ſobole floruit uſque ad Joannem primum Regem Luſitaniæ, Petri item Regis filium nothum, qui legitima quanquam ſucciſa linea cum juri in eo gratia, aut viri meritum præpolleret fortuna, & opibus potens in Luſitania regnavit. In hoc ipſo Joanne cum natalium licèt vitio ſervata, & propagata familia regia continenti Regum ſucceſſione multis poſt annis cum Cardinali Rege Henrico, qui Sebaſtiano in Africa cæſo ſucceſſit, & ſine liberis obiit, tandem extincta eſt. Cæterum ne illuſtris familia interiret, ne ſæva per bella orbum jam regnum hæres externus acciperet, jacta apud regni proceres mentio, moxque ad ſummum Pontificem lata eſt; ut Cardinali Regi qui ſacris erat initiatus, canonico impedimento remiſſo, fas eſſet pro reipublicæ bono connubium inire. Sed Philippus Secundus Hiſpaniarum Rex, ſpe, opibus, votis, juríſque ſuffragio jam tunc ante alios in regnum erectus inflammatúſque, id acrius Romæ per ſuũ Legatum interpellavit, utile ſibi, & revera, ac ſolida in ſpeciem oratione propoſita, ſcilicet contumelioſum, & vanum futurum indultum, ac populorum offenſioni, decrepitum & intermortuum propemodum ſenem in ſpem inanem habendæ prolis, ſacerdotium, & ſacram Purpuram abjeciſſe. Quod

mox, & exitus comprobavit. Quippe Henricus ſexdecim intra menſes curis regiminis obrutus, atque ætate confectus extinguitur. Inter hæc expectatione occidentis imperii per legis, ambitúſque ſubſidia competitores ſublati Principes, Rex Philippus pro regno invadendo jus repetebat à matre Iſabella Emanuelis Regis filia productum, Parmæ Princeps Raynutius à Maria Portugallia ex Odoardo Regis quoque filio progenita. Duci Bregantiæ præter regale genus, & populare indigenæ nomen jus etiam uxoris, quæ erat eo tempore Catharina ſuperſtes altera filia Odoardi, ſuffragabatur. His ita adhuc integro Henrico quia hærede vacuum proximo interitu regnum facturus erat, jurium altercatione commiſſis, & minas in medio, & ancipites quoque miſcentibus ſtylos ſeſe etiam intruſit Catharina Medicea Reginæ Galliæ, quod genus ipſa duceret à Mathilde Bononienſi uxore Alfonſi tertii Regis Luſitani, & hæc Aſtrologorum utique errore, ſive fallacia potiùs, quàm jurium vigore aut legibus freta, qui fœminæ ambitioſæ prædixerant liberos omnes in regio ſolio, ac regio diademate conſpecturam fuiſſe, ipſa propterea quaſi induſtria, & conſilio ſiderum motus, affectionéſque juvaret, aliena volvebat regna, quò & vaticinium impleret, & ſobole quoque regia ea tempeſtate laborans, ac propè labans Gallicum regnum exoneraret. Cæterùm cùm reliquos ut longinquos, aut exteros, aut enerves & viribus fluxos à quibus metuere nihil aut cupere poſſet, Luſitanus repudiaſſet, robuſtior, celebriórque in illo negotio pendebat inter Regem Philippum, & Catharinam Ducem Bregantiæ lis, alterum ſe ut maſculum licèt ortum à fœmina præferentem, alteram licèt fœminam, cujus tamen à mare manabat jus, erátque gravis, acritérque jactati hujus litigii cardo, ſexus an lineæ pro regni ſucceſſione ratio potior habenda eſſet.

Acceſſit & cauſæ Antonius Portugallius Ludovico Regis altero filio natus, & is quanquam nothus pro regni hæreditate advocabat clandeſtinum Ludovici cum ejus matre connubium, nullis tamen, ut vulgò dicebant, ſynceris teſtibus roboratum. Aderat tamen Antonio concitatus populi favor in regiam familiam pronus, robur ætatis, militare, capax imperii, avi, patríſque propoſita imago, & quod eadem dilectæ, regiæque domus, validioris ne ſpes turbaret, aut regnatura, aut peritura reliquia eſſet; pars præterea, at ea exigua nobilitatis, quam Philippi largitio, ambitúſque qui omnia in conſilium verterat, incorruptam reliquerat. Ad hæc in Luſitania, in Caſtella, & alibi etiam interdum cum truncus legimus Regum exaruiſſet memoriæ proditum eſſe, haud dedignatos populos eſſe regios ſubmittere faſces hominibus nothis. Tandem legibus ſpretis, & ſtudio, aut cavillo ſingulorum eluſis ad arma deventum eſt, quæ quidem imperia Regibus circunſcribunt, ut res domeſticas jura privatis. Proinde pecunia, atque copiis quas diutiùs ſpe ipſe imminens regno paraverat, Philippus abundans, Albanum rerum in bello geſtarum gloria cunctis ſuæ ætatis Ducibus parem Uliſipponem infeſtum movere exercitum juſſit. Huic Duci, hiſce copiis tumultuario propè delectu, & cum impetu magis quàm vi, rudíque milite occurrit Antonius, ſigníſque collatis fractus eo prælio diſceſſit. Altera paulò poſt ad Portum urbem conſerta pugna idem Antonius victus, ac penitùs profligatus, tandem inermis, nudus afflictus cùm prægustato infeliciter regno, tum domò exactus in Galliam profugit, armíſque victor Philippus, & jure, id cohoneſtare quantum poterat arma, rei Luſitanæ potitus eſt. At verò Bregantiæ Dux, quâ aurâ populi deſtitutus, quæ pro

pro Antonio plenior afflabat, quâ æmuli Regis exterritus opibus, priuſquam bello res cum Antonio decerneretur, monuit ſecretò Philippum de actione, & jure uxoris ejus in regnum, quod ſi eidem ipſi pro Bregantio imminutum velut inopi videretur alia nec ea iniqua ſaltem mercede reſarciret jacturam regni, & injuriæ aliquod pignus, ſeu levamentum in ſpoliata imperio domo relinqueret. Sprevit autem Philippus, ut plerumque Principes ſolent, vacua viribus argumenta, auxítque ludibrium ut ex eo magis ſpem, animúmque Ducis infringeret, quod Filium ejus Barcelli Ducem à Mauris in bello captum, auróque à Philippo redemptum, & aſſervatum, idem in poteſtate tanquam obſidem retineret. Quod Bregantius animadvertens, & quod fruſtra ex animo patefacto vehemẽtem Regi ſuſpicionem, odia & pericula ſibi comparaviſſet, mox retractare propoſitum ſimulans, miſit ad Regem, qui ei chirographum ſuo nomine traderet, in quo juri ſuo cedere, & curas de regno abjicere planè profitebatur. Tum verò Philippus artibus artes ludificans ea cautione, aut obſequio ſe minimè egere cum quodam faſtidio, rictúque ſuperbo reſpondit, codicillos tamen accepit, juſſitque Simancæ in regio tabulario aſſervari. Poſt hæc fuſo Antonio, fugatóque, regnúmque omnino Philippo obtinente; Bregantius licet invitus in ejus verba juravit; ſed paulò poſt æſtu agitatus invidiæ ſibi interverſi ab æmulo Imperii, regníque amiſſi dolore perculſus, ſimul & metu ne à Rege tam prudenti, quàm timido, & cauto, ut jure ſuſpectus aliquando prævertetur, occubuit.

Hunc Ducem filius ejus Theodoſius in jure ampliſſimæ domus æqualis, at ſpiritus celſitudine major excepit, cujus adeò quidem affixus hærebat in animo aculeus injuriæ in communem familiam rapto ex imperio prætentæ, ut Philippo ſecundo erepto, hæredem ejus Philippum tertium cum regio apparatu, atque pompa ad Uliſipponem tendentem, circa Villavitioſam excipere, atque in arcem conjicere cogitaverit, ibíque militibus cuſtodire, donec ablatum redderet regnum, ſed amicorum hortatione temerario ab hoc conſilio deterritus, attentare ſubinde ſtatuit Uliſipponenſis animos populi, dilectæ ſi fortè domus, ſi juris, ſi nationis communis ratio, dum ipſe repente in regnum anniteretur, offuſæ de majeſtate, Regíſque potentia formidini prævaleret. Cùm enim prudentia, ingenio, animóque longè Rex filius à patre degener oſtenderetur, ex imminuta quæ id temporis vagabatur novo de Rege fama major audacia imperiíque habendi fiducia, & cupido Theodoſio Principi creverat. Is igitur ubi Uliſipponem ad ſalutandum Regem perrexit, ſuis clientibus, atque famulis quos longo ducebat ordine injunxit, ut de induſtria cum regiis, ſed velut caſu interpoſita rixa per eam explorarenr animos populi, qui ſi Bregantio fortè favere, ac plaudere nomini videretur, turbis immiſti & clamore, atque armis ſimul anniſi tumultum, & vires magis extenderent, cum calere cæpiſſet res, in tempore ipſum acriori conatu Ducem, & partium vindicem affuturum. Quo utroſque inter famulos jurgio, ut Bregantius deſcripſerat, excitato, tunc plebis ſtudium Bregantio propitium perſpectum eſt, ſed rixa ut in ſpeciem fortuita, cum majori concurſu niſúque hominum ſtatim dirempta eſſet, ſpem inde conceptam ſuſtulit. Bregantius tamen eoúſque in ſe prono comperto favore populi, certaminis rurſum experiri fortunam voluit; cúmque Rex extra urbem voluptatis cauſa diverteret, acriorem porrò contentionem voluntaria, atque levi ſubjecta cauſa inter ſuos, clientéſque Regis objecit. Hæc gladio-

rum ſcloporúmque concurſu per vulnera, & ictus utriſque profectò anceps, cruentáque partibus cecidit, ſed cùm extra urbem loco infrequenti certamen arſiſſet, id iterum pro Bregantio Luſitanos animos prodidit, at majoris fomento incendii ex loco materia defuit. Tunc Philippus popularium fidei diffiſus quæ Theodoſio proclivior bis interluxerat, ejuſdémque conatus ut altiori cauſa, atque mole productos metuens, quem etiam alacriùs, quia impunè, ac licenter graſſari, ſe ſéque jactare inter gentiles noverat ab Luſitania ſatis idcircò munita repentè diſceſſit. Igitur Dux Theodoſius cùm ſpei vacuus, mœrore plenus, Villavitioſam reverſus eſſet, ibi jam deſperata cupidine regni anxium, inquietum, ac plane miſerum ambitione contortus vitæ reliquum duxit. Ad extremum fato ceſſurus in phreneſim incidit, qua quidem everſa mente, laſſatóque curis mordacibus ſpiritu non niſi arma, conflictus, & acies delirantis ab ore fluebant, vi omnia morbi tunc eruente, quæ totius vitæ curriculo inania regni conſilia decoxerat. Quanto autem ipſe flagraverit regnandi ardore Theodoſius, quantúmque ea ipſa velut tranſmiſſa ſemine flamma poſteros ejus afflaverit, vel extremo vitalis fabulæ actu, funeris ſcilicet pompa monſtratum eſt, quod ex cinere humana quoque fumante ſuperbia, regio more, regiíſque inſignibus ſed clam inter domeſticos factum eſt. Theodoſio Bregantiæ Duci Joannes ſucceſſit à ſuis civibus idem poſtea Luſitaniæ Rex acclamatus, qui ita natus, ita educatus paterníſque conſiliis & rudimentis imbutus, parenti conſimilem mentem, non tamen eumdem impetum animi, & audaciæ vigorem ſumpſit; quin imò cunctator & valde cautus parum ſpei, parum ſibi, & hominibus fidens, ita regnum deſiderat, ut ad ſingulos caſus intentus, ſempérque ſollicitus, ſuo multò plus in illo occupando uti, quàm arbitrio fortunæ vellet.

Inter hæc, labentibus annis, Imperium Hiſpaniæ cecidit in Philippum hujus nominis quartum, Gallicum verò in Ludovicum decimum tertium, quorum vaſti regiminis pondus alius omninò devolvit in Comitem Ducémque Olivarium, in Cardinalem alius Richelium, utrumque ex nimia Regum ſuorum facilitate, & ut pronum eſt ſuſpicari, ex odio & fuga laborum, quos reip. bene gerendæ impendi neceſſe eſt, ſupra modum fortunam, & arrogantiam augentem. Hi ergo duorum potentiorum Europæ Regum pro miniſterio publico Principes, regnorum, Regúmque arbitraria ferè poſſeſſione ad ſummam potentiam evecti, & cum publica, tum etiam privata æmulatione diſcordes, ſéque invicem atterentes, tanquam Europæ cardines multa vi, multa artibus ordientes cuncta volvebant, commiſcebántque. Vitio Olivario dabatur ſuſcitare, atque alere fraudulenter ipſum in Gallia, ut mobili ingenio, gente, ac novitatis prona diſſidia, fluctúſque civilium bellorum, ea propter conſpirationem Aureliani Ducis ad immutandam formam Regiminis, tumultus procerum, partium irritamenta, motúſque Reginæ matris exilium, & fugam & omnia reipublicæ turbamenta, quæ Galliam ſatis afflixerant, Olivarii fraudes, ac dolos contexuiſſe Richelius intelligebat. Proinde apertè illum Richelius aggreſſus, Suecum, Danum, Hollandum quóſque in Germania & Italia obvios Principes habuit adverſus Auſtriacam familiam, & Imperium Hiſpaniæ commovit, armavit, conſilio, pecuniâ juvit, & quoniam Britannicus Rex, ne Gallus ſuo genio infeſtus, propinquus, ac vetus æmulus creſceret Hiſpano, ut opus erat, conſentiebat, illius regni, Regíſque excidium per inteſtinas diſcordias molitus eſt,

eáque

eáque turbida ſanè conſilia, quæ vivens in Anglia Richelius effuderat, ipſo denique mortuo, & cum tragico, & impio jugulati Regis exemplo funeſtum exitum habuere. In hoc habitu rerum, Catalaunia à Catholico Rege deſcivit. Cauſæ defectionis vulgares, & palàm obtendebantur, aucta nimirum tributa, violenter à populo extorta, & cum ſanguine emuncta propè pecunia, vetera indulta Principatûs abolita, mores, leges, conſuetudines, jura, in externa vitia delapſa, merito aut jure ſecluſo, omnia venum, aut gratiæ dari. At verior, & minus quidem jactata ſermonibus cauſa erat, inter has communes regni querelas, & ſueta quæ bellum afferre ſolet incommoda, tempeſtivum tunc accidiſſe Richelio per homines aptos popularium ibi fidem corrumpere. Et reverà Olivarius cùm omnia dominationis conſilia, pacis, bellíque trahendi ſcilicet artes, clientelas, fœdera, Principum amicitias, negotia publica fere omnia, nec raro nec parcè tranſigeret auro, ſubditorum idcircò bonorum avidus, ærarii nimis profuſus ſuo temporario potiùs dominio, quæ Privatorum eſt labes, quàm Hiſpani Imperii diuturnitati providere apparebat. Porrò Catalauniæ contumacis exemplum Luſitaniæ defectionem contraxit; nam fortunæ indulgentia, & ingenii ſui acumine fretus, elatúſque Richelius ſagaciſſimas artes exacuit. Ea erat præterea Luſitani regni conditio, iſque in deterius quotidie ruentis illius regiminis curſus, ut per id temporis cuncta ad imperii mutationem penderent. Inter orbis terrarum æmulas gentes, eaſdémque ſeu gloria, ſeu congenito fortè odio, ſeu offenſionum interjecta materia certantes, vehemens, & ſingularis profectò eſt hominis Luſitani adverſus quemcumque Caſtellæ virum malevolentia, diffidentia, quodam faſtidium, & animi deteſtatio, cujus nedum dominio, ſed etiam ab habitu, moribus, ſocietate, conjugiis, & ipſo prope nomine abhorret, atque hæc vehemens, & mutua in utróque oppoſitio, atque effrænata animorum affectio, quæ mirè inter ſe utróſque populos agit, in Luſitano tamen ut aduſtioris, acrioríſque naturæ traſcendit. Accedit, & vetus atque ita animo inhærens, & inſitus Luſitanis erga Regem indigenam amor, ut vulgus cæco illo impetu ductus Sebaſtianum Regem multis abhinc annis in Mauritano bello interfectum cum pulvis, & umbra jaceat adhuc vivum, & latitantem in Orbe jactet; quæ inveterata jam hujus affecti corporis ulcera multò magis exaſperabant in adeo odioſo, & fluere, labíque viſo paulatim Imperio, vitia, aut errata, quæ tunc Caſtellenſes in Luſitani regni regimine committebant. Enimverò tot internis, externíſque cum incerta fortuna bellis Hiſpano Imperio convulſo, & multas in partes diſtracto, cum ærarium & miles paſſim exhauriretur, ad ea explenda, ſeverius in Luſitania pecunia, annona, militaris delectus imperabatur; ſimul ubi ipſe Philippus quartus cum regia oſtentatione, luxúque in Catalauniam iter indixit, eò Luſitana quoque nobilitas ut abeuntem de more Regem conſequeretur vocata eſt, quod quidem non niſi poſt acerbas, iteratáſque minas ab his Olivarius tandem extorſit, dum Luſitani optimates pecunia, atque opibus Caſtellæ magnatibus impares, ſimul more, & ingenio diſſimiles, & æmulationis certamine adverſi, hos ſibi dedignabantur in apparatus ſplendore præferri, quæ ſanè res altiùs in Luſitanorum nobilium pectus deſcendit, vim inde, & contemptum, & illatam ſibi publicè injuriam adverſus regni leges objicientium. Adhæc Margarita Sabau-

da Mantuana Dux Luſitaniam eo tempore adminiſtrabat, fœmina planè virtute, ac ſanguine Princeps, ſed cui virium infirmitate, temporum vitio, imperandóque natura ſexus inepti, & muliebri etiam imperio Hiſpanis propè fatali minùs auctoritatis & roboris erat, cùm maximo tunc egeret, in eo fluctuantis regni-regimine; Quod duobus præterea regiis Miniſtri imp'icabatur, Didaco nempe Suario, & Michaële Vaſconcello, utroque Luſitano, altero à ſecretis Conſilii Status apud Principem Margaritam, Mantuæ Carpetanæ altero à ſecretis Luſitaniæ Senatus apud Regem agenti. Hi duo pro ambitione quidem potentiæ acriores ſibi invicem æmuli, ſed pro regni everſione concordes gratiam, quam omni ſtudio, & induſtria ab Olivario latè captaverant in ſuorum concivium perniciem, atque nobilium præſertim oppreſſionem detorſerant: ex eo porrò magiſtratuum faſtigia aut fraude, aut amicorum favore, aut fœdæ ſervitutis præmio acquiſita viliores invaſerant; reliqua officia, regníque commoda, & jura quaſi expoſita lucro ut nundinaria venditabantur. Ideo etiam indignus præpoſitus digno, & fures ærarium, & leges nefarii, & corruptores judicia cuſtodiebant; non virtus fortunæ, non gratiæ jus, non pecuniæ meritum anteibat; omnia erant projecta, venalia, & malis artibus pervia; cúmque præterea adminiſtri privatis commodis ſervientes pro publico bono ſibi ipſi adverſi, abſtractique utilitatis, honoris, pravi ſtudii contentione alius aliò traherent, quod intererat regnum, convellebatur. Triennio etiam antequam Luſitania deficeret, cùm Ebora caſu tumultuaretur perfidiæ, partium, turbulentorum conſiliorum, quæ pro Bregantio latenter ebulliebant, manifeſta quædam eruperunt indicia, quo triſti nuncio Olivarius valde perculſus, atque commotus plures nobiles Luſitanos, ſibique ſuſpectos ad aulam juſſu Regis accivit, neve in fide nutantes jam homines auctoritate publica armatos ſineret, quod jam antea laceſſitos, & contumeliæ ſpecie peruſtos plus Luſitanos incendit animos, ejectis à fiduciariis regni muneribus incolis frequentes externi tunc primum ſunt introducti. Has queribundas in regimine negligentias, & imperii jam declinantis initia alius & vetus error, alius noviſſimus cumulavit. Primus nec levis extitit lapſus, Philippum ſecundum Regem poſt Luſitaniam ſibi ſubjectam inibi hærentem & opibus integrum reliquiſſe Bregantium, regiæ nempe ſobolis virum, regni jus præferentem auctoritate, viribus, aura populi, turba clientium pluſquam ſubditum in regno tam arcto deceret, circumvallatum, cum nec hominem certè magnum exiguum capere poſſit imperium, nec in eodem conquieſcere regno regia ibi fortè ſubacta ſive deluſa progenies ſine diademate ſciat. Alter nec primo fortaſſe minor Philippum ſcilicet quartum, quò Catalauniam reciperet, tegerétque Luſitaniam nudaſſe præſidiis, veterano proptereà ſubducto milite, & novo infidóque ſuffecto, ex quo æmulo antiquo, qui regnum, quod ereptum ſibi putabat, acritérque dolebat in tempore aggrediendi occaſionem circunſpectabat, per ita affectum, ita enervatum imperium ad iter Philippus quaſi prælu xit. His omnino Richelio compertis clam per epiſtolas docuit Bregantium qua planè via, & artificio detruſo Philippo facilè poſſet ipſo avitum ſuſcipere regnum, ſimul ubera Galliæ auxilia, & amicorum Principum fœdera ſpondet, tum ne aliorum Hiſpanorum clade regnorum, motis ubique ac nutantibus rebus Imperii, Luſitaniæ quoque ea tempeſtate ſuſpectæ ſuccurreret Olivarius,

rius,

rius, aliam Bregantio fictitiam epiſtolam miſit ab eodem Richelio ſcriptam, & obſignatam; at diſſimili ſtylo, ac diverſa negotii, quod in prima tractaverat, conficiendi ratione compoſita, monens præterea Bregantium, hanc fictam pro vera, & occulta Olivario exhiberet epiſtolam, ſicque hominem ſuſpicacem, nimiúmque ſibi fidentem, per fiduciæ propoſitam ſpeciem, & fidei jactantiam fallaret perinde ac officium, & fidem in majori ipſe æſtimatione, atque pretio quàm ſpontè oblatum ab hoſte regnum haberet. Quod illicò, ut erat à Gallo inſtructus Bregantius effecit, ſed irritus; dum altiori in ſe judicio collectus & anxius reputat Olivarius, regni cupidinem nulla, aut nimis rara coërceri virtute poſſe. Hujus quamvis caducam, & fragilem ſpem velut humanum ſupra faſtigium, Deóque ſimilem hominem extollentem cunctos humanos rapere affectus, & voto imminutum arbitrium, & lumine propè vacuam relinquere mentem: profundas præterea, ſæpe varias, ac tortuoſas voluntates humanas eſſe, multiplicíque ſimulationum cortice tectas. Hìc autem binos fallaciæ magiſtros inſignes ludere ſecum videri fraudibus velle, & per inſidias tandem ſurripere imperium. Iiſdem proindè uſurus artibus Olivarius tunc primùm in animo fixit, Bregantium & ſuo, & aliorum impulſu, afflatúque Luſitaniæ jam impendentem, hinc primo quoque tempore abducere.

Bregantius verò per inflatam à Gallo ſpem animo magis erectus ac de regno invadendo ſollicitus per Joannem Pintum, qui Uliſippone negotia ejus agebat, rem lentè aggreditur, fideíque ſatis ſpectatæ antiquum famulum monet, ut cautè, & per aſtus civium mentes exploret, occaſioni, temporibus ſerviat, caſúque oblata in conſilium dexterè flectat, ipſúmque Bregantium nedum facinoris inſcium aſſimulet, ſed etiam animo averſum, ac penitus reluctantem. Pintus, ut heri fortunæ, ac futuræ magnitudini implicitus, & ſuo quoque ingenio imprimis verſutus, & callidus, quemadmodum ille præceperat, omnia ſubtiliter cæpit ſeriò modò, modò luſu tractare, ſollicitè quærere, circuire, rimari; Caſtellenſium imperia injuſta, ſuperba crudelia depingere, jacere interdum tanquam fortuitos de Bregantio elevando ſermones; ſecundum ſtudia cujuſque ætatem, mores, officia, defectionis incitamenta præbere, nihil unquam ſudore & induſtriâ pro aurium illecebra, pro animorum inflexione, pro voluntatum aucupio remittere, eóque ille tandem hoc ſummo artificio, & labore progreſſus eſt, ut non pauci obnoxii, fidíque Pinto per eos blandos, inſidioſóſque ſermones facti, tanquã de communi ſalute ſecretò ſimul cum illo conſultum ſecederent. In hoc colloquio, cui & Uliſipponis Antiſtes præfuit variis ſententiis, & longiùs de Luſitano imperio mutando certatum eſt. Durum aliquibus videbatur, ſub potentiſſimo Rege, regno illo anguſto, afflictóque in ultimo Hiſpaniæ poſito ſinu, & paſſim hoſtibus circunſeſſo intolerabile quanquam ſine majoris calamitatis periculo excutere jugum velle. Aliis Regem appetentibus patrium in eo ſtatuendo tum diſſidia, atque odia, tum civiles contentiones, & fluctus intercurrebant, quæ ambitio, & invidia profectò fuiſſent alterius, alteri non cedentium regni Principum illatura: Tres autem in medium afferebantur è regia Luſitani proſapia, & eo culmine Principes digni, Dux Bregantiæ, Averi item Dux, & Villæregalis Marchio. At Bregantiam præſertim, atque domum Aveiram per privatas ſimultates, atque diſcordias ea ſæpe vetus, ac pertinax æmulatio, in eodem regno colliſerat, ut nihil quandoque

præter fortunam abfuerit, quin ſe ipſas atque reſpublicas ſimul præcipites dederint, quibus quidem inveteratis pleniſque ſuſpicionibus odiis, novo inſuper acrioriſque invidiæ ac potentiæ fomento excitatis, auctiſque & partibus conſtitutis, omnino opportunum Philippo Regi fuiſſet ita diſcordes ſciſſóſque factionibus Principes unà cum regno convellere, ac penitus diſſipare. His interjactis difficultatibus, incidit etiam de illa forma Regiminis quæ vulgò reſpublica dicitur, ſermo; atque hæc novi regiminis diſciplina, ut regios, & Regum ſatis pertæſis imperia nonnullis eo tempore probabatur. Ea namque dicebant, modeſtia, communi omnibus jure, & æquitate compoſita, ſuiſque regulis circunſcripta ita omnia æquabiliter cenſet, ac librat, ut nemo inſoleſcere aut petulanriùs effundi, nemo plus legibus poſſit. Non adeò ibi eorum abruptum ac tenax quos eadem in cauſa reipublicæ caritas nectit, optimatum certamen & odium; non vectigalium, aut fœnorum gurges, non rapacitas magiſtratuum, non ſervitutis ludibria, aut tot Tyrannidis detrimenta, in communi æqualitate, & concordia precario, façili, & circumacto ſemper dominio. Ut ex corrupta, quaſſatáque malis republica ſubſilit ſæpe Rex, ita ex Tyranno plerumque Rege reſpublica gignitur, cùm enim homines omnes eadem materia atque forma, & ſenſuum uſura, & membrorum compagine, & facie, vultúque natura pares ediderit, & prope phantaſtica ratio ſit quæ alium ab alio diſcriminet hominem, ubi illorum cuſtodiæ ac regimini deſtinatus in bona, vel terga cœperit Tyranno ſimilis furere, ſuo tunc inſtinctu, ſuo jure natura confractis ſervitii vinculis redit in congenitam libertatem, quam ſi ſemel Luſitanus libaverit, ejus fortaſſe tactus amore, ac dulcedine illectus conſtantior, ac firmior quam ferre levitas populi ſoleat, in ea retinenda, ac propugnanda futurus erit. Contra tamen diſſeruit Uliſipponis Antiſtes. Vel quia infantia multúmque rudia Hiſpanorum ingenia reipublicæ commoda non percipiant, vel quia tali hæc ſolo, cœlóque, aut ingeniis affixa coaleſcere ſoleat, nuſquam & nullam fore in Hiſpania ex tali inſtituto rempublicam; Turpe dictu præterea, factúque profectò nefas videri, ſi jurejurando ſancita Catholico Regi fides, & juris etiam præſidio ac temporis curſu firmata, nova repentè invecta regiminis forma pro paucorum libidine frangeretur. Honeſtius itaque & plauſibilius fore appellare ac facere Regem Joannem Bregantiæ Ducem, cui porrò hoc neminem lateat, quod Philippus ſecundus, vi potius quàm juribus uſus gentilitiam Coronam, vim vi repellere non potenri, armorum cuſpide abſtulerit. Ad hæc quis in dubium vocare poſſet, terra maríque acerrimo bello premendam, & exurendam ubique eſſe cùm defecerit, Luſitaniam? Tum verò in tanta rerum jactatione, tantóque tumultu, conſilii caput, ſeu rerum omnium arbitrum unum deſiderari, cujus ſententiæ, & imperio nulla laboris, ſumptúſve habitâ ratione, ſicut neceſſitas cogit cuncta expedire nutúque trahere facillimum ſit, quemadmodum Romana quoque reſpublica rebus in arduis mali vis ingens cùm ingruiſſet, Dictatorem nominabat, & Livius ita facundus, ut judicii incorrupti auctor rei Romanæ amplitudinem tribuit, quod priuſquam finitimos domuiſſet, & nervis, & viribus ſolidè ſuccreviſſet, Regum dominio ſubjecta fuerit. Poſtremò cùm planè ſapientibus conſtet plus fide, & conſtantiâ amicorum quàm opibus propriis nova præcipuè ſubſiſtere imperia, fore profectò ut hîc legitimo aſſerto Rege, & pulchrioris ſpecie

prætextûs,

prætextûs, & quia planiùs, & breviùs negotia cum uno qui poteſt omnia, conficiuntur, faciliùs per fœdera externi auxiliares copias admiſceant. In hunc modum verſipellis Antiſtes, quòd ſummè ipſe acceptus, & intimus eſſet Bregantio, peculiare ſtudium, & gratiam publicæ utilitatis, religioniſque velo contexit. Cæterùm dictu re verâ mirabile contigit, arcanum conſilium, quod & paucis perſæpe tam facilè intercidit, tandiù inviolatum, & integrum in regno ſuſpecto, in plurimorum notitiâ hominum conſtitiſſe. Cæli tantummodo pietas, quæ reipublicæ calamitates circuitúſque præcipuè regnorum prodigiis, ac ſignis utplurimum prædicere ſolet, in tanto conjuratorum ſilentio minimè ſiluit. Nam regni propè ſedem Uliſipponem viſum oblongum, ac denſum locuſtarum teterrarum agmen, quod in ſublime præter morem elatum, aëríſque latitudinem implens, obducto propè ſole occupatáque luce triduò tenebras circunfudit, intendebántque aſpicientibus metum cruoris auſpicia, quæ rubro, vivóque colore reſperſis alis volucres oſtendebant. Gelidus Aquilonis afflatus ditas illas catervas impulit, quæ in Transtaganam regionem effuſæ, Uliſipponem ſubinde verterunt; in iiſque multa ſapientes notarunt obſervatione, atque memoriâ digna. Primò quod quævis locuſta humi fortè delapſa ſtatim exanimis apparebat; alis nonnullæ trepidæ in alto ſuſpenſæ in aura ſpiritum relinquebant; paucæ ſublapſæ, & herbeſcentibus ſpicis innixæ primo cum hauſtu ſublatæ eſſent præcipites ibant: deinde quod terram initio veris circunfluentes, fructuúmque ſemine gravidam nihil detrimenti attulerunt. Poſtremo illarum receſſum, & fugam attentiſſimè ſpeculantium penè lumina fefellerunt, perindè quaſi eas omnes oculis turbo inviſibilis rapuiſſet. Hujus rei igitur ſuperſtitione contactis, arrectíſque mentibus hominum, & loquaciùs illam jactantibus narrabant tunc ſeniores, luctuoſam, obſcœnámque regno ſæpe fuiſſe hanc locuſtarum colluviem, iſtiúſque ſimilem quondam in urbe incendiũ, cladémque prænunciaviſſe celeberrimi Xenodochii. Clariùs ſubinde tamen artis medicæ & aſtronomicæ ſimul peritus ſive aſtrotũ intuitu, ſive quodam furoris afflatu, aut injecta divinitùs mente pronũtiabat, anno eodem interlabente Imperii Luſitani fore converſionem, regníque Tyrannum ſuo ſanguine aſperſum ſcele.is pœnas exoluturum. Jamque effluxerat propè annus cùm ab aula regia defertur Didacum Suarium in cruorem alvo ſolutâ graviter ægrotare; ubi ergo, & Tyranni, ut ipſi credebant, nomen, & ſanguinis fluxus, illóque ſublato inſtaurandæ rei publicæ ſpes congruebant, ſciſcitantibus ipſum amicis ſecreti conſciis an vaticinium editum eſſet Didaci interitus impleturus, fidenti ille animo repetebat, ſanguine ruiturum ſanè Tyrannum, ſed gladii cuſpide miſſo, quod mox, ut ſtatim dicemus, Vaſconcellus expreſſit vulneribus laceratus. Cùm ita prodigiis, & vatum oraculis extricandis Uliſippone vulgus, occultíſque nobiles augendis partibus ſtudent; Mantuæ Carpetanæ Olivarius anxius in animo volutabat, quonam pacto Bregantium ſibi jamdudum inviſum, tum verò cum multiplici fuco, & ſolertia è regno exitum detrectaret, magis quotidie magíſque ſuſpectum eo loco tandem abriperet. Hâc mente illi primò Olivarius Præfecturam Mediolanenſem obtulerat, Regem deinde ad Catalauniam cùm iter ornaret pro debito obſequio concomitatum acciverat, ſed hic priùs valetudinis, pòſt pecuniæ tenuitatem cauſatus pertinacius utrumque renuit. Hæc propter vana, & fallacia Ducis effugia, altiùs jam veteri incuſsâ Olivario ſuſpicione, nihil porrò inexpertum quod

quod ſuis argutiis, ac dolis perſequi poſſet, ad eum amovendum reliquit. Statuit ergo per arctioris fiduciæ ſpeciem, quod eſt ſubtilius quidem tutiuſque fallendi genus, ſi fieri ita poſſet, Bregantium incautum, & amicitiæ illecebris conſopitum circumvenire. Excurrebat id temporis Hiſpaniæ maritimas oras, latè ubique terrorem fundens, Gallica claſſis; cùm igitur belli apparatu opus eſſet, ac Duce, qui Luſitani regni cuſtodiæ, hoſtiúmque conatibus provideret, tunc è re nata Olivarius imperium armorum regníque Bregantio tutelam committit, eumdem prætereà mandato Regis portuum maritima oſtia curare jubet, ac naves maximè inviſere, ſi fortè claſſem, & copias augeri oporteret, aut munimenta ſarciri. Poſt hæc Lopez Oſſio Hiſpanæ claſſis Prætori ſecretò mandavit, ut navibus ſtatim inſtructis ad Luſitaniam appelleret, ibique Bregantium arte, vel caſu, vel ratione fortaſsè officii ad claſſem impulſum, navímque improvidè ſubeuntem exciperet, expanſiſque repentè velis in Caſtellam, aut quò venti vis agitaſſet extra Luſitaniam abduceret. Quod cùm perficere vellet Oſſius, fæda Britannicum ſupra ſinum exorta tempeſtas claſſem Hiſpanam disjecit, & Olivarii aſtum, cui & alium jam primo fruſtratus ſubinde Olivarius innexuit. Multa per litteras cum Bregantio de claſſis infortunio conqueritur; unam inculcat Luſitani modò regni tuendi reliquam ſpem in præſidiis, & arcibus eſſe ſitam: denique jubet, mandatóque propoſito Regis, ut præſens ipſe pro munere cuncta luſtraret, ſimul quadraginta aureorum millia ex pecunia publica accepta in militare ſtipendium, & reficienda munimenta perſolveret. Tacitè tamen priùs ab eodem injunctum arcium Præſidibus fuerat, ut eò tendentem Bregantium comprehenderent, militúmque cuſtodiâ ſeptum properè ad aulam tranſmitterent. Bregantius verò cùm nec tantum ſibi convenire fiduciæ, nec naturæ Olivarii, nec curſui rerum inſpiceret, rurſus tentari ſe certus inſidiis & eâ officii ſimulatione perverti, circunſpectus, & vitabundus regni propugnacula viſit, utque fraudem in artificem verteret, pecuniæ quoque publicæ uſum ad commilitonum, Ducúmque fidem labefactandam impendit. Graves propterea contra Olivarium in aula Miniſtrorum quærelæ diffuſæ & Procerum contumeliæ, quæ & regias interdum carpebant aures.

“ Temerè imperium, & arma Bregantio in Luſitania conceſſa. Homini incenſo cupidine regni præter juris colorem, opes immenſas, & populi ſtudium immodicum, arma inſuper, inſtrumenta ſcilicet regni, & animo faces adjecta, quibus celeriùs concupita tranſigeret. Huc porrò rem Luſitanam Olivarii cura, & induſtria provectam eſſe; regnum infidum, & exarmatum; Gallum hoſtem propinquum, & validum, Bregantium, cui omnia per arma pateant, cuſtodem ſimul, & everſorem regni. Quid enim eſſet profectò aliud, laxare equo indomito frænos, furioſo, vel ebrio tradere gladium, ad immenſum incendium addere ignibus ignes, quàm dominiũ anhelanti eodem in regno copias, & arma porrigere? Memoriâ excidiſſe Olivario recentes Eboræ turbas, gentis Bregantiæ turgidos ſpiritus, Luſitani in Caſtellenſem odia, Galli ſollicitudinem, hoſtium omnium inſidias, tempora turbulenta; planè ſi civium culpâ, & non ſuâ, ut aſſerit Olivarius, Catalaunia deſcivit, negare quî modo poterit, ad eandem ruinam ejuſdem errore, ſeu veriùs torpore ac ſtultitiâ illo ordine trahi Luſitaniam. ”

Hæc regiis auribus rectè, aut obliquè inſtillantium, Philippus qui in eo

negotio

negotio Olivarium ſciebat haud quaquam fide aut amore, ſed aſtu procedere, non modò ſermones in ſemet ipſe clauſus averſabatur, ſed etiam, ut ſtolido, & fatuo plerumque in aula contingit, plus maledicto prodeſſe, quàm æmulo obeſſe, exiſtimationem & gratiam erga Olivarium augebat, quem ineptè ad invidiam æmulorum morſibus peti, Rex quia conſilium probaverat, arguebat. Cæterùm Olivarium, ut cadenti jam regno ſuccurreret, multa ordientem, & machinantem vel conſtanter propitia Breganti fortuna laſſavit, vel eò ipſe ſuis artibus captus eſt, quod tam ſuperbè arrogantérque de ſe, quàm abjectè, & contemptim de cæteris pro rerum intelligentia ſentiret. Interea Bregantius magno ſtrepitu & itineris pompa, re verò ipsâ vacuâ, niſi quod omnia interverteret, regni præſidiis excurſis Almadæ poſtremò conſedit prope Uliſipponem oppido, quáque ex alto ſtagnantibus aquis, & in leucam ferè porrectis dirimitur. Ibi ad tempus Bregantium agentem urbanitas, locíque opportunitas admonebat viſere Margaritam Sabaudam ſupremam regni adminiſtram, quod ipſum die præſtitutâ, & ſalutationis antè formâ compoſitâ factum eſt. At memoratu incredibile propè eſt, quo affluentis populi æſtu, quóve ingentis lætitiæ ſenſu aſpectus ille Bregantii à Luſitanis exceptus, ac celebratus fuerit. Tota prorſus commota, ſuíſque è ſedibus fuſa civitas ampliſſimam Regiæ planitiem ſe ſe ipſa collidens, preménſque tumultibus Ducem viſura complevit, reſonóque clamore, plauſúque inceſſum, habitum, hominis vultum ut celſiorem humanâ ſpecie mirantium interlapſæ multorum voces, quæ diadema, regníque proſpera initia Bregantio denunciabant. Præſenſit errorem, & cauſam Populæ Marchio cubicularius Principis Margaritæ, idcirco ipſa coram increpuit, non erga illam obſequium, & cultum hujuſmodi ſcena, ſed opum jactantiam, & auræ popularis experimentum quæſitum, & utilius quidem futurum fuiſſe gratum adeo ſpectaculum plebis oculis ſubtrahi, quid enim inde niſi populo Luſitano erga Bregantium benevolentia, regiis miniſtris timor, animus verò ad majora Bregantio faſtúſque diſtentus eſt? ſic errare Olivarium, & omnia proprio duntaxat metientem arbitrio aut fallere, aut negotiorum molem obruere. Cæterùm in tanta plebis alacritate, animorum ardore, effuſáque paſſim lætitia nihil præter idoneum multitudinis Ducem, aut animi robur Bregantio profectò defuit, quin eodem momento tumultuosè tunc regnum arriperet. Ille verò poſt ſalutatam Margaritam, vitato de induſtria ad urbem ingreſſu Almadam reverſus eſt. Hoc etiam loco remiſſo jam metu Gallicæ claſſis paucorum morâ dierum liberiùs querimonias, fletúſque populi audire vacabat, & aſſentatium affectibus imbui, ſed Bregantius in ſe retruſus, & gravis cùm nihil de conſueto rigore, & artificioſa taciturnitate remittere, quin callidè quoque velle aliorum animos explorare, ſuos intimè occulere videretur, conjurationis Principibus placuit palàm & fortiùs aggredi reſtitantem, cùm Pintus hæc omnia ſubdolè ſtrueret, qui Bregantii voluntatis interpres aucépſque conſpiratorum, quæ heri commenta erant, ſuo tanquam producta marte jactabat. Fuere hi nobiles viri Antonius Almada, Michael Almeida, & Antonius Mendoza, quibus tempus ad colloquium Bregantii petitum cum nocte intempeſtâ conceſſum eſſet, Antonius Almada cujus ætati, ac facundiæ oratio à ſociis permiſſa in hunc propè modum locutus fertur.

Catalauni nos Luſitanos, invicte " Princeps, nuper erudierunt, quid " afflictis, quid omninò perditis rebus "

„ audendum viris fortibus ſit, & utrum
„ excutere jugum deceat, quod ſupra
„ jus, ſupra honeſtum & hominum vi-
„ res mortalia corpora deprimit. Iam
„ ipſe intueris, & ita doles, cùm vides
„ ſquallentem, ac fœdam patriæ com-
„ munis imaginem; nimirum patriæ
„ leges everſæ, corrupta judicia, lace-
„ ratus tributis populus, ob frequentes
„ delectus militum ſolitudo uſquequa-
„ que, gemitus, vaſtitas; prædæ, om-
„ niúmque ludibrio expoſitum regnũ,
„ id ſanè, inquam, malorum minimum
„ eſſet, ſi præterea liceret vivere: An,
„ cùm ita Luſitana modò plebs crucie-
„ tur, nobilium fortaſſe ſplendori, ac
„ ſanguini parcitur? Atqui proceres
„ etiam graviter læſi dolent, indignati
„ querelas fundunt, injurias, quas ul-
„ tione proſequi, faſtidium, & petu-
„ lantiam quæ amplius ſuſtinere non
„ poſſunt, fugâ declinant, quocircà in
„ ſui juris oppidis commorantes, patriâ
„ velut extorres, atque in latibula im-
„ pulſi Caſtellenſium Imperium, & ſo-
„ cietatem effugiunt, quorum inſolen-
„ tiam, & faſtum tolerantia, & mode-
„ ſtia multò magis irrites, quàm corri-
„ gas: Immenſa ſui fiduciâ atque opi-
„ nione tumentes, præſertim, qui al-
„ tiori notâ ſunt, obſequia negantes
„ perdunt, tribuentes deſpiciunt; non
„ cultu ingenuo, nec ſolitâ humanita-
„ te, atque officio contenti ſunt; ado-
„ rationem quamdam ambire viden-
„ tur, & ipſam velle per contumeliam
„ exigere, non virtus omnino, non
„ beneficia, non longa conſuetudo
„ non merita, vel diuturna ſervitus
„ valent, ut quid pertinaci quaſi inſti-
„ tuto detrahant, ſcilicet contemnere
„ omnes, & modum ſupra hominum
„ lineam in humana ſocietate præferre,
„ cúmque iidem videri pluſquam ho-
„ mines eſſe volunt, belluis tandem
„ aſſimilantur. Nullum mancipium ſuâ
„ lege natura patitur, imò ejus inſtin-
„ ctu ducimur, vitam potiùs quàm li-

bertatem amittere, ſponte, non vi, uſu "
non debito poſſidemur. Iámque Prin- "
pum dominatio paternæ ab initio ac "
domeſticæ curæ ſimilis ultro à popu- "
lis conſtituta, pòſt in deterius ſæcu- "
lorũ orbe ruente gradatim corrupta, "
hoc tempore tandem omnino labefa- "
ctata propè in Tyrannidem ceſſit, ea "
verò quæ modo nos Luſitanos ſupra "
communes regni miſerias ex Caſtel- "
lenſibus tenet, talis profectò eſt quàm "
tu nec ſi vis oculis vides, quam ipſi "
curſim attigimus, quam lugere faciliùs "
poſſumus quàm narrare, & cõſequen- "
ter ambigere, utrum magis miran- "
dum ſit, furor hic Caſtellenſium, "
an durities patientiæ noſtræ, & quod "
illis tantæ crudelitatis, an quod nobis "
adhuc vivendi, tolerandíque vires "
ſufficiant. Cæterum Catalauni his "
longè minora perpeſſi dura jam vin- "
cula diſruperunt, atque ex truculen- "
to minùs mutato dominio minùs "
commodi, minùs candidæ libertatis "
dulcedinis haurientes, cùm ibi in- "
ter eos gentilitius Rex non occur- "
rat, alienigenam petunt. Salubriora "
profectò nobis, & æquiora conſilia "
fortuna ſuggerit, qui efferendo te "
Regem poſſumus ſimul tibi, & no- "
bis conſulere, & patriæ, veterém- "
que tuæ ademptæ familiæ Coronæ "
revellere injuriam, niſi turpiter ipſe "
ſervire, & anticipem vitam trahere, "
quàm ſecurus, & florens in Luſita- "
nia regnare malis. Ad hoc planè te "
quoque hortari res ipſa videtur, "
quia juſta, quia ampliſſima eſt, quia "
nedum neceſſaria, ſed factu etiam "
facillima eſt adeo, ut in hoc ſtatu "
rerum dare tu jugulum inimicis, aut "
diadema ab amicis cogaris accipere. "
Quippe ad juſtitiam pro jure civili "
ſtat tibi dignitas ſexus, videlicet "
non per fœminam uti Philippus eſt, "
ſed regiæ ſucceſſioni per maſculum "
Odoardum inſerto; pro noſtro mu- "
nicipali prærogativa civis, quo Phi- "
lippus

,, lippus tamquam extraneus, & ad-
,, vena exploditur: pro jure gentium
,, favet tibi populi conclamatio, cujus
,, ingenti quidem conſenſu, flagran-
,, tibúſque votis acerrimè optari tutè
,, nudiuſtertiùs hilariter aſpexiſti, cùm
,, ad Margaritam ſalutandam accede-
,, res; nec naturæ poſtremò lex his ra-
,, tionibus refragatur quippe quæ ad
,, arcendum impellendúmque Tyran-
,, num ſapientes, ſtultóſque ſimul,
,, viros claros, ignobiléſque omnis ſe-
,, xus, omnis ætatis, conditionîſque
,, homines uno impetu armat, agít-
,, que. Jura igitur omnia humano acu-
,, mine, & uſu, aut ex fonte natu-
,, ræ orta quacumque intelligi ratio-
,, ne, ac flecti placeat, regium tibi
,, Luſitaniæ diadema contexunt. Eſt
,, elati præterea animi magnæque in-
,, dolis argumentum recto tramite cel-
,, ſa petere; cuncta verò in humanis in-
,, fra regiam majeſtatem, & orna-
,, mentum poſita jacent. Philippum
,, tertium Hiſpaniæ Regem dicere ſo-
,, litum narrant, quod ſi, curarum
,, aculeos, & ſpinas quæ auro, gem-
,, míſque diſtinctam regalem Coro-
,, nam ſepiunt, daretur hominibus in-
,, troſpicere, ne dignam quidem exi-
,, ſtimarent, quam humi jacentem at-
,, tollerent. Contrà, Philippum ſecun-
,, dum ne dum tanti Imperii tractan-
,, dæ molis defatigatio, aut tot poſ-
,, ſeſſorum in orbe regnorum ſatietas
,, minimè ceperat, ſed etiam per juris
,, ludibrium, armorúmque terrorem
,, & vim ſibi ſuſtulit Luſitaniam; ſi-
,, mul in Galliam per aſtus turbatis re-
,, bus incubuit, quámque armis vel
,, fraude ſubactam auferre non potuit,
,, eamdem convulſam membríſque diſ-
,, ciſſam ejuſdem regni Principibus de-
,, ſtinaverat, ut graviori æmulo di-
,, minuto, aut proſtrato, cùm nihil
,, amplius ſupereſſet Europæ quod ejus
,, potentiam æquaret, Italiæ tandem
,, reliquias abſumeret. Utrum Philip-
po ſecundo tu, an ejus Philippo fi- “
lio ſimiles animos gerere vis? num “
obſcurioris famæ ac nominis ex- “
ſtitit pater, quàm filius, quod ille “
eſuriret, hic faſtidiret imperia? an “
ipſum regi, quàm regere, vel ex “
alieno pendere arbitrio quàm tuo “
ſatius eſt? Et ſi vitium ambitio, ge- “
neroſi non animi fervor, non inge- “
nii ſublimis impetus ſit, hujuſmodi “
tamen eſt magnitudo, ſplendórque “
Regis, ut ad illud faſtigium vel per at- “
tritas leges, calcatáque ſæpe jura haud “
pergere nefas eſſe, vulgari comprobe- “
tur adagio, ſi violandum eſt jus, re- “
gnandi cauſa violandum eſt, quan- “
tum tu porrò inertiæ, animíque de- “
generis notæ, quantum ignominiæ “
ſubieris, ſi jura violes, ne regnes, “
totque ſacra & communia patriæ pi- “
gnora negligas, ut otio fruaris? Cir- “
cunſpice, quæſo magnanime Dux, “
ne falſa virtutis ſpecie deluſus, ita “
dum animo langues, ac viribus tor- “
pes, quod re vera ſegnities eſt, tem- “
perantiam exiſtimes, atque ita miſ- “
cendo propinqua virtutibus vitia, pro “
prudentia formidine, pro pudore “
animi tenuitate, honeſto pro otio “
ignavia, ac dedecore utaris, quem “
niſi regale genus, & jura populíque “
plauſus, & voces ad regni clavum ſuſ- “
cipiendum tot inter æſtus, & fluctus “
excitent, vel tuis virtutibus dignus “
es, qui & nobis, & vaſtiori quoque “
provinciæ imperites, támque inſi- “
gnes ingenii dotes, atque egregia “
decora animi tandiù otioſa, & jacen- “
tia, ac propè marcida ſitu hoc tem- “
pore minimè licet in ordinaria con- “
ditione ſordere, niſi perperam po- “
tiùs, quàm bene tibi, amicis, & pa- “
triæ, & tranquillè, & abjectè, quàm “
cum regio ſtrepitu & gloria in luce “
terrarum orbis, & memoria æterna “
poſteritatis vivere concupiſcis. An “
hîc ubi juris ſummíque honoris, & “
laudis ad capeſſendum imperium in- “

„ citamenta movent, negotii fortaſſe
„ aſperitas, & circunſtantia pericula
„ interponuntur? Pugnaturus profe-
„ ctò es umbraticum contra Regem,
„ alterius conſilia nutúſque ſectantem,
„ ex quo apud populos malè audit,
„ apud proceres laceratur, apud ex-
„ teros ſpernitur. Inter Regis torpo-
„ rem, miniſtri arrogantiam, populí-
„ que ludibrium Imperii calamitas ur-
„ get. Res tibi gerenda cum illo Rege
„ eſt contra quem premit ſuis opibus
„ Gallus, creſcit quotidie, & confir-
„ matur Hollandus, labat Germanus,
„ Italus odit, diffidit Britannus, Ca-
„ talaunus è latere inſultat, & cinis,
„ & fumus brevi fore videtur Troia
„ ubi ſtabat. Regem illum petiturus
„ accingeris, qui non minus dome-
„ ſticis, quàm externis bellis impli-
„ citus, & utriſque debilitatus, &
„ fractus, dum novum repentè natum
„ in Luſitania belli ad reſtinguendum
„ ignem accurrerit, alios etiam intra
„ Caſtellam clam, palamve coëuntes
„ incendii globos ex perfidia ſuorum
„ accenſos conſpiciet, ut inæqualis
„ ſervandorum regnorum ſollicitudo
„ unum eorum, æqualis utrumque re-
„ gnum in diſcrimen conjiciat, ex ma-
„ gnatibus enim Hiſpanis alii ſunt tibi
„ ſanguinis jure conjuncti, ambiúnt-
„ que propterea in communi ſibi fami-
„ lia regia ſtemmata propagari; plures
„ in eo Luſitaniæ receſſu effugium de-
„ ſiderant, quò ab ira injuſta, ſeu ju-
„ ſta Regis; ſi ita res incidat, advo-
„ lent; nonnulli circuncidi tantam
„ Regis potentiam volunt, ut priſcos
„ illos recipiant ſpiritus, quos ſub mi-
„ nutis olim Caſtellæ Regibus oſten-
„ tabant: ſunt, qui, & ita invident
„ Olivario, ut Regem ipſum, & re-
„ gnum cum ejuſdem ruina raptari cu-
„ piant, cúmque ab iiſdem magnati-
„ bus, qui ita infeſti Regi, ac regimi-
„ ni ſunt, res domi, militiæque tra-
„ ctentur, contra Luſitanos, Regém-

que recentem arma, & conſilia pa- “
rantium, aut fides ſuffragia, aut “
opus conſulta deſtituet, niſi priva- “
to minus, quàm publico bono pro- “
ceres ſerviunt, aut tam facilè ipſo- “
rum deferveſcere poteſt ambitio. At- “
que utinam hoc tibi certamen non “
tam neceſſarium, quàm glorioſum, “
& facilè obverſaretur. Scio equi- “
dem nec te penitus fallit, nefariis, “
multíſque inſidiis caput tuum Oli- “
varium appetere, in quibus acerbè “
furentem, animo anxium, cruen- “
túmque miniſtrum nec pecuniæ, nec “
armis, nec vi ultimæ parcere ſtatuiſ- “
ſe, donec ex voto confecta res erit. “
Obvia, & proniora quæque poten- “
tibus fiunt; ubi plena ſceleris mer- “
ces; minor opportunus injuriæ eſt, “
niſi vires ſuppleat ingenium; at nul- “
lum omninò tibi tot miſeriis, tot “
periculis circunfuſo, niſi in tuo re- “
petendo regno, malorum patere ſo- “
latium, aut ſalutis effugium poteſt. “
Permultis eoúſque ſuo lumine irra- “
dians oculorum, atque animi aciem “
perſtrinxit Coronæ fulgor ut ultro “
ſeſe magnis periculis objectarent, alii “
verò interirent quò illam arriperent; “
tibi, ut vivas, aut extrema pericula “
ſubterfugias, petenda eſt. Adeone “
ingratum, vel execrabile imperium “
eſt, ut perire, ne imperites, velis, “
dulciúſque tibi fuerit, & gratius ve- “
nenum quod per æmulos tibi deco- “
quitur, qui tibi jam texitur laqueus, “
qui culter acuitur, quàm quod pla- “
nè tuum ſceptrum eſt, & quod tui “
tibi cives, amici ſupplices porrigunt? “
Sic tecum fortuna ludit, cui ſi nunc “
præbenti ſe tibi terga inconſulto de- “
deris, fruſtrà eam ſubinde, cùm “
egueris, cùm ingemueris implores; “
ut ſpreta, ut irata deinceps infeſta “
futura eſt. Hæc tibi candida amici “
conſilia damus, & conſilio, quò “
fraudis ſuſpicio abſit, etiam labores, “
& corpora noſtra ſubjicimus, ita ut, “

ſi

„ ſi res, ut confidimus, proſperè ceſſe-
„ rit, te cum diademate ſolium extu-
„ lerit, nos eadem ſors, vulgariſque
„ vitæ conditio in ſubditorum grege
„ tentura ſit; ſin improſperè, quod
„ Deus avertat, cum humanæ juſtitiæ
„ fulmen non ſumma plerumque ſed
„ infima petat, conjurationis partici-
„ pes nos multò crudelior quàm te
„ Principem æſtus abrepturus furoris,
„ & odii ſit. Supereſt ergo, cum ni-
„ hil indecorum, nihil injuſtum ex-
„ poſuerimus tibi, qui Regem poſci-
„ mus pro Tyranno, nihil etiam diffi-
„ cilè, aut fortunæ caſibus implicatum,
„ verùm omnia expedita, utilia, hone-
„ ſta, & tibi, & nobis, ac reipublicæ
„ maximè neceſſaria, ut aura quoque
„ cæleſti afflante ampliora dictis ſpera-
„ re liceat, modò tu amicorum con-
„ ſiliis nequaquam ſurdus optima qui-
„ dem impiger expectare, & audere,
„ quàm deterrima quæque otioſus, ac
„ deſes pertimeſcere malis, & tutum
„ imperium amplecti, quàm ſervitutem
„ periculoſam.

Hæc quæ fuſius dixit Antonius Almada, cæteri brevius expoſuere. Bregantius tamen cùm animo avidus, metu ambiguus, & ſuo cunctabūdus ingenio eſſet, gratiis hominibus placidè actis, reſponſum ita compoſuit, quo nec alere ſpem conceptam, nec illam prorſus abſcindere videretur. Scilicet procliviorem animo eſſe ad benè merendum, quàm furtim, aut palam regnum per tot amicorum pericula, & civium ſanguinem repoſcendum. Cæterum in humanitatem, atque leporem, & ſupra morem ipſe prolixior ea frontis illecebra, vultúſque ſerenitate Luſitanos dimiſit, ut malè diſſimulata, quæ per medullas, & viſcera impreſſa ſerpebat imperii cupido, oculorum quaſi per rimas foras erumpere videretur. His ita actis Villavitioſam Dux Bregantiæ ſtatim repetiit, veterem ipſam, clarámque Bregantiæ familiæ ſedem delitiis imprimis excultam, & venatu maximè inſignem, ſed altiùs jam tacto regni dulcedine viro, faſtidio, atque ſtomacho loci elegantia & amœnitas erat, ſola ac vehementi regnandi tum curâ defixo. At Mantuæ Carpetanæ vulgato populi ſtudio, atque ingenti lætitia quâ Bregantius palàm inſpectus Uliſipponem affecerit, ſimul clandeſtinis Almadæ cœtibus, qui caſu quædam expreſſa altioris veſtigia ſigna reliquerant, tum fatali quodam rerū novarum ſuſurro ex incerto quaſi auctore & indicio rebus in magnis præcurrere ſolito, præterea cùm nihil fallaciis, ac dolis cum Duce Bregantiæ proficeret Olivarius, & palàm idcircò, & per vim in re tanti ponderis agendum eſſe cenſeret, cauſam ex Regis præcepto ad Status Senatum retulit. Proinde, rogaris ſententiis, Senatus frequens decernit, iniquo vel æquo animo ad aulam Bregantium ſine ulla mora trahendum eſſe, ſed non niſi lenociniis nequicquam primo conſumptis artibúſque deluſis, vis denique adhiberetur. Secundū hanc ſententiam hæc juſſa Philippi Regis ad Bregantium confeſtim delata ſunt: Quamprimùm veniret ad Aulam, ipſo ibi Regem pro ſua voluntate, illuſtri pro genere, & ampliſſimis meritis ejus uſurum. Triſtis, attonitóque ſimilis ut improviſo, ut gravido arcanis huic novo mandato Bregantius hæſit, cùm animo volveret jam non amplius ſe per ambages, ac diverticula quæri, primíſque inſidiis nequicquam expertis, modò illecebras jaci, quibus facilè quoque diſcuſſis fore ſubinde, ut minæ tandem, & vis extrema retentaretur. Pavidus etiam, iſque anxius multipliciter erat ne aliquid fortè ſecreti, quod bulliebat, negotii malitioſè, vel imprudenter effuſum jam diademata, & purpuras ſomniantem à ſumma ſpe ad extremam calamitatem projiceret. Non manu ita ille promptus, & animo conſtans, ut cupidine flagrans in regno parando erat. Itaque diù ambiguus, & animo

æſtuans fidum tandem ex famulis miſit ad Regem, qui eum dicto parentem ad aulam iturum Catholico Regi profiteretur, ſed moras diſceſsûs, quantùm artibus poſſet, cavillando prætexeret, inter quas conjurati, qui moniti jam de imminente Duci periculi fuerant, ſuſceptum facinus maturarent. Venit ad Regiam famulus, multa apud Regem, & Olivarium, ad prolatandam, ut juſſus erat, profectionem obtendit; nunc rei domeſticæ inopiam, & valetudinem fractam, nunc de ordine, & loco Caſtellæ magnatū acres cum Bregantio futuras altercationes exponit; certum, nec longum fore diſceſſum, at omnia priùs explanari, ne vir primarius offenderet, opus eſſe. Verumtamen Olivarius, qui minoris momenti cætera, ut inde Bregantium abduceret, reputabat, interpoſitas omnes excuſationibus tricas explicuit, jubens præterea, nummûm viginti millia ab ærario Bregantio ad itineris ſumptus exolvi. Sed quia ad Bregantium rem Luſitanam ſupernâ ordinatione transferri jam immotum, & fixum erat; ratóque atque abdito ſæpe rerum ordine illudimur, quâ viâ, ſive mente Olivarius Luſitaniæ defectionem antevertere ſatagebat, eâ maximè accelerabat. Inter arcana Olivarii uſúque trita conſilia, & fallaces imperii artes potiſſima erant, plus ſeveritate animíque rigore, conceptóque ex formidine odio repeti à ſubditis quàm amore, ſeu temperato dominio, cum natura liberè, amare, neceſſariò timere doceat, atque illud in tua, ac mutabili voluntate, hoc in aliena poteſtate poſitum ſit. Adhæc egeſtate, atque rerum propè omnium inopiâ quoquo modo clientium cohibere ſpiritus, ne affluentes illi fortè divitiis atque opibus ſaginati ex luxurie in ferociam, ex ferocia in inſolentiam, & contumaciam delapſi ſervitutis quandoque fræna detrectent. Hiſpaniæ poſtremò univerſum Imperium quaſi in provinciam redigere, ut id ſcilicet regeretur Caſtellæ legibus, vel quas ſuo tantum arbitrio, ac libidine ad tempus imponere placuiſſet. Rationes ipſæ profectò, quæ niſi regionum ingeniis., tempori, ac vicibus rerum ſolerter accommodantur quanquam faciles intellectu, uſu tamen contortæ, ac difficiles ſunt, ac ferè ſemper exitu fœdæ. His geminatis nunc artibus præceps ad defectionem, & lubricum ſuo more poſſe in officio tenere regnum exiſtimans Olivarius ſcripſit ad Vaſconcellum; pro exercitu, pro valida claſſe, quæ ad Catalauniæ receptionem deſcripta erant, multâ pecuniâ ſe, multo milite egere, nec alibi eſſe, unde commeatus militibus præberetur. Cumularet idcircò in Luſitania tributa, iteraret delectus militum, ne metueret, neu cunctaretur, ita animatam, ita concretam eſſe indolem Luſitanam, ut vexationibus potiùs ad tuendum obſequium frangi, tundíſque oporteret, quàm illecebris deliniri. Satis, ſupérque paucioribus quoque verbis ſeſe Olivarius explicuiſſet, ut vehemens, acérque ac peculiari nomine infenſus Luſitanis miniſter truciora his quæ juſſus fuiſſet, exequeretur. Deterior ex eo quotidie rei Luſitanæ ſtatus, cùm eam conflictantes miniſtri Regis ſibi in animum induxiſſent, quod Luſitaniæ & Catalauniæ ſimul ſubvenientes hinc pro pace, hinc pro bello utrique regno conſulerent. Super cætera autem in regno dehoneſtamenta, & publica exitia ad coacervandam præcipuè pecuniam exarſerat avaritia. Quocirca fortè res incidit quæ acerbiùs & acriùs antecedentibus cauſis, & ſuâ quoque ſponte pronos ad iracundiam viros nobiles perculit. Pulchriora inter vitæ civilis, ac generis ornamenta, quibus utitur Luſitanus, floret præſertim equeſter Chriſti qui dicitur ordo habitúſque, quem ad nobilem gradum dono tantummodo Regis eum ſanguinis claritate,

ritate, probato ſplendore ſtirpis,& probitate morum adſcribi incolis indulgetur. Proinde in amicorum colloquio jocosè quidam narrabat, ignobilem hominem, quin & Maurum origine aureà ſuffusà in pallio, ac pectore venà, nuper Chriſti crucis inſignia, & equitum ſtemma delineaſſe, his verbis ſignificans, pretio, atque fraude in ordinem Chriſto ſacrum ignobilem hominem, & genere impurum intruſum. Ira tunc excandeſcens alius eques, qui fortè aderat. En inquit ex urbis quiſquiliis, plebiſque ſordibus ſurgunt, qui in gradu nobis æquiparantur. Non erit igitur amplius nobilitatis, quam circunferimus, hæc Nundinaria Crux, ſed nota dedecoris, atque ignominiæ; hiſque dictis irarum, & animi impatiens, arreptam è pallio Crucem fremens, frendénſque diſſecuit, minutímque conciſam diſiecit in aërem; plura poſt jecit probra, & contumelias in Regem, & regimen regni,ſeſe tandem ex cætu amicorum furibundus proripuit, cùm omnes admiratione, atque triſtitià eo impetu, factíque inſolentià propè torpidos reliquiſſet.

Hæc, & ſimilia partim vera, partim afficta, vel aucta per artes in majus à rerum novarum cupidis mirè in naſcentem, increſcentémque conſpirationis ignem afflabant. Itaque Petrus Mendoza, cùm Villavitioſam profectus eſſet, ex re oblata rurſus Bregantium conjuratorum nomine convenit, cauſas illi, rationéſque commemorat priùs in Almadæ congreſſu de regno uſurpando propoſitas, poſtremò execrationes, & preces, & propè lachrymas àdjicit. Si perire ipſe vellet, cum eo peritura Luſitania profectò eſſet, idémque buſtũ & patriam, & Ducem Bregantiæ collecturum fuiſſet: tandem ſi vivere ſibi nolit, vel viveret ipſe patriæ, communíque ſaluti ſe cum regno & diademate reſervaret. Bregantius tunc breviùs, & clariùs Mendozæ reſpondet. Ea ſe dura, & iniqua tunc à regiis miniſtris per ſummam injuriam, ac petulantiam pati, quæ virum etiam dedeceant promiſcuæ cujúſque ſortis; & ſollicitiùs quidem & fortiùs, ut tandem coactum ſeſe rebus ſuis, ni rigor ſe ille intermiſerit, conſulturum. Nihilominus arduam, & valdè prærupṭam eſſe regni petendi viam, eámque celeriùs ingredientem nonnunquam conſilia, multoties amicos, ſæpe fortunam fallere, ſolium ſe demum, aut præcipitium, Coronam, aut laqueum, cùm pergeret, offenſurum, in tam lubrico itinere eſſe, medium non intereſſe. In tanta igitur rerum confuſione, ac tumultu in quæ Luſitaniam Rex Catholicus conjeciſſet, ſibi ipſi proſpicerent, dum quod è re ſua fore in his fluctibus cognoviſſet, ipſe cunctatiùs deliberaret. His verbis diremptus eſt ſermo, & Mendoza cum honore dimiſſus, qui metu, non fide & officio impediri in eo ſermone cùm exploraſſet, videlicet non de regno, ſed de modo occupandi, ſuſtinendíque regni hærere nunc in ſe ipſo, cunctaríque Bregantium, qui in priori ad Almadam colloquio ſe planè alienum,& animo averſum oſtentaviſſet, alacrior ex eo Mendoza Eluenſem Antiſtitem,quòd Bregantio cariſſimus eſſet, aggreditur, ſecretóque illi conſilio communicato monet, Bregantium conveniat, & in rem jam proclivem, ſed timore tergiverſantem evincat; videri fortáſsè more Principum velit, quod ambitio extorſiſſet, religioni, ſacróque pallio tribuere. Antiſtes, quo morem gereret Petro, ſimul & ipſe penes amicum novo pro regno ineundo magni meriti particeps eſſet, adit Bregantium, multáque arte, multa dicendi copia regnum uſurpaturo honores elevat, utilitates auget, pericula imminuit. Teſtatur præterea ipſum, ipſum Bregantiæ Ducem eſſe illum larvatum Regem jam dudum in

regno latentem, vulgíque rumore jactatum, quem verbis ambiguis arioli, tegníque vates velut oraculo miſſis ex longo tempore ceciniſſent, nuncupatíſque votis Luſitana quoque plebs exoptaret. Jamque immobili ſanè fato viam aperire Numen qua aliena detracta occulto Regi perſona in luce terrarum, in oculis, imo in corde, & animis potiùs ſuorum concivium imperitaret. Poſtremò dixit Antiſtes, Eluiſe Alfonſum Melum habere Præſidem magnæ arcis, multóſque primores urbis ejuſdem Bregantii cauſæ atque fidei tenaciùs adſtrictos, & quocúmque ſemel tentata fortuna inclinaſſet, patere ibi ipſi propugnaculum regni maximum, vel in ſecundis rebus munimen, vel in adverſis ſuffugium, tutúmque receptum. His dictis Antiſtes, quæ & viri gratia, tum ratio, & infularum auctoritas roborabat, flexit tandem Bregantii animum; Is igitur pauca primum pro ſe, reique dilatione præfatus, ſubinde Antiſtiti adjecit, parum temporis ſibi permitteret, firmatâ donec meliùs ſententiâ, atque animi æſtu compoſito reſponſum integrum redderet. Occultum interea hucuſque Bregantius uxori conſilium aperit, ſimul partium ardorem, & ſtudia, tum amicorum turmáſque clientium ſtudioſius in rem incumbentium, ídque primo quoque tempore fieri ſollicitantium; deinde quæ etiam eum aliunde ab incæpto avertebant, moleſtiſſimas curas ſubjicit.

„ Nihil anxius fœminæ, aiebat, vo„ lubilius, ac fluxius favore populi, qui „ maritimæ ſpumæ ſimilis, ea ipſa, „ qua reſilit, promptitudine frangitur. „ Tranſverſi, perturbaríque regiminis „ notas, & querulas voces, vulgares ut „ plurimum, & inanes eſſe querelas, „ cùm gravia ſemper, quæ ſunt præ„ ſentia, & odio, ac faſtidio ſubditis „ ſint, cúmque ingeniis, ſenſibus, men„ te ſemper ejuſdem propemodum molis iiſdem affectibus, ſtudiis uſu “ aut natura corruptis per immiſta vir“ tutibus viria, ac redeuntia fortunæ “ intervalla ut antea, & nunc quoque “ reſpublica gubernetur, nec retroacta “ ſæcula meliùs, nec ventura deterius “ regenda eſſe. Hollandiam, & Cata“ launiam æquo adhuc marte conſtan“ ter cum Hiſpano Rege confligere, “ illam nimirum, quia à cæteris procul “ Hiſpanis diſſita regnis ideo minus “ urgeri valeat; hanc, quia terra, ma“ ríque finitima Galliæ, & fide, ſitú“ que connexa, quaſi unum cum illa “ copulet regnum, at Luſitaniæ unde“ cumque Caſtellæ circunſeptæ domi“ nio, omnia à loco interclusa terre“ ſtria præſidia, maritima ſera eſſe, pe“ riculoſa ventorum, & fluctuum in“ conſtantiæ commiſſa. Neque uſui “ prætereà fore ſibi videri de Rege “ Gallo nimis confidere, regii cùm “ moris ſit ad præpotentem æmulum “ obterendum, alios perſæpe inaní“ que fiducia inflatos ad arenam vo“ care Principes, ubi amicum vincere, “ aut vinci ſine ullo quidem incitantis “ Regis periculo, & cum ejuſdem ſem“ per utilitate contingeret. Luſitani “ propterea mutandi imperii conſilium “ domeſticis eſſe potiùs quàm externis, “ incertíſque auxiliis, priuſquam aleam “ adiret, dimetiendum. At qui ſi inte“ gras ſibi eo tempore partes addictas “ enumeraret, parum eſſe in ſe plebem “ natura cohærentem, & ſtabilem, “ raróque à viris nobilibus ſeparatam “ niſi fruſtra, & cum ejuſdem excidio “ vertere imperium aggreſſam; nec “ ſatis etiam per ſe viros nobiles commoveri, “ vel ruere in incertum cupi“ ditatis, ſpeíque ſuſceptæ ſolitos, “ niſi prius à regni ſummatibus exci“ tatos, conſociatóſque. Hos autem “ planè ſe oppoſitos, infeſtóſque pro“ fectò exiſtimare fortunæ ſuæ, qui “ nec ſibi ullo pacto de regno conce“ derent, nec ſe ipſos quidem invi“ dioſis,

„ dioſis, magníſque tot opibus tutos, „ ſub reguli arbitrio cenſerent, nec „ impenſi tandem obſequii inter pacis „ delicias, aut incommoda belli pa- „ rem illis mercedem curtum Regem „ perſoluturum, quàm ſecus ampliſſi- „ mam à Catholico Rege expectare „ liceret. Hæc, & talia peracutè, ac ſollicitè hominem arguentem ingentis ſpiritus mulier hac callida circuitione perſtrinxit. Amicè miſeriis te paſſim, „ & periculis circumventum complo- „ ratúmque video, & alterutrum mor- „ tis genus ſeu decorum, ſeu fœdum „ inter tot inextricabiles æſtus eligere „ dura neceſſitas cogit; Tibi enim Uli- „ ſipponem aut Mantuam Carpetanam „ eundum ad interitum eſt, ſed turpi „ quidem in aula Catholica, morte, „ pulcherrima in patria, & diademate „ coronatus occumbes. Hæc tandem ſeu vis argumenti, ſeu genii ſuperioris, ſeu muliebris imitatio virtutis jampridem Bregantium ſpe anxia, metúque pendentem ad regni rapinam impulit; vocatóque Antiſtiti Eluenſi in hũc modum reſpõdit. Nihil ſanè inter homines „ difficilius aut majus quàm bene im- „ perare, difficillimum verò in tanta re- „ rum jactatione virum privatum arri- „ pere imperium, nec ſine extrema „ ingredientis pernicie inter regni quo- „ que primordia negotiorum vortici- „ bus volutari, multóque ad rem plura „ exempla tragica duci quæ avocent „ abeuntem quam læta, quæ blandian- „ tur, tamen ne ſuo ipſe genere indi- „ gnus, neu communis immemor pa- „ triæ, neu vocibus amicorum inexora- „ bilis videretur, aut ferreus, tam mul- „ tis, tantíque momenti hortamentis ac „ precibus fatigatum, ad occupandum „ denique regnum, quod jure ad ſe „ pertinebat, accedere ſtatuiſſe. Seriò „ interim ipſi viderent, expenderént- „ que ſibi, & partibus luctuoſum, „ cruentúmque futurum talem conta- „ ctum imperii, ſi Ducem Bregantiæ complures Regem deſiderarent, fa- „ cere pauci auderent. Hoc reſponſo effuſè lætus Antiſtes, & quòd is pertinacior in Caſtellenſium nominis odio eſſet, & quod ſibi etiam cum quadam jactantia tribueret expugnati Bregantii animi lauream, quaſi hunc non ex longo intervallo ſpecie averſantis regni cupiditas peruſſiſſet, eidem Bregantio tandem futuri imperii gratulatus initia receſſit.

De regno igitur quàm celeriter occupando Bregantius jam animo immotus, ac ſtabilis ſcripſit ad Pintum, qui Uliſippone ejus negotia, & hoc de regno maximè curaturus agebat. Quantociùs Villavitioſam accederet, ibi enim ipſe neceſſe quædam cum illo habebat de Odemirana ditione conferre, quam, extrema perantiquæ familiæ ſobole jam extincta, in domum ſuam hæreditario jure delapſam eſſe cenſebat. Ancipites ſenſus, Pintóque duntaxat arcanâ regulâ notos, ubi primùm is intellexit, ratus id quod erat, confirmatum ſcilicet elatúmque jam animo dominum velle regni negotium omninò conficere, curſoriis ſtatim equis aſſumptis evolat ad Bregantium. A quo admiſſus, & nedum præparatum, ſed ad capeſſendum etiam quamprimùm imperium vehementer incenſum cupidine Ducem nactus ei latiùs conjurationis ordinem explicat, conſcios homines multos enumerat, eóſque fortunis, genere, famâ præſtantes; addidit Elvi, atque Uliſipponis Antiſtites qui auctoritate, conſilio, affinium clientúmque copiâ, infularum prætereà decore, atque ſpecie plauſibiliùs rem promoverent. Ad hæc quò Bregantio ex negotii proceſſu facili ſpes amplior accederet, ſibíque egregiæ quoque navatæ operæ commendatio, inſontes, ingenuóſque falsò quamplurimos viros implicuit, quos tamen primâ facie turbatis putabat rebus fore partibus inhæſuros. Docuit præterea Bregantium antiquas

antiquas, acréſque inter Principem Margaritam, & Vaſconcellum contentiones, ac domeſticas ſimultates, eò quod Olivarius in regni negotiis expediendis minùs auctoritatis, atque momenti fidei, & conſilio Principis daret, quàm longè inferioris notæ miniſtri, quæ quotidiè refricabantur, adeo nuper recruduiſſe, ut palàm dixerit Princeps, eò brevi ſanè venturam rem eſſe, ut ipſa, navi raptim conſcenſâ, præcipiti fugâ vacuum etiam Gubernatricis nomen, quod illi unum pro integro imperio deerat, adjiceret Vaſconcello; atque ea præter morem calentia, & cum aliorum motuum ſeminibus ſparſa diſſidia, quæ rationes Regis, & regni per factiones, & partes debilitabant faciliorem ſtraviſſe novis conatibus viam, cùm ratâ quadam lege fati ſancitum ſit, quæ perturbant, quæ inficiunt, quæ delent denique Imperia, peſtes Palatio primum oriri, inde exire, fundique poſtea, nec inteſtinas extra diſcordias ulla unquam mutata, aut everſa regna fuiſſe. Incertas præterea, atque varias Uliſippone jactari voces, id per hoc tempus in aula Catholica agi, ut Regis filius Princeps Hiſpaniæ quàm primùm in Luſitaniam cum imperio dimitteretur, quo adoleſcens regno aſſueſcat, Luſitanóſque ſuſpectos, ut illi credebant, & in obſequio, atque fide labantes ſuſtineat. Quod planè verum, aut non procul à vero eſſe videri, utpote Regis & Olivarii rebus maximè conſentaneum, Olivarii quidem ut diſparis æmuli impatientem adoleſcentem, Regis autem, ut filium ætate adultum, ingenio experrectum, & popularem, & qui ante capere forſan potuiſſet imperium honoris ſpecie dimitteret, cujus inſuper ductu Principis, ſi res ita accidiſſet, haud difficile factu videri Bregantium etiam per vim è Luſitania depelli, aut regiæ perſonæ fulgoribus obſcuratum, ibidem abjectum, atque deformem, metúque quotidiè tabentem in regni quodam receſſu conſeneſcere pati. Strenui hanc ergo conſilii molem quæ magnas ſpes ejus ſurgentes obrutura profectò fuiſſet, audendo, agendo, propetando præoccupare neceſſe erat. Audit hæc omnia Bregantius, laudat deinde prudentiam Pintíque ſtudium, ac denique adjungit, quod ſi ad novum efferendum ſe Regem ſemel tentata Uliſippone acclamatio ſecus accideret, erat animus Algarbienſe regnum cum armis irrumpere. Etenim illud obnoxium inter alia fidúmque regnum, & Portugalliæ præcipuè domui propenſum exiſtimabat, quippe quod adverſus Caſtellam olim partes Antonii conſtanter ſecutum, etiam fractas belli reliquias cum infelici Principe, ſummóque regni diſcrimine exceperit. Ad extremum poſtremò deſperatæ propè ſalutis effugium adeſſe Elui Alfonſum Melum cum arcis urbíſque præſidio ejuſdem fiduciæ per ejus urbis Antiſtitem alligatum, eóque inter res turbulentas atrocioréſque fortunæ minas, hæc ſi ab initio non aſpiraſſet, tutum ſibi receſſum fore, nec porrò vertendum in dubium eſſe, quòd in illo ipſo fortè propugnaculo incluſo, atque obſeſſo ante oculos omnium impendens Bregantiæ domus exitium turbarum procellas ingentes concitaturum in regno fuiſſet. Cæterum magnum opus aggredienti cum impoſſibile propè ſit, caſus omnes fortuitos, qui intercurrere poſſunt, aut conſilio expedire, aut ratione complecti, poſtquam omnia judicio rerum momenta collegerit, aliquid opus eſſe in fortunæ tributum mittere. His in hunc modum Pinto probatis binas illi Bregãtius epiſtolas alteram Petro Mendozæ, Michaëli Almeidæ alteram Uliſippone reddendas tradit, quarum exemplar hujuſmodi eſt. Quædam præſenti ſe Pinto mandaſſe, cujus ore explicatius intellecturi ſubinde eſſent. Hæc igitur ea ipſi ratione ſuſciperent,

ut

ut nec fides promiſſis, nec prudentia conſultis, nec animi vigor deeſſet rebus poſt perpetrandis. His litteris Pintus acceptis ubi veniam pro reditu poſtulat, intempeſtivo majeſtatis titulo Bregantiæ Ducem ſalutat. Riſit Bregantius lætáque fronte adulationis illecebras cepit, cùm pervetuſto vitio Principum aſſentatio in ſua quoque fœditate cognita non diſpliceat. Redit deinde Uliſipponem Pintus, conjuratíſque redditis litteris poſt collatas in amicorum cœtu ſententias cenſuit, per idoneos & alios in tanti operis ſocietatem adſcitos augendas eſſe vires, reíque tandem agendæ tempus, & ordinem præſcribendum.

Conſilium de ſumma rei Uliſippone Præſide, ac Duce Pinto apud antiquam Bregantii domum inter noctis caliginem hac diligentia, & induſtria clanculum agebatur. Huc antequam homines acceſſiſſent, in magna loci diſtantia currus, & famulos ſeponebant, ne curruum ſtrepitu, vel famulorum fortaſsè indicio adeuntium veſtigia deprehenderentur; Subinde vir ille pedes gradu ſuſpenſus, ac lentus abibat. Domum introëuntem excipiebat vaſtæ amplitudinis aula, quæ ſolitudine ipſa, ſilentio perque longum inane umbra tremula circunfuſa horrorem homini incutiebat. Lucerna in ejuſdem ſedis angulo poſita, & colloquentibus procul ardebat, ita incerta, atque dubia per artem contorta luce, ut nemo ſecum loquentem hominem homo noſceret. Effluentis menſura ſabuli deſcribebat ſermonis, & temporum intervalla, primo egreſſo ſubibat alius, ſed ſtatutis, diſcretíſque longe horis, ne alter alteri forte obvius ambo invicem proderentur. Qui in magni arcani conſortium primùm admiſſi fuerant, tactis ſacris, quæ audiviſſent, quæ ipſi dixiſſent, aut fortè in rem conjectaſſent jurejurando premere obligabantur: Idcirco, & ſi hominum utique multi conjurationis participes erant, quos tamen conſpiratio conjunxerat cum vis ſacramenti, locíque ſecretum à mutua notitia diſſociaret, ſinguli eorũ alii aliis occulti, tantummodò erant factionis Principibus noti; Ultima verò die frequenti conſeſſui, & rei peragendæ articulo deſtinata ſimul omnes, & palam conſultum in conſuetas ædes venere. Hîc productis ſingulorum ſententiis, conſilium aliquibus erat, regiæ acclamationis, regníque incipientis auſpicia ab Ebora primò peti, quippe quàm facillimè tranſituram in Bregantii partes fore putabant, & quàm paucis ante annis, nullo impellente, ſed impetu quodam amoris conſtabat illum Regem appellaviſſe. Priori námque ſociorum impreſſioni conflictúſque primitiis perquam eſſe accuratè, ac ſollicitè providendum, ne primus fortaſſe conatus irritus in caſum, & fraudem reliqua traheret. Contra benefluentia conſpiratorum initia partes erectas confirmatura, alias etiam Bregantii amorem, alias Caſtellæ odium, alias cupidinem rerum novarum, & reliqua plebis in re turbida oblectamenta, fluminis ritu, quibus adhæret, cuncta volventis, certis jam partibus adjectura. Si quæ fortè præterea interpoſita ratio eſſet, quæ à ſuſceptæ hujus rei magnitudine conjuratos abſtraheret, eſſe profectò hominum paucitatem, cum vix millia millium ſufficere hominum valeant ingentis imperii volvendæ moli. Atqui in Ebora urbe jam explorato conſenſu populi, conclamatóque Rege Bregantio, inde continuò ex omni hominum genere tanquam militum manu contracta majori conſtantia, ac firmitudine poſſe Uliſipponem per ſe paratam, & melius alterius exemplo parandam incurri. Rei proſperæ initium dimidium contrahere, neque hoc felicius initium quàm ab Ebora ſumi poſſe. Sed contra, & ex Bregantii quidem ſententia diſſeruit Pintus.

„ In

„ In caput periculi, & belli paciſque
„ ſedem Uliſipponem ſcilicet, ne tan-
„ ta res falleret, primum, eumdémque
„ per aërem eſſe impetum faciendum.
„ Ut capite inciſo, vitæ, motúſque ſpei
„ reliquum nihil ſupereſt afflatu vitali,
„ ac diffuſa inde virtute carentibus
„ membris, ita quoque Uliſippone de-
„ victa, ibíque afflicta Caſtellæ poten-
„ tia, cæteras regni urbes, & oppida
„ ſua ſponte facilius conſenſui capitis
„ acceſſura. Ex adverſo ortæ aliunde
„ ſeditionis Uliſipponem allapſus ru-
„ mor, quidni impelleret Caſtellenſes
„ ſtatim ad arma præcipites, arces in
„ regno, naves in partu præriperent,
„ omnia protinus expedirent, quæ par-
„ tium elatarum objectui, popularium
„ confuſioni, magníque facinoris tur-
„ bamento ſufficerent? Inter has au-
„ tem moras, & ubique implicatas, ac
„ trepidas, dum Uliſippo per hæſitatio-
„ nem, aut metum non aſſentitur, aut
„ fortè partibus obluctatur, ſi ex Caſtel-
„ la ſubſidia properent, ut properare
„ credendum ſit, quid tandem ruinæ,
„ cladiſque & Bregantium, & regnum,
„ & ſociorum præcipuè capita non ex-
„ ceptura? Rei igitur ſummam in Uli-
„ ſipponis victoria, & conſtitutam ar-
„ bitrio eſſe. Illam enim rationem opti-
„ mam metiendi pericula eſſe, ut ea fa-
„ cturus hoſtis exiſtimetur, quæ illi ne-
„ gligere non conducit, ſecus verò in
„ aliorum ignavia, & malè ficta ſocor-
„ dia cogitationes, & ſpes efferre, ut
„ illis utile ferè ſemper, his exitiabile
„ planè fore. Propterea neque vim in
„ hac cauſa, neque militum copiam,
„ neque armorum attendere cumulos,
„ aut aperto, & ex æquo cum hoſtibus
„ opus eſſe contendere marte cum his
„ ita exuberent Caſtellenſes, ut indi-
„ gent Luſitani. At in animi alacrita-
„ te, feſtinatione, ſolertia ex hac parte
„ ſpem omnem ſitam, & ex alia, quod
„ hoſtes in re ancipiti, & improviſa,
„ quæ fortiorum ut plurimum dejicit
animos in alieno, ingrato, ſuſpectó “
que dominantibus ſolo, & omnia in “
majus augente metu deprehenſi, tunc “
ipſi intelligerent, quæ agere potuiſ- “
ſent, cùm jam acta res eſſet. Proinde “
raptim Vaſconcello confoſſo, & “
Margarita Principe exauctorata, in- “
ter horum ardorem, & impetum, & “
illorum torporem, ac metum ex voto “
fluere ferríque cætera velut æſtu ſe- “
cundo poſſe. Hæc ſententia prævaluit.

Rurſus ut in magni momenti rebus alia ex aliis impedimenta plerumque ſubnecti ſolent inter eos quoque quæſitum eſt, quo animo, quoque ſenſu putandum eſſet tantam rei novitatem, populum civitatis, cujus auxilio conſenſúque ſublato ruere omnia neceſſe erat, accepturum fuiſſe. Nihil hac bellua intractabilius, ac trucius, ſempérque variam ſibíque diſſimilem aut inſoleſcere nimium, aut dejici, ſimul inquietam impotentem, diſcordem, atque in dubio deprehenſam ei quod deterrimum eſt, ſæpe acquieſcere malo. Quid porrò ſperare, aut ſentire de rei exitu licuiſſet, quæ effectu inſtrumenti tam incerti, tam fragilis uſum in limine exigeret? Si verò placeat aliquam populi partem tentare, aut irretire blanditiis, arcanum, cujus vim ſuſtentare eximiæ quidem virtutis, atque conſtantiæ ſpecimen eſt, & qua carent inſulſi, inter plures, ſtultóſque ſimul ad rei, & conſcionem etiam exitium abſque dubio conceptum iri. Cauſa itáque ſedulò excuſſa, res tandem convenit, ut viros ex ipſis eligerent, qui ingenio verſatili, & gratia cum dicendi copia conjuncta oneroſum Caſtellæ regimen execrantes, & meliora, ſi fortè vellent impoſterum pollicentes in aures populi ſenſim influerent. Ad hanc rem perpetrandam ſacra præſertim ſodalitia urbis deſcripta ſunt. Illic eſſe conventum populi, ejúſque Rectorem, ac Ducem ſeu amore, ſeu quæſtu flexibilem, nec porrò inſuetum multitudinis Ducibus eſſe, ad libidinem

libidinem ſive lucrum, interdum ſacris ut profanis abuti. Poſtremò ſi per malitiam fortaſsè violato, aut imprudenter elapſo ſecreto rapi ad ſupplicium, aut in carcerem trudi quemquam eorum vidiſſent, ſimul omnes concurrerent, proclamatóque Rege Bregantio ab ultimo experimento fortunæ extremum ſibi ſubſidium poſcerent.

His ita decretis defectionis diem certam ſcilicet primam ineuntis menſis Decembris affirmant, utque ſtatim moneretur Bregantius ut ſibi curæ foret quo tempore Uliſippone per conjuratos eodem propè momento in Traſtagana provincia, aliiſque urbibus ſibi fidis ipſe Rex acclamaretur. Cæterùm fortuita quædam parváque dictu res majoribus curis conjuratos obvolvit. Ex delectis, qui arte, & illecebris captos ad deſciſcendum animos populi præpararent, fortè unus in virum haud ignobilem incidit, quem palam cùm ſæpenumero audiſſet contumelioſiùs atque minaciùs in Caſtellenſium dominium invectum, faciliùs, & gratiùs idcirco ratus in rerum conſcientiam, & partem venturum, planè illi conjurationem aperuit, & promiſſa popoſcit. Homo, ut evenire plerúmque ſolet, eò timidior, ac ſegnior quò petulantior, ubi rebus non verbis agendum, & ſubeunda quoque ſibi pericula videt, horrore gelúque perfuſus negat id temporis eſſe, quo talia conſilia agitentur; ubi enim, aiebat, in regno miles frequenti expeditione bellica exhauſto? ubi pecunia tam multis tributis eviſcerato populo? quot nobilium, quot plebis, quotve magnatum tanto facinori nomina dederint? Hac certè quidem temeritate non reparare regnum intendi, ſed in miſerrimas illud calamitates immittere, ut ſcilicet orta ſtatim ſeditione, atque oppreſſa, inde excuſatio Caſtellenſibus obtendatur qua in omnes deinceps velut in captos, ac proditores omnia crudelitatum genera exerceant. Ita inſitam ille formidinem prudentiæ ſpecie tegebat. At ille alius ſtricto repentè gladio, torva facie, & rutilantibus oculis, vel mecum, inquit, conſpirabis, vel ego temerè datæ, tu minimè acceptæ fidei utriuſque errorem mutuò ſanguine diluemus. His ferociter dictis plus animatus, ſeu fortè territus Luſitanus ſecretum juravit, & cùm res ingruiſſet, quia loquax erat, adjunxit, ad commune, quo patria flagtalat extinguendum incendium, & quod ex novo ſubinde conflando bello exarſurum fuiſſet proprio cruore, & fortunatum ſuarum omnium ruina ſimul cum aſſeclis concurſurum. Attamen veréne hoc ipſum ab illo mutata, an fictè metus, an caſus, an pudor expreſſerit, cùm in utramque partem rationes ancipites ducerent, ea res ingentem conjuratis curam incuſſit; dubia fides, & nota loquacitas, ac levitas hominis apparebat temerando ſecreto pronior; accedebat, & cognitus pavor, qui ex periculi magnitudine, vel attrectato fortaſſe putato ſcelere ventoſum, inertem hominē occupaſſet, quem nullo negotio pavorem, & cum opulenta quoque mercede exonerare ſtatim apud regios miniſtros poterat. Hæc trepidè inter ſe conſultantibus, & utrum die jam conſtituta exequi ſtabilita liceret, an longius protrahere quærentibus, cùm ratio, & auctoritas, ut ſæpe in conventibus fit, capitum numero conceſſiſſet, id tunc prolatari ſtatutū eſt, quod etiam accelerare idem proditionis cogebat metus, impulerúntque Pintum, qui & contra cenſuerat, ut Bregantiæ Duci in hunc modum reſcriberet, ſuſceptū opus tantiſper remitteret, donec rurſus, & tempeſtiviùs quid eſſet agendum commoneretur, nam res ardua contigiſſet. Hæc Pintus Bregantio conſpiratorū ſententia, ipſe tamen, ne Ducem, quem ſupra modum natura pavidum, anxiúmque cognoverat, graviori, quàm in ſe erat, percitum cura torque-

ret, aliam, & conjuratis occultam Bregantio epiſtolam dedit, qua primam ſignificabat, nô ſua ſed amicorū ſcripſiſſe ſententia, impulſúque; ipſe enim primo quoque tempore exiſtimabat, ſe temerè injectæ ſuſpicionis ſcrupulum excuſſurum. Poſtridie cùm iterum conveniſſent, jam illis ſuppreſſis animi fluctibus, metúque ſenſim abſterſo, Pintus increpare, monere, accendere ſocios, inconſultas moras refellere, nihil lædere magis ſecretum, quàm tempus, cùm plurimas illi rimas unde effluere poſſit, aperiat; nihil magis, quàm nimium in cauſa ratiocinari, majora negotia corrumpere. Quid igitur aliud hærendo, procraſtinando expectarent, quàm ſe ſingulos ſtultè prodere Caſtellæ tortoribus jugulandos? Cùm plures tandem ex conjuratis ad explorandam attentiſſimè rem circummiſſi nihil novi deferrent eamdem ipſam condictam diem, aut proximam ſaltem pro initio defectionis certam, ratámq; habuere: ſed alia, & nullius quidem momenti res, uti in humanis Deus, aut fortuna ut dicitur ludit, conjurationem penè diſiecerat. Pridie quàm à Rege Philippo deſcitum eſt, veſperaſcente die, conſciorum nonnulli dum aream Palatii diviſim ſpeculantiū more perambulant, Vaſconcellū conſpiciunt, qui in triremem conſcendit, & à littore in altum ſolvere juſſit. His itaque ignaris fortè hoc an conſilio accidiſſet, cùm ſibi vehementer ab adeò ſagaci, rigidóque miniſtro metuerent, ipſiúſque pari fato æſtimarent rem Luſitanam vertendam eſſe, cuncta horribilia, atque trucia ægrè affecto timore animo ſpargebantur. Nimirum ſolertem in primis, argutioriſque acuminis hominem, regníque officiis, & curis penitùs merſum diutiùs conjurationis machinam tantam fallere minimè potuiſſe, ergo ad arces, regníq; præſidia communienda, ſive ad aulam Catholicam properare, vel alias ſubnectere fraudes, & dolos velle quibus occulta partium conſilia in earum perniciem, interitúmque converteret. Dolebant etiam teterrimū hominem, quem & inſtrumentum Luſitanæ Tyrannidis appellabant præter expectationem elapſum, & flagella propterea, & vincula ſibi, & cuſtodias, atrociora quæque expediri ſupplicia, patriámque quo ſublevare cogitaviſſent, miſeriùs præcipitaſſe. Planè ea ipſa res adeò illorum animos fregit, mentémque alienavit, ut extrema nonnulli deſperatione perculſi opportunitatem Uliſippone quærerent, qua in Angliam, vel Africam, aut aliò terrarum orbis repentè trajicerent. Reliqui haud ſecus pavidi quàm ſi jugulo hærentem carnificem cernerent, in conſilium coëuntes, dum rem pertractarēt, trepidabant magis, quàm conſulebant. Qui convenerant, ſeniorum ut frigore corpus, metu ſic animus obriguerat. Junioribus verò quibus & ratio ſententiæ viget, cū vires ab animo muruatur, ibidem, & optimè placuit rei exitum expectare, ſi ille fortè, ut veriſimile quoque erat, tot negotiis, & curis implicitus ad animum relaxandum oram maritimam legeret. Impigros itaque juvenes ad noctis uſque dimidium cum ex compoſito rem obſervaſſent, mox perſonantium nautico more tubicinū ſonus & clamor rediiſſe Vaſconcellum admonuit, illíque præ ingenti gaudio vix compotes mentium communem ſociis lætitiam impertiuntur, animóſque ad proximam defectionem confirmant. Cæterum rerum hæc humanarum ludibrium, & conſcius ſibimet animus attulit, vaníſque illuſa terroribus mens; alius, & ſtrenuus quidem obex incurrit, quem rerum duntaxat immutabilis ordo, & Bregantii fortuna diſcuſſit. Georgius Melus Uliſipponem à Duce Bregantio ad conjurationem fovendam miſſus, amici tunc, cognatíque in ſuburbano utebatur hoſpitio, cujus nomen non proditur. Is ope, & conſilio cum juvaret ſecretò partes amico negotium hactenus reticuerat, ſed provecta jam

jam nocte, & poſtridie cùm dies illuxiſſet peragenda res eſſet, breviſque quæ intererat nox cùm nullum omnino proditioni præbere locum, & ulterius diffidere amico ſubruſticum videretur, conjurationem illi tandem patefacit, hortatúrque monétque quod Luſitanum, quod virum nobilem deceat. Homo hæc ubi audit flexo in ſpeciem lætitiæ vultu ſe fore ſpopondit in poteſtate amici, nec ſibi, nec patriæ in tanto periculo defuturum, frontíque oratio aliíſque corporis motibus congruebat. Ad multam deinde noctem ſermone producto, ambo poſtremo cubitum ſeceſſere. At melius poſtea ſecum ipſe conſiderans, quid tandem egiſſet, & recte ne hoſpitii aut cognationis reſpectus oppignoratæ fidei, juríque ſilentii prævaluiſſet, quàm fallacia, quàm tortuoſa mortalium ingenia ſint, quæ amoris, quæ fidei pignora prodidiſſet, quas animi dotes, & præclara ornamenta virtutis proprii commodi ſtudium labefactaſſet, & an adhuc illi per ea momenta vacaret magiſtratui prolata detegere indicia, ex eo iratus factíque pœnitens inquietam, ac turbulentam agebat noctem. Inter hæc ſuſpenſa ambulantium veſtigia, & colloquentium in ædibus murmur cura, & vigilia auris erecta percepit. Veritus ergo Melus inſidias è cubili confeſtim ſurgit, properat ad feneſtram, indéque jactis in domus veſtibulum oculis inter caliginem ardenti face diſcuſſam videt ſtratum itineri equum, Dominum ſtantem, & ſervum qui cultum urbanum Domino miniſtrabat. Advolat ira præceps abeuntémque gladii cuſpide circunſcribens, interrogat, quo ſanè tam importunus, tam citus, tanto ſilentio pergeret? quid cogitaret? quid cuperet? At ille dejecto, verſóque colore vultu, cùm vox præ pudore, metúque mens, & propè ſpiritus defeciſſet, titubantibus verbis, trepidóque formidine geſtu futiles quaſdam ſe ſeque invicem implicantes exponit intempeſtivi diſceſſus cauſas. Tunc admoto Georgius ejus pectori gladio torvus, & minax retractum amicum in eodem cubiculo ſecum conſiſtere cogit, oculatæque ejus cuſtodiæ reliquum noctis inſumit. Deinde compertum eſt ſalutarem illam operam conjuratis, imperióque Bregantii propitiam fuiſſe, nam ille partium nomina delaturus regios eadem hora miniſtros petere deſtinaverat.

His ita peractis, defectioni tandem dies conſtitutus illuxit. Conjurati, ſicut antea decreverant, prima luce arma ſimul expediunt, eo quidem conſenſu omnes, animíque ardore compulſi, ut nobilis etiam virilis audaciæ fœmina, tanquam miniſtra, adjutríxque tumultus domi ſeſe conſpirantium cœtibus immiſcuerit. Fuit hæc Philippa Villiena Autogiæ Comitis uxor, quæ duobus filiis ætate, ac robore validis manu propria compoſuit arma laterique præcinxit, tum intrepido vultu, hiſque igneis prope verbis accendit. Irent alacriter ſeu duro ſolutum ſervitio patriam, ſeu decora pro patria vulnera acceptum, inter hæc ipſam provecta ætas, & pudor invitam ſollicitam domi tenerent, vel egregiæ libertatis partæ futuram, vel inclitæ mortis conſortem, nunquam ſe patriæ exitio ſuperſtitem fore profeſſa: atque idem ipſe bellacis animi ſtimulus, ſuoque ſexu, & officio altioris virtutis exemplum, quod in Villiena præfulſit, alias quoque peracuit, illuſtravítque nobiles Luſitanas. Tantus efferbuit in partibus ardor. Cæterùm conjurati jam antea deliberaverant cum quatuor agminibus in Regiam irrumpere, quorum primum rectà ad Vaſconcellum ut periculi caput contenderet, ad ſedem alterũ Principis Margaritæ, reliqua ſeparatim Comitem Bainettũ, Præfectũ Principis Stabuli, & Marchionem Populenſem Cubiculi eodem momento

occuparent, ut ſic per aditum intercluſis, circumventiſque cùm res ingruiſſet, minimè poſſet alter alteri præſto eſſe. Statuere præterea ut quo tempore in Regiam impetus fieret, ſelecti equites, peditéſque & homines populares Uliſipponem obirent, Bregantiúmque Regem clamarent, populúmque ea novitate excitatum, inflammatúmque & turmatim ex triviis, taberniſque collectum in Regiæ planitiem contraherent, ibidem Nobilium conatibus manu, vel aura, vel ſaltem vocibus profuturum. Rei porrò auſpicandæ mane octavam circiter horam tempore præſtituto miraculo ſimile, & humana profectò ſollicitudine majus apparuit, quo agendarum propè rerum concentu ſimul omnes conveniendo, munia ſimul impoſita perſequendo, velut ad unguem loci, actionum, temporiſque ſpatiis emenſis in tanta hominũ multitudine, in tanta negotii mole, & fortuitorum incurſu dicta factis conſonuiſſent. Igitur velut in aciem omnes compoſiti, directíque magno animo, atque ferocia Palatium ingrediuntur. Præibat factionis Dux ipſe hortatórque Joannes Pintus elatione animi tanta ſuíque fiducia, contemptúque periculorum, ut cuidam amico in Palatii gradibus fortè obvio, & quid rei eſſet metu pallido ſuſcitanti quaſi per jocum, luſúmque retulerit, Nihil aliud facturi niſi Reges mutatum pergimus. Eo affluenti concurſu, fulgore, atque ſtrepitu armorum, qui fluvio ſimilis inundaverat, excitati cuſtodes milites arma capiunt, arrectíſque ferociter haſtis in irruenſium pectora infeſtas cuſpides ſiſtunt; at militum unus acriùs ante cæteros urgens, ideóque mortali percuſſus ictu atque collapſus terroris, ac fugæ initium ſociis cum armis aſtantibus præbuit. Recenti proinde cruore ſtrata jam feſtinantibus ſemita, nullo adverſante Regiæ aulam maximam occupant. Hìc Luſitanus quidam, & regius Prætor, ubi eam repentinam eſſe turbationem intelligit, compeſcendíque cauſa de more reclamat, Vivat Catholicus Rex, cadenti ſtatim pila confixus moribundus procubuit; cúmque tota modò pateret turbis furentibus Regia, unus Vaſconcellus ad exitium avidè petebatur, prævias enim, & binas hominum cædes caſus tantummodò attulerat. Neſcius tunc ille fati, quod impendebat, cura ſolutus & animo vacuus fortè ſermones per otium terendo ſedebat cum Luſitano quodam Centurione; ubi totam omninò domum ingenti fragore, & vocibus reſonantem audivit. Interrupto per metum colloquio paulùm Centurio progreditur, videt ſeſe repente invehentium quaſi militum avem, pedem itaque refert, & Vaſconcellum monet, innumeram multitudinem armis, miníſque infeſtam, citato gradu in illam ſedem confluere. Extemplò tum illi turbato vetus cecidit ſupercilium, & morientium extremo velut tactus afflatu reſpondit amico, irruere profectò homines ejus ſanguinem inhiantes. Itaque metu exanguis prægelidóque ſudore perfuſus, quod unum ſtupido, attonitóque ſimili in eo rerum turbine occurrit latibula petit. Centurio inter hæc pedem in limine figit, & frontem, pectúſque inſultantibus præbet, & eouſque incurſantes undique gladios, & aggreſſorum multiplices ictus in tam iniquo certamine haud minus felix quàm fortis ſuſtinuit impavidè, dum Vaſconcellus abdendi ſe ſpatium habuerit: brachio denique ſaucius, & ad arma tractanda inutilis terga vertit, & per feneſtram elapſus diſtorſione membrorum tantæ ruinæ ſuperſtes evaſit. Subinde effuſum repentè agmen, cædis, & ſanguinis ſitibundum per aditum irruit. At ſola Vaſconcelli reperta ſedes furorem, cruentámque rabiem magis accendit Igitur unuſquiſque cum clamore, atque fremitu reſcindere arcas, ſpargere pecuniam, confundere

ſupellecti

ſupellectilem, tumultu, atque ſtrepitu cuncta complere; furor in vultu, ſcelus in oculis, in ore proteruitas eminebat, atrocitatis, quæ parabatur, inditia. Tota ſubverſa, ac permiſta penitus ſede, tandem Antonius Sotenlius nobilis ipſe vir armarium aperiens in Vaſconcellum incidit, ubi illum inermem metúque propè intermortuum repetitis ictibus conficit, reſperſáque ſanguine manu è latebra extractum in pavimentum deturbat. Ita vetus ex privatáque cauſa in Vaſconcellum conflatum exhauſit odium Antonius, quo ſæpius inter amicos ſeriò, vel joco jactare ſolitus erat, improbum fata caput ſuæ dexteræ devoviſſe. Manabat toto cubiculo cruor paulò ante in ſummo potentiæ culmine viſi, deformis horrebat multiplici vulnere facies, diſciſſæ pecudis potiùs, quàm imago, aut veſtigium hominis apparebat, multóſque per aditus inter cruentos ſingultus ad exitum ſpiritus properabat. In tanta tamen calamitate, quam in illo miſerrimam faciebat fortunæ priſtinæ recordatio, cùm extremos idem anhelitus emiſſurus animam traheret, tunc in ſpeciem jocoſa, atque aſperſa facetiis, ſed reipſa nefaria atque impia Luſitanos contentio cæpit, quiſnam eorum ſupremum luctantis animæ ſpiritum hauſturus per ferrum eſſet; jamque malè diſſimulata hucuſque luſibus feritas ad rixam, & jurgium pene incaluerat, cùm ad ea dirimenda litigia, quæ per armorum tractationem occaſio jam lubrica faciebat Vaſconcellum adhuc ſpirantem per feneſtram in aream dejiciunt. Eſtuabat, cùm eò conflueret undíque populus, & numero, & motu ampliſſima Regiæ planities, nam præter eos quos conſultò diſpoſiti homines traxerant, complures rei quoque novitas tanta, ac paſſim diffuſus rumor adjecerat. Qui ubi Vaſconcelli corpus exanime, ac lacerum, cæno ac ſordibus involutum humíque projectum vident, hunc primum in eo tanquam uno ſtetiſſet, paríque fato occidiſſet Caſtellenſium imperium, feſtis inſtauratíſque vocibus Bregantium Regem acclamant. Turbarum deinde paſſim ſeſe prementium, ac fluctuantium impulſu, jactúque cum alius alium elideret, accedere contendebant ut oculos propiùs eo fœdo ſpectaculo paſcerent. Et quidem infima plebs, ut etiam puerorum per id temporis erat conçurſatio, & tumultus, nullo privato, ſeu publico incitabatur in Vaſconcellum odio, ſed ut pote rudis, & hebes ingenio, ac meliorum incurſu, atque impetu ſolita in caſibus regi, contorta vel recta illorum veſtigia ſectatur. Igitur protinùs illum toto denudant corporis habitu, inde in barbaros ritus degeneres convellunt barbam, diſcerpunt comam, aculeis terebrant pectus, quaſſant caput, pedibus calcant, corpori exanimi vulnera adjiciunt, unumquemque cupiditas agit partem cædis, ſceleríſq; reliquias ferendi domum. Nec hactenus ſatis, eo loco arreptũ truculentiſſimè corpus latè per urbem feſtivo plauſu raptare, fœdare limo, tundere ſaxis, viventis in ſpeciem proſcindere maledictis, donec laſſata potiùs, quàm ſatiata crudelitate lutulentum, conſciſſúmque cadaver, & interdiu, noctúque pecudum alimento relictum, ſodales, quam ſuo nomine præferebant, miſericordia commoti ſine ullo funali cereo, aut Eccleſiæ peracto ritu raptim ſepelierunt.

Hunc exitum habuit Michaël Vaſconcellus, genere Luſitanus, vir ſua ipſe natura moroſus, difficilis, aſper, pecuniæ non minus, quàm honoris, & gloriæ cupidus, eóque ambiguo, volubilíque ubi res poſtulabat ingenio, quo utrum alieni rapacior eſſet, an effuſior; audacior, an timidior; civis an hoſtis patriæ, privato magis, an publico bono ſerviret haud facilè diſcerneres; quæ quidem aulæ ita favor, & uſus in illo dominii, &

fortunæ licentia provexerant, ut vividæ, erectæ ejus naturæ per occaſionem tumorem, & arrogantiam, & linguæ quoque libertatem addiderint. Hæc tamen in illo vitia æquales propè virtutes æquabant, ſcilicet aſſidua in ſuo officio ſollicitudo, magna comprehenſio negotiorum, incredibile acumen ingenii, aſtutia, ſolertia, integri ſpiritus promptitudo, & animi elatio, qui niſi profectò in id temporis incidiſſet, quo altiori de cauſa Luſitanum volvendum erat imperium, aut mortalium opinio ex conſilio, & induſtria, non ex eventis rerum momenta æſtimaret, haud contemnendi miniſtri Regis exemplũ, atque memoriam poſteris reliquiſſet. Cæterum etſi adeo immanè, atque atrociter acta Vaſconcelli mors funúſque fuiſſet, hoc tamen nedum illam animi feritatem, & rabiem, ſed iras, & odia quoque Luſitano planè conſumete viſum eſt. Incruentus enim ac mitior in poſterum agitavit, adeò, ut admiratione, memoratúque pariter dignum acciderit, tantam rerum mutationem, quantam inferre unius regni ſubverſio, atque tranſmiſſio poteſt, unius tantum quæſita, duorum verò fortuita hominum cæde confectam eſſe. Sed cum inter rerum novarum incitamenta inopia, & egeſtas præſertim, eámque tumultuarias per rapinas explendi aviditas ſit, jam ſine lege, ſine imperio homines Luſitanos effrænes, ac diſſolutos avaritia corripuit. Diripiunt igitur primo Vaſconcelli ditiſſimam ſedem, totque annorum labore, & induſtria, & illius muneris amplitudine parta, ſimúlque congeſta dimidiæ propè horæ intercurſus evertit; & plebes quidem inter viliora quæque permiſta rapinam ſibi ſimilem fecit; præda opulentior nobilium manus contaminavit. Hinc in Eccleſiæ Bracarenſis Decani domum, qui Vaſconcelli perempti frater germanus erat, irrumpunt; acuerant in illum cum fraterna homines odia, tum quia fama erat divitem eſſe, fratríſque ipſum opes uberrimas conſervare. Decanus autem tumultus initio Prædicatorum ſe Ordinis eſſe per aſcititium habitum ementitus Caſtellam verſus effugerat. In vacuas itaque ſedes incurrunt, ibíque populabundi, prædarum recentium accumulant moles, increbuítque ſolida fide rumor, qua gemmarum numeratæque pecuniæ, qua lautæ ſupellectilis copia ſupra quinquaginta aureorum millium prætia illa die Luſitanos diripuiſſe. Avarè & crudeliter hæc conjuratorum per illam tantummodò manum tranſacta ſunt, cui Vaſconcellus cædendus, ejuſque, cum ſimul conſulerent, vaſtanda ſedes obtigerat. Altera verò quam adverſus Margaritam Principem conſtituerant, inſolentiùs illa quidem ac petulantius, niſi crudeliùs impegit. Nobilis mulier paſſim clamantium, ſtrepentiúmque improviſo, & horrendo fragore perterrita ad feneſtram quid rei eſſe ignara cucurrit. Inde minis, armíſque plenas aſpiciens tumultuoſas concurrere turbas, & omnia in motu, ardore, atque impetu eſſe, vultu, geſtibus, voce procul elaborabat, ſi quodammodò poſſet furentium compeſcere vim. Hæc intrepidè agentem forium crepitus interrupit, erátque infeſtum illud immiſſum conſpiratorum agmen, quod ingreſſum urgeret, & niſi fores ſpontè paterent, eas minabatur effringere. Idipſum verita Princeps fores recludi jubet. Stabat ipſa nobilibus circunfuſa puellis; nec eam adhuc alterius fortunæ fiducia, nec pudor omnino Luſitanos defecerat. Jamque incondito clamore, æſtúque illo ſe paſſim jactantium, & obſtrepentium illius præoccupare ſermonem cœperat, cùm mulier evincit, nihílque iræ, nihil timoris in vultu præferens inſolentiam majeſtate coërcet, & ore placida, verbis ambigua Luſitanos ſimul objurgat, & monet. Ne Deo, Regíque debitæ "

fidei

„ fidei, Ne propriæ ipſi conditionis, „ & futurorum malorum obliti in per- „ fidia ſeneſcant. Poſſe, quæ huc uſque „ geſſiſſent, inſano furore plebis, aut „ repentino quodam tumultu, vel ſal- „ tem privato, & collecto in unum „ Regis miniſtrum odio, recentíſque „ ſceleris ignominiam, & culpam ali- „ quo modo purgari, aut imminui, ſi „ furere perſeverent, excuſationem „ ablatam, & omninò conſumptam „ fore clementiam. Non omnia nova, „ quæ fatuos maximè delectare, re- „ rúmque imperitos, ac rudes ſolent, „ qua ſpe inchoantur, animíque volup- „ tate deſinere; diverſos, & præter „ ſpem ea ſæpe volvere caſus, & ire in „ iras præcipites, regreſſúmque ſibi „ intercludere in ſua utique poteſtate, „ veniam; ſi ſerò fortè pœniteat, in alie- „ na fore. Pro Vaſconcelli confoſſi par- „ te fateri ſe quidem, minus ſibi ipſi „ diſplicuiſſe, quod patriæ civem exo- „ ſum, invidioſum Regi miniſtrum, „ moleſtúmque ſibi collegam utcúm- „ que ſuſtulerint. Curæ ſibi de cætero „ fore, cùm ſe retractare velint, aut „ inſanire deſiſtant, præteritæ ſeu per- „ fidiæ, ſeu licentiæ veniam, & laxa- „ mentum à Catholico Rege impetra- „ re. Sed jacta jam erat alea, proſpe- rúſque ac declivis ad cætera verſus, quæ mites, & quietos plerúmque viros tranſvertit, calcaria ſua ſponte curren- tibus dederat. Igitur Principem ſic al- loquentem, & plura dicere cogitantem hac voce interturbant. *Vivat Ioannes Rex Luſitaniæ*, eodémque animi ardo- re, impulſúque paſſim vagantes, tu- multuantéſque clamore, atque ſtrepi- tu totam Regiam immiſcent. Inter hos fortè accidit ut Carolum Norognam nobilem hominem Margarita conſpi- ceret, qui Philippi Catholici Regis à pariete pendentem imaginem mucro- ne detractam ſolo inſolenter afflixit. Exarſit ea coram ſe primo tunc viſa in Regem injuria, viliſque contemptu Princeps Sabaudia, & præ iræ celeri- tate haud ſatis fortunæ converſionem, qua ruere omnia, volvíque neceſſe erat attendens, convicio jactavit ho- minem, illum nefarium, impurum, proditorem increpitans. Ea contume- lia verborum acerbius, & acrius, quàm, qui læſus à femina eſſet, ingenuum hominem decuiſſet, Norogna concuſ- ſus, nec verecundia ſexus, nec mu- lieris dignitate retractus, ira inſtigan- te, retulit Principi: Caveret mulier profecto, ne jam regimine ejecta, at- que inſcia ſortis qua verteretur, contu- melioſo aliquo actu in ludibriũ abiret, cúmque muliebri felle, atque ſtomacho incenſa, ac percita Princeps adjiceret, quis, quove pacto impudenter proce- dere mecum audeat? Urgere pericu- lum, inſtitit Carolus, niſi ipſa ſe con- tineret, ne per feneſtram dejiceretur. Rubore tunc illa ſuffuſa, attritóque ſe- mel pudore deterrima quæque ſibi niſi omninò ceſſaret, ab effrænato, & fu- rialibus quaſi ſtimulis acto populo me- tuens, ſe tandem ſubduxit, & in ſe- creto Regiæ ſacello, iræ Numinis de- precandæ, cùm nihil opis aliundè ap- pareret, prorſus inermis, triſtiſque pro- cubuit. Intererat fortè cùm ita proca- ciùs in Margaritam Norogna debac- charetur Bracarenſis Antiſtes, ipſe quo- que Luſitanus, ſed quem à concivibus ſuis ingenii, vitæ morúmque diſſimili- tudo diſtraxerat. Is ubi per oris proter- viam & contumaciam eouſque Noro- gnam provectum in Principem ſenſit, ira perculſus, vultúque ferox erepto obvio cuidam è manibus gladio Caro- líque veſtigiis inſiſtens in armatorum ſe cætus immiſit, ſanguine ulturus in- temperantiam linguæ, qua ille fœmi- nam Principem læſerat. Videt hoc Mi- chaël Almeida, veritúſque ne ſacerdo- tis ſacríſque in infulis conſtituti fortè cruore ſacrilegè ſparſo impiè fœdóque vitio regnum auſpicaretur, brachiis complexum reluctantem Præſulem ſu-

ſtinet, ejus mox genibus advolutus rogat eum, ut deſiſtat, jurejurando teſtatus, jampridem carnificinæ amicorum omnium ſuffragio caput ejus addictum, ac velut ſub haſta venale à ſe uno fuiſſe lachrimarum imbre redemptum. Ita ſe denique tenuit Antiſtes, coactúſque ſervire tempori, porrò ſuppreſſam in animo iram tempeſtiviùs effundendam repoſuit.

Inter hæc ſicut initio conjurati convenerant, reliqua armatorum hominum agmina Marchionis Populenſis, & Bainetti Comitis ſedes intra ipſam Regiam infeſta perrumpunt. Et jam Populenſem crepitus ingens, fragórque clamantium, ac diſcurrentiū cubili jacentem extulerant, ire inde obviam periculo ſtatuit, tum & gladio clipeòque munitus, & animo confirmatus ſeminudus eruperat. At ubi repente occurrit ejus auribus, oculíſque & fulgor armorum, & torvæ furore facies, & incesſentium fremitus, numerúſque ſubſtitit ipſe pavidus, erátque eo tempore animus, ſenſim ex loco pedem referre; excuſſit tamen formidinem pavor. Proinde collectis cum animo viribus, & ſpiritu revocato, certúſque in eodem interire veſtigio, cùm ſæpe in vacuum jactaret enſem provocabat cum verbis, tum vanis ictibus hoſtem. Ad exitium ita ruenti per amicum fortuna favit, quæ huic hominum turbæ miſcuerat. Is namque ulterius, & ſolus progreſſus bona pace Populenſem admonuit, ægrè ſe, atque in irritum fatigando ab inſana quidem temeritate laudem virtutis exquirere, rem eſſe jam actam, ad gladium, vel animam ibi ponendam extremam neceſſitatem adigere. Ignavi quidem hominis eſſe vitare periculum, fortis occurrere, projectíque amentíſque idem periculum irritare. Eapropter ut in cubiculū Marchio tandem regrederetur, ibique ſubiret cuſtodiam militum modò ſupplex, modò minax enixiùs inſtando pervicit amicus. Idipſum ferè Bainetto Comiti, Didacóque Cardenio, qui extra Regiam degebat, accidit, ſingulíque poſt breve conſtantiæ, atque fidei erga Catholicum Regem editum argumentum, tot ſimul hominibus, armis, miníſque incubentibus obruti ſeſe demum permiſere cuſtodiis. Verùm Antonius Silva Divi Jacobi eques, magnúſque regni Theſaurarius clariori ſanè fidei, atque virtutis exemplo ea tempeſtate refulſit. Qui ſenio, meritíſque confectus, ortæ ſeditionis fama, ſtrepitúque commotus, non vacillantes, tardóſque, ut ejus exacta ferebat ætas, ſed citos ad Regiam addebat gradus, cum armatorum agmine circunſeptus, cur ipſe quóve tam citò pergeret imperioſè ab illis interrogatur. Ad Regiam ſe ire impavidus refert Antonius, officium & operam Margaritæ Principi collaturum, addidítque: Vivit Philippus Rex, at illi contra obſtrepentes reclamant: Vivit Joannes Rex Luſitaniæ. Non ideo porrò contrahitur, aut animo languet Antonius quòd euſque inaudita, & abſurda illa vox ejus aures repente percuſſerit. Sed ea agitatione corporis, animíque inter armatos, curſúmque prementes verſando ſeſe à circunfuſis undique turbis explicuit, ut velut ſtrata cuſpidibus ſemita vectus poſtremò Regiam attingeret. Hîc Margaritæ colloquium liberiùs, quàm tempus monebat efflagitantem conjurati corripiunt, locíque termino circunſcripto, ne eo limite excedat, capitali pœna denunciant. Cæterum animo afflictus, triſtíſque vehementer agebat Antonius, dum animo volutabat, Uliſipponis fortiſſimam arcem in fidei tutelam cervicibus urbis impoſitam in manifeſta civium defectione, & clade, ac pernicie vetuſti labentis imperii ſpectatricem, quàm vindicem potiùs ut eſſe debebat, ſceleris conſediſſe, putabátque id quod erat, prohibitam eſſe ſcilicet Margaritam, quo minus Præſidi juſſum, ac

ſignum

ſignum daret, adire propterea fœminam, remque ſecreto cum illa tranſigere cogitabat, ita ratus, quòd initio confuſis ac propè nutantibus rebus, ſi tormenta bellica intonuiſſent, terrori fortaſsè mutabili populo, ac levamento jam metu disjectis, & fractis Philippi partibus forent. Hoc prudens Antonii Silvæ conſilium jam anteverterat Luſitanus, cùm ad Margaritam Principem aditum per excubantes, frequentéſque milites intercluſerat. Ubi ergo Antonius ad id exequendum, quod ſecum ipſe deliberaverat, locum quem illi fixerant, tranſit, eóque poſt fruſtra tentatum ad Margaritam ingreſſum, inanis, ſenſúque doloris concuſſus acerbo revertitur, qui terminum illi præfixerant, lividos oculos circunferêtes poſtquam eum inde digreſſum, & paulò poſt redeuntem aſpiciunt ira, odióque flagrantes mœſtum hominem circunſiſtunt, gladiis minantur, inſultant, & revera uſque ad ſanguinem exarſiſſent, niſi nobilis adoleſcens id generis, id ætatis miſertus, reveritúſque virum apud illos interceſſiſſet, evincere tamen minimè potuit quin medium ſenem arreptum, & magno cum impetu impulſum per altiſſimos gradus in infimam partem conjicerent. Sic habitu incultus, cœno ſordidus, membris contuſus, & ſanguine ſpumans Antonius, ſed animo infractus, & integer domum regreditur. Atque ita illorum hominum conſpiratio adverſus primorum Caſtellæ capita incaluit, promiſcuæ ſortis cæteros Caſtellenſes neglectos, illuſos, armíſque tantummodo traditis ire ſolutos, ac trepidos paſſi ſunt.

Cæterùm cùm tam proſperè omnia conſpirantibus fluerent, & majora conſilio, numero, vi, adjuvante fortuna molimina intenderent, acerrima tamen adhuc Pintum angebat ſollicitudo Uliſſiponis arce potiri, ſatis in illa virium aſpicientem, quibus jam penè abſolutam conjurationis retexere telam poſſet. Per eam enim habere potentiſſimum Regem intelligebat adhuc hærentem, ac fixum in urbe maxima pedem, & ulciſcendæ quandoque injuriæ magni momenti pignus. Populo præter fidem ſuopte ingenio caducam, & labilem, ad eam quoque plus infirmandam augendúmque terrorem impendere capitibus arcem. Dulcedinem ipſam rerum novarum, qua modo capta Luſitana plebs laſciviret, aut faſtidio, aut non prævisis ab initio periculis, & ordine futurorum, aut incertorum laſſitudine tædii aceſcere ſæpe ſolere, & in nova deſideria mutari. Perveruſtas, recentioréſque tandem regnorum mutationes, & cauſas illarum animo colligenti frequenter occurrere, nedum propugnacula, & arces quæ quidem ſolidiores nervi dominii ſunt, ſed minora, atque levia quoque alienæ dominationis in occupato imperio relicta veſtigia, fortuna poſteà volvente totam in regno rem contraxiſſe. Cùm igitur arx omnino obtinenda, eamdémque per vim, & arma ſubigere arcem non minus diuturna quàm aſpera factu res videretur, eam porrò intervertere conjurati ſimul aggrediuntur. Proinde Margaritam conveniunt precibúſque minis admiſtis expoſtulant, ut libellum ipſa ſubſcribat, quo juſſus Præſes continuò tradetet arcem. Illa verò id primò conſtanter negare, nequaquam Præſidi à ſe, ſed à Rege Catholico, referens, arcis cuſtodiam injunctam fuiſſe. Nefas eſſe præterea inferioris hominem poteſtatis ſuperioris juſſa reſcindere; idque profectò ea pertinacia, & inſolentia quæri, id utique agi, ut ipſa iniquè imperaret quod iniquius, ſi obtemperaſſet, foret, & alius perſecuturus. Contrà Luſitani circuire, terrere Principem vultu, quatere arma, fremitu, voce, ſupploſione pedum obſtrepere, clamitare, jure an injuria, utcumque ſubſcriberet ipſa libellum, fore alioquin, ut tenebræ vincula,

cula, fœtidus carcer in ſqualore, atque ſordibus vivam, pertinacem fœminam tumularent,quot quotque tunc Caſtellenſes in toto regno reperti fuiſſent ob ejuſdem mulieris duritiem truculentiſſima cædes raperet. Hic facilè exanimata mulier oſtendit quantum conſtantiæ in lectiſſima quoque fœmina capere fluxus, & fragilis ineptúſque regiminis ſexus poſſit. Qui enim in rem intendebant, non plebeii, non agreſtes, homines erant non furioſi ſed cives nobiles prudentéſque, nec ultra inanem illarum minarum ſtrepitum in fœminam Principem ſæviturì, qua bene an ſecus de tractanda perſona Principis, integrè arbitrium ad Ducem Bregantiæ maximè pertinebat; Caſtellenſes verò, quos prior ingruentis tumultus impetus non abſtulerat, haud veriſimile quoque erat, refrigerato jam conjurationis ardore, inſonres, abjectos, & patientes omninò compertos injuriæ ſine ulla utilitatis ſpecie perditum iri, & ſi aliter eveniſſet, haud nimis gravatum fore Catholicum Regem exiſtimandum, cùm expugnandæ, aut conſervandæ arces tanro perſæpe conſtare cruoris impendio ſoleant, illam, qua regnum ea reṁpeſtate pendebat paucorum ſubdirorum funere redimi. Verumtamen Margarita nequicquam ac diù reluctata, fraudulentíſque conatibus victa, dedendæ denique arcis porrectum ſibi libellum quanquam invita ſubſcripſit, qui ad ejus Præſidem ſtatim delatus eſt. Catalauni belli expeditio, circuncisâ ibidem munitione ac veterano ſubtracto milite, eam propè jam enervaverat arcem. His acceſſerat, quod Thomam Meſſiam inſignem, ac ſtrenuum in bello Ducem inde inconſultò ſubduxerat Olivarius, ejúſque ſucceſſerat loco temporarius quidam, obſcuríque nominis Præſes, qui nihil cunctatus ſua ſponte, an coacta, injuſto, an legitimo imperio deditionem Margarita præceperit, viſo reſcripto, continuò prodidit arcem. Igitur, qui erant in illa militibus propè cunctis ſimul pavore, ſimul ſtupore defixis, ac taciris. Prævalidam ſcilicet arcem ad urbis munimen, ac perduellium frænos magnificè ſtructam, orta, mox aucta, inde longius conjuratione producta ne uno quidem diſploſo tormenti bellici jactu per muliebrem inertiam, Præſidíſque ſocordiam,ſive perfidiam in hoſtium poteſtatem tam citò, tam turpiter cecidiſſe, tum Cantaber unus,vetus, & ipſe miles acerrimè furens, & nudum rotando gladium in medium proſiluit, & proh ſcelus, & proh dedecus, inquit, ita nos patiemur commilitones militiæ ſtemma geſtantes pecudum more circumretiri? híſque alacriter dictis dum ferè attonitos, torpentéſque conrendit erigere ſocios, & voce, & exemplo firmare, repentè arcis foribus patefactis, irrumpentium multitudine, & impetu ipſe cum aliis præſidiariis militibus obrutus ab arce præceps ejectus eſt.

Arce ita intercepra, novóque munita præſidio, inde confeſtim ad publicas ædes, quas Relationis ædes appellant; convolant Luſitani. Judices regii, qui jura tum ibi de more explicabant, eo auditu tumultu populi, occludi, firmaríque præceperant fores dum illo primo refracto impetu, & quò vergeret tandem res explorato, in tempore ſibi conſulerent; cùm armarorum globus, & frequens tum clamore, tum pulſibus oſtium vehementer impellit; at potior, quam auribus fragor, timor animis obſtrepebar, quo ſollicitiùs incuſſo tanquam certiſſimè perituri vel feræ illius quaſi neci inrerpoſitam moram ſuſtinendam arbitrabantur. Inter hæc intus acriter obſiſtentium, & forinſecus impellentium certamen, & ſtudium ſupervenit Ulíſipponis Antiſtes, qui pacifica, & tuta fore omnia profeſſus, ſe ſéque ut obnoxium vadem ſalutis acciperent Judices rogitans, ut

ea

ea clauſtra revellerentur, obtinuit. Hinc porrò ſtatim ea togatorum effuſa turba, trepidi, ferè omnes enecti, colore exangues Antiſtitem ſtantem officii, cultúſque ſpecie circundant, quos ille prono omnibus ore, quæſitáque lenitate
„ complexus : Jam habemus, inquit,
„ Regem noſtrum Joannem generis,
„ patriæ nobis, & amicitiæ jure con-
„ junctum. Illum nobilitas, illum po-
„ pulus, illum impuberum quoque lin-
„ gua concentu quodam, aſſenſúque
„ mirabili velut injecta divinitùs men-
„ te, proclamavit, confirmavítque;
„ ſic attrita Caſtellenſium ſuperbia ja-
„ cet, faſtúſque retuſus, nobíſque au-
„ ctiorem, ampliorémque planè cen-
„ ſendum in poſterũ fore Luſitani no-
„ minis claritudinem, vel quòd ejecto
„ Tyranno ab homine externo ad pa-
„ trium, verúmque Regem imperii dia-
„ dema tranſlatum ſit, præterquam
„ quod qui Caſtellenſium huc uſque
„ mancipia, nationúmque ludibria fui-
„ mus jam in honorem ac libertatem
„ evaſimus, nec amplius videbimus
„ Caſtellenſes dominantium, & omnia
„ ſibi arrogantium fiducia ſubnixos
„ alios bona, in humeros alios, alios
„ in jugula ſævientes; non petulan-
„ tiam oris, non factorũ crudelitatem,
„ non rapinarum ingluviem, non li-
„ bidinum ſcelera, non rerum omnium
„ ruinam, & cladem ſuſtinebimus am-
„ pliùs. Juvat ab his denique defeciſſe,
„ qui priùs contra nos à natura, atque
„ humanitate defecerant. His intellectis, Judices quamquã & ipſi non ignorabãt, verſo Rege, inverti etiam debere clientium ejus fortunam, ſibíque aut gravem ex vetuſta inimici clientela ſuſpicionem, aut extremam eſſe perniciem in novo regimine ſubeundam, pro tempore tamen Antiſtiti applaudere, viciſſim miſcere dextras, geſtibus, voce oſtẽtare obſequium, & fidem erga novum propoſitum Regem; quibus verò plus erant ſuſpecta præſentia, ideóque plus odioſa, ut uſu falſis hominibus venit, eo amplius ſeſe gratulando, atque aſſentando jactabant. Togatis ita dimiſſis, Vexillum civitatis accipiunt ſolemni per urbem pompa, ac lætitia circunferendum. Id ſuſtulit Alvarus Brancius phalerato invectus equo, & cultu, habitúque ad ætatem arridentémq; modò fortunam ornato. Nobiles equites, quíque erant plerique in flore, ac robore ætatis indumenti elegantia, ac ſplendore ad omnem luxuriam fluentes, refulgentéſque ultrò citróque per alas diviſi longiſſimum agmen trahebãt. Populus pedes paſſim immiſtus equites intercuſat; reſonat undique clamor, plauſúſque quibus verborum diſtinguere ſonitum dabat ætas, effuſè tunc exultantium Regémque Bregantium vocibus repetentium.

Inter hæc Uliſipponis Antiſtes ad templum maximum venit. Eo ſtatim populo convocato ſolemnem, ut Eccleſiæ mos eſt, proceſſionem, ſeu pompam inſtituit, ſacríſque ſuo ordine, & loco miniſtris emiſſis, ipſe tandem Antiſtes, modeſto, gravíque inceſſu conſpicuam ſiniſtra gerens Chriſti patientis imaginem, ore pacem annuncians; occurſanti certatim populo dextra more Præſulum benedicens progreditur. Illa ſpecie, & corporis habitu Antiſtes poſtquam frequentiorum viarum flexus emenſus eſt, grande quoddam prodigium ſibi fortè videre viſum quod prope attonitos omnes, intermiſſa repentè via, ac ſtupentibus ſimiles renuit. Viſa namque Chriſti in breve confixi dextera ex obliquo ligno reſiliens, ſeu data opera excuſſo, ſeu per ſe avulſo, aut fracto credito clavo in benedicentis figuram extendi. Nihil utique acriùs exagitat plebem, quàm per vera miracula, aut ficta illi incuſſus à Numine timor, vel ſpes; viventíque propiùs ſecundum naturam, auctorem naturæ præ cæteris datur revereri, aut metuere. Itaque velut pignore in illo ſigno ſuper-

næ

næ dexteræ accepto, quo ſecundis auſpiciis, & pluſquam addicentibus avibus, novum conderetur imperiũ circunſtrepere omnes, præ lætitia lachrimas ſpargere, pectora ictibus tundere, & quaſi gemitibus cælum; certatim alter alteri gratulari, Deúmque vindicem, & cuſtodem libertatis aſſerere. Mulieres præſertim, quas quidem intemperantiùs in humano quocumque affectu naturalis levitas agit, domi altercantibus ſimiles crinibus paſſis, ſciſſóque cultu, & fœmineo ululatu tanquam fanaticæ diſcurrebant. In hunc modum affectos, inclinatóſque ubi animos cernit Antiſtes, velut & ipſe miraculo captus paulìſper ſuſpenſus, ac tacitus ſubſtitit. Mox concionabundum in modum à rebus divinis exorſus populo declaravit. Eamdet ſcilicet Redemptoris è cruce pendentis effigiem Alfonſo, qui primus in Luſitania regnavit, cælitus olim repræſentatam ei victoriam contra Mauros, primíque in hoc regno gloriam, & ornamentum diadematis contuliſſe. Eo ipſo prætereà die Sancto Nicolao Myrenſi Epiſcopo conſecrato, quo idem Alfonſus obierat venturum in urbem Bregantium, ut idem profectò dies qui illi cœleſtis initium, huic regni terreſtris auſpicium foret, nec fieri utique potuiſſe abſque altiſſimæ mentis conſilio, & concurrentium cauſarum cum admirabili ordine orbe, t t tanta concordia, hominúmque conſenſu, impulſúque ultima primis contexta eſſent. Jactavit etiam Antiſtes multos abhinc annos jam decantatum, & ab eodem Alfonſo, ut fertur, illud editum vaticinium, tanquam ea ipſa, quæ interfluebat, tempeſtate conſumptum, ſcilicet quod in ſexta decima generatione erat regnum attenuandum, ídque multa celeritate, ac facundia, & acuminum lenociniis in Ducem Bregantiæ tunc clavi regnum ſuſcipientem detorſit. Ad Caſtellenſium deinde ſuperbiam, & arrogantiam, & toties reprehenſa in regimine vitia verborum flumine revolutus poſtquam horrida, acerba ac turpia omnia ut infectus ſubdebat animus, de præterito pinxit, ea futuri ſpe imperii Luſitanos implevit, ac ſuſtulit, quam ipſam præcipuè ſpem, imperiíque ſalutem Chriſtus ipſe refixa mirabiliter manu in eodem ſtipite confixiſſet. Hæc & ſimilia dixit Antiſtes. Hujus tamen miraculi fidem quæ Luſitanos, & Caſtellenſes pro animi ſtudio, affectúque diverſos ac varios in illo aſſerendo diſtrahit, nobis in medio relinquere placet. Inveteravit enim à mundi propè incunabulis mos per veram aut falſam populo injectam religionem fundare, ſtatuere, aut fluctuantia componere imperia. Ad hoc ergo genus ſuperſtitionis mirè nunc propendentibus animis, alia ſuper alia prodigia quotidie renuntiabantur, pridiana videlicet ante tumultum nocte viſum Vaſconcelli cubiculum diris avibus circunfuſum; & Eboræ Marchioni Ferreiro, cùm Luſitaniæ defleret calamitates, lectæ, probatæque fidei mulierem, vitæque integerrimæ reſpondiſſe, jam ærumnarum urgere finem, quem ſuffixus cruci Salvator erat dextera ſignaturus; & Bregantio ab Almada in Regiam Principem Margaritam ſalutatum quondam eunti, viſam effundi ex ejus capite flammam, quæ in orbem contracta rutilantis Coronæ ſpeciem effinxerit, & alia his ſimilia prodigia divulgabantur, nec deerant falſitatibus teſtes; aliis ut fieri ſolet auditu, aliis memoriæ turbatione, aliis oculorum ludibrio falſis, aut fallere alios ex compoſito cupientibus. Cæterum poſtquam ea ſacra per urbem ducta cum plauſu, atque ſtrepitu pompa eſt, ac ſimul concionem ad populum habuit Uliſipponis Antiſtes, Palatium ſubinde ingreſſum rogant eum conjurati ut uſque Bregantii ad Uliſipponem adventum, urbis, regníque adminiſtrationem accipiat. Munus hic dedignari callidè

primò

primò ſimulat, imparem ſe tanto dictitans oneri, humeros tamen ſe ſubmiſſurum fuiſſe, ſi ad tanti modò laboris, & periculi partem Bracarenſis Antiſtes accederet, novam eſſe regiminis diſciplinam, volubiles res; coortam, ſedatámque feliciter tempeſtatem multos adhuc concoquere, multos ejicere fluctus; principia regnorum in arduo, & maximè impetu facta populi, & contra eum qui plus opibus poſſet ingentem æmulum conſtituta. Plurimorum annorum & ipſa pertinax æmulatio utrumque Antiſtitem hactenus exercuerat, nam præter ingenii morúmque diſſimilitudinem, crebrò unde odia, ut eorum ſimilitudine gignitur amor, intererat etiam concurſus quidam earum, quas gubernabant Eccleſiarum, cum ſic Bracarenſis auctoritate, atque ordine quemadmodum Uliſipponenſis utilitate, & commodo in Luſitania primas obtineat; favor præterea Catholici Regis, qui videbatur in Bracarenſem proclivior adeò Uliſipponis Antiſtitem torſerat, ut is inde potiſſimùm acriores ſtimulos ſumpſerit novas in regno res machinandi. Hujuſmodi æmulum tamen ad regiminis ſocietatem petebat Uliſipponis Antiſtes, quò ut tunc credebatur, Caſtellæ animo dudum hærentem conſortio muneris alienaret, vel ut opinionem & famam cum invidia, atque nota creſcentem à ſe perpetratæ defectionis unà cum æmulo partiretur, vel ut ita repungeret etiam Catholici Regis miniſtros, nam id quoque jactatum eſt quòd tantum fiduciæ atque gratiæ ingenio venali, ac temporibus ſervienti tribuerint. Quarum ambitus artium cùm ſagacem hominem minimè fugeret, invidioſum, & anceps, ſimul ſuſpectum tanquam ab æmulo oblatum officium conſtantiſſimè reſpuit, unúſque propterea Uliſipponis Antiſtes quanquam in ſpeciem invitus, uſque ad acceſſum Bregantii novæ gubernationis arbitrium ſubiit.

Suſcepti porrò muneris facinus in Antiſtite primum fuit, tres Caſtellenſes excipere naves quæ intra portum ancora tenebantur. Molliùs enim per id temporis ſorte Luſitani conatibus indulgente, cùm prior tumultuantium conſpiratorum furor irrumperet, fortè in urbem rectores navium negotii cauſa diverterant, cúmque idem furor, impetúſque animorum cæteros Caſtellenſes cum navium quoque gubernatoribus ſuſtuliſſet, idcircò deſertæ, ac prope inermes ſine Ducibus naves à gregario milite proditæ ſunt. Quibus tam facilè captis Luſitanóque præſidio munitis, faceſſere ſtatim Regia Margaritam Sabaudiam jubet Antiſtes, quippe quæ magnifico, ac regio cultu pro ſede Bregantii paranda eſſet. Princeps quæ jam tranſverſo fortunæ curſui aptare didicerat animum, nulla interpoſita mora, nullo aſpero effuſo verbo, ſarcinis raptim collectis exceſſit. Digredientem non aulicorum, ut paulò antè fiebat, & aſſentantium turmæ ambitionis, libidiníſque mancipia, ſed rari, & perpauci quemadmodum ſunt adverſæ fortunæ comites proſequuntur; Ex primoribus conſtantia duntaxat, atque animi magnitudo in ſexus regiæque ſtirpis venerationem, & cultum Bracarenſem Antiſtitem tenuit; qui, quanquam ſciebat haud quidem levia ſtruere ſibi pericula hoc palam exhibitum Principi obſequium, his tamen contemptis, promiſcuo famulorum officio fœminam tranſmigrantem ſecutus eſt. Complures etiam nobiles Luſitani, etſi interius retruſam, & incorruptam fovebant in Catholicum Regem fidem, publica tamen luce, & ad aliena, ac ſevera tranſitura ſuffragia prudenter abſtinuere, porrò clam Margaritam viſentes, vitámque & fortunas ſeſe pro Rege paratos effundere profitentes, benevola,

& comis illa complectebatur, moderabátque iras, & conſilia flectebat, ne temerè quidquam intempeſtivo tempore audentes ſeſe réſque Regis, quæ cunctando, & fortuita captando reviviſcere potuiſſent, celeritate labefactarent. Cæterum ſolitariam, anguſtam, privatam in domum ab Regiæ faſtigio delapſa mulier vario ibi conflictabatur incommodo. Domeſticos ſine civili cultu, ſine ordine, ſine ſolita diſciplina tumultuaria propè miſcebat ſedes; mulieres cum viris, majores cum minoribus famuli implicabantur; confuſa, intermiſta ibi omnia, plena ſtomachi erãt, plena laboris. Accedebat, & tenuis menſura victus, & excubantium militum fremitus, & ruſticorum ludibria, & miſeriarum quaſi ex gurgite redundantium ab omni parte moleſtiæ, tum præteritæ felicitatis memoria, & conſcius generis, atque amplitudinis fulgor acerbioribus ſtimulis languentem animum fodiebant.

Dum hæc Uliſippone agebantur, alia mens Villavitioſæ ália & ea propè luſoria, & ad terrorem conficta machina rerum Bregantium exagitabat. Is pridie, quàm Uliſippo defecit propiùs periculi magnitudinem ſentiens, cum alia ſpes, alia metus conſilia ſubjiceret, diſcordibus ſtudiis, diu ſecum ipſe luctatus, raptum animum in diverſa trahebat. Jamdudum idem ipſe decreverat, ſi Uliſippone fortaſſis intenta res fefelliſſet, irrumpere armatus in regnum Algarbiæ, vel ad Elvi præſidium arcémque confugere, turbatarum inde rerum, & clientium conſpirantium eventum expectaturus. At in puncto rei peragendæ pavor ita memoriam, tandiúque rerum collectas ſpecies excuſſit, ut pravo ſe ſtudio, inſanóque amicorum conſilio præcipitem datum exiſtimans, quaſi tot ex periculis evadendi facultate ſibi præciſa dolore penè conficeretur, & incæpta, ſi poſſet, intercidere cuperet. Hoc animi cruciatu totam ſollicitam diem, & proximam noctem inſomnem, ac perturbatam exegit; cúmque variis implicatiſque ſententiis multum hæſitans animus, multa revolvens multipliciter verſaretur, vicit tandem in debili ingenio, ejúſque in ſpeciem fortuna minori formidinis vis. Juſſit igitur primo ineunte mane currum velociſſimis equis inſtructum ad ædium veſtibulum præſto eſſe, quo triſti fortaſſe rei ibi improſperæ accepto nuncio, ſubinde Caſtellam verſus ad Regem Catholicum advolaret, tanquam facinoris ipſe neſcius, & alieno errore, ac perfidia ſublatus. Ad hucuſque perplexum, ac trepidum hominem, curíſque acerrimis volutatum Petrus Mendoza, & Georgius Melus Legati per Pintum urbis primariæ, regníque nomine immiſſi conveniunt; obviam pauliſper euntis procumbunt in genua, Regémque & Dominum ipſum ſalutant, adorántque omnia deinde, & quo ordine geſta erant exponunt, nempè cæſum Vaſconcellum, Principem Margaritam Caſtellæque optimates arctis cuſtodiis incluſos, receptam confeſtim arcem, ipſum Regem incredibili omnium conſenſu, plauſúque feſtíſque vocibus proclamatum; idque tanta quidem felicitate, feſtinatione tanta eſſe cæptum, & abſolutum, ut ne unius quidem popularis, aut ſocii ſanguis cõmunem gratulationem, & gaudium mærore, aut macula aſperſerit. Porrò tunc complementum omniũ votorum, cumulandæque lætitiæ ſummũ pro libertate recepta metropoli fore ſi coram fas eſſet aſpicere Regem, & ſceptriferam manum attingere; quod ille ut quàm celeriter faceret, urbem regni caput, & Ordines regni enixius expetere, ac flagitare. Hæc cùm audiſſet Bregantius vehementem in illo ſollicitudinem, afflictíque animi angorem par emergentis lætitiæ ſenſus æquavit. Corti ſubinde Regis rumor undique circunfuſus oppidanorum, agreſtiũ quot-

que

que nobiles, ignobileſque cominus, eminuſque habitabant in unum officii cauſa multitudinem cogit. Gratulationes ibi, aſſentationes, auriumillecebræ conquiſitæ, fauſta novi omina imperii, oſcula pedum, oſcula manuum, humi projectiones, & omnia adulantium & exulantium incompoſita imitamenta, tumultuoſa quadam lætitia ab omnibus congeruntur, aliis voluptate rerum novarum, aliis nova ſurgente ſpe plenis, tanquam mortalium daretur inſcitiæ inter præſentia collata futuris meliora poſſe ſecernere.

Hiſce obſequiis expletis Uliſipponem Bregantius hoc ordine proficiſcitur. Curru ſuperbo invectum Petrus Mendoza, & Georgius Melus qui fuerant jam Legatorum munere functi, & Marchio Ferreirus ſuo loco, & ordine comitantur; proximè turmæ equitum circuibant. Plurimi currus famulis, auliciſque referti, alii propemodum vacui, & ad pompam tantummodò inſtructi agebantur. Ex oppidis, caſtelliſque & ruribus quoque vis magna populi effuſa novum in tranſitu Regem veneratura curſabat. Obſeſſæ paſſim erant ſpectatoribus viæ, tractuſque camporum affluentis undique multitudinis copia ad continuæ & frequentis civitatis imaginem inundabant. Hac ſpecie triumphi cùm ad Aldeamgallegam, quæ in æſtuarii margine ſita eſt, perveniſſet parato inde lembo Uliſipponem trajecit. Divi Nicolai Myrenſis Epiſcopi die natalitio vertente, Bregantius in urbem ingreſſus eſt. Tum verò imber ingens ea copia aquarum cum turbine miſtus effluxit, ut magnifica, & varia, quæ in oſtentationem lætitiæ ſummo labore, & impendio conſtructa erat, everſa mole, cæteróque disjecto apparatu occultus, & celer Regiam Bregantius intraverit. Ea mox excuſſa procella, ubi Regem adeſſe diſſipato rumore conſtitit, immenſæ multitudinis, quantam quidem eruere populoſa civitas poterat, fit concurſus ad Regiam videre ſe velle Regem aſſiduè clamantis, & obſtrepentis. Bregantius, ut civibus ſuis populariter blandiretur è ſublimi feneſtra gravitate, ac ſuavitate ſimul compoſito vultu ſeſe inſpectandum pauliſper dedit, reiteratis momento illo majori conatu, ac lætitia populi vocibus, plauſibúſque Nocturna deinde ſpectacula regio ornamento, atque jactantia digna per noctis caliginem effulſere. Erant ibi flammarum aliæ ingentes, & incompoſitæ ſtrues, aliæ in Theatri figuram, & pulchritudinem ſcenæ mira elegantia, ut artificio diſpoſitæ. Tonabant ſimul è tormentis diſploſis emiſſarum pilarum fragor, campanarum ſonitus, clangor tubarum, tibiarum, nervorúmque concentus, & geſtientis, ſubſultantiſque populi clamor, & voces, ut ſimul ardere, ſtrepere, ac laſcivire tota civitas videretur. Feſtivos hos inter ludos ad ancipitem formidinis, & voluptatis ſpeciem compoſitos tres proximè inſequentes noctes abſumptæ. Regi deindè ſolemniter coronando condicta dies intermedia Decembris eſt, qua porrò in aula ampliſſima Regiæ Bregantiæ Dux à populo traditam imperii Coronam Luſitano ſervato more ſuſcepit. Reliquos inde regalis auſpicii ritus perſecuturi ad templum maximum pergunt. Chlamide regia amictus, habitúque oris, & corporis ad præſentem fortunam exculto eques unus Bregantius ibat; Cæteri, mos enim erat ſive plebeios, ſive magnates cum via pedeſtri, tum detecto ſemper capite conſequi Regem juramentum à ſubditis accepturum. Hoc ſummo ſplendore, aulæque explicato magnificè luxu poſtea quam templum ingreſſi ſunt, inibi ad aram maximam pro Luſitano Rege Joanne data jure jurando fides, acceptáque eſt. Sed eò accedentes recedentéſque ſæva, ac perpetuò contorta procella ruens crebrò disjecit ordines,

veſtiúmque ornatum, & pompam afflixit, adeò, ut ſuperſtitionis errore, ad quam proclivior ea natio eſt, pleríque correpti, nonnulli cælitum iras, alii ingentis effuſæ lætitiæ ſigna ut ſuo quiſque imbutus animo erat, in ea turbida tempeſtate cognoſcerent, perinde quaſi inſolitum foret, frequentes ætherem imbres, ac tempeſtates excutere. Paucis poſt interjectis diebus, Aloiſiæ Guſmanæ Bregantiæ Ducis uxoris in urbem adventum nocturna inſtaurata ſpectacula, acclamationéſque populi clamore, & concurſu maximo repetitæ celebraverunt. Ingenuæ mulieres virorum officia æmulantes ad eam velut Reginam, imò veriùs artificem regni cumulatiùs honores deferunt, erátque planè notatu dignum, regiam auctoritatem, ac ſupercilium, in ſermone, fronte, geſtúque eò propriùs uxorem, quàm virum ſuſtinuiſſe, ut fictitia, & arte quæſita Bregantio, quorumdam more Hiſpanorum, ſpecies illa majeſtatis auguſta, mulieri autem ferè ingenita videretur.

Gratulationis obſequiis, feſtíſque tranſactis diebus. Quæ prima Bregantii ad novum licet ſtabiliendum imperium tot negotiis, & curis impliciti, ſubiit animum cogitatio de Margarita Principe fuit. Regalis ejus proſapia, & veneratio debita ſexui, & morum ejus integritas, atque virtus mirius in illam ſuadebant agere. Ex alia parte muliebrem timebat audaciam, & intractabile ingenium, & in hac maximè dignitatem, ac celſiorem gradum fœminæ Principis, & quod niſi arctiùs gratia, aut formidine teneretur, impunè ei propemodum licuiſſet in fluctuanti jam regno graſſari. Selectis ergo ex ſuis famulis viris imponit, ut Margaritam conveniant, ac certiorem ſuo nomine faciant, ipſum ſollicitè curaturum, quo tempore illi manendum in Luſitania foret, ne obſequio perſonæ pari, neu domeſtica opulentia atque copia tanta Princeps defraudaretur. Infixus enim, atque intimè præſens ejuſdem hærebat animo communis, & gentilitius Auſtriaci, Portugallii, atque Sabaudii per affinitatem commiſtus ſanguinis ſplendor decúſquè, cui & illa ornamento ſuarum quoque virtutum mirabilem lucem addiderat; Cæterum, ut ipſe pergratum, & egregiè obſequentem ejus ſe dignitati, ac merito fore deſiderabat, ita impenſius mulierem rogabat, ne clandeſtinos cœtus iniret, nec obliquè nec rectè ſereret voces, quæ nobilium offendere fidem poſſent, aut popularium mentem turbare. Hæc cùm mulieri referrent Bregantii nomine famuli, illa tum ſpreto eo urbanitatis officio, in Luſitanos vehementer invecta reſpondit.

Hanc Luſitani imperii, mutationem, quò temerarior aggreſſu, & violentior ipſa exitu fuerit, eò minus ex uſu rerum, & naturæ ordine duraturam cenſendum eſſe. Volubilis quoque fortunæ, atque in orbem ſe ſemper agentis circuitus, & tricas inexplicabiles eſſe, hoc tamen clarius exemplo conſtare, quo ipſa magis, magíſque arridere, ac præter morem, & modum ſuffragari, ac blandiri inſipientibus videatur, eò citius iraſci, ac retro volvere conſueviſſe. Si verò placeat novarum rerum perpendere cauſas, quæ ſi validæ ſint, valeſcere etiam effectus; ſi infirmæ, corrumpi; ſi deinde recurrant, res iterum immutari. Hanc quidem regni defectionem incipere paucos tantummodo auſos. Inopia, vel caſu, aut amentia complures, aut vitioſo pudor tractos ei temerè conſenſiſſe. Cæteros quidem, & meliores hæc turpiter perpeti, quàm cum periculoſo repugnare, aut pro alieno imperio confligere maluiſſe. Verumtamen ubi præmiis illis ingentibus quæ gratis in animo deglutierant, ſeſe tandem

„ tandem fruſtratos conjurationis au-
„ ctores noverint, cùm neque ſuis, ne-
„ que ſibi dare ſatis, nec ſolvere potens
„ imminutus regulus ſit, brevíque è ma-
„ nibus labi, atque areſcere ſpem falsò
„ conceptam viderint, alias ex aliis res
„ novas, & turbamenta reipublicæ
„ commenturos. At verò quæ eo tem-
„ pore premerent onera tributorum,
„ quæque ſubinde impenderent, ut
„ prædicabant, intoleranda, ad tantum
„ nefas Luſitanos egiſſe ſcilicet poſt-
„ quam atrox indictum à Catholico
„ Rege bellum, cujus propediem inflari,
„ ac triſtia canere claſſicum propè jam
„ exaudiri, perfido regno fuerit, mi-
„ nuenda, demendane tunc an augēda,
„ vel cumulanda tributa forent; & qua-
„ lem etiam, exiſtimandum, teterrimi
„ belli fortunam futuram, cum duorum
„ regnorum commiſſis opibus lacertíſ-
„ que ad certamen emenſis, & ſi duplò
„ major, quàm eſt, illa eſſet, Caſtella
„ prorſus Luſitaniam obrueret. Ergo
„ ad obſequium, & citò redirent, men-
„ tíſque caligine excuſſa redirent in
„ viam ne ſera denique pœnitentia ſine
„ dubio perituros exciperet, neve ſub-
„ verterent regnum dum hoc reparare
„ ſtultiſſimè cuperent. Sceleris ipſam,
„ aut levitatis, aut erroris humani ve-
„ niam, cùm penè res integra ſit apud
„ Regem exoraturam. Cùm hoc reſ-
ponſo ad Bregantium remiſſis, qui ejus pertentatum animum venerant, ille dum libertatem, ipſámque fœminam metuit velut turbatis, ampliúſque turbandis fortaſſe rebus & ſuo ingenio, & prærogativa nobilitatis idoneam, mutat ei ſtatim priorum ædium cuſtodiam, & ad quoddam extra urbem cœnobiū duplicatis excubiis transferri jubet; adhoc iræ plenus, & querelarum palam de Principe loquitur, quò omnes, ut illi ſuſpectæ, atque inviſæ Margaritæ congreſſum, & amicitiam fugerent, cariores domeſtici ejus domo, regnóque exacti; creſcunt cuſtodes, familia minuitur; linguæ libertas in arctiorem vitæ uſum, corporíſque cuſtodiam delapſa eſt. Sic Principe in tuto poſita, poſt Julianam ad occupandam arcem toto conatu Bregantius incubuit; cujus ſitus, & utilitas arcis ut manifeſtiùs eluceat, pauca in primis oportet Uliſipponis ab urbe decerpere.

Uliſippo opulentia, amplitudine, claritate inter omnes urbes, nedum Hiſpaniæ, ſed totius etiam Europæ celebris, ſeptem jacet impoſita montibus. Quà ad Orientem vergit maris Oceani, Tagíque fluminis confluentium in unum intermiſtas delicias habet, nam fretum mollibus ſtagnis effuſum longè latéque in continentem profluit, pleno ubi alveo Tagi occurrentis exceptum relabitur, adjectóque flumine tumidum novos ſemper æſtus, novóſque gurgites faciens latiùs in ripas projicitur. Amnis deinde maríſque concurſu, fluctibúſque reciprocatis cùm ſæpe colliſa, refractáque motibus aqua reflueret, ut feſſa tandem atque in palude vaſtiſſima torpens latiſſimum navibus portum, jucundam obtutibus ſcenam urbíque munimen, ac decus affert. In utraque hujus ſtagni patentis, quæ in virides planities extenditur, vel in amænos inflatur tumulos ripa, varia ſpectantur oppida, atque caſtella, villæ ruſticæ urbanæ, omnia elegantia, ac pulchritudine ſitus inſignia. Qua maximè parte Uliſippo uſque ad Caſcalium patet, ſex prominent arces, quarum ea major quæ Divi Juliani dicitur arx, eſt in confinio Tagi æſtuarii, ubi inter maritimos amnis confunditur fluctus, ac deſinit; Uliſipponenſem, ut meminimus, arcem in primo conjuratorum impulſu ejuſdem ruina urbis oppreſſit: cæteras porrò arces, aut futiles minæ, aut oblatus armorum terror, aut Rectorum perfidia, ſive ſegnities prodidit. Una, & majoris profectò molis arx Juliana ſupererat quæ marimo erat neceſſaria

commercio, eáque tum arte, tum natura propè invincibilis. Pelago hæc celſa imminet, atque in faucibus ſita portus ubi arctiùs cogitur aqua, eáque externa ita urbi, cùm velit, intercludens auxilia, ut ſibi maritima firmans quâ fortè appetita cùm eſſet fame opprimi, aut premi difficile poteſt. Terra qua à tergo cingitur, vallo foſſa, muro ſolido & humo congeſtitia firmato, ſimul ſeptuaginta majoribus belli tormentis, multóque præſidiario milite tenebatur. Ad hæc Dux Maquedenſis cùm expedita, magnáque claſſe ſtationem tunc apud Gades habebat, haud infirmum, ſerúmve arci, ſi foret opus, nec ſpes fefelliſſet venturum auxilium; cúmque clauſtra illa portus eo tempore obnoxia Caſtellenſibus eſſent, parata ſubſidio, nec valdè remota claſſis. Proceres Luſitani jam dudum genere ſibi, conditione, fortuna pari repentè in Regem elato viro cùm inviderent, ac muſſitarent, occaſioníque imminerent, ideóque domi res novæ, foris hoſtilis timeretur incurſus, vehementer optabat Bregantius, quàm celerrimè poſſet arcem infeſtam, ac validam obtinere. Igitur Luſitani de bello Senatus conſulto Antonio Saldarico viro impigro, & militari Juliana arx oppugnanda committitur. Is ſtatim armis, & milite acceptis, & prius per ſecreta colloquia Ioannis Cuevæ Præſidis fide nequicquam tentata, præliarem ſuggeſtum in hunc modum inſtituit. Arci objectus ad tormenti bellici jactum collis aſſurgit, qui tunc data opera fuerat vallo, atque aggere ſeptus. Hinc candentium pilarum crebrò effundere imbrem mœnia pulſandi, ac frangendi animo Antonius, ſed cùm vel ictus humus congeſta falleret, vel durior ipſa ſaxorum compago veterum ſtaret, aut levis ruderis jam reflecteret, ideò lentæ, aut inanes pleræque rejectæ pilæ ruebant innoxiæ, ſimul qui ab arce pugnabant cum tanquam teſtudine tecti confligerent, hoſtes verò nudato fermè corpore, atque ictibus ſubjacentes iniquo ſane marte conſererent arma, inde alacritas, & ſecuritas, hinc metus, & horror, cumulíſque cadentium, ſpirantiúmque ſtrages immenſa militum erat. Rei igitur difficultate, ac pernicie ſatis huc uſque comperta; ad hoc metu ne Dux Maquedenſis in longum obſeſſæ fortaſſe arci alacriter ſubveniret, rurſus tractare deditio majori ſtudio, ac ſollicitudine cœpit. Forte per id tempus eadem in arce ut carceri mancipatus agebat Ferdinandus Maſcaregnus Comes Turrianus. Crimen erat in cauſa, quod claſſis Præfectus cum mare Indium navigaret, quæſtus turpitudine illectus onerarias pro expeditis, ac bellicis naves Hollandis oppoſuiſſet, ex quo Hiſpanis navibus profligatis, multíſque depreſſis, tandem ſpoliatus, victúſque Comes navali prælio diſceſſerat. Hic porrò ſeu facti conſcientia, ideóque flagitii vindictam timens, ſeu laceſſitæ innocentiæ ita commotus, ideóque per nefas illi malè ſuccurrere cupiens omnium, qui aderant primus ad defectionem converſus promiſſis, miníſque cœpit, ac rationum momentis iniquis hucúſque incorruptum Præſidis animum agitare. Conſtantiam “
videlicet, & ſollicitudinem illam, Ju- “
lianam ad arcem tuendam ſapere jam “
pertinaciam, ac præcipitis animi no- “
tam, & ſine ullo dubio à veræ virtu- “
tis recedere gloria, omnibus quippe “
urbibus, oppidis, præſidiis, arcibus “
regni à novi Regis pendentibus nutu, “
& arbitrio, quid obluctari, aut hæ- “
rere diutius arcem unicam poſſe, eám- “
que deſertam, inviam, in ſolo adver- “
ſo, in hoſtico mari, undíque adſtri- “
ctam, & hoſtibus circunſeſſam? Na- “
vigium quod Duci Paulo ante Ma- “
quedæ ad poſtulandas ſuppetias miſe- “
rat, aut vorticibus hauſtum, aut ab “
hoſtibus interceptum. Reliqua inten- “
ta Caſtellæ ſubſidia nulla, aut incerta, “

aut

„ aut remiſſa, aut tardiora urgenti ne-
„ ceſſitate, ac periculo fore. Decipere,
„ ac nimium efferre plerúmque fidu-
„ ciam loci: multa quæ impedita vel
„ ardua natura,& artificio videntur, ar-
„ te tandem, conſilio,tempore ſupera-
„ ri, nec ullam propemodum rem tam
„ abruptè, tam altè naturam ſepoſuiſſe,
„ quo nequeat tandem evadere virtus.
„ Brevi ſanè quaſſata ſolóque disjecta
„ viſurum ictibus mænia, quæ jam exi-
„ guis ruinis fatiſcere inciperent. At
„ ſi ænea illa quidem, ſi adamantina
„ forent, quid effugii, quid levamen-
„ ti deinceps ab inſtantis,minitantíſque
„ famis ore, & unguibus eſſe? Secun-
„ dum exactam diſciplinam militiæ pa-
„ ri laude ſervire officio, qui robuſtam
„ ſuſtinet arcem, nec officio deeſſe,
„ qui labentem, & fluxam deſerit.
„ Cæterum cum metu minus, quàm
„ præmiorum cupidine tangi ſtrenuum
„ militem deceat, eo quod nec vitium
„ ambitio, ut vulgo creditur, ſit, ac ſi
„ tale profectò eſſet, hoc propius virtu-
„ ti accederet vitium, pro dedita ſibi
„ arce offerre illi Bregantium Chriſti
„ militaris Ordinis ſtemma, tum octin-
„ gentos aureos nummos unoquoque
„ ſolvendos anno, & per hoc inſuper
„ Regis adepta gratia quam plurima
„ emoluméta, & proniorem ad majora
„ regni munera curſum. Videret idcir-
„ co, ne falſi fidei,clientelæ,& obſequii
„ ſpecie, vaníſque nominibus captus
„ inexplicabili errore prolaberetur. Id
„ honeſtius, id melius mortalibus eſſe
„ quod utilius, ac tutius. Peierare,fran-
„ gere fidem, æs alienum non ſolvere,
„ modo, modo libidine uri, & ſcelere
„ quoque ſi ita quandóque utilitas fer-
„ ret, quæ in privatis crimina Reges ap-
„ pellant, eáque acerrimè vindicant,
„ prætextu revera non cauſa reipubli-
„ cæ multo magis familiaria,& conſue-
„ tudine trita eſſe Regibus quàm priva-
„ tis, hóſque liquidos illis rivulos ab
„ illius inſtituti fonte manare ſcilicet
extra legem, & rationem per fas, pér- "
que nefas ad uſum cuncta dirigere, "
quo tempore contra ipſi obſequium, "
& fidem in Regem liberis, vitæ, for- "
tuníſque poſtponere vulgò ad pro- "
brum, ac dedecus extremúmque ſæpe "
ſupplicium vertunt. Ita ergo poten- "
tiam, & opes quæ propter augenda "
omnia miſcere Regibus liceat, cur "
nefas in cæteris illorum veſtigia ſe- "
ctantibus eſſe, cenſendum, pro ea, "
quam fortuna dediſſet, portione cap- "
tare? Ipſum maximè Ferdinandum "
aulicæ fraudis, ac Principum levita- "
tis triſte humanarum rerum ſpecta- "
culum in ſe omnibus exhibere, à quo "
tot pro Rege laboribus terra, marí- "
que perfuncto, per idem temporis aſ- "
ſentantium, & ſcurrarum calumniis "
oppreſſo præmii loco carceris, & "
ignominiæ pœna repeteretur. Sic ma- "
los malitia perdi, ſi boni fuerint in- "
vidia, nec probo, nec improbo eſſe "
tutum in aula locum. Quod caſu, aut "
induſtria ſubduxeris per dolum, aut "
fugam id retineri tantummodo poſſe. "

His verborum quaſi præſtigiis Joannem Cuevam genere Caſtellenſem impulſum, quem arma minimè vicerant, avaritia ſubegit. Proinde certa, ratáque inter eos pactione perfidiæ Julianam arcem Bregantio addixit. Et Bregantius quidem, cùm arcem haberet, ne dum in fide promiſſi ſtetit, at Didaco etiam Suario, qui in Caſtellæ partibus erat, ſuculentos ereptos hortos eidem Joanni, jam perfidiæ mercede ſoluta, inſuper dono dedit. Proditor autem etſi magna deinde penes Bregantium floreret gratia, nunquam tamen ad ea evectus munera eſt, quæ vel uſu juſtitiæ, vel ſecreti fiducia ſpectatæ integritatis hominem poſtulant; cum æquè proditio placeat, ac proditionis exemplum cavere ſingulos doceat. Arce ita dedita, & Luſitano ſtatim inſeſſa præſidio; paulò poſt quatuor naves in alto, quæ velis tumidis por-

tum petebant, ab arcis ſpecula inſpiciuntur, erántque à Duce Maquedæ naves, poſtquam arcis periculum noverat, munitione, alimentis, & milite plenæ in ejuſdem ſubſidium præmiſſæ. Regebat has naves Sabinianus Manriquius Frixiliani Comitis frater. Interceptæ tutelam arcis Bregantius Joſepho Meneſeo commiſerat. Jámque haud procul ab arce naves appropinquandi ſignum opperientes inflexo velo, curſúque per orbes eluſo ſuper fluctibus circuibant, cum Meneſeus fraude naves circunventurus in ſummo arcis Catholici Regis vexillum figit. Hoc viſo Manriquius, qua ferebatur ipſe navi velis majoribus prætervectus, dum arcem temerè ingreditur, unà cum ſociis in veſtibulo capitur. Tunc manifeſta Luſitani fraude comperta ſuccenſus, ſtomachatúſque Manriquius. Bene congruere, inquit, Regem per dolum intruſum dolo, & fallacia cuncta conficere, aliiſque congeſtis maledictis, & probris Luſitanos cæteros laceravit. At quærelas in irritum jecit, ac libertate oris abuſus id tantum obtinuit, ut nempe diurius in carcere torqueretur. Reliquæ verò naves, ubi inſidias ſubeſſe noverunt in altum ſtatim evectæ dilapſæ ſunt.

In hunc modum Bregantium cum prævalidæ arcis acceſſione ab omni jam inteſtina regni cura ſolutum etiam, atque etiam externæ res agitabant; ſubeundum profectò celerius, & acrius cum potentiſſimo Rege bellum, quod non imperium & gloriam cum ipſo uſitatam armorum haberet cauſam, ſed ad privatam quoque erepti regni ulciſcendam injuriam, & pœnam à ſe ut à rebelli petendam decertaretur. Bellatoris itaque priſtini Regis inopia, & immodico ſumptu cum expilatum jam eſſet ærarium, ambitio, & paupertas, quæ acuere præſertim ſolent ingenia, novas res pro pecuniæ collarione comminiſcuntur. Primus ipſe Bregantius magnam auri, argentíque molem, quam per mille artificia ductam in domeſticos uſus aut fingi fecerat ipſe, aut ab atavis fictam acceperat, fundi per ignem cum Ducis inciſo in illa ſtemmate juſſit, & in pecuniam mutari ut ſimul privati deleret memoriam, ut ærarium locupletaret. Studio, & exemplo, aut aſſentandi fortaſſe gratia cives reliqui concitati argenti uſuarii certatim acervos in publicas menſas conferunt, humíque projiciunt. Quin & mulieres etiam quas maximè inventa formæ remedia, cultus ſcilicet ornatúſque artificia, & lapilli cincinníque delectant, ultro offerebant inaures, anulos, monilia omnia inſtrumenta luxuriæ, & pulchritudinis adjumenta, ut in ſignatam pecuniam converterentur. Bregantius verò omnibus gratiis ampliſſimè actis inhibuit ardorem illum, & vim ea fidei, affectúſque æmulatione certantium, adjiciens tanta ſe voluntate pro arctiori tempore uſurum, tantúmque modò in tributi rationem accepit à viris Eccleſiaſticis ſexcenta nummûm millia à nobilibus quatuor, à populo decies centena aureorum millia, quas ultrò quidem congeſtas opes evenit, ut fortuita quoque res cumularet, quippe navis ingens ab Indiis, inſcio Rectore defectionis ad portum fidenter appulſa, ibíque ſtatim excepta quingenta nummûm millia opulentas ſuper merces ad Uliſipponis oram expoſuit. Poſtquam in hunc modum Breganrius futuro gravíque bello providit, ad Politicum inde regimen verſus exauctorat confeſtim qui in armis, & toga Catholico Regi hactenus miniſtraverant, eorúmque ejectorum in locum ſubſtituit electos homines partium, eóſque præſertim, qui Regi ſibi contuendo acriorem operam dederant. Haud ità tamen his in muneribus conferendis virtutis præpotuit, aut meriti ratio, quo minus largitione, & ambitu turbarentur. Ærarii enim hujuſmodi

di erat egeſtas, & egeſtatis ſollicitudo, cùm radicibus deſtitutum egeret, ut eam per licita, atque illicita explere neceſſitas cogere videretur. Magiſtratus & alia publica officia alibi venum, non dono aut merito dari, lege ita ſancitum eſt. Hoc nefas eſt in Hiſpania, quæ à tali inſtituto per antiquam, ac veterem diſciplinam vehementer abhorret. Hujus tamen vulgaris cenſuræ, opinioniſque diſcrimen conſuetudinis ratio tantummodo poſuit, quæ prout vertitur ipſa, & loco, ac tempori aptatur, varios colores, & facies rebus omnibus ingerit. Fuere propterea, qui neceſſitatis indemnitate propoſita perſuaſum Bregantium vellent, ut abrogata veteri conſuetudine per aliam à ſe conditam legem venalium officiorum demeret contumeliam, exin opulentos, & firmos, nullóque egenorum incommodo in regno reditus habituros. Videndi aſſuetudine placere cœpiſſe populo quod prius inſolentia diſplicuiſſet. At ille famæ ſe primò fundentis, latiúſque explicantis exordia, quibus maximè nova nituntur imperia, & quæ per virtutes, aut ſpecies virtutibus ſimiles ſtabilire neceſſe eſt, tum populi offenſionem timens, neve clariùs, apertiúſque pateret, qua tunc reſpublica laborabat, nervorum, & virium infirmitas, contradixit; quaſi tamen connivente Bregantio, nundinatio, ambitúſque furtim illata ſunt, ex quo veteri palam diſciplina incorrupta, ærario cautè conſultùm eſt.

Inter hæc Margarita Sabaudia, clam inſtigante Franciſco Luzena, arctiori quotidie cuſtodia, variiſque ærumnis afflictabatur. Pergratus in primis, acceptúſque Bregantio Franciſcus Luzena erat, è ſecretis Conſilii Status, homo callidus, promptus, verſutus ingenio, multiſque artibus illi pio imperii adminiſtratione devinctus. Is Luſitania deficiente, cùm Mantuæ Carpetanorum negotii cauſa filium haberet, idémque ideo ibi detentus, & cuſtoditus cum propitia fortuna patris affligeretur, eadem valere tunc Margaritam apud Catholicum Regem exiſtimans, qua & ipſe valebat penes Bregantium gratia, filii ſurripere libertatem vexatione Principis intendebat. quocirca niſi ille in ſpeciem honeſtam, utilem certè jactabat cauſam, oportere videlicet eos celſos fœminæ ſpiritus, animíſque magnitudinem frangere, ne quid fortè ob recentem memoriam ab ea ſuaviter acti in Luſitania regiminis carior, multíſque ſepta clientibus mulier in regno, & contra regnum occultè ſtrueret. Itaque feſſa jam Margarita ludibriis, & propè ſqualore, lachrymíſque confecta, per ſecretæ pietatis miniſtrum monet Bregantium. Ipſam quidem non ejus ſubditam eſſe, non Luſitanam, non mulierem promiſcui vulgus, non jure belli captivam teneri, & tamen euſque eſſe ſibi patientiam propter moleſtias, contemptus, & miſeriarum fœditatem abſumptam, ut miniſtrorum ejus ſævitiem, ac rabiem ſeſe penitus ſatiaſſe cenſeret. Daret igitur tandem commeatum ad Caſtellam petenti; ſi enim innoxia, natalium nota ſuperior, & jure gentium immunis, libertatem deceret, ſin autem rea ipſa erat, jam ſatis pœnarum, quæ hucúſque perpeſſa eſſet, in atroci cuſtodia dediſſet. Hæc ille Bregantio pro Margarita Principe expoſuit. Bregantius contumeliarum, quas ille protulerat inſolenter eſſe Principi inflictas, primò non modo ſe planè ignarum, ſed mirabundum etiam, & ex animo condolentem aſſimulat, deinde ſe impoſterum curaturum, adjungit, ne tanto merito injuria, ne querelarum occaſio apud Principem fieret. De commeatu quem in Caſtellam Margarita deſiderabat, quoniam magni momenti res eſſet; nihil integrum ſibi fore inconſulto Senatu ſtatuere. Hunc tamen propediem de re conſulturum. Igitur ea ſtatim res

ad

ad Senatum relata, ut ſingulorum diverſa inclinationes, & ſtudia erant, Conſultores in partes traxit. Quidam gratuitò & cum honore potiùs dimittendam eſſe mulierem arbitrabantur à ratione, & modeſtia conſilia ſubducta probantes, non modò honeſtatem, ac decus, ſed etiam utilitatem ſæpe numero mutuari; nec jus omnino apparere, aut colorem aliquem juris, quod verè implicet libertatem illi Principi inſonti, genere regio, quæque ſuavi indole, ac moribus, temperatóque dominio de Luſitanis optimè meruiſſet: Alii plus in re providi, quàm honeſti, gratíque in permutationem urgebant, quam eo tempore tranſigendam per occaſionem exiſtimabant cum Principis corpore, & iis, qui improviſa Luſitaniæ defectione apud Caſtellam deprehenſi in Regis Catholici poteſtate reſtiterant. Id enim fore aſſerebant, non injuriam inferre, aut per iram illam ulciſci, ſed rependere illatam, & pari cauſa, atque actione redimere; ita etiam & vim repellere vi, & clavum trudere clavo dici, & injuriæ ſolvendæ amovendæque pignus plena, brevíque tenere manu. Alioquin obnoxios, bonóſque deſtitui cives cruentis in manibus hoſtium inter injurias, & contumelias, odia vetera ſatiantium, quæ ingenio ſuo truci, faſtúque ſuperbo cùm ferè ſemper in Luſitanos contulerint Caſtellenſes, jam crudeliùs, quis dubitet eſſe homines effuſuros regni jactura irritatos, & canibus ſimiles, quia manum impellentem non poſſunt, innoxios lapides remordentes? neque ea meliorem, aut ſimilem tam facile, aptéque poſſe opportunitatem incidere, quæ eripere citiùs ex rabie, & faucibus hoſtium miſerrimos cives valeat. Et huic quidem ſententiæ acrius Luzena ſuffragabatur, ſpe maximè fretus, quod ſi ea permutatio tandem conveniebat, nequaquam eſſet Bregantius filium ejus prætermiſſurus. Sed quibus perſpicacior, & purior erat ingenii acies, tunc in Senatu commemorabant, Odoardum Bregantii fratrem per id temporis in Germania ſub Cæſareis auſpiciis prima exercere rudimenta militiæ, & prudenter è re nata cavendum eſſe ne Cæſar rogatus, vel auro pellectus à Catholico Rege, qui agit arbitrum in Imperio illum Hiſpanis prodetet. Igitur Margaritam in Luſitania tanquam obſidem retinendam donec ſolutus, incolumíſque Odoardus fratris penatibus redderetur. Hæc ex conſultationis excurſu illapſa quaſi ſententia quò æquior ipſa reliquis videbatur, plaudebatúrque eò minus Bregantius placebat ob veteres nempe fratrum æmulationes, & odia, & quia eo morum candore & illecebra Odoardus antecellebat, ut ſupra militarem peritiam, ſpiritúſque bellaces populare quoque ingenium ejus, & comitas in nondum ſtabilito, ac turo regno fratri vehementer ſuſpecta eſſent. Hoc tamen arcano Bregantius intra receſſum mentis occulto, téque callidè omninò ad aliam, & integram conſultationem rejecta Senatum dimiſit. Accitum deinde ſecretæ pietatis Margaritæ miniſtrum, qui ei rem propoſuerat, dubio implicatóque reſponſo ad mulierem remittit. Ubi ergo Princeps factu difficile putat ram diſcordes, & multas & per diverſos affectus alias aliò trahentes ſententias componere poſſe, ac ſimul moleſtè fert quod ex die in diem res prolatata aut mora langueſcere poſſet, aut artificiis eludi, unum Luzenam ad tem omnem perficiendam per hominem fidum aggreditur; tanta quippe illi viro penes Bregantium auctoritas, & tum in agendo, tum ſimulando dexteritas erat, ut ille ſolus obnoxius, judicio Principis, cæterorum circumflexis ſententiis, evictóque Bregantio etiam extortam ſibi tradere libertatem valeret. Proinde ultro, citroque remeantibus internuntiis, cùm opportunas, & æquas pro eo negotio conditiones ptoponeret Princeps,

Princeps, eas quanquam plenas æquitatis, plenas decoris omnes Luzena repudiabat, per hæc ſagaciter circunſpiciens ut illa fidem oppigneraret, datam ſcilicet ſibi Luzenæ opera libertatem, ejuſdem apud Regem interpoſito fœminæ officio Luzenæ filio reddendam eſſe. Principem autem etſi minimè fugiebat, quò per ambages, & multiplices fucos Franciſcus Luzena ſpectaret; hærebat tamen, & fluctuabat pro interponenda cum illo fide, ne ſe denique irriſam, & falſam rerum eventus haberet. Angebatur enim ingenio, ſenſúque peracri vivida mulier cum animo volveret adverſa ſeſe fortuna in Luſitaniæ regimine afflictam, ejúſque inevitabiles vices in crimen contortas potius, aut errorem fortaſsè judicii, quàm egregiè à ſe ibi navatã operam, ut mos Regibus eſt, Philippi animum affeciſſe. Accedebant, & odia quoque inveterata Olivarii quibus ille perculſus paulatim ipſam à gratia Regis per quoſdam quaſi gradus evolverat, cúmque priſco inſito hominibus vitio alius in alium improſperi eventus traſmittere culpam miniſtri ſoleant, quo etiam pacto felicis viciſſim intercipere laudem, & gloriam quam artem in primis Olivarius callebat, eò magis & jure timebat Princeps, ne per regni Luſitani calamitatem opportunius apud Catholicum Regem jam ira, ac dolore commotum ab adverſario calumniis, & dolis oppreſſa eſſet. Recuſabat idcircò Princeps pro illius filii ſecuritate Luzenæ fidem obſtringere. Præterea ut ſatis aulæ perita moris ſciebat, eſſe non minus periculoſum Palatinos irritos petere, quàm ab invito Principe quodcumque munus accipere, & eo tempore ſibi præſertim, quo dignitate, fama, opibus imminutam ſub æmuli imperio, & arbitrio omnia in ſe eſſent, & invidè interpretanda, & acriter ulciſcenda. Tandem Franciſcus Luzena ubi diu reſtitantem hærentémque Principem videt, ne ſpes unica ſibi filium amiſſum recipiendi, quæ in ſola Principe niteretur, efflueret; rem ita compoſuit ſcilicet, ut extemplò mitteret mulier ad Catholicum Regem famulum, qui ſqualorem, moleſtias corporis animíque ægritudinem, quibus fœmina, & Princeps, & conſanguinea regia in luctuoſa cuſtodia conflictabatur, exponeret Regi. Veriſimile quippe re illa explorata erat, nec Principis cauſæ, nec ſtudio, nec propriæ exiſtimationi Regem quodammodo defuturum; eoque negotio apud aulam non intermiſſo, ſpem ex eo fore, ut aliqua occaſio porrigeretur, quam Luzena pro filio arriperet. His ita compoſitis, plures ſubinde, & alium poſt alium ad id muneris lectos nominat famulos Margarita, ſed cùm minus illos idoneos apud Bregantium gratia, & electio Principis conſtitueret, omnino Bregantius excluſit. Ultrò ipſe tandem è primariis fœminæ famulis Petrum de Motta ſelegit ad iter, quod ejuſdem uxorem, & filios in arcta cuſtodia tanquam obſides retineret. Huic tamen ad Regem ituro, & quam citò diſcedere cupienti moras egeſtas nectebat, cùm careret ipſe pecunia, & mutuam ibidem ſumere non daretur ob capitalem noxam Luſitanis publicè incuſſam, ne mutuum alicui liceret cum Caſtellenſe contrahere. Diù igitur Petrus de Motta cum formidine Luſitani, qui inire periculum fugiebat, & ſuorum concivium luctatus inopia, poſtquam nihil potuit nummorum eruere, ſpem planè omnem profectionis abjecerat, cùm per Luzenam monetur ut Bregantii munificentia quingentos pro itinere argenteos acciperet. Rejicit ille munus, ut ab hoſte ſuſpicioſum, ut cauſa Regis ingratum, locóque muneris impetrat, ut quæ uſui itineri foret, oppigneratam pecuniam ſumeret. Duabus itáque acceptis à Margarita Principe epiſtolis alia Regi, alia Olivario reddendis Caſtellam verſus

profectus

profectus eſt. Jamque Petrus Badacocium primam Caſtellæ urbem attigerat, ubi à Frixiliano Comite illius civitatis ea tempeſtate Præſide in carcerem ſtatim conjicitur. Luſitana quippe defectio cùm aulæ comperta eſſet, ſub nomine regio publica paſſim edicta manaverant, omnibus iter, & codicillos etiam intercipi, qui ab Luſitania in Caſtellam Regis injuſſu tranſierant. Itaque ex Regis præſcripto Comes in cuſtodiam tradito Petro, quas habebat epiſtolas ad Olivarium perferri celerrimè curat. Paulo poſt idem Petrus cuſtodia ſolutus, & Mantuam Carpetanam abire permiſſus ibidem per Olivarium cuſtodiæ publicæ mancipatur; ex qua tandem vel propter dilutas æmulorum calumnias, vel quia ſatis ea publicæ cura ſpecie rumori, famæque conſultum, cui nimium Olivarius ſtudebat, arbitraretur, cum præmio, & honore Petrum dimiſit.

Hîc autem narrationis poſtulat ordo aulæ Catholicæ mentem, motus, & habitum dicere cùm deſciviſſe Luſitaniam eò primùm allatum eſt. Triſte hoc, & volatile propè nuncium offendit in primis Olivarii ſuperbi aures, & ſi haud quidem inopinatè ob fluxam jam pridem incolarum cognitam fidem, ejúſque inteſtinam jactationem regni, ſollicitior tamen, ac mæſtior in animo volutabat quod ab Imperio nuper avulſæ Catalauniæ argumentum, Luſitaniæ defectionem implicuiſſet, porrò ita dum intra viſcera Hiſpaniæ, aliæ ſuper alias exempli contagio clades regnorum inciderent, circunſtare quoque periculum, ne ea foris effuſa peſtis, & maximè externum ubi dominium per ſe intutum, ac præceps erat reliqua regna remota Hiſpani juris inficeret, ſi enim Hiſpanos Hiſpani quoque tæderet Imperii, quid Belgas, quid Italos eſſe facturos alienigenæ ſervientes? Quod ad ſe unum maximè pertinebat, in ipſum videlicet ſeu æmulatione, ſeu odio aut invidia, ut calamitatum omnium, quæ Hiſpaniam influerent, artificem euſque proſciſſum, & laceratum, hac nova comperta regni defectione, acriùs profectò inſectationibus eſſe, & linguæ morſibus exarſuros; cùm neque ingeniis materia, neque materiæ copia, neque livor invidiæ, virúſque in aulico ludo, in fugacis ambitu gloriæ deeſſet. Hic anguſtiis & illud acceſſerat, quod paucis ante diebus novi per aliquid quaſi faſtidii, ac ſatietatis in verbis, in fronte, in vultu Regis expreſſum, cùm non parum à ſe alienatū animum Regis Olivarius introſpexiſſet, hoc graviori fortunæ quoque ſuperaddito vulnere, jam in ſe lubrica, & fluxa Principis gratia, & multis inſuper impellentibus ultimum caſum extimeſcebat; nec planè ſibi tum ipſi in re tam ancipiti proviſuro, aliud pro tempore agendum venit in mentem, quàm arctiùs nunc regias aures, congreſſus, & aditus per fidos homines obſidere, atque in aula intendere partes. Cuſtodito attētiſſimè Rege examari calumniam, & niſi furere ulterius fortuna deſtiterit, vel cum ea ſævientibus vires incidi. Turbas in aula clientium, validiùs quoque ſubſidium contra inimicos, & invidos eſſe. Olivarii ſenſus hujuſmodi erant: At ex parte optimatum quoſque præcipuè altioris Conſilii nota ſubvexerat, tam de Olivarii infortunio atque triſtitia læti, quàm clade publica afflicti, inter mœrorem, & gaudium in quærelas, & lamentabiles voces velut impetu profluentes palam conquerebantur. Superbia Olivarii, cujus profectò vitium æquè Deo infeſtum, atque hominibus ſit indignatam fortunam, & eam Hiſpaniæ propitiam quondam per ea quæ urgebant, quæque impendebant teterrima mala adeo terribilem minitari, ut vel Olivarium à gratia Regis, vel ab imperio excidere Regem neceſſe ſit; ſi dominationis, ſi poteſtatis, & gloriæ participem neminem ſufferat. Olivarius,

rius, conſilii vel quemquam ſuſtineat, quominus ſolo uno, eóque etiam ventoſo, ac mutilo capite innixa magna tot regna periclitentur. Illius inſanum tumorem, intolerabilem faſtum, & ſupercilium omnia ad ſe trahere, omnia ſuo arbitrio, nutúque decernere. Jam Senatus conſulta otioſa, & ridicula eſſe, magiſtratus illuſos vacua nomina retinere; quidquid ſenſerit, quidquid juſſerit Olivarius quaſi oracula eſſent, & ſuperioris conſilii lumina, publicè amplecti colíque tanquam unius judicio, & viribus valeat, & ſi majorem quàm in ſe habeat, ille haberet ingenii vim, & rationis acumen, tam vaſti circumagi moles Imperii. Profectò non habuiſſe adhuc, niſi figuram, & ſpeciem Regis in Olivario Tyrannidem dominari. Populum verò quem Catalauno pro bello inſtaurando frequentes delectus, & pecuniarum collationes exhauſerant, ubi & aliud repentè è latere bellum erumpere videt, maximus dolor, animíque perturbatio corripuit, ne jam conſumptis penè ſubſtantiis, uſque ad laceros artus, hauriendúmque omninò ſanguinem inopum novi belli apparatus intenderetur. Cæterùm fama hæc quæ totam non modò aulam; ſed univerſam etiam Hiſpaniam mœrore, ſtrepitúque compleverat, aures adhuc non tetigerat Regis, & cujus maximè caput ictus illæ fortunæ perculerat, ejus auribus parcebatur. Hæſitanti Olivario, an, & quid Regi dicturus eſſet quærenti, volutantíque, cum animo ſimul penè vox obtorpuerat. Cæteri cautè ſilebant, ne in Olivarii fortaſsè indignationem incurrerent, & quia vera, ſeu triſtia detegere Principi gravia ſecum diſcrimina involvit, ex quo nec ſine ipſorum Principum culpa adulantium in aula, fallentiúmque & aurium illecebris ſervientium multitudo coaleſcit. Tandem cùm rem diutius celari Regem non licuiſſet, veritas enim quanquam diligentiſſimè preſſa ex communi mœrore, ex ſuſpicaci ſilentio, ex artificio cultus penè jam effluebat, multa quoque ad rem expediri notitia, juſſúque Regis neceſſe erat, quæ longius fortè dilata in rerum omnium perniciem caſura eſſent; tum Olivarius in aſtus ſuos revolutus tali commento rem luctuoſam transfigurare conſtituit. Riſu ipſe verbis, & ore falſus totúſque in ſimulationem compoſitus. Pulchrum, inquit, ô Rex, " tibi affero nuncium. Everſæ mentis, " & petulans ille Bregantiæ Dux pau- " corum elatus inſania, non furtim ut " anteà, ſed palam Luſitanum contra " regnum enititur, fœcémque plebis, " ſervitia domus, operáſque pretio con- " ductas ſe Regem temerè conclamantes " admiſit. Infelix, ac ſtultus brevi, " & facilè corruet, túque Rex ſuper- " addita ærario tertia regni parte, cu- " jus immodicæ opes in regno anguſto, " in viro privato & regnum, & homi- " nem hactenus oneraverant, deletá- " que ſemper infida Bregantia gente " inde opulentior, ac tutior in Luſitania regnabis. Rex etſi ea ficta, atque falſa locutum eſſe Olivarium agnovit, réque audita vehementer indoluit, dolorem tamen intimè premens, æquabili vultu. Subveniendum quàm citò, reſpondit, ne latiùs calamitas ſerperet, altiúſque radices in regno figeret. Poſt hæc in ſeipſo collectus, ac tacitus Rex acriori ſenſu doloris jactare anxius in animo cœpit. Olivarii arrogantia, vel inſcitia, vel fortuna, haud utique gradu, ſed præcipiti curſu jam ad exitium tendere Imperium; ſimul in omnia ejus conſilia, commenta, decreta, quæ ad res perpetrandas vel prudenter applicuiſſet, velut tranſverſam fortunam incurrere, cúmque apud ipſum Regem poſt Catalauniam amiſſam ſenſim deflorere, ac ſeneſcere exinde Olivarii cœpiſſet gratia, derepentè hæc importuna, recénſque Luſitaniæ ſuſcepta clades, penè illam in pectore abſumpſit. Rex igitur ſtatuit cùm primùm occaſio

dediſſet, exturbare Olivarium ab illo potentiæ faſtigio, ſimul omnia in præſentia diligenter diſſimulare, ne per eam animi alienationem ſuſpectam in Rege, propera ejuſdem præviſa ruina miniſtrum, cui omnia quidem arcana, & Imperii ſumma patebant, ex tempore offenſum exacerbaret. Nunc verò ut tempus monebat, Rex Belli, Statúſque Senatum ea de re conſulturum accerſit. Rarus Conſiliarius acceſſit, deſertáque ferè ſubſellia quaſi in Curia ſolitudinem fecerant, ídque tunc maximè proceres, ut invidiam, & odium Olivario gravius intenderent, affectabant, quò nempe fractis jam rebus deprehenderet Rex, nihil ineſſe communís conſilii, nihil publicæ rationis, cum tanta potentia, & imperio ſeſe jactante Olivario; malè præterea in republica geſta, ac deteriùs conſulta pro dedecore, aut pœna relabi in rerum auctorem debere. Paucos illos Conſiliarios, qui in Senatum convenerant tres deduxere ſententiæ. Utrum præſtaret infecta re Catalauna, totis viribus ſtatim in Luſitaniam concurrere, an diviſis utrinque copiis premere ſimul utrumque regnum, an potius Luſitaniæ recipiendæ conſilium uſque ad debellatam jam Catalauniam extrahere. Comes Ognattus gravi, ſolidóque judicio vir rerúmque clarus experientia cenſuit; Omiſſa protinus Catalaunia, collectíſque cum terreſtribus, tum navalibus copiis ſine ulla interpoſita mora Luſitaniam urgendam eſſe, ut ipſam receptu utilem magis Imperio, lapſu temporis magis difficilem, conditione rerum ſitúque loci periculoſam his argumentis innixus.

„ Luſitaniæ dominio eſſe jus Indiarū
„ annexum, ex eo piraticis Hollando-
„ rum, Anglorum, Gallorúmque na-
„ vibus etiam Luſitanis admiſtis, Ocea-
„ nóque paſſim infeſto, & Caſtellen-
„ ſium prope navibus intercluſo præter
„ Orientalium opulentiam, ac merces
„ cum Luſitano regno ſimul amiſſas,
patere quoque facilius piratarum In- "
ſidiis, & prædæ Occidentis Indicas, "
opes, firmiores nimirum Imperii ner- "
vos, & aureas própemodū venas ejuſ- "
dem corporis nutrimēta. Ad hæc quò "
propiùs impendeat cervicibus hoſtis, "
quò propiùs ſe inſinuet, ac verſet ma- "
gni periculi facies, eò inde vehemen- "
tius, ac citiùs pellendum eſſe, ut etiam "
eſt medicorū uti, ſecaríque celerius, "
nec tempori credere, quæ ulcera cor, "
ſive caput proximè attingant. At verò "
Caſtellæ nūc imminere, ac valde pre- "
mere Luſitanos, quæ eſt caput, & ſedes "
Imperii, & ferro, flammáque minita- "
bundos pene ipſam circumſpicere Re- "
giam ſimul recenti perfidia furentibus "
addere ſtimulos adumbratæ juſtitiæ, "
æquitatíſq; cauſam qua juta, ut libet, "
ſibi contorquent, & ſecundam populi "
acclamationem adjiciunt. Hîc igitur "
priùs laborandum, hîc ante omnia in- "
cumbendum ubi gravius periculū eſt, "
ubi una mens omnia volvit, ubi caput "
perfidia præfert, altioréſque radices "
per jura, per leges, per populi Ducem, "
& locum immittit. Luſitaniæ præterea "
concivem, Catalauniæ alienigenam "
imperare, poſtquā verò decurſu tem- "
poris Catalaunis, haud priſtinas, quas "
immeritò querebantur illi miſerias, ſed "
tantum Dominū immutaſſe, & pejo- "
rem fortè ſumpſiſſe compertū fuerit, "
mentíque ſuæ reſtitutos pœnitentia "
pudórque ſubierit per tot labores cla- "
déſque, nihil aliud quàm externū ſibi "
ſervitium, ac dedecoris nomen quæ- "
ſitum eſſe, abrupturos fortaſſe defor- "
me obſequium quod Luſitanis quoti- "
die tenacius, & pulchrius in ſpeciem, "
libertatis propoſita imago, & patrius "
inſitus amor infigeret. Huc etiam ac- "
cedere ingenii, indoliſque utramqne "
nationem afficerēt, meliorem ſcilicet "
rationem conſilia diſpiciendi, men- "
ſuram, & modū. Luſitanos eſſe vide- "
licet bellicoſos, duros, animo pertina- "
ces, hancque proterviam, & quaſi in- "
genitam contumaciam quidni diſten- "

tura ex Caſtellæ patientia, aut ſegnitie illa profecta impunitas eſſet, aut illa temporis intervalla ad bellum parandum conceſſa? Contra Catalaunos per hauſtos à Gallia ſibi finitima ſpiritus, turbulentos ingenio, ſeditioſos, animo inquietos, ac varios vel ſuis diſcordiis tumultibúſque relictos, quàm celerrimè perituros, aut rediruros ad ejuratū obſequium eſſe. Si ſeges, ſi domus, ſi ſupellex incendio ardeat, quis non ad ignem ſibi proximum reſtinguendū, aut meliora ab incendio ſalvatum primus accurreret? His itaque belli facibus inteſtinis paſſim jam in Hiſpaniā, aut fortunæ, aut hominum malignitate conjectis, cur qui modò propiùs Caſtellā Luſitaniā depaſcitur ignem, eámque Philippus Secundus Rex prudentiſſimus prætioſiorem dixerit Margaritam quæ gloriæ fulgore, atque opulentiæ pretio in Hiſpano diademate luceat, priùs extinguere non juvaret? Poſtremò ſi civis civi, ſi regno regnum, ſi periculum periculo comparetur, eſſe utique Luſitanū Catalauno ferociorem, regnum ejus uberius, propinquius, imò Caſtellæ conterminum, cauſam ſpecioſiorem, & validā tanquam jure prætentam, periculorum autem, quæ regnum illud oppugnaturis incurrerēt, molem mora, aut ſegnitie magis intendi, & ſuperatu quotidie aſperrima fieri; nam penes quem regni diadema ſtat, obfirmandæ quoque populariū perfidiæ hærete vim, & arbitrium. Recto more militiæ ardua primùm tentari, debiliora ſua ſponte cedere, magnis ſimilia ruinis, in quibus maior minorē trahit, prætetquam quod nec inter homines ſoleāt eadem alacritate, atque ardore cum initiis extrema conjungi, cùm ultimus in mortalibus motus fractior, ac tardior laſſatis jam viribus prodeat.

Hæc curſim Ognattus, ſed contrà majori facundia, quàm ſapientia Olivarius in hunc modum diſſeruit.

Non impetu, ſed ratione ſeriùs omninò tractanda conſilia ſunt, & quædā nunc fortè quaſi ſpina, & aculeus acceptæ recēter à Luſitanis injuriæ præcipites potiùs quàm ſanas, & utiles nobis ſententias dederint; æſtuantem idcircò priùs componere animū, & irarū incitamenta retūdere oportet, quàm, ut prudentes homines decet, de tanti momenti re conſulatur. Equidem ita cenſeo ſeu imperfecta, ſeu irrita re Catalauna, inde omninò, aut ex parte deflectere arma, neque ſalubre, neque decorū Impetio fore, neque etiam juſtitiæ congruum, ſive agendarū ordini rerum, ubi enim Catalaunia malo defectionis exemplo prior Luſitaniam labefactavit, ſuo ipſam primùm oportet ſanguine ſcelus eluere, ut ſi aliqua fortè ſint regna, quæ contagione defectionis aſperſa vacillent in fide, illa ipſa ſupplicii terror, horrórque in officio retineat; & Luſitania præſertim, quæ errātem Catalauniam ſecuta eſt, in eadem Provincia ſeveriori caſtigationis exemplo quale ſuppliciū exhorreat. Super hæc quot exercitus, quot clariſſimos Duces, quot mari disjectas claſſes, quas opes effuſas bellum hoc hauſit? Revoca modo militem, nonne fruſtra jactura militum ibi, ærarii diſpendia, cruoris, Imperii per tributa, delectúſque vaſtatio fuerit, cùm paulò plus his annitentibus copiis belli ſpes finiendi haud inanis affulgeat? Quid porrò etiā ſi hoc fortè remiſſo, aut intermiſſo temerè bello, ut bello caderet Luſitania, interim Catalanus diuturno refectus otio, ac viribus cōfirmatus cū prælii fortuna defeſſos, & enervatos nos ejecerit Luſitanus, ſic attritos, fractóſq; & malè bellū redintegrātes excipiet? utilitatíſne, an plus apud omnes opinionis nos lucraturi hoc armorum circuitu erimus? Placet etiam noſtra cū hoſtiū conferre cōſiliis, & cauſis, ut ea re diligentius excuſſa inde ratio cōſilii valeat, ex quo divinare quaſi pruden-

„ tia cũ naturali acumine dicitur. Mihi „ profectò liquet haud ſine ſtrenuo, ac „ præcipuo Galliæ Regis impulſu eſſe „ Bregantium ad Luſitaniæ regnum ere„ ctum, idque molitos ſagaciter Gallos „ eſſe, quò noſtris verſis hebetatiſque in „ Luſitaniam armis, minori ſibi nego„ tio Catalauniæ dominium aſſererent. „ Transfer hinc ergo nunc in Luſita„ niam bellum, planè cùm ejuſdem „ ſuſcepti conſilii uſus, & cauſa recur„ reret Gallo, ibi etiam idcircò adetit. „ Luſitano, ſcilicet ut Hiſpaniæ ibi vi„ ribus occupatis, & Galliæ auxiliis ma„ gis implicitis, adſtrictiſque pacatiùs, „ ac tutiùs ſibi Catalaunia quieſcat. „ Erit igitur nobis expugnatu difficilis „ Luſitania, ſed difficilior etiam, ante„ quam Gallis erepta Catalauniæ poſ„ ſeſſio fuetit, cujus ſervandæ ſtudio „ Hiſpaniam hucuſque miſcẽtes, ea tur„ bida nũc & difficillima explicatu con„ ſilia volvũt. Ex adverſo ab Catalaunia „ Gallis tandem expulſis, quo tempore „ illi turbandæ Hiſpaniæ materies, bel„ lique fomenta, & præmia convulſa „ turbarum radicitus fuerint, quemad„ modum prius Catalaunia Luſitaniam „ cadendo ſuſtulit, ita illam mox reſti„ tutam, iterùm Luſitaniam ſecum eſſe „ tracturam credendum eſt. Hîc ergo „ incumbendum nobis, hîc in primis „ allaborandum. Hanc belli furiam, pe„ ſtémque quam Gallo ſuffulta Catalau„ nia in Hiſpaniam evomuit, niſi flam„ ma, ferróque citò reſtinxeris, ne dum „ in Luſitaniam, ſed in reliquas quoque „ Hiſpaniæ Provincias per ejuſdem Gal„ li vim, & inſidias redundare calami„ tas poteſt. Atqui pro recta diſciplina „ militiæ, inquies, ubi vires ſufficiunt „ aſperiora primum vincenda ſunt, quæ „ ſecum ruendo minora trahunt. Hoc „ planè concedo. Sed quî cõſtat, minori „ momento, aut periculo premere nos „ aut preſſurum deinde fuiſſe, quod „ modò ardet in Catalaunia bellum, „ quàm quod brevi quoque exarſurum in Luſitania proſpicimus? Luſitaniæ " profectò conditione ſitus ſubſidiis " terreſtribus interruptæ, ſolóque ho" ſtium undique circunciſæ una via " quæ maritima eſt, eáque incerta, pe" riculoſa, & longo maris quærenda " circuitu, ſuccurri poreſt. Catalaunia " ex adverſo terra maríque Galliæ fini" tima eſt; utrinque porrò deductis, " commiſsiſque ſubſidiis, & copiis cum " Catalaunis, & Gallis, duobus cum re" gnis, & uno eorum ampliſſimo ſimul " integrum bellum geritur. Igitur duo " propè bella, duo exercitus, duæ inte" græ nationes æqualiter nos Catalauno " è latere affligunt, & niſi per Catalau" niam quamprimum receptam ſcinda" tur hæc formidabilis unio, hæc diver" ſorum hoſtium prævalida conſpira" tio, amiſſa non modò nobis regna " repetere non licuerit, ſed ne diutius " quidem in poteſtate, quæ jam tene" mus, habere. Et ex hac quoque parte " gravius quod in Catalaunia geritur " bellum, nec Luſitano comparatione " molis, atque periculi poſtponendum " exiſtimo, in quod potiſſimùm prima " ſententia urgebar. Sed retracto ſenten" tiam meam, & juri per argumenta ac" quiſito ſpõre mea detraho; nolo aliud " alio gravius, at æqualis utrũque pon" deris bellum eſſe. Sic ergo de pari " prope periculo, de utriuſque magni" tudine belli nunc mihi libet ratioci" nari. Variis nos undique anguſtiis, " & periculis circunfuſi malorum velut " orbe jactamur. Hinc Luſitaniæ Rex " novus premit, hinc Gallus hoſtis an" tiquus urget, atque in Hiſpaniæ pro" pè viſcera immiſſus. Haud ſecus Ca" ſtellæ cum Luſitania vicinitas, quam " Catalauniæ cum Gallia terrori nobis, " ac detrimento eſt, cum Hiſpanorum " quiſque rebelliũ tantùm afferre con" tra legirimum Regem poſſit, & au" deat, quantùm habuerit collatarum " à Gallo virium. Hunc verò neque in" genium, neque animus, neque facultas "

defuit

„ defuit unquam, aut defutura eſt, quin
„ ex bellis bella ſerendo, per procul aut
„ juxta ſitos, ſuis aut aliorum Principum
„ armis, intus & foris Hiſpaniam inceſ-
„ ſanter fatiget, ac vexet. Tum ne illo-
„ rũ quidem armis, aut noſtris omninò
„ tandem Catalaunia ſubacta, ullo pa-
„ cto quietura, ardens animis atque
„ conſilio, quidvis tentare audax, mo-
„ ræ impatiens & manu prompta Gal-
„ lorum indoles eſt. Galli dum vicini,
„ ac finitimi ſunt Domini, aut hoſtes
„ ſemper futuri ſunt. In hac rerum am-
„ biguitate tanquam in medio fortuna
„ ſtat, quæ etſi lubrica, & inſolens
„ more ſuo, inter acies, & arma tamen
„ multò quàm alibi eſſe quidem illa vi-
„ detur ſeipsâ fallacior, ac tortuoſior.
„ Ex utraque itaque parte Catalauniæ
„ nimirum, & Luſitaniæ armorum exitu
„ incerto, æquatóque ferè periculo,
„ ac magnitudine belli, ſive hoc for-
„ tunæ inſolentiam reſpiciat, ſive Gal-
„ lum æqualem ubique hoſtem, & om-
„ nia moventem confoventémque
„ quærere quoque juvat, an aliqua ex
„ honeſtate, ac decore profecta ratio,
„ ſi cæteris paribus, alteri partium ad-
„ jecta ſit ejus acceſſione præponderet.
„ Ad gloriam, & famam ut poſita in
„ alto, & cenſuræ, oculíſque expoſita
„ omnium conſilia, geſtáque Regum
„ ſpectare maximè debent, ſi ergo
„ dum hucuſque impunitus, & corpore
„ noſtro cruentus Catalaunus exultat,
„ dum in nefaria perfidia quotidie ob-
„ dureſcit, & minas inſuper jacit, dum
„ aliorũ per aſtus ſollicitata fide regno-
„ rum tot procellas, & tubas molitur
„ Imperio, & perfidiam perfidia docet,
„ in ejus pœnas, & fræuos illatum ceſ-
„ ſat repentè bellum, eas præter clades,
„ quas allaturum Hiſpaniæ hunc erro-
„ rem judicii tetigi, quid non ignomi-
„ niæ, ac publicæ contumeliæ in nos
„ congeſtura profectò erunt explorata
„ in rebelles virium noſtrarum infirmi-
„ tas, & incæpti fruſtrati dedecus, &
hæc armorum inutilis volutatio, cum "
ne in minoris quidem momenti re- "
bus Regi fas ſit attrectare quod ab- "
ſolvere non valeret? His etiam adde, "
quod hæc per domeſticas, iteratáſ- "
que ruinas fluctuatio hujus imperii "
totius in ſe Europæ, atque Aſiæ fer- "
mè oculos convertiſſet, Hiſpana "
conſilia ſuo pondere gravia, atque "
ſolida credita tanquam in ſcena ſpe- "
ctantium, ſi ad perduellium igitur "
nutum & primam terroris imaginem "
ultro citróque arma irriti circunferi- "
mus, nonne aliorum ſupra malorum "
incurſum, & æſtum, quæ ſub hoc fa- "
tuo propoſito latent, vel conſtantiæ, "
& gravitatis antiquam adeptam opi- "
nionem corruptum ibimus? Defecit "
Catalaunia, vaſtetur, uratur, do- "
metur protinus bello: mox Luſitania "
deſcivit, inutilis, vacuus ex Catalau- "
nia cum ignominia retractus exerci- "
tus Luſitaniam confeſtim eat oppu- "
gnatum. Quid ſi Aragonia quoque "
deficeret? omiſſane Luſitania in Ara- "
goniam arma converteremus, & "
puerorum, inſipientúmque more, "
quos nova, & præſentia magis exti- "
mulant, hac verſaliti quadam militia "
plura viciſſim ordiri, nihil tandem "
perficere irriſui, ac ludibrio orbi ter- "
rarum erimus? Erectum, ſtabilem, "
inconcuſſum arma tractanda requi- "
runt animum; & quemadmodum glo- "
riæ, & honori apud milites ducitur "
in eodem pugnando veſtigio vince- "
re, aut cadere, ita præclatum, ac "
ſtrenuum exercitum decet ſuo, vel "
hoſtis excidio ſuſcepto facinori finem "
imponere. At enim honeſta perſæpe "
debent utilibus cedere. Id equidem "
in republica non negaverim. Sed quid "
eſt porrò, quod hîc loci probet hone- "
ſtas, & utilitas improbet? Catalauniæ "
poſſeſſione dejecti nos clauſum ha- "
bemus Hiſpaniæ primum emporium, "
implicatum Italiæ iter, clauſtra ipſa "
Pyreneorum, quæ regno iſti ſuper- "

„ bum tanquam munimem, & arcem „ natura conſtituit, effracta, Galliſque „ patentia, qui alluvione quadam illis „ ex rupibus influentes, omnia ruendo „ excindunt, diripiunt, vaſtant, & „ non niſi totius Hiſpaniæ peſte, & exi- „ tio in præda, & vaſtitatibus finem „ ſi vires animo ſuppetant, habituri; „ Abduc igitur ab illa Provincia copias, „ quæ Gallo incurſanti frontem oſten- „ dit; patere nunc eſſe hoſtibus pervia „ ſaxa, rupéſque Pyreneorum; detege „ frontem cominus hoſti, ut petitum „ à longè latus obſerves. Profectò cùm „ talis hoſtis cupiditati neque ingenium „ ejus inſatiabile, neque fortuna, quæ „ adhuc illi propitia eſt, neque arma „ noſtra, ſi aliò deflectunt, neque fra- „ goſa, & aſpera montium, quæ pro- „ na jam ſunt, terminos circunſcripſe- „ rint, poſt facilè victam ſine obice „ Catalauniam per mediam occupatam „ Hiſpaniam turbinis inſtar volitans „ ſubſidia in Luſitaniam intulerit. Sic „ Hiſpaniæ nunc aditus per Catalauniæ „ tranſitum patet hoſtibus, ſi tuto velis „ res domeſticas cuſtodire, oſtium in „ primis vallandum eſt. Itaque planè „ ſentio nullo pacto flectendum, aut „ relaxandum jam eſſe cæptum in Ca- „ talaunia bellum, ſed paucis inde co- „ hortibus, aliíſque curſim ex tota „ Hiſpania collectis ad Caſtellæ finium „ defenſionem, non Luſitani hoſtis ir- „ ritamentum, extremo interea cona- „ tu Catalauni belli exitum experiri.

Hæc in Senatu Olivarius, cujus tandem ſententia vivit, quia veriſimilis erat, & quia ipſam auctoris potentia corroborabat, cùm enim ille adhuc regiminis potiretur, manifeſta hominum odia, & Regis etiam occulta haud ſuper opes quas agitabat obverſa erant. Igitur juſſu Regis per Bæticam copiis pro Caſtellæ munimine comparatis, iis Catholicus Rex cohortante Olivario præfecit Sidoniæ Medinæ Ducem, novíque hæc in novi belli apparatum prima Olivarii proviſio fuit, quo quidem errore non modico lapſus jam exinde ille viſus prudentibus eſt ſummam, ac ſeriem de cætero rerum bellíque omen improſperum contraxiſſe. Erat enim Sidonius Bregantio per ejuſdem ſororem Bregantio nuptam affinitate, arctioríque amicitiæ jure devinctus, itidem Olivario ex utrique communi Guſmana gente propinquus. Itaque dum vel in illum armorum oſtentata fiducia plus obſtringere conſanguineū in fide Regis, vel ita à noxiis, quæ vereretur abſtrahere conſiliis, vel communi potiùs familiæ quæ in fratre ejuſque ſorore Bregantia palam proſcinderetur, Olivarius conſulere ſtudet, perinde ac minus ambitio, quàm cæteri affectus magnatum animos carperent, ita per arma Sidonium periculo immiſcuit, ut, quæ contra affinem tractanda ſuſceperat arma pro ſe, & pro ſuo neceſſario tandem, & in Catholicum vertere Regem cogitaviſſet. His rebus ita compoſitis. Rex per omnes nobiles Luſitanos, nam multi per id temporis promiſcuæ, claræque ſortis verſabantur in aula circunferri libellos juſſit, in quibus de modo, & forma Luſitani recipiendi regni unuſquiſque ſententiam, ac rationem promeret, ſcriptóque obſignatam redderet Olivario, idque non vera quidem fiducia, ſive conſilii inopia plerique at ſubdole factum cum Luſitanis intelligebant, quo diffidentiam, ac metum, quæ ex patriæ improviſa defectione conceperant, eas per illecebras exuentes, minus ſibi cauti deinceps, Regíque perutiles eſſe poſſent. Luſitanorum autem reſponſa huic propè tenori ſingula conſenſere; facto & maturato, nequaquam per otiū conſulto in illo negotio opus eſſe. Recentem, mollem, atque flexibilem adhuc eſſe defectionem; in nova fide, in ſpe dubia, in ſtudiis incertis perplexos ac trepidos eſſe animos; ob repentè privati in Regem ſublati hominis, qui ſibi

æqualis

æqualis paulò ante fuiſſet, invidiam, abhorrere, ac reluctari tacitè proceres, vigere hucuſque ſecretóque bullire intus frequentes Caſtellæ partes, quas tempus frigefeciſſet; nondum cum exteris inita fœdera; non Ducem, non aſſuetum militiæ civem, nullam eſſe domi, militiæque agendi ſolidam diſciplinam, itaque tantum perfidiæ, ac roboris certè quotidie perduellibus mora, bellique dilatio adjeciſſet, quantum ſpei, atque virium ad debellandum adimeret Caſtellenſibus. Inter has vulgatas Luſitanorum ſententias ea ſingularis profectò fuit quam protuliſſe ferunt Lignarium Comitem itidem Luſitanum. Cenſuit enim Philippum Regem abſque regio ſtrepitu, & pompa, abſque belli apparatu, familiari, ſuetóque nempe ſplendore, aulicorum officio, & cuſtodia corporis comitatum è veſtigio Uliſipponem contendere; facillimè quippe poſſet vetus inſita reverentia, & majeſtatis auguſtæ radius nunc coram Luſitanis offuſus hanc fictitiam, & novam Bregantiæ Ducis auctoritatem reſpectus imparitate ſubvertere. Tyranno præterea Luſitanos magnates infeſtos legitimo Regi ſtudio, & opibus affuturos, qui plus in certamine rebus etiam inanibus poſſet, populum ſectaturum. Verum cùm hæc Luſitanis interrogatio artificio, non fide, aut ex animo facta eſſet, ex eo ſpreta, ac neglecta illorum ſententia eſt. Cæterum his ad patriam Luſitanis juſſu Regis redire prohibitis, ne domeſticis proventibus deſtituti in terra alienigena laborarent, præcepit Rex, ut pro ſingulorum conditione ærarium alimenta ſufficeret. Quod Olivarii conſilium pleríque corripientes nec per invidiam, quæ omnia in deterius flectebat, intelligentes eſſe illos in poteſtate Regis velut regni jacturæ pignora, ſi iidem, aiebant fidi, ac benevoli forent Catholico Regi clientes, utilius eos Regem eſſe habiturum in Luſitania, ſin autem infidi, atque animo adverſi, eoſdem nunc immeritò exhauſtum, & maximè his temporibus inops alimentis ærarium exedere. Verumtamen ſupra regiam omnem munificentiam, & copiam quemadmodum plus æmulari, invidere, quàm meminiſſe officii mortalibus accidit, vetus adhuc inſita Luſitanis in Caſtellenſes hærebat corrupta animorum affectio, ac deteſtatio morum eodémque tempore, & Regem amabant, & oderant Regios. Luſitaniæ poſtremò defectio reliquas regiones quæ antiquæ ſuæ ditionis, & juris erant attraxit. Ideo Orientis Indica ora, & Tertiæ, quas ita vocant, Inſulæ, & Tingitana inſuper regio alia poſt aliam collapſæ fato capitis conceſſere.

parte diluere conatur. Subdolus ejus ſermo ad Regem, qui Sidonii cauſam, illius judicio relinquit. Se ad Aulam confert Sidonius, Conjurationis ordinem fatetur, & delicti quo tenebatur cauſam ab Ajamontis Marchione ducit. In bonis multatus, & reliquum vita Valliſoleti ducere jubetur. Ajamontius in urbe Segovia, eliſis in carcere faucibus perduellionis ſupplicium dedit. Margarita Princeps Uliſippone diſcedit. Eam Olivarius à congreſſu, aſpectúque Regis arcet. Monregio, è belli præfectura dejecto ſucceſſit Ioannes Garaius, qui per artes militum animum, & Civium fidem explorat. Dum Valverdem impetu capere intendit Franciſcus Rabellus, Vrbem jam ingreſſus Luſitanus, ac penè victor, in fugam vertitur. Romanam Legationem apud Vrbanum Octavum agendam, Lameci præſul mandato Bregantii ſuſcipit. Ioannes Cumazerus, qui Hiſpani Oratoris munus obibat Romæ, cautè & ſedulò Luſitani conatibus it obviam. Vrbanus rem Cardinalium ſuffragiis excutiendam reſpondet. Cardinalis Sachettus Luſitanum Legatum regiis inſignibus eſſe admittendum exiſtimat. Hoc diſſuadet Cardinalis Pamphilius, cujus ſententia probatur. Ne dum à Pontificis aditu procul, ſed urbis etiam Romanæ Luſitanus habetur. Dolum componit Cardinalis Antonius Barbarinus, quo captus Pontifex jubet ad Curiam accedere Legatum Luſitanum, quem Gallus Orator cum magno apparatu in domum ſuam hoſpitem excipit.

BELLI LUSITANI

LIBER SECUNDUS.

1641. SEQUITUR annus legationibus ad exteros Principes, varióque illorum eventu, & internis, externíſque diſcordiis inſignis. Januarii menſe ineunte publica indicta regni Comitia in aula maxima Regiæ Uliſippone peracta ſunt. In ſolio regio, regiíſque inſignibus fulgens Bregantius cum uxore conſedit. Elvenſis Antiſtes in ſuggeſtum aſcendit, magníſque lateribus elocutus, & rapidè quoque verba calamiſtris inuſta volvens, & qui obtulerant regnum, & qui regnum aſſumpſerat collaudatis pro rei patrocinio ad libidinem jura contorſit, retractúmque Caſtellæ regimen, ſive uſurpatæ dominationis injuria, ſive quod avarè, ac ſuperbè imperitatum fuerit, Tyrannidis ſpecie propoſuit. Satis ſuperque violentiæ & furoris ſe ipſos, aiebat, ſaxea quadam firmitudine paſſos. In tempore ſemper depelli vim cùm tempus illam depellere finit. Incumberent ergo quàm ſtudioſiſſimè poſſent, ut, qui per fortunarum ſuarum, incoris ſpiritúſque contemptum jam libertatis vindices fuerant, iidem belli mox furia cum turbulenta malorum omnium, quæ bellum de more conſequitur, turba, ſoluta, miſerius nihil ipſi ducentes, nihil indignius, ac fœdius, quàm turpè, externúmque ſervitium, jugúmque Tyranni libertatis adeptæ cuſtodes forent. Gratis animis, auribúſque ut mirè nova delectant imperia, & quæ eloquentiæ præſertim acumen, & fucus cum aurium illecebra adornat oratio præſulis accepta eſt, tantóque ſubinde approbantiū clamore plauſúque ventilari, concitaríque ipſa concio perſpecta eſt, ut parvi liberos, bona, ſanguinem quoque pendere viderentur, quo ſemel ipſis aſſerta libertas ſtaret. Tum verò Bregantius, quò rerum, famæque blandiretur initiis, deleri confeſtim illa tributa juſſit, quæ poſt Philippi Secundi Regis imperium, tanquam externorum licentia, aut vitio Tyrannidis introducta nimis multa oneraverant regnum, illis duntaxat relictis quæ exigere antiquiùs Luſitani Reges ſolebant. Quod factum in primis maximè profuit ad auræ popularis aucupium, at irrita, & brevis lætitia fuit; mox quippè grave tributum per capita ſolvere cogitur; ultimùm

ultimúmque id plebi illudendo fore diſſeminabant; urgente denique inopia ſupra exactas collationes & præterita vectigalia privatarum etiam domorum clades in communi ploratæ ſunt. In iiſdem regni Comitiis legationes ad Reges decretæ ſunt, per quas novus Princeps ſuſcepti dominii ſanciret jus, & auxilia, ac fœdera poſceret, quibus lege receptum, populíque acclamatione firmatum adverſus Catholici Regis, qui jam circunſtrepere nunciabantur, aſſultus defenderet regnum. Selecti Oratores ad ſummum Pontificem Urbanum Octavum ad Reges Galliæ, Angliæ, Sueviæ, atque etiam Hollandiæ Principem, ſinguliſque ex veteri Luſitano tradito more juriſperitus adjunctus eſt, quo alter doctrina, auctoritate alter legationis negotia pari conſenſu tractarent. Imperator Romanus ſilento præteritus, ſatis comperto Auſtriacis iſtis Principibus pro ſtatu communíſque familiæ incremento concordiæ, atque amicitiæ nexum, neque privata, neque publica commoda unquam reſcindere potuiſſe. Romæ Lamec i Antiſtes deſignatur ultra infularum decus Portugalliæ quoque gentis nobilitate conſpicuus. Sub idem ferè tempus Odoardus Portugallius Ducis Bregantiæ frater, Catholici Regis interpoſita opera, & Cæſaris juſſu apud Germanos cuſtodia detentus eſt. Hic mitior ingenio, moribus placidus, & à tumultuum cura, & diſcrimine averſus, obſcurum quoddam, cùm in Luſitania moraretur, oraculum rumore jactatum acceperat. Inhærere ſcilicet regno indigenam Regem, ſed aliena perſona velatum, illique eſſe larvam primo quoque tempore detrahendam. Quibus obtuſa, debiliſque mens erat, per hanc vulgarem effuſam vocem in veterem fabulam incidebant, Sebaſtiani ſcilicet Regis hactenus vivi, & in regno deliteſcentis. At quibus altior intellectus, Bregantium genere, copiis, ſubſidio juris, ſtudiis in ipſum Luſitanorum accenſis ut regali faſtigio proximum, illúdque per tempus ſi invadere licuiſſet, facilè auſurum, circunſpectabant. Quocirca Odoardus, quem nec fallebat intimæ domus arcanum, jam fratris naturam, cujus animi anguſtia vix poſſe capere videbatur tantam fortunæ molem, jam æmuli Regis potentiam, modo fortunæ in nova quæſita imperia ludibria ubi dies, noctéſque agitando æſtuans, & hæſitans animo volvit, ſimul periculum, quod in altera tantum fortuna fratri propter diadema petendum obverſaretur, anceps verò, aut inutile ſibi pro utraque fortuna fore, hujuſmodi curis mente, & corpore fatigatus, ac preſſus cedere denique Luſitaniã, & ab Cæſaris ſignis imminentis calamitatis effugium requirere ſtatuit, ut exploratius hoc novo argumento ſit, eiſdem in fata nos ultrò veſtigiis incurrere, quibus fata fugere quærimus. Suſpicionem autem, & notam quam ſubire viri proceres ſolent, cum proprii Regis omiſſis, ad aliena ſigna, atque ſtipendia tranſeunt, hac ratione diluere Odoardus curabat, vereri ſe nempe dictitans, ſi apud Catholici Regis exercitus rudimenta militiæ, poneret, invidioſum, ſempérque tetrum Olivarii judicium, ac domui Bregantiæ maximè infeſtum, ſub cujus militaturus arbitrio, ne dum famam, ac decus, ſed etiam ſalutem fore ut ipſe in diſcrimen conjiceret; Auſtriacam verò familiam, cui per militiam ſe devoveret, utilitatum, conſiliorum, benevolentiæ cõnexione utrumque Principem colligare. In Germania igitur Odoardus militari ſacramento Cæſari obnoxius ſine ullo ſtipendio Tribunitios ducebat ordines, cum Luſitania deſcivit. Rex Catholicus tanti de regni, ut par erat, amiſſione ſollicitus anxiúſque à Cæſare ſtatim per litteras petiit, ut caperet ibi, tenerétque Odoardum, vel credibile ut erat fraterni criminis

conſcium,

conſcium, vel ut magni futurum momenti obſidem ad Luſitaniam quandóque recipiendam, vel ſaltem ut Bregantio. per fratrem ad ſceleris pœnam inflicta in publica luce contumelia pateret. Neque planè huic fortè obſtare conſilio juris gentium præſcriptionem, aut conſuetam indemnitatem militiæ, cùm ita modo conjuncta, & reciproca utriuſque familiæ commoda eſſent, & pignora fidei, affectúſque ut per rerum mutationes, & vices, imperii volvente orbe, aliquo tempore poſſet altera alteri hæreditario jure ſuccedere. Haud aliter etiam in cauſa, & jure facturum Catholicum Regem fuiſſe, ſi quis & Cæſaris perduellis ſecuritatem ex ara Hiſpanæ militiæ poſceret. Idipſum à ſupremo quoque Status Senatu ritè conſultum, diſcuſſum, ſummóque ſancitum conſenſu eſſe, cujus ſententiæ profectò vis, & auctoritas ordinis obruere prorſus deberet inanes æmulorum detractiones, levéſque populi voces, minus mordentis quàm allatrantis. Hoc idem Philippus Rex mandat Franciſco Melo inferioris Germaniæ ea tempeſtate gubernatori, ut miniſtrorum ejuſdem Regis, Cæſariſque interventu celeriùs negotium conficeretur. Odoärdus rei per id temporis neſcius, omníque prorſus domeſtica cura defunctus, & vacuus apud Cemburgium hybernaturus cum ea, quæ ejuſdem erat addicta muneri legione, ſedebat cùm è quodam Capucinorum cœnobio ad hoſpitia militaria tendenti, fit ei obviam quidam miles familiaris leníque ſuſurro in aures ejus afflavit. Defeciſſe jam Luſitaniam, imperiúmque quod Philippi Regis abjecerat ad Bregantium tranſtuliſſe, ſerpere etiam occultos Ratiſponæ ſermones de ejuſdem Odoardi cuſtodia Cæſaris juſſu, & Catholici Regis impulſu deſtinata. Vehementer, hoc audito, commotus, ac territus eſt Luſitanus, ingruentes tamen repentè curarum cùm reprimere vellet æſtus, vix dum compoſito vultu reſpondit commilitoni: Inanium plerumque fictricem nemorum, aut falſam, aut credulam nimis ſe regionem illam expertum eſſe, nec diffidere idcircò, has quoque jactas temerè voces eſſe protinùs diſſipandas. Mox ejuſdem ſententiæ ab urbe Auguſta litteræ allatæ hucuſque hæſitantem, & ſpe metúque pendentem confirmaverunt. Odoardus igitur in ſe ipſo collectus, ac tacitus, & hinc inde refluentibus curis quid ageret, quovè pergeret conſilii, & animi incertus volutabatur. Argentoratum verſus effugiat? eò explicitus verſus, cara libertas, receptus propinquus immunis à jure Cæſaris hortabantur; at virum æquè ingenuum, ac nobilem abſterrebant præcipitis fugæ dedecus, ſuſpectíque per ipſam fugam veſtigia ubique relicta ſceleris, ſimul per longum errorem, & curſum, támque multis clientelis Cæſaris ſeptum iter, dubia, atque aſpera in primis ad Luſitaniam futura reverſio, & fortaſſis volvebat pariter animo, innocentiæ, integritatis, meriti patrocinium, Cæſaris mutuò per ſacramentum obſtricta fides, jus gentium inviolabile quoque barbaris, vel incuſſus Numinis timor vindicarent inſontem. Manendum igitur ibi, ex adverſo dicebat, ſibique expectandum ſuperbi, iráque recenti flagrantis hoſtis arbitrium, ſuóque capite tandem experiendum an gratiæ jus, an utili honeſtum, an libidini ratio, an infamiæ fama prævaleat, quando hæc omnia miſcere jura, & majora his ſacramenta calcare apud Principes utilitas ſoleat. His anxius curis, & modò huc modò illuc diverſa cogitatione diſtractus, ſiſtere tandem in loco, ibíque quod immutabilis quaſi fati neceſſitas fixerat, expectare decrevit vel tædio laſſus ambiguæ ſpei, vel quia implicitum, atque dubium natura ingenium, tum etiam per metum vis animi deſtituerat. Cæſar interim apud Viennam conſilio procerum convocato, excuſ-

ſiſque

ſiſque ſecundum uſum magis, quàm ex merito cauſæ argumentis, quæ de tradendo ſibi Odoardo ſubjecerat illi ſupremus Hiſpaniæ Senatus, prolatáque tandem ſententia, quod pudor, aut jus in cauſa obtinere minimè potuit, gratiæ Regis attribuit. Dedi proinde abſque ulla mora Odoardum, negotiúmque juſſu Cæſaris exequendum Ludovico Gonzagæ mandari decretum eſt. Hic ſatis inſtructus cùm alia prætexeret Cæſaris juſſa profectionem ex loco, ubi tunc exercitus hybernabat Luſitano denunciat; opus enim eſſe dicebat ſimul Paſſavium inde tranſire, ut ex collecta in urbe pecunia ſtipendia militibus ſolverent. Odoardus ſuſpicioſo jam animo arrectus, & re nova quæcumque accidiſſet, eo tempore pavidus, ſuſpenſúſque, etſi fallaces Gonzagæ ambages conjiciebat, quia tamen ſemper incertam hominum fidem per nimiam credulitatem ſuo ipſe capite exploraturus diſcrimen temerè amplecti, quàm fugam maluit, imperio ſubitò paret, & velut reditus expers omnes ſarcinas ſecum aſportans per Danubii fluenta capeſſit iter. Diei integri viam cum rate flumine vecti confecerant, cum obeunte ſole ad hoſpitia vicina divertunt, lautáque poſt ibi cœna, & majoribus poculis more Germano ob itineris jactationem refecti decubitum hoſpites vadunt. Cæterùm paulò poſt Odoardus animadvertit amicum ſecum itinerantem, cui Gliſigerio Comiti nomen erat, in ejus domicilium ſæpe accedentem, recedentémque mœſto ſemper, ac diſſimili vultu inani, atque frigida toties afflicta frequentis acceſſus,atque receſſus cauſa. Per feneſtram deinde Luſitano reſpicienti, cùm Lunæ radius interluceret, occurrit Ludovicus Gonzaga, qui adverſus cæli inclementiam regentíſque noctis algorem, nudo in illo aëre, & inter nive concretos afflatus, nunc tardo, nunc celeri greſſu hoſpitii aream perambulabat, velut plenus curarum, acrioríſque cuſtodiæ ſollicitus, intentúſque. Tum verò ex eo auctis, & congruentibus ſimul indiciis ſine ullo dubio, & cum arctiori quoque dolore Odoardus ſe ſe deceptum, ac verè proditum ſenſit, & carceri addictum fallaciter trahi. Aſperioris itaque animi ſenſus, & novis cogitationum fluctibus excitatis. Quid nempe lex gentium, quid Cæſaris fides, quid ſacramentum militiæ pro viro innoxio; eóque benè de Principe merito valuiſſent, & quod regia familia natus, Regíque Sanguine proximus jam libertate excidiſſet, ab eo quem minimè decuit,interpoſito ſibi laqueo, rurſus & fruſtrà meditari de fuga cæpit, nec ea difficilis quidem eo quoque tempore cecidiſſet in virum expeditum ingenio, & alacrem animo, & qui librare pericula, & ex duobus minus eligere didiciſſet;ſi quidem uno tantum protectus famulo Ludovicus, Odoardus verò multis, antiquis, & fidis comitatus pergebat. Verumtamen ſive id fatalis ſocordia, ſive nimia in conſcientiæ candore fiducia fuerit, eas inter minas,quas per hoſtium terribile arbitrium illi fortuna multiplicabat elabi cùm poſſet, trahi paſſus eſt, & in carcerem duci. Hac mole curarum oppreſſus integram noctem inquietam, ac turbidam Luſitanus exegit. Poſtridie eundem per amnem cùm iter reſumerent hilari fronte Odoardus ac ridētis in ſpeciem rogat Gonzagam; Quid eſſet cauſæ cur præteritam noctē in vera, & aſſidua vigilia excubantis more traduxerit, an ipſum libertatis expertem, & tanquam captivum, & hoſtem ducerent? Tunc viri ſinceritate, morúmque dulcedine tactus animo Ludovicus, paulúmque emollitus adverſus præſentem fortunæ injuriam illi aperit juſſa Cæſaris, hortatúrque ad amplectendam conſtantiæ gloriam quæ in omni rerum viciſſitudine & habitu virum Principem decuiſſet: Odoardus verò nihil in ſpeciem eo

ſermone turbatus adjecit, ſive proſperam ſive ad improſperam, furentémque quod minus quidem difficile ſapientibus eſſet, fortunam animo tolerandam ſufficere ſibi vires, & maximè nullo etiam morſu, aut latratu criminis intus obſtrepenre conſcientia. Cæterùm ne præ intentæ cuſtodiæ ſollicitudine,& cura prægelidæ noctis horrorem iterũ Ludovicus cum tanto incommodo experirerur, urbanè, & amicè cum illo præſtirit, ur ſimul in eodem cubiculo ſecum muniris foribus conquieſceret. Reliquum irer pari concordia cùm perrexiſſenr, ad Lantſuterium poſtremò perveniunt, Odoardo pararum ad tempus cuſtodiæ locum. Ibi Franciſci Meli mandato Auguſtinus Navarrus Hiſpanus Juriſconſultus Cæſareo nomine traditum Luſitanum excepturus apparuit. Primo aſpectu cum obſequii, cultúſque compoſita verba pro mutua ſalutatione Navarrus de more feciſſet, quia ea ficta, dolóquę prolata, & cauſam adventus penitùs noverat, vulru ſeverus, & gravis Odoardus reſpondit, tantúmque ab eodem efflagiravit, ut ipſi adire Franciſcum Melum liceret. At ille regiis extemplò juſſis expoſitis Luſitano denunciat, Bregantium ejus fratrem contra fas, & clientelæ debitæ fidem Luſitaniæ Regem à populo conclamatũ, jamque impiè regias tractantem vices miſiſſe Principibus Oratores, ut fraude quæſitum, ſcelere partum, & per injuriam Philippo extortum iniquius ſibi deinceps ſtabilitet imperium, cúmque ipſe Odoardus Tyranno tam arcto convictus, ſanguinis, jurium vinculo adhæreat, ideóque ut culpæ affinis, aur conſcius in ſuſpicionem ex lege vertatur Cæſaris nutu, Regiſque præcepro manciparum cuſtodiæ eſſe, vel ibi ut infamiam, & crimen rarionibus diluat, vel meritæ pœnæ ſubjaceat. Ad ea Odoardus ab aſſidua cogitatione periculi jam ſatis firmara fronte, ſenſúque refracto non colore, non vultu varius Deum, & animum ſibi conſcium ſuæ innocentiæ teſtes appellat, quorum fiducia, impulſúque multò ante tempore Luſitanæ haud ignarus defectionis etiam oblatam, inculcatámque facillimè fugam neglexerir. Deinde ſociis, amiciſque dimiſſis, ſolus Navarrus cùm inſtitiſſet, initium afficti ſcrutandi criminis à litterarum noritia petiit, ſi per eas fortaſsè fraternæ perfidiæ ſcelere obſtrictus deprehenderetur. Interceptam etiam epiſtolam, quam cœnobita quidam ab Luſitania miſerat Odoardo eámque ambiguis ſignis conſcripram Navarrus habebat, cujus quàm citò per inventam inſpectámque ſecreram ſcribendi regulam ſenſus elicere cupiebar, cùm nationis utrique communis rario, cautio chirographi, loci argumentum, & ibi novitas rerum ſuſpicionem auxiſſent. Scriniorum ſuorum igitur claves Odoardo confeſtim tradere juſſo volutariſque chartarum omnium acervis, & ſenſu etiam expreſſo obſcurioris epiſtolæ, nihil omninò, quod animi à Rege averſi, ſeu conquiſiti flagitii notam, aut ſalrem umbram in homine argueret, in illis compertum eſt. Latiùs deinde cùm per eam regionem manaſſet improviſæ tãti viri cuſtodiæ rumor, multa in eo loco præſtita ſunt Luſitano Principũ Germanorum officia, quippe qui comitate, munificentia, ingenuitate morum in omnium ferè deliciis, & laudibus erat. Iſque in familiari ſæpe colloquio, qui frequentes ipſum adibant, procerum Germanorum, ad uxorem Bregantii Luſiranæ defectionis præcipuè ferebat culpam; imperioſam, ſuperbam mulierem, dictitans, regníque ambitione flagranrem viro faces protuliſſe, quibus totum regnum incendio bellico arderet. Paulò poſt Ludovicus idem Gonzaga Odoardum pro Cæſare inviſit, ejúſque Cæſaris nomine declaravit. Vehementer cupere Cæſarem, ut ipſe Odoardus ab omni labe ſuſpecti

criminis purus, & integer haberetur, quod ſi, ut ſperabat, jure liqueret, ad ampliora illi collata præmia uberiorem quoque gratiam Cæſaris acceſſuram. Tunc Luſitanus modeſto vultu, mitique ſermone Cæſari gratias agit, ad aſtantes deinde converſus, ita ut murmur verborum facilè poſſet Ludovici ad aures allabi; Ne me deſerat, inquit, Numinis favor, nam Cæſaris gratiam & fidem abundè metiri præſentis fortunæ habitu poſſum. Cæterùm, naturalis libertatis inſtinctus, & is quidem in militari, ac viro Principe potior, nec fugiſſe, dum fugæ patebat locus, exulceratæ jam innocentiæ, ſibíque ut nimis credulo, & in ſuo quoque periculo ſtupido, torpentíque & talis idcirco calamitatis artifici moleſtiorem quotidie carcerem faciebant. His curis ſæpè jactatus rogat tandem Navarrum ut ire ſibi in Luſitaniam liceret, velle ibi pollicitus ipſe ad ſaniora conſilia traducere fratrem, ut errore partum imperium ejuſdem hortamento relinqueret. Qua eluſa fortaſſe ſpe jure jurando caviſſet, eidem ſe ultrò cuſtodiæ, iiſdémque moleſtiis ſeſe redditurum fuiſſe, ſed cùm dictu æquè abſurda, atque aſpera factu tam voluntaria regni abdicatio quàm ſpontaneus ad vincula reditus videretur, ea tanquam ſtulta petitio rejecta eſt, ne tamen ille penitùs deſperaret per ludibrium permiſſum eſt, ut de eodem negotia ad Catholicum Regem ſupplices litteras daret. Igitur Odoardus libertatis jam curis abjectis aptare, ac flectere tandem animum diuturnæ cuſtodiæ cæpit. Correcto proinde ad præſentem afflicti viri fortunam domeſtico luxu, decémque duntaxat retentis antiquioribus famulis cæteros muneribus oneratos dimiſit. Contrahit aliquantulum etiam quotidiani ſumptus cultúſque quem in familiæ, & corporis ornamenta, & conviviorum præcipuè magnificentiam, & copiam inſumere conſueverat, non quia pecunia deficeret, ſed quia eam utilius effundere cogitabat. Hæc in Lantſuterii cuſtodia, quæ ipſum haud longo tempore tenuit, evenere Odoardo. Inde, cùm idem intutus, ac rigidus nimis videretur cuſtodibus locus, Pataviam tranſlatus eſt, ibíque in ampliſſima domo Auſtriaci Principis collocatus. Cæterùm adeo adſtrictæ ſeveritatem cuſtodiæ par veneratio, & cultus exterior in homine æquabat, nunquam ſcilicet gladium è latere, nec Tribunitium deponere nomen juſſo; nec ullo deinceps caruit Odoardus honore, qui in ea regione ſolitus eſt, Hiſpaniæ magnatibus tribui.

Hic ordo quoque narrationis Luſitanæ legationis exitum nectit. Prior, & per majorem expectationem conceptam ad Gallicarum Regem legatio ſpectabat. Veteres gentis ex variis belli caſibus iræ, imperii, atque gloriæ pertinax æmulatio, ingenii in agendo vis, & celeritas hominibus inſita, iis qui ab Hiſpano fortè deſciſcerent, promptam apud Gallum tutelam, & patrocinium conſtituere. Inflatus hac modò ſpe Luſitanus, ſimul quia ille ipſum Gallus ad deficiendum à Catholico Rege impulerat, & quod maximum coëundi inter ſe Principes vinculum eſt, quia reciproca, magníque ſanè momenti ex arctiori fœdere utrúmque complectebatur utilitas, ampliori oſtentatione, ac fiducia hanc pro Gallo legationem inſtruxerat. Luſitanum igitur Oratorem ad aulam appropinquantem, ut mos eſt Lutetiæ regios Oratores excipere, juſſu Regis aulicus famulatus cum regiis, & procerum curribus obviam effuſus magnificè comitatur. Ex cæteris Principum Oratoribus, qui Lutetiæ commorabantur quanquam omnes ad conſueta reddenda obſequia per Regem admonerentur, nemo tamen interfuit præter Sabaudum, eum ſcilicet niſi animo, & voluntate vel

loci

loci conditione tanquam loro conſtrictum, ac neceſſarium Galli clientem; & hanc planè legationem, utpote novam, atque omnium expectatione ſuſpenſam, neve ipſa ignoti, incertique Regis opinione vileſceret, ita auxit honoribus Gallus, ut reliquis aulæ Oratoribus æmulatione, & invidia perculſis querelarum etiam materiem apud Regem conflaverit. Fœdus deinde cum Gallo Luſitanóque Rege in hunc modũ percuſſum eſt: Eoſdem uterque amicos, & inimicos haberet, bellóque ipſi quoquo modo concuſſi mutuis ſe viribus adjuvarent, protegeréntque. Uberiora deinceps auxilia Catalauno mitteret Gallus, ut acerrimè Hiſpanus ab eo quoque latere afflictus; minus exinde virium, ac roboris poſſet contra Luſitanum afferre. Cum ſummo Pontifice Urbano, qui propenſior ad Gallos affectione reputaretur, intercederet Gallus, ut Luſitanum regio more legatum admitteret, iſque in perpetuam ejus clientelam concederet. Notiora, hæc inter illos fuere icti fœderis capita; alia graviora, & occulta, præſertim, quæ clam eo tempore coquebatur in Bætica adverſus Catholicum Regem Hiſpanorum procerum conſpiratio, ut eodem Gallo aſpirante, perficeretur.

Alia quoque & memoria ipſa digna in Hollandia legatio peracta eſt. Apud Hagam commune gentis conciliũ, cum Luſitanus Orator regiis exceptus inſignibus eſſet, tria ſummatim pro ſocietate, atque amicitia Hollandæ reipublicæ cum Luſitano Rege ineunda propoſuit. Conſtans, & integrum ſcilicet inter utrumque Principem fœdus ex more conſtituendum. Claſſem ab Hollandis Luſitano præbendam eſſe ejuſdem pecuniis inſtructam. Ut denique ab Indiis, quæ Luſitani dominii, ac nominis erãt, armis Hollandus navibúſque abſtineret. De jure Indico maximè tunc argumenta Luſitanus amplificans cum animi quadam elatione, verborúmque jactantia diſſeruit. Luſitanæ nempe induſtriæ, ingenio, labori fata Indiarum navigationem aperuiſſe: deinde ſui quoque juris multiplicato ſæpe naufragio, totque hominũ, navium armorúmque jactura, & cumulorum divitiarum, quæ per tot ſæcula brevia, aut ignotæ navigantibus Syrtes hauſiſſent, aut Oceani gurgites devoraſſent, legitimè factam, eſſe illam præterea aſſertam innumeris propè acceptis, illatíſve terra, maríſque cladibus, cujus longè latéque conſtratum jacuerit oſſibus ſolum, Luſitanóque cruore pene tumentes fluxerint amnes, cruentáſque pelagus ſpumas ejecerit. Utilius igitur inter ipſos certas, ratáſque ſibi & præmii, & periculi partes attribuentes lege fœderis conveniret. Ut in Belgio, & America Hollandus aurea ubi ſenſus titillat, & rutilat præda, Luſitanus apud Hiſpaniam, tractúſque Indicos Orientis Catholicum Regem affligerent, ne invidia alioquin, aut odiis intempeſtivis impliciti, & in mutuam utrinque perniciem armati, dum proprias diſtraherent, communi æmulo vires intenderent, cujus immodicæ opes infringi attéríque ſumma dũtaxat conſtantia, ſumma fide, extremóque omnium collecto fœderatorum conatu Principũ poſſent. Hæc ubi audit Senatus Hollandus, contulítque in ſuffragia ſententias; de fœdere quidem, & claſſe paranda aſſenſus eſt Luſitano, at in Indica cauſa diſſenſit. Quidquid enim apud Indiam tenerent, jure ſe belli aſſecutos, eodémque ſe jure tutari, ac ſimul augere paratos eſſe. Oceanum naturæ lege communem cunctis mortalibus eſſe, cujus maritimè curſus jus exercendi, ea ipſa de cauſa, quæ jam Luſitanos attingeret cujuſcumque etiam poſſe labore, ac periculo comparari, Simul Indiarum imperium non hæreditarium, non legum, aut rationis menſura Luſitano præſcriptum eſſe, ſed in tumultu bellíque rapina, & potentiæ, tantummodo jure ſublatum;

nec portò impium, vel iniquum videri, ſi eadem vi ; qua ceſſiſſet, extorta prædatoribus præda in potentioris arbitrium concederet. Itaque Luſitanus rei Indicæ componendæ ſpe devolutus litteras ſtatim reddit Hollandis, quas ipſe habebat Galliæ Regis commendatitias, paulò antè petitæ, ac conceſſæ claſſis paratum accelerantes, quam & ſuæ conjungere Gallus decreverat, quò ea ſecreta faciliùs quàm Bregantius Medinæque Sidoniæ Dux in Bætica pertractabant, conjuratio procederet. Bregantio enim ſtrictioris affinitatis, & jure amicitiæ Sidonius obnoxius, in Regem illum dum ſubitò evectum, nec genere ſe aut animo, aut opibus affini, amicóque diſſimilem cernit, malo pudore, vel tædio ſuperbo captus privatæ ſortis, affiníſque incitatus exemplo in Bætica ipſe ubi dives, ac præpotens erat, regnum ſibi parare conſtituit. His ſtimulis ſæva quoque accedebant, & vetera in Olivarium contracta odia, de quo certa his temporibus erat Hiſpaniæ magnatibus inſita opinio, quod eos obſcurare, minuere, ac ſenſim conficere ille pro viribus niteretur, ut coæquata, aut decuſſa celſiora capita Imperii, minus ſibi ipſi ab invidia timoris, & umbræ minúſque periculi, aut in regno negotii faceſſerent Regi : Inflammabat hæc etiam ingenita quaſi Hiſpaniæ optimatibus lues, ſupra eorum nempè fortunam, & copias animos explicare, ſpiritúſque tumorem, & arrogantiam extendere ; & præſertim quod Rex in regimine Imperii, cùm ſe omninò circumagendum Olivarii nutui, & arbitrio dediſſet, tantum quotidie minueret auctoritatis, & gratiæ quantum ad res novas incitamenti ſuopte pronis ingenio proceribus addidiſſet ; ubi enim Rex ſive ætatis, ſive animi imbecillitate, & inopia imperii non temperat res, per eum quem clavo ſuſtinuit, ambitione procerum effervente, pertinaciter oppugnatur. Rei præter hæc opportunitas obeundæ jam regni cupidine incenſum acriùs Sidonium extimulabat ; nam procul occupatus Hiſpanus, nervíſque in partes diſſectus exercitus in Catalaunia, in Belgio, in Inſubria nec æquo marte bellum agebat. Copiarum, quæ per id temporis ſparſæ reliquiæ per Bæticam erant Sidonio ipſi utpore armorum Præfecto parebat, quod munus ei temerè oblatum, arces, militaria præſidia, oras omnes maritimas, atque portus ejuſdem fidei, & imperio devincta contraxerat. Ejuſdem Bæticæ proceres, eóſque clientelis, & opibus validos alios Sidonius ſpernebat ut viribus impares, alios in partes duxerat. Multos quos dubiæ, & affectæ erga Regem cautéque velatæ ex longo ipſe intervallo perſpexerat fidei, ſua ſpontè novis, ac turbidis rebus, cum prima procella rueret ſeſe implicaturos putabat. Cum multitudine verò populi in quo tantum hærere, aut offendere poſſe res videbatur, quia Regi fidus, quia numeroſus, quia bellax natura feróxque haberetur, ita Sidonius ſe gerere ſecum ſtatuerat, nimirum hunc fortè obſiſtentem cogere primò armis, pellicere poſtea tributorum allevamento, & ſummam initio copiam annonæ facere. Spes autem amplior tutius hæc omnia perficiendi claſſe ab externa, quam Hollandis, Gallicíſque refertam navibus in Bæticam intromitti cum Bregantio conventum erat, pendebat. Aderant quoque ſuſcepti laboris fructus, & oblata cuique periculi præmia ad enitendum partes inſtantia, quæ ſi res feliciter eveniſſet, in hunc modum diſtribuenda erant. Aragoniæ Coronæ regna cederent Gallo, Bregantius Luſitaniam ſibi ſervaret, BæticamSidonius arriperet, cæteris regnis per vim & inſidias Philippus exutus in arcto Caſtellæ dominio, ambitúque concluderetur ; nam quod invaſerat regnum Bregantius, & mox invaſurus erat Sidonius, omnino fluxum, & brevi tempore periturum, exiſtima

exiſtimabant, finitimi niſi Regis, & ab utroque validis armis, validiſque lacertis jus repetentis tanta potentia reſecaretur. Hollandos ex voto ſi res ſucceſſiſſet, erepta præter hoſtibus ſpolia, & omnia prædarum oblectamenta ſpes inanis etiam artexerat in tanti Regis ruina totius inferioris Germaniæ ſibi ſternere imperium. Retum hujuſmodi ſeriem, ac molem apud Hollandos, Gallóſque uterque agitabat Luſitanus Orator. Illi verò quoniam tanti in ipſo emolumenti, quo vix ſomniando majus confingere poterant, expectatio ſollicitabat, totis viribus nitebantur ingentem claſſem inſtruere. Cæterùm ipſis Hollandis verè licèt animus pro jure fœderis eſſet collata in Europa Luſitanis ſubſidia ſeſe invicem adjuvantes, nervóſque in æmulum intendentes unà cum Luſitanis terra, maríque oppugnare Catholicum Regem, maior illos tamen cupiditas, arctiórque tenebat ſollicitudo, quonam modo apud Indos Luſitanas opes everterent, quod, & factu facilius tunc apparebat, ſciſſis jam commiſsíſque acrioribus inter ſe odiis, & armis Caſtellenſibus, Luſitaníſque. Priuſquam igitur ab Hollandia Orator Luſitanus decederet, Hollandi ſecretò naves ad Indiam mittunt Comiti Naſſao, qui Fernabucum ea tempeſtate regebat, cum commeatu, milite, mandatóque ut ibi quàm citò belli fortunam experiretur; jacebat enim res Luſitana ferali domo concuſſa bello, graviórque illos tum occupare, ac percellere cura debebat hoſtibus non ſervire, quàm alienigenis imperare, quanquam nec omnia ſecum, ſi malè pugnatum in Luſitania eſſet, domeſtica ſervitus contraxiſſet. Idipſum profectò diutiùs hucúſque compertæ Hollandiæ fortunæ congruere, quæ loci plus ſitu, Regúmque diſcordiis, quàm ſuis adhuc innixa viribus ſteterit. Naſſaus diuturno jam otio feſſus, pugnæque ineundæ avidus celeriter juſſa conficiens ad Angolam inſtructa claſſe contendit. Eò denique advectæ flatu ſecundo naves, neglectas pene cuſtodias, prope incuria torpidos milites ſegnioréſque ſtationes inveniunt, dum eodem quoque momento temporis dubius ſecum hæret, ac trepidat Luſitanus utrum amicus, an hoſtis occurſurus Hollando eſſet. Hinc quippe ipſum Catholici Regis hoſtis utrique communis ratio, nexúſque diſſimulata expeditio, ſpes fœderis, ſua cuique utilitas, neve illa omnia intempeſtiva commotione turbaret, agebant. Ambitio hinc Hollandi, & prædandi cupiditas ingens, & belli artes, gentíſque cognitæ inſidiæ, & fide in armis potentia plerumque potior ad alia conſilia trahebant. Inter hanc hæſitationem, & moram jam Comes Naſſaus cum claſſe ad portum appulſus fragore, bellique tumultu compleverat omuia, cúmque obſtrepentibus buccinis, exoneratíſque belli tormentis undique conclamatum ad arma eſſet, pars Hollandorum in navibus manet ad portus, claſsíſque cuſtodiam; pars, & ea numero longè maior in terram deſcendit, qua ſtatim etiam in turmas, & varia officia diviſa, alii machinas, & obſidionalia tormenta vehunt, alii armis infeſti procurrunt in urbem, non pauci quoque dilapſi, & in agros propinquos effuſi, ruſticas inter turbas obvias raptim ubique rapinas, ac cædes cumulant, & quia improviſa, atque rapida tanta in homines peſtis ingruerat, qualis furor, & alacritas animi vim inferentes in obvios agebat, talis propè animi conſternatio & quaſi torpedo præ metu, ſtupórque imparatos, & circumſeſſos homines cæperat. Itáque Angola primo illo impetu capta, direptáque eſt. Cæterùm binæ ſed magnitudine minimè pares arces in portus, urbíſque tutelam aſſurgunt: meliorem profectò arcem primus impetus irruentium unà cum urbe ſuſtu-

 lit,

lit, ad alteram quia propinquior, ſitúque capacior erat vitabundus, & pavidus Luſitanus cum globo militum, cædis reſiduo, primoribus civitatis, atque electa juventa confugit; infra arcem cæſi captíque multi quibus ſera per hoſtes, interciſáque fuga fuit. Acrius idcircò oppugnari hæc arx cæpta eſt. Cuniculi, machinæ, belli tormenta, crebri aſſultus, & impetus hoſtium, omnis furia, bellíque terror fœdo ſpectaculo offunditur. Nihilò tamen minus initio oppugnationis obſeſſi firmiter obſiſtendo, & acerrimè propugnando multam audaciam, & longioris quidem obſidionis ſuſtinendæ conſtantiam oſtenderant, ſed ea tumultuaria, atque præceps in arcem hominum fuga, cùm ſatis alimenti, præſidiíque pro tanta multidine ferre ſecum non petmiſiſſet, quos vis minarum, armorúmque jactatio non vicerat, fames denique perculit. Ita urbe, & arcibus captis, præſidióque munitis exultans feróxque tam facilè parta victoria miles, congeſtæque prædæ copia magis avidus prædæ urbem extemplò, quæ Divi Thomæ appellatur irrumpit. Cùm fœda, recénſque ibi eſſet Angolæ comperta clades, infeſtúſque Hollandorum adventus deſperata ſalute cives, ac relictis in urbe, qui ætate, valetudine, ſexu inutiles habebantur meliora ſecum portantes diffugerant. Hollandus ergo, nullo obſiſtente, populabundus in urbem ingreſſus rapere, trahere quà flamma, quà ferro cuncta corrumpere, non profano, non ſacro parcere, tanquam impetu capta civitas eſſet, aut in eos, qui infeliciter obſtitiſſent, mora, & occurſu exarſiſſet militum ira, eóque omnia rapinis, & ſanguine redundarunt, ut opulentiſſimam civitatem, Indiarum ubi nundinæ aguntur, exciderit, ac ferè momento combuſſerit hoſtis. Atque inde cruentus & ſpoliis onuſtus Angolam reverſus eſt. Hæc apud Indos agitabantur.

In Europa Galliæ Regis Orator cum claſſe belli navium triginta Uliſipponem tandem acceſſit. Ingreſſus ejus magnificus fuit. Dona, & obſequia cæteris tribui Oratoribus ſolita, ut amicum, & ſocium, in quo novi maximè imperii tutandi ſpem collocarat arctiùs obſtringeret Regem, impenſiùs Gallo Bregantius effudit. At ſumma legationis, claſſíſque inſtructæ conſilium in ea præſertim maturanda conſpiratione vertebat, quam adverſus Catholicum Regem clam cum Bregantio Sidonius inierat. Hæc ipſa porrò ut abſque ulla interpoſita mora perpetraretur quemadmodum ille ardor ingenii, Gallíque velocitas incitabat, ita Bregantium perſpectæ claſſis infirmitas deterrebat; nec præterea, ſicut antea convenerat, Galliæ, Hollandiæ & Luſitaniæ ſimul navibus conſtitutæ. Iamque Bregantius regni novitius, ac rudis hinc addiſcere primò cæperat, quouſque fidere pactis, conventíſque Principum licuiſſet, & quantum planè diſcriminis ſit ſuas ad conflictum afferre, vel ſociorum colligere vires, cum in his ſæpe animus, fides in aliis deſideretur, vires plerúmque deſinr, quibuſdam & temporis quoque uſus, cùm non veniſſe, aut ſeriùs, quàm opus erat, veniſſe, nihil utrumque ſanè pro re deperdita interſit. Verumtamen ingenii ſui habitudine potiùs, quàm fraude defecerat Gallus, quippe qui, & nimia acquirendi cupiditate, & agendi celeritudine rapidus ipſe conſiliis, & ſpe rerum conceptarum immodicus, nec ſententias nec facta plerúmque ſatis matureſcere ſinit. Ea propter ſuſcipiendum necne cogitatum in Bætica facinus eſſet inter Luſitanum, & Gallum orta contentione, nec parum utrinque calentibus ſtudiis, mediam poſtremò Gallus ſententiam amplexus expoſuit, vel illis utcunque minutis maritimis “ copiis portum, aut aliquam arcem “ in Bætico regno quærerent, quod “

vincit

„ vinculum utique foret plus in rem „ intendendæ fidei conatúſque Sido- „ nii, & paratus aditus receptúſque in- „ tegræ mox appulſuræ ad rerum ſum- „ mam conficiendam cum omni ap- „ paratu, oſtentatóque terrore claſſi. „ Poſſet quoque, aſſerebat id levioris „ experimenti pluſquam ſuo pondere „ videretur totius negotii fortunam, & „ molem attrahere ſi repentino fortaſ- „ ſe caſu concuſſus, ac territus conti- „ nuò cederet inexploratus hucuſque „ Bæticæ populus, aut rerum volupta- „ te novarum, aut caſu rebus turbatis „ implicitus, aut potiùs magnatum al- „ lectus exemplo libens cum partibus „ conſpiraret. Non omnia quidem „ ſemper in bello ſapientia, virtute, opi- „ bus expediri, aut eximia diſciplina, „ & conſilio, plurima quoque caſu, & „ fortuitò feliciùs quàm ex compoſito „ peragi. Recenti, magnóque ante „ oculos eſſe nunc omnibus argumen- „ to Luſitaniam, & Catalauniam, quæ „ cum longè profectò minoribus, quàm „ in præſenti cernerent, copiis jugum „ antiquum excutientes à Rege Catho- „ lico defeciſſent. Ubi animus valet, „ copias, viréſque robur ab animo „ mutuari; hic ubi languet, nullam „ ſatis vim humanis conatibus eſſe. Sed ne ea ſententia quidem omnino Bregantio placebat, cum contraria inſediſſet, vehementi, improviſóque primo partium conatui, & nervorum ſimul omnium intentioni ad opus initio applicitis rei bene gerendæ incumbere ſpem, ea ſecus puſilla claſſe, ac debilibus copiis laceſſitus ſive admonitus potiùs quàm fractus Catholicus Rex, ideóque in poſterum præmunitus fore deinde, ut ne duplicatis quidem viribus concuti poſſet; quia tamen ad rem nimis urgebat Gallus animo valdè ardens, ut illi veſtigium quam citò liceret in Bæticæ limine figere, res ad Sidonium à Bregantio rejecta eſt, ut ſi ita expedire cenſeret apud Gades, vel portum Sanlucarenſem efferri curaret extemplò ſignum, quo viſo Gallica claſſis tutior ad portum ingrederetur. Cum hujuſmodi erecto ſpe Gallo à Bregantio dimiſſo, & re ſtatim nunciata Sidonio, poſtquam diù claſſe Gallum eo conſilio Bæticam circumvectum, & jam moras in alto trahentem, jam obliquè, jam rectè, jam navium in orbem inflexo curſu diutiùs ſeſe jactantem, expectatum, conventúmque poſtremò fefellit ſignum inde cluſus, & vacuus ad Galliam direxit iter. Irriti hujus eventus in cauſa profectò fuit, quod cùm in illo negotio tum Luſitano, tum maxime Gallo ut procul ex tuto rerum ſpectantibus exitum plus audere, & ſperare quàm Sidonio daretur ut in periculi vortice conſtituto, hærentíque in faucibus hoſtis, ideò hic velut jure plus ſibi metuens, & navium idcircò paucitatem reſpiciens, ſibi plus etiam in diſcrimine cavit.

Poſt hæc Catalauni legati de novo regno gratulatum Bregantio miſſi Uliſſiponem venere. Regio more, ac publico ſumptu receptos etiam convivas in epulo ſecum admittere, & unum fortè corporis ægritudine implicitum citra morem Bregantius inviſere dedignatus nequaquam eſt: at legationis impoſitæ munus in eo maximè ſitum eſt. Sancirent utrique fœdus, conſilia " conferrent, & mutuas rationes ini- " rent, quibus animo, & viribus auctis " minori negotio facultas eſſet, ab utro- " que Hiſpaniæ latere regni Caſtellen- " ſem communem hoſtem niſi prorſus " affligere, vel ita perpetuò carpere, " atque laſſare, ut ille decederet tan- " dem eorum animis timor, ne ſimul " utrique aut alii poſt alios ejuſdem " æmuli armis, & artibus perderentur. " Hac ipſa quidem corrupta mente pro " veteri vitio, & inſita pene fraude in- " fatigabilem ſemper hoſtem diſſidio- " rum, ſimultatúmque per ſemina latè " jacta ſolertet hoc tempore niti tum "

„ eos inter ſe, tum alios dividere ab „ aliis. Quæ porrò artificia ſubtilia hoſtis vigilia ſibi ſedulitate, ſolertia eſſe „ omninò ludificanda. Superare nimirum opibus hoſtem; at etiam æqualitatem, libramentúmque potentiæ, „ quæ eſſet planè communis tutelæ ratio, proviſióque ab amicitiæ, ac fœderum ducta nexu, poſſe, ac debere „ minores adverſus majores Principes „ comparare. Sic Italos contra Hiſpanos protegere ſe, ſic Germanos Principes contra Cæſarem, unoquoque „ diviſim quamvis utrumque longè potentiorem, naturæ ab inſtinctu hac „ diſciplina manante, quæ aves, quæ „ pecudes etiam, quæ piſces per cuneos, per turmas ire obviam fortioribus docuit: eadem etiam intelligentia juxta illius non minus prudentis, „ quàm fortis inventionem conjunctas, „ conſtipatáſque; & quanquam fragiles „ caudæ ſetas in ſenio, atque macie „ confecto equo durius negotium faceſſiſſe vellenti, quàm ſingulas ſparſas, ſolidioréſque in alio prævalido, „ ac generoſo. His rebus ita percurſis compoſitíſque tandem legati ampliſſimis donis acceptis Barcinonem regrediuntur. Cæterùm læta hæc Principum externorum obſequia malis domeſticis miſcebantur. Poſt Luſitaniæ defectionem complures nobiles Luſitani ſeu privato compulſi, ſeu publico affectu clam in Regis Catholici benevolentia, atque fide perſtiterant. Fuere inter eos ſingulari conſtātiæ laude Taroccæ Comes Ludovicus Meneſcus, Stephanus Pharus, Joannes Suarius Loperius de Acugna Dominus Aſſentaris, Ludovicus Siſica, Petrus & Hieronymus Maſcaregni Montalbano Marchione geniti cum opibus ferè omnes tum generis claritudine inſignes. His in ea ſubita imperii mutatione, cùm ſervire Bregantio dedignarentur, ſollicitiùs, ac diligentiùs Caſtellam verſus rimantibus fugam, hanc ipſam arripere tandem per hujuſmodi occaſionem evenit. Prudentiæ generis, ac præclaræ modeſtiæ dotes Joannem Suarium, atque Taroccæ Comitem eouſque Bregantio, ac populo commendaverant, ut in nova magiſtratuum electione potiſſimè in animo Bregantius habuerit hujuſce virtutis, ac nominis viros ad publicas curas extollere; verumtamen illi cum ficta moderatione, & morum gravitate recederent, & aliunde ambientium, & in rem laborantium ſe propè collideret numerus, & ſpreta in tempore gloria cùm plenior more ſuo redundaret, hos quidem eſſe plus aſſecutos, illos plus meritos prædicabant. Jam ita occupatis magiſtratibus regni ubi ambitus major exarſerat, deinde in Senatu coram Bregantio cum de his cogeretur qui idonei reputarentur ad Tingitanam oram maritimam gubernandam ea nuper in meliorum officiorum diſtributione adumbrata modeſtia, & aura quæſita populi, ſimul eò majora, & aſſidua, quò magis fallacia Bregantio præſtita obſequia Taroccæ Comiti, Suarióque has Africæ Præfecturas cum ingenti omnium plauſu comparavere. Hæc itaque munera, ſumma illi, ſed per aſtus diſſimulata lætitia recipiunt; gratias Bregantio agunt; at recuſantium in ſpeciem, ſive eorum qui quæſtum ex quæſtu captantes rogari, cogíque in eo, quod maximè cupiunt, volunt, jam moleſtam à patria abſentiam, jam ſiccæ illius regionis, ſolíque torridi æſtum, jam omnia pro patria pro Rege ſubeunda pericula eſſe jactantes, ortam fortaſſe ſuſpicionem per has antevertere ambages, & obviam rumoribus ire quærebant. Igitur evulgata provincia, brevíque novorum Rectorum profectione, qui clam in Caſtellæ partibus erant, iidémque homines nobiles, & qui primo quoque tempore elabi circunſpectabant ob ſæpe occulta inter ſe communicata conſilia, & mutuæ conſcientiæ vinculum in clan-

deſtinæ fugæ ſocios facilè aſſumpti ſunt. Iámque raptim ad naves itineri præparatas ſarcinæ vectabantur, & domeſtica ſupellectilis, opulentæque ac magnificè inſtructæ Suarii, Comitiſque Taroccæ domus aliorum etiam clam interpoſita bona celabant. Cæterùm quemadmodum ipſa ſtultitia, quæ abeſſe difficilè poteſt, ubi numero plures conveniunt, ſeſe facilè prodit, nimia abeuntium ſollicitudo, præproperum iter, nudatæ paſſim domus, & nulla redeuntium veſtigia, tum variæ hominum facies, exteriúſque prope jam erumpentes, quid altiùs in ſe volutantis, inquietíque animi motus dedere tandem ſuſpicionibus locum, ita, ut Franciſcus Luzena monuerit Bregantium, novos Rectores Africæ eo ingenti apparatu, quo eorum ſemè domus exinanierant, transmigrantium, aut alibi fixum domicilium euntium præferre ſpeciem, hujúſque nec levem rumoris creſcere, ac ſerpere paſſim in urbe auram. Ille verò altiùs inhærens regio pectori opinio, vel gratia cùm evelli, aut diminui tam facilè ſæpè nequeat, per hoc non moneri, ſed falli ratus Luzenæ verba neglexit. Poſtremò cùm die altera diſceſſuri Suarius Taroccióſque commeatum peterent à Bregantio, adeò appoſita, & elegantia de belli ratione, déque eo ſibi impoſito munere verba fecere, ut jactas hic paulò ante ſuſpiciones, & maledicas fuſas voces omninò contentionis aulicæ vitio tribuens, & acriter quoque redarguens publicè dixerit. Difficilem eſſe Principi miniſtri etiam optimi uſum, ejuſdem diſcernere priùs niſi diſceret æmulos. Igitur mediam circiter noctem Suarius, Comeſque Taroccius pergunt ad portum, fugæ ibi comites paratos inveniunt, duabúſque conſcenſis navibus in altum celeriter vela ſolvere jubent. Ubi illuxit támque multas repentè deſertas, deſolatáſque domos, & præclaros abeſſe cives, & Bregantium illuſum, nec jam dubiam eſſe fugam compertum eſt, gravior, ut novo, nec dum ſatis compoſito, ac ſtabili imperio ea inopinata quidem offenſio, & plaga reipublicæ contigit. Ex eo quippe inclaruerat alienam, & animo averſam à novo rege nobilitatem præſenti rerum ſtatui acquieſcere nolle, idcircò terrori nobilitas populo erat, quòd ſcilicet contra enitente réſque in diverſum illa trahente, regnum vel ipſo majus in quo verſabantur, eſſet citiſſimè dilapſurum. Populus autem eò quoque ſuſpectus erat Bregantio, quod is planè ſciret neque ingenuam, neque conſtantem erga ipſum futuram profectò fidem, quando fluxa, & incerta perſpecta inter nobiles foret. Sic ingens utrinque ſimul ex nobilitate, atque populo ſcilicet mœror, pavórque Bregantium inceſſerat. Addebatur, & publico detrimento, ſeſe quoque irretitum illecebris, & ludibrio à minoribus habitum, & amicorum monita ſpreta, qui fortaſsè auribus ejus impoſterum, ut ſemel ſuperbis, ac difficilibus exploratis ægrè ſimilia committere vel cautiſſimè paterentur. Super omnia præterea quæ rem intendebant incidere turpe oculis imitandæ fugæ contagium, atque ex nobilibus ortum proditionis exemplũ, ſi quos etiam intus perfidia, ſeu levitas, ſeu animi livor ageret. Hæc cùm animo æſtuans tunc agitaret Bregantius, & cùm amicis quoque conferret, his ita cenſentibus, expeditam, quæ erat in portu, triremem velis remíſque fugientes perſequi juſſit. Sed ea res fruſtra fuit; vento quippe propitio multóque intervallo longiùs progreſſæ naves triremis proſpectum ademerant, & hæc quamvis in tempore illas aſſequi potuiſſet, cùm vectores, & naves animo, & viribus prævalerent, vi, ſive imperio illas reducere tentaviſſet, incaſſum utrumque foret. Proſperis ergo volitantes flatibus naves, ſæva deinde tempeſtas afflixit: nam veriti Luſitani, ne oppor

opportunè inſequendo à tergo premeret hoſtis ad captandam undique auram plenos velorum expanderant ſinus, cùm ecce volvuntur repentè fluctus, ventorúmque in alto ſtridentium, furentiúmque vi maxima inflati, erecti, disjectíque naves paſſim contorquent, ac miſcent, artíſque regimen turbant; ſolidæ tamen carinæ cùm eſſent, nautæque peritiores ſupra vim tempeſtatis, & imbrium pro maritimo curſu ſtrenuè diutiùs luctantur cum ventis ſimul, & fluctibus naves; turbinis tandem, maríſque ab imo jam æſtuantis impetu ſeparatæ, alia quæ muliebri onere implicabatur in Oceani fretum abrepta eſt, ſorte altera meliori in Gaditanum littus incurrit. Verum navis ille rector, qui ad Oceani maris anguſtias, quas Herculeas columnas vocant tempeſtate coactus applicuit, quique navigationis errorem ac dolum adhuc invitus, & ob metum ſilendo moleſtiſſimè tulerat vix ad littus ejectis, quos vexerat ipſe, viris mulieribúſque de improviſo retracto curſu vela fecit in Luſitaniam. Hîc igitur pavida pelagíque & ſortis caſibus inſueta multitudo mulierum, impuberúmque in ſqualida, & vaſta ſolitudine poſita horrore, ac triſtitia perfuſa jacebat, augebátque moleſtias inopia rerum quas celeriter fugiendo nauclerus infidus abſtulerat. Porrò ibi arido ſolo, inedia, egeſtate cælíque inclementia eouſque jactati ſunt, donec quibuſdam oblatis, conſcenſíſque fortè navigiis Gades denique tranſmiſerunt. Inter hæc ad aulam Catholicam fama præceſſerat Luſitanos fide inclytos, genere claros eluſo, irriſóque prope Bregantio ſalutatum Regem venire, imperavítque Rex Comitiſtabili Caſtellæ, ut ſplendido cultu, obviíſque nobilium equitum turmis occurreret Luſitanis, eóſque continuato ſplendore pompæ ad Palatium magnificè duceret. Quod hic quidem impenſiùs quàm juſſus erat exegit; iſque tunc fuit nobilium virorum occurſus, exquiſiti ſtrepitus apparatus, & oſtentatio ingreſſus, qui tanti Principis majeſtati, raræ fidei clientium, acuendíſque in æmulorum pectora ſtimulis conveniſſet. Hujus publici honoris & ornamenti ſpeciem regia ſubinde munificentia, quæ non minus merito grata, quàm exemplo futuri provida ſolet eſſe cumulatius excepit; in eoſque militaria, & domeſtica munia, clariora nomina titulíque & regiæ pro ſplendore, pro victu divitiæ congeſtæ ſunt. Quæ quidem res ingenti omnium effuſo gaudio Mantuæ Carpetanæ commendabatur, ut ſunt enim frequenter aulici pravo ſuo more ad deteriora credenda proni, ex ſponte ſuſcepto hominum horum exilio, & voluntaria fuga re vera labare, atque fluere rem Luſitanam intelligebant; his quippe niſi caducum, & labile novum imperium perſpectum eſſet haud veriſimile planè foret, ambigua expectatione futuri, egentes, ſpeíque alienæ opis pro neceſſariis alimentis addictos patriam, ac bona derelicturos fuiſſe.

At longè profectò diſſimilis erat utriuſque aulæ facies, quodque ſummæ hîc lætitiæ materiem, & cauſam afflabat in mœrorem, & luctum Uliſippone verterat: navis enim à freto Herculeo, ut diximus ſuprà, repentè profecta, Uliſipponem cùm oppuliſſet, multorum, qui ibidem adhuc ignoti Caſtellæ partibus hæſerant, fortè tunc interceptas, quæ Mantuæ Carpetanæ per amicos reddendæ erant, Bregantio litteras tradidit. Has cùm inter manus Bregantius haberet, fuere, qui eumdem adhortarentur, ut ſtatim ſepoſitas, & ne inſpectas quidem epiſtolas extēplò combureret, ſiquidem nec poterant illæ ſine gravi moleſtia legi, nec ſine pari periculo vindicari; Secus autem ſceleris conſciis, ſeſeque per litteras proditos ſentientibus eſſe, id tandem adjicere virium, & ſpiritus poſſet utique deſperatio, quod hactenus ſpes, ſecretíque

tíque fiducia tanquam in otio larguentibus, aut occaſioni impendentibus ſuppreſſiſſet. Haud ſemper omnia exploranda, aut quærenda dominantibus eſſe; aliquotum quandoque ſcientiam magnos excire in animo æſtus, & motus, qui aut invincibiles ſunt, aut eos vincentes lacerant animos, aut per ultionem effuſi in reipublicæ exitium, & peſtem deſinunt. Nimis ſcire, aut neſcire peræquè periculoſum Principibus eſſe. Quibus, & rectè, cohortantibus, retulit Princeps, alia incipienti, atque dubio; alia firmo, ac veteri imperio inſtituta congruere, ſibíque æmulorum in tanta copia, & obſidio, ambitúque inſidiarum ſumma niſi cautio, ac ſumma proviſio adhibita foret, omnia futura ad interitum præcipitia. Percurrit itaque litteras; in ſingulis ad nomina, ad ſtylum ſtupenti ſimilis hæret; complures offendit viros nobiles Luſitanos fraudulentos amicos ſibi, Caſtellenſium fautores occultos, qui partim Olivario, atque Regi, partim amicis, concivibúſque qui Mantuæ Carpetanæ degebant ſcripſerant ad res novas omnes reſpicientes & impigrè illas in lubrico imperio ſollicitantes. Deprehenſæ quoque plures epiſtolæ ſunt à Margarita Sabaudia, ejúſque familiæ primoribus ad Regem primarióſque Hiſpaniæ miniſtros conſcriptæ ut locupletibus integríſque fidei per illos Regi pollicitæ teſtibus, quò major auctoritas Luſitanorum dictis accederet. Terruítque omninò Brégantium tot diffidentium, & contra ſe machinantium opinione major in regno tam arcto cognita multitudo. Proinde & in æmulos indignatio, & timor illi præſertim de ſumma rerum incuſſus, effluente ſi fortè ſecreto, qui erant tunc alii aliis per mutuam cautionem ignoti, paríque diffidentia ſecluſi, ad quod eſſent ultimo adducti ut periculum anteverterent, tandem è latebris erumpentes per cæca, per obvia quæque diſcrimina perrecturi conſilia, atque vires communicarent. Rumuſculi interea vulgò manaverant, turbidos ſcilicet animos, inſidiarum domeſticas moles, proditiones, & abditas partes, ſubreptas quaſdam in navi reditu epiſtolas detexiſſe; creverántque propterea populi queſtus, & voces, cruore quàm citò expiandam ſceleratorum civium perfidiam eſſe & communem invidiam, & labem paucorum exitio extinguendam. Bregantius verò ubi tot domeſticos, ac prævalidos inimicos perinde punire, ac remittere illis injuriam exitiabile planè putat, morem etiam gerendum perturbato populo eſſe per tumultum, per querulas voces, & minas in ultionem urgenti, nec tempore etiam intempeſtivo eos viros Principes irritandos, qui cognatione, ſive amicitia nobilitatis in regno florem complecterentur, diù ſecum ipſe perplexus, & animo anceps ea edere tandem ſevera per artes ſuppliciorum exempla ſtatuit quibus populum, nobiléſque deciperet: ergo in vilia, & odioſa publicè capita ſutere primùm intentus, præcepit ut Comiti Populenſi qui non minus ſeptus ipſe moleſtiis, quàm intenſis erat excubiis cuſtodiæ aſperitas premeretur, ne inde, ut ille credi volebat Comiti copia fieret miſcere nobilium cætus, ac res turbulentas moliri. Crudelior ſubinde ſors Magiſtrum Macedum, qui ex Dominicana familia erat, afflixit, quem propriis codicillis convictum ordiri ſecretò res novas, ideóque fœdo carcere tortum, & mox cruciatibus laniatum, cùm non ampliùs apparuiſſet, clam fracto jugulo extinctum fama pervaſit. Comprehenſus eſt paulò poſt Antonius Seneitus ex Eremitis S. Auguſtini, qui tamen quia Caſtellenſis erat, ad inimicorum ſatietatem multatus, corpore tandem æger, ac propè cruciatibus mutilus ad Caſtellam redire cogitur. Hæc ipſa poſtremò nec minus atrox, quia ficta,

cta, itacundia Bregantii in domum Suarii omnéſque liberos ejus incubuit. Is quemadmodum ſupra retulimus pro Luſitani Senatus ſecretis miniſtrabat eo tempore in aula Catholico Regi, fidus olim Vaſconcello, at Olivario carior, quippe cujus arbitrio quondam indulſiſſe Olivariū Luſitanus exiſtimabat quò illius quæ tractabat gubernacula imperii ad libidinem, quæſtû, regníque perniciem devolveret. Porrò autem ex hac tanta Suarii per Olivarium potentia, atque gratia ſuas quoque præcipuas ſuſpiciones & cum ſuſpicionibus odia Bregantius abundè collegerat, ſimultates videlicet, & crebriores offenſiones, quas acriter ipſe cum Olivario contraxerat, & per quas ad extremā propè perniciem eouſque jactatus fuerat, ab eodem Suario excitatas, & per induſtriam auctas, atque innutritas fuiſſe: His cauſis Bregantius impulſus, utque à Suarii convulſa domo quaſi eam odio publico devoviſſet gratiſſimam ſibi, plebíque ultionem exigeret, imperavit, ut mater ejus, affines filii, cognati omnes in vincula ducerentur, neve amicorum colloquio amplexúque cuſtodiæ leniri ſeveritas poſſet, ſeparat carceres, ſicq; diſtractos, & omnium propè ſolatiorum expertes variis ſeorſum miſeriis affligat. Inter hos Suarii filia vidua erat inſignis forma, quam flos juventæ, & pudicitiæ laus, & nitor modeſtiæ inſigniorem reddebant, cúmque fœmina ſola, & in deſerta, & horrida ſede à quibus etiam cuſtodiri debet, nefariis oppugnaretur inſidiis, fortè ſceleſtior ex cuſtodibus unus ad obſcœnos Veneris impetus formæ cupidine magis incenſus proſtituere mulierem aggreditur. Miſcentur blanditiis preces, cumulantur promiſſa, & quæ dulcior captivo eſt ſpes libertatis obtenditur; nihilominus verecundia mulieris, moderatio, ſilentium, & quædam majeſtas, & ea quidem auguſtior verè modeſtæ, ac pudicæ, inſita formæ deluſis primum illecebris, & prævalente fortaſſe pudore coërcuere inſultantem. Deinde cum aſſiduo colloquio, pulcherrimi viſus objectu, gratóque rigore jam propè in amentiam tranſiſſet amor, ſciſſa pugionis cuſpide vena, cruentíſque deſcriptis, porrectíſque litterulis miles inſanam teſtatur cupiditatem, pretium ſanguinis pudicitiæ prædam à fœmina poſcit. At vehementiùs inde rejicitur conditionis imparitate, turpitudine ſceleris, & ad extremum uſque ſpiritum caſtitatis gloria ſervanda improbo militi oppoſita. Hoc ampliùs imputas accendit in homine flāmas, quemadmodum enim ad rem vetitā, oppugnatámque magis magíſque eam appetendo rapitur animus, ita ad Venerē ſemel præceps, violentius cum difficultatibus obluctatur, irrumpit. Itaque lenocinia, perblandas, inſidioſáſque preces, atque amatoriæ artis illecebras ne quicquam longo tempore miles cum fœmina expertus ad Philtra, ac veneficia projicitur tandem, erátque ibi ſecum Hæbraïcæ ſectæ commilito, qui multis in eo regno puellis hac arte illuſiſſe jactabat. Verumtamen ſeu quod hiſce commentis, & artibus doli plus, & fallaciæ ut quæſtu corruptis ut plurimum ſubeſt, ſeu falſa & ſua ſpecie incitatior validæ mentis apprehenſio, vel Deus ob mulieris virtutem, atque conſtantiam vim maleficam fregerit, ea per artem applicita fœminæ maleficia, & amatoria quoque pocula fruſtra conſumpta ſunt. Ergo ad extremum quod obcæcatæ libidini peccandique projectæ, inſanæque licentiæ reliquum erat, minis impius inſurgit, ac torvo aſpectu, rabido corporis motu, ita, & libidine miſtis ardentibus oculis, ni violari opprimíque ſe denique pateretur, mulieri necem interminatur: adjicit etiam ſeſe dicturum, in fuga deprehenſam cum ipſam retrahere, & ſecus nequierit perſequi injuriam ferro graſſatum eſſe. Mulier, quæ hunc extremæ dementiæ ictum conſultò prævenerat, cum dolo bono, malove ordiendo qui

in infirmioris naturæ ſubſidium accedit, longè aptior fœmina viro ſit, tunc mortis horrore ſuffuſam, metuque ſe victam ſimulat, ac fore aſſenſuram libito militis pollicetur; at extra cuſtodiam cùm Mantuam Carpetanam ad Patrem certus ſibi per fugam pateret acceſſus, ne amiſſæ fortaſſe dedecus pudicitiæ ſibi moleſtius, & gravius promiſſi ludibrio fieret. Re igitur ita reciproco dolo compoſita, miles dum pergit falsò creditæ fugæ neceſſaria paratum, id illicò mulier ſecretæ pietatis miniſtrum docet, cujus opera tandem mutatis excubiis, impurus miles, ſceleris ſibi conſcius, ac pavidus præcipiti fuga ſe meritæ pœnæ ſubduxit. Atqui nobilis mulier eò dignior viſa eſt libertate, quod illam pudicitiæ collatam ſpreverit.

Dum per hæc plena artificii ſupplicia Bregantius pro interceptarum epiſtolarum notitiis plebis ipſe rumores, minas ubique terroréſque oſtentando ludificat; quatuor, ac triginta navium Hollanda ex fœderis pacto diſpoſita claſſis Uliſipponem pervenit, at ea propemodum quaſſa, & velis antenníſque diſrupta, quippe quæ à Dunchercanis per iter invaſa navibus, navalíque conſerto certamine fuſa atque ejecta poſtremò, una inde amiſſa multíſque navibus laceris curſúque disjunctis ægtè dilapſa eſt. Poſt igitur viſos, collaudatóſque ſocios, largiúſque donis expletos Bregantius reſtaurari ſubitò naves jubet, vehementer ſuo ipſe animo anxius, ne forſan, ut paulò ante cùm Gallica claſſe contigerat, ſpes quoque rueret Bæticam occupandi, prætereà cum Medinæ Sidoniæ Ducem animo ambiguum, ac ſuæ parum fortunæ, ac judicio fidentem aſpiceret, ut eidem adjectis cum opibus ſpes, atque animos ſolidaret, præcepit etiam, ut quæ Luſitana tunc fortè navigia in urbis portu conſiſterent, celerrimè inſtructa ad naves Hollandas aggregarentur. Favere inſuper viſa huic Luſitani conſilio fortuna eſt, cùm Antonius Tellius Meneſeus, qui pro Rege Catholico Indicæ claſſis præfecturā inierat, per id temporis neſcius, quò Luſitana mutata res cecidiſſet Uliſipponem octo cum navibus appulit; ubi intellecto Ducem Bregantiæ in Regem recenter electum ea tempeſtate rerum potiri, patrii Regis amore, ac populari nomine captus, ſeu vi neceſſitatis adſtrictus, fidem quam Regi Catholico fregit, Bregantio alligavit, imperiíque ſtatim auſpiciis inverſis, claſſem quam à Philippo, & pro Rege Philippo modetandam ſuſceperat, jam in eundem hoſtiliter ſumpſit. Hollandis itaque navibus ex recenti clade refectis, illíſque duodecim etiam Luſitanis adjunctis ſex, & quadtaginta navium majorū claſſis Antonii Meneſii ductu Uliſippone diſceſſit. Erecta in expectationem exitus ſtabat civitas; per ingentem prætereà laborem, & ſumptum plebíſque ſubſtantias in pecuniarum collectione inſolentet expreſſas, redintegrata cùm eſſet claſſis, præclari occultíque alicujus magni facinoris attentandi cùm verbis, tum rebus extenta magnificè ſpes ea domeſtica detrimenta, ſuetáſque quærelas populo delinierat. Inter hæc ultrò, citróq; ſecretis remeantibus nunciis, id tandem inter Bregantium, Medinæ Sidoniæ Ducem Marchionémque Aïamontis convenit, cùm ſcilicet in Gadium proſpectu Luſitana ſtetiſſet claſſis, appropinquandi ſignum, rates tunc appareret in faucibus portus immobilis, ſimul vexillum inflexi, & cadentis in ſpeciem penderet ab arce: quibus cum cura exploratis ſtatim ad portum infeſta claſſis irrueret. Talia cōſilia tunc in Marchionis domo hac diligētia, & induſtria decoquebātur. Oppidū Aïamontis belli, quod tunc à Rege Catholico parabatur, deſignatum armamentarium duas fermè leucas Caſtromarino Luſitaniæ limite diſtat. Fluvius interfluēs utroſque fines diſtinguit, loci propteteà opportunitas, facilis amnis tranſmiſſio, exploran-

darum militiæ more terũ hoſtilium officium, & cura Bregantio, Sidonióq; pro hominibus ſibi fidis acceſſum, receſſumque ſpeculatorum nomine prætexebant. Marchio verò Aïamontius, qui & fidei erga Regem violandæ auctor in primis Sidonio fuerat, ubi fictos exploratores in ædiũ ſecreto recipiebat, acceptis, abditíſque Bregantii litteris, nonnulla tanquam noviſſimè cognita hoſtium conſilio bellico referebat, quæ vulgata ipſa erant, aut falſa, aut ita paſſim jactari Bregãtii intererat potiùs quàm Regis, Sidonio duntaxat in arcanorum partem aſſumpto, ex quorum collatis duorũ excuſſiſque maturè ſententiis ſeries inſidiarum, & occulta ſubinde decreta fluebant. Diutiùs hoc aſtu velata conjuratio proceſſit. Antequam igitur Uliſippone claſſis excederet, Bregantius hac via cõtorta Aïamontiũ, hic Sidoniũ citò monuerat, inſtructã jam eſſe claſſem, ac de littore propè ſolvere, nõ armamẽto claſsẽ egere, nõ milites animo, videret ipſe, recogitaret, ne fortè poſt primum Gallicæ claſſis quod inutile fuerat, experimentum, hic alter etiam conatus irritus, re porrò in ludibrium ſeu potiùs faſtidium externis accepta, ſpẽ omninò reſcinderet Bæticæ ſubigendæ; certa, atque rata jam erant proditionis indicia, ea diligentiùs obſervarentur. Hoc nuncio Sidonius, qui conſilio profectò minor, & animo conjurationem tãtam aggreſſus fuerat, ubi in rei peragendæ momento fluidas, enerves, ac valdè dubias ſibi reputat partes, non ſatis adeſſe ſibi pecuniæ, nec ſatis auræ ſecundæ populi omnia in majus augente metu, & priora, ac celeria conſilia ut temeraria damnante, ubi præterea cùm per injuriam, aut tempus ſecreti aliquid excidiſſet, minùs addictos ſibi reputat Duces, minùs milites obſequentes, qui animo abalienati jam inter ſe muginari, & ipſius quaſi ſpernere juſſa cæperant, ſimul & ipſum ubi ſceleris magnitudo, certa pericula, incerta præmia, tum animi labor, ac tædia curarum per ingenium volubile, æſtúſque varios incertæ mentis agebant, tanto oneri tandem ſuccumbens, ac rei pœnitentia repentè tactus nefaria conſilia diremit. Cæterùm Luſitana Hollandáque claſſis diù Bæticæ portus, & littora circumvecta, directis cum proris velle tẽdere Gades oſtendit, aliàs flatibus deſtituta inhæret pelago immota, aliàs aura propitia afflante propè jam perrectura circunſpicit portum, præſtitutũ certúmque tantummodò ſignum expectans, poſt plurimos dies vela nequicquã circunflectẽdo, curſúmque iterando conſumptos, inani denique gyro retorta, curſúque fruſtrà jactata, atque omni expectatione deluſa in Luſitaniam proras avertit. Profectò conſtat ea aviditate prædæ exitúſque concepti fiducia ſublatos claſſarios milites inſtitiſſe, ut inter navigationis moras, & maritimam quietem novos ex laceris velis conficerent ſacculos, & raptim veteres reſarcirent, tanquam opimis jam captæ, direptæque Bæticæ ſpoliis implendos. Ita excæcat cupiditas animos, deridétque fortuna, qui intempeſtivè læti, beneficiũ quaſi Numinis præſumentes triũphum ante adeptam victoriã canunt. Proinde multa cum ignominia, ac dedecore inanis, ac triſtis in ſpeciem Uliſipponem revecta claſſis, memoratu haud facilè quidem eſt quantũ rei vanitate Bregantiũ, populúmque concuſſerit, conſternarítque; integram enim Bregantius novi ſibi regni tenẽdi ſpem in ruina Bæticæ repoſuerat, quam planè tunc profligatã, nec rurſus tentandã poſt tot vacua belli conamina ſpem, ſumptúſq; profuſos cenſebat, & quanquã reſcripſerat ipſi Bregantio Sidonius ad tanti momenti negotiũ, rerúmque ab illo pendentiũ ingentem ſuſceptam molem, ne à principio res claudicaret præter Hollandam, ac Luſitanam, Gallica quoque claſſe, ut priùs data fide pepigerat opus eſſe, is tamen exiſtimabat velle nunc per ambages, & fucos eludere Sidonium, quod animi in-

opia

opia, & inertia, vel falſo judicio deliquerat, cùm exploratius, ac certius Bregantius haberet, vires & opes non defuturas fuiſſe, niſi robur, ac nervus pro illo opere aggrediendo Sidonii animo defuiſſet. Angebat quoque Bregantium, ídque aggravabat Principis curas, dum animo recurſaret, Hollandos Gallóſque cum tanto diſpendio, ac labore procul profectos, & ſemel & iterùm ampliori propoſita ſpe devolutos, ſibi minus in poſterum deditos; atque fidos, & ſi urgeret neceſſitas, fore. Accedebat & populi perturbatio per fora per circulos conquerentis, eſſe certa ſibi diſpendia ex truci pauperum laniena quæſita, intolerabilem inſolentiam, atque ludibria ferenda militum, incultos, & aridos agros, deſertas, ac propè vaſtas repetitis expeditionibus urbes, futuri verò per arma ſpem in ambiguo, vel irrito, vel improſperè deſinentem. Has inter animi curas, fluctúſque Bregantius, & tumultuoſas populi voces ut in regni poſitus tyrocinio cuivis auræ loquacis populi mobilis, trepidúſque ad regiam tandem, ſed iniquam profectò conſuetudinem revolutus, erraticæ, ac fluxæ videlicet mortaliū opinioni, levioribúſque rumoribus vulgi litare quandóque per hominū innocentiam, hancque immeritas pœnas reipublicæ luere, ſtatim Antonium Tellium Meneſeū exauctoravit inſontem, perinde ac ejus dolo, aut ignavia facinus aliquod ingens fruſtratum eſſet. Novo deinde, & egregio aliquo incæpto Bregantius, ut recentis jacturā, famámque ſarciret, claſſem quæ in portu tunc otioſa deſeſque jacebat, ad Inſulas Tertias adnavigare juſſit, ut quæ hactenus ibi inconcuſſæ reſtiterant, Caſtellæ reliquias perſequeretur. Eò porrò impenſiùs Luſitanis parantibus iter repentè ab Indiis allatum eſt; Angolam ab Hollandis unà cum arcibus interceptam, civitatem D. Thomæ direptam incenſam, ac propè cineribus obrutam; omnia per Hollandos hoſtilia, infeſta, cruenta in regione Indica eſſe; & quod longè plus moleſtiæ, & curarū in tāto mœſtis excidio multiplicabat, ad majora deinceps erectos hoſtes, prædarúmque dulcedine captos ferre illos tum cupidum animū, & propè æquales animo vires, & ſecundū fortunæ curſum. Perculit hæc improviſæ cladis notitia Bregantium, & quod hic primus fortunæ ictus in Luſitania regnātem lætáque ibi pace fruentem læſerat, & quod anxius animo volutaret, quid ingenuæ deinde, ac ſolidæ ſpei fideíque hærete poſſe in Hollando dum in Europa amicū, & ſocium, apud Indias acerrimum hoſtem ageret, & ea quidem ancipiti fide, atque animo affecto poſt hac uſurū Hollandū eſſe quo Luſitanas niſi prorſus accīſas ubique opes, ſaltem infirmas, atque labantes in Europa deſideraret, ut liberiùs ac tutiùs belli terrores, & clades valeat per oram Indicam fundere, & fortaſſe Regem Philippum poſtremò Hollandis conciliatū, erepta per illos in Belgio eſſe facilè relicturum, ut Luſitanum propinquum hoſtem opprimeret, cùm longinqua, & inter ſe diſſita imperia Hiſpanas profectò vires enervent, ac diſtrahant, contigua, ut Luſitania eſt, corroborent, intendántque. Has quæ Bregantiū moleſtè premebant, ſollicitas animi curas in Status Senatū tandem exonerat, requirítque claſſem ne Hollandam impunè dimitteret, an ut obſidem retineret donec reddita Angola eſſet. Re ea ſeriùs exagitata, & in acriorem conſultationē adducta. Æquè illa periculoſa & per ſe acerba planè res videbatur exaſperare, & contumelia laceſſere velle terra, maríque potentem Principem, addictū Gallo clientem, inimicum Hiſpano, & cùm adeò eo tempore in arcto res Luſitana & propè in lubrico verſaretur, contra ſe novos intra orbem Europæ concire hoſtes, per quos & gravius ſibi impoſitum onus, & Gallo amico moleſtia, & Hiſpano teterrimo hoſti inter enatas amicorum diſcordias prævalendi op-

portunitas fieret. Indiarum præterea tractum nuper Hollandum contracti fœderis lege conſultò ſolviſſe: nec porrò eſſe Principi abſurdum, aut inſtitutis Politicis novum, amici, hoſtiſve viciſſim, aut ſimul per partes perſonam aſſumere, quando conſtet id utile eſſe, nec jure fœderis caveatur. Satis peti à Principibus, ſi ſtare pactionibus placeat, quærere ulterius, irriſionem, aut fraudem id potiùs referre quàm fructum. Ad extremum, ut planè fas, ita neceſſe pariter eſſe, potenti, ut impotens cedat, & valido infirmus, & niſi totum rapinæ, & unguibus belli, vel melior pars ſubtrahatur. Hoc modò Luſitaniæ intereſſe, & quod utilitas potiùs, quàm quod ira, ſeu ultio poſtulet ex jure officii eſſe Regibus cogitandum, ſi fortè aliquando, ut nec exigua ſpes erat, fortuna vertiſſet, fore ut ab Hollandis & res amiſſæ, ac pœna ſimul repeteretur. Hoc ergo Senatus conſulto decretum eſt. De Angolenſi jactura, & alterius urbis excidio per id temporis ſileretur. Ea interim per Europam, quam dediſſet occaſio ab Hollandis utilitas captaretur. Deinde & rurſus probata ad Tertias Inſulas expeditio, & Hollandas, Luſitanáſque naves quamprimùm è portu ſolvere juſſum eſt.

Quæ res ut magis eluceat, eam altiùs reſumere oportet. Ejurato per Luſitaniam Catholici Regis imperio, eóque à Bregantio legitimi, ſed per injuriam quod ejecti hæredis nomine aſſumpto, hic omnia terreſtria, ac maritima ſimul dominia quæ Luſitano cohærere regno computabantur, tanquam ſui juris recipere ſtuduit. Harum Inſularum quas Tertias appellant, Madeta prima quæ dicitur Inſula Luſitana per arma tentata nullo negotio ſtatim expulſo Caſtellæ præſidio plus voluntate, & amore, quàm armis novum Principem ſubiit. Hujus Inſulæ caſus ſtudio, exemplo, vel metu perculſa reliqua quoque volvit. Una tantummodo fida, atque integra huc uſque Catholico Regi ſupererat Inſula Angra. Valida ibi erat, opulentaque urbs, ſed commodior ibidem, ac fortior quæ urbi arx impendebat, multo ſcilicet milite, multo alimento, ducentis propè majoribus belli tormentis, tum & impigro Præſide communita. Hanc ipſam in primis ad fidem mutandam per clandeſtina colloquia ſollicitatam urbem, erga Ducem Bregantiæ pronam conjurati cùm inveniſſent, veriti poſteà, ne deſciſcentis, tumultuantíſque ille motus initiò urbis, arcem & eam expugnatu quidem difficilem, ut ſibi caveret, admonuiſſet, tali propterea dolo fruſtrà antecapere arcem conſtituunt. Luſitanus quidam nobilis adoleſcens coætaneis amicis, & quibuſdam interdum arcis militibus Præfectóque lautiora domi ſæpè ſolebat inſtruere convivia. Per hunc juvenem conjurationis participes ſtatuerunt, cùm incautè diſcumberet, arcis Præfecto tendere inſidias, cunctíſque tum vino, epulíſque ſolutis inter pocula, & jocos per reſperſam, ac pollutam ſanguine menſam paratis militū globis invadere in arcem. Ita loco, & cædis tempore ſtabilito jam appetebat cruento convivio deſcripta dies, cum arcano temerè lapſo, eóque arcis Præfecto fortè ſubolito, hic ſtatim colligere milites, arma commeatus abundè, parare impigrè omnia quæ aut externæ vi retundendæ, aut obſidioni diutinæ tolerandæ paulò poſt uſui futura eſſent. In hunc modum disjecta fraude, & urbe ſeorſim Bregantio fidem ſpondente, cum vi inacceſſibilis eſſet arx, fame illam vincere hoſtes aggrediuntur: & revera Præfectus ſatis alimentorum munitioníſque in arce ſubvectum habebat, ſed cùm incolarum intellecta perfidia & inſidiis, ſenſibúſque cruentis, qui erant in loco origine, aut animo Caſtellenſes ad arcem ſalutis cauſa magno numero confluxiſſent, ingraveſcebat quotidie cibariorum

inopia,

inopia, duplicabátque egeſtate ſollicitis curas humani ferè nulla ſubſidii ſpes, & quod neque currentium ordinem rerum, neque Regis Catholici mentem reſcire poterat Præſes in extremo quaſi Orbis angulo clauſus, & undique hoſtibus, mari, ac ſolitudine circunfuſus. Igitur poſt ſæpius adverſus arcem retentatas ab hoſtibus labes, & crebriores impreſſiones, ultimúmque malorum famis terrorem præſentem impreſſum ſegniores cùm hos laſſitudo, hos deſperatio exanimatos haberet, induciæ tamen utrinque his conditionibus pactæ ſunt, ut nempe arcis obſidione remiſſa, ad vitæ menſuram incluſis in illa quotidie alimenta miniſtrarentur, donec rei certior Bregantius per litteras factus hominem deſignaret, cui arx illa tradenda legitimè foret. Vera hæc, & extrema expreſſa neceſſitate, an temporum ad captanda intervalla ab arcis Præſide ficta eſſent, opportunè ad Bregantium delata ſunt, poſtquam ſecundo jam irrito incæpto, ac ſpe prorſus abſciſſa Bæticæ capiundæ vacabat in portu claſſis. Eam itaque claſſem, ut ratio, & oblata in tempore occaſio monebat, velificare ad Angram Inſulam jubet, imperium, quo falleret plebem, Meneſeo ſublatum, ad Triſtanum Mendozam transfert, húncque ritè delegat, quemadmodum pacto apud Angram ſancitum fuerat, ambiguam ut arcem ſuo nomine acciperet, ſimul ut copiis ſibi commiſſis per eas regiones deleret, ſi quæ ibi fortè reſidua Caſtellæ ditionis nominíſque veſtigia eſſent: quatuor, ac triginta naves Hollandæ erant, duodecim Luſitanæ, incertum, ancépſque ſemper futurum in bello ſubſidium, Regibúſque omnino cavendum, ubi externæ cum domeſticis miſtæ vires exuperant. Et re vera ab initio corruptus, averſúſque Hollandorum animus patuit, eorum quippe naves ad quæſtum magis quàm bellum compoſitæ, & tanquam nundinas peterent congeſtarum undique mercium onere implicitæ gravabantur, id magis, non prohibente, quàm approbante Bregantio, ne illorum ſeceſſione, ſi fortè is obſtitiſſet, prorſus amitteret claſſem, neve extenuatis, & modicis palam opibus explicatis opinio ipſum, & fama quæ per ſe ſola non pauca inter homines conficit, deſtitueret. Hoc ipſo apparatu claſſis Triſtano Mendoza Duce Uliſippone deceſſit. Poſtridie turbido mari, pleno minarum cælo, ventóque adverſo intumeſcere fluctus, æſtúſque miſcere, connitentibus verò nautis, varióque velorum flexu fruſtrantibus auram, hæc inoffenſa dies, at ſummo labore tranſacta eſt, fœdior dies altera fuit, & cæli, maríſque jactata terroribus, quippe atro nubium globo validior, & copioſior cum vento nimbus effuſus, cùm coorta tempeſtas fureret, immanéſque undarum moles evolveret, vagè fluitantibus proris, nec regi quoque ſinentibus clavis, víque artem ſimul, artificéſque trahentes, diſtraxit, & rapuit quò fluctuum illiſio, quò turbinis furor agebat ſummo cum impetu naves, & quidem Hollandæ, antequam ſævire tempeſtas inciperet, quò eas ventorum vis impellebat, incolumes ſinum Brittanicũ tenuere; Luſitanæ verò cùm deſtinatum perficere curſum cõtra maris, cæliſque rabiem vehementer incumbũt, diù circumactæ ventíſque luctantibus hinc, inde contortæ aliæ in Angliam tandem abſtractæ, aliæ ſaxis ejectæ, ac laceratę ſunt. Navim, quam Admiraliam vocant rapidus vortex momento evertit, ſubvertítque ex ducentorum propè militũ numero nec uno prorſus elapſo. Prætoria duntaxat navis, Triſtanum quæ Ducem vehebat, recens cùm eſſet ſolidiúſque pacta peritíſque nautis, & armamentis inſtructa, idcirco ſola ſe videbatur, aut nulla quidem alia ſeſe vectoréſque procellæ ſævitiæ, truculentíſque maris fluctibus erepturа. Triſtanus

tamen rei nauticæ rudis, aut nimia formidine perturbatus prætoria inconſultò relicta navi in ſcapham deſcendit, facilius ea poſſe ratus attingere littus. Cæterùm vixdum maritimam leucam, terram petendo egerat, cùm ibi contorquens ac ſuper urgens unda naviculam immenſo tandem gurgite hauſit. Periere illic fluctibus obruti Triſtanus Mendoza, ejúſque maior natu filius, ſimul plures nobiles Luſitani, qui officii, & amicitiæ cauſa in itinere Ducem comitabantur. Amiſſa præterea ſunt quadraginta aureorum millia, quæ pro Inſularum præſidio repoſita fuerant. Paucis interjectis diebus prætoria illa navis velut miraculo tandem ſubtracta naufragio Ulisipponem reverſa eſt, ſed propè quaſſa, rimíſque conſciſſa. Ex ea Bregantius poſtquam rei præteritæ ordinem intellexit, mœrore ſimul & ira ſuccenſus, vel ob culpam ita confictã prætoriæ ab Duce deſertæ navis, vel quia ſolitum erat illi fortunæ defectus, caſúſque quando id intereſſet, criminis loco ducere, magnam Vaſconcelli interfecti bonorum partem quam Triſtano erga ſe parto pro merito dederat, ejus hæredibus abſtulit, & fiſco addixit. At navium Belgarum Duces quæ à Luſitanis ante tempeſtatem avulſæ in Hollandiam ab Anglia trajecerant, mercibus ibi, quas ab Hiſpania vexerant poſitis, ubi ingentem, ac ditiſſimam navim, quæ Luſitana erat, venire ab Indiis accipiunt, in illam confeſtim ampliſſimæ prædæ cupidi ſelectis cum undecim navibus advolant. Poſt triduum maritimi curſus Luſitana navis impegit: agiliores naves Hollandæ erant, clavíque faciliùs verſatiles nutui; Luſitana corpore ac mole maior & plenior, ac penè in Turris erecta faſtigium, idcircò & ſuo, & congeſto intus pondere gravior ægrè ipſa tractabilis erat. Igitur aura ſecunda propiùs Hollandæ naves allapſæ hærere modò, modò appetere, circuire Indicam navim, ac ferreas propè manus injicere, cum copioſa, ac peſtifera ſubitò navis glandium excuſſa procella, coërcuit adverſas, latáque cæde temerariè accedentes afflixit. Deinde variante ſæpiùs cælo, ac mare vario marte pugnatum, quatriduò donec navium certamen extractum bellicum pulverem tandem Luſitanis abſumpſit, atque ita exarmata navis, ac penitùs victa, quas vehebat ipſa divitias, in Hollandorum manus expoſuit. Ea ipſa re igitur paulò poſt Ulisippone comperta, ne dum ſociorùm explorata perfidia, rupto jam intra fines Europæ fœdere, Bregantium intimè pupugit, ſed cum tot belli expeditionibus irritis, ſine ullo reipublicæ uſu perfractum jam eſſet ærarium, maximè doluit, quod tunc illas ruinas, & publicas clades quæ graviores quidem in debili regno reputarentur, præſentis quoque jacturæ calamitas premeret; cum ſolito acriùs propter Caſtellæ finitima belli apparatus obſtreperet. Novis idcircò inſolitíſque tributis in ſubditos cumulandis intentus primò omnium civium pecunias, & opes cenſuit, partémque ſubductam reipublicæ attribuit; gravior in ditiores deinde, & mercatores pleróſque fortunarum pernicies quos quadraginta nummûm millia coëgit per ſingulos menſes perſolvere, umbraticis quibuſdam radicibus ad uſuram conceſſis. Mox ædes ipſas Bregantius tributarias cenſendo fecit, nec heri duntaxat quæ ſui juris erat, ſed inquilini etiam compellebantur domus locatæ tributum pendere. Profanos præterea, Eccleſiaſticóſque proventus, ad eos pertinentes, qui Luſitani in Caſtella ſua ſponte, aut inviti degebant, omnino ærario ſepoſuit. Singulos denique Luſitanos ex redituum centeſima unoquoque anno vigeſimã partem in ærariũ conferre juſſit, quique novas in regno res ſtudioſè nimis quæſierãt, ut tributorum oneribus levarentur, quemadmodũ illis contingit qui tædio vel odio

rerum

rerum præſentiũ ea, quæ futura ſunt, iis, quæ ſunt meliora plerumque ſomniant, nequaquã rebus ex ſententia mutatis, in fœdiorẽ profectò inopiã demerſi ſunt.

Inter hæc Badacocii, qui Caſtellæ terminus eſt Luſitaniæ continuus militum copia, & virtute, cùm Rex Catholicus ita juſſiſſet, exercitus parabatur. Præerat his recèns collectis undique copiis Monregius Comes, vir quidem ex intima Olivarii clientela, ſinúque qui Neapolitani regni regimine functus nuper ad aulam venerat, & ipſe experrecto, ac vivido ſatis ingenio; ſed in illa Ducis electione quærere potiùs amicum ejúſque partibus implicatum viſus eſt Olivarius, quàm qui dignum præſtaret tanto munere virum. Conflatum ex legionibus ſeptem exercitum duæ maximè roborabant, quam nempè Ludovicus Saavedra Rivæ Marchio bello Belgico clarus, & quam Falcenſis Marchio Hiſpaniæ magnatum numero adſcriptus ducebant, in his enim Ducibus ſpectata generis claritas, atque virtus nobiles plures juvenes ad belli pericula illexerat. Tria circiter millia equitum Antonius Paceccus regebat Ducis Scalonæ frater. Ita porrò equeſtribus pedeſtribúſque luſtratis copiis in legiones, auxiliarias cohortes, turmáſque diviſis duodecim ferè peditum tria millia equitum ſub ſignis Caſtellæ aderant. At bonus, ſtrenuúſque miles capite laborabat, cujus, ſeu fortuna, ſeu virtus totam martis aleam circũferre videtur. Quamquam enim Monregius Comes ad res ſtatus Politici temperandas ſublimi, acríque præcellebat ingenio. Ea tamen ars quaſi arti bellicæ adverſa eſt, illa ſiquidem tota rationi, & conſilio, hæc impenſiùs fortunæ paret, & alia per ſe cautioni formidini ſemper admiſta, alia audaciæ conjuncta eſt. Acceſſerat belli in eo Duce imperitiæ, ac ſtudio à belli ſtudio curíſque alieno gracile, æffeminatum, ac molle corpus, quale fovet ac paſcit aula & in ſumma fortuna, ſumma licentia, & paria quoque vitiorum oblectamenta, ſupra quæ voluptatis, ac luxus artifices etiam Neapoli ad aulam conduxerat, quódque illic bonæ indolis, valetudinis, animi corruptela, & inanis illecebra cum ſervitio ſpiritus eſt in ſedem regnatricem invexit. Prima igitur illius militiæ rudimenta fuere aſſiduis hiſtrionum intereſſe ſpectaculis, prioribúſque præ ſatietate dimiſſis, exquirere novos, qui faſtidium, ac tædia, quæ voluptas quæ citò implet, adducit, varietate lenitent, non actione præſtarent. Ad hæc parte ſubtracta militaris ſtipendii in ſcenicos ludos contribuere milites juſſi, ne inertia ſine mercede, ne impunè intempeſtivæ delitiæ forent; ſimul epulas peregrinas apponere, vina egregia, & Italico more conditas aquas propinare conviviis, tempus & otium, quod laſcivienti Principi multum ſupererat in comeſſationes, choreas, ſymphonias, aleam, luſúſque pueriles conferre. Ita ergo Ducis, Principíſque inſtituto totus jam miles labefactatus, & plerique ſcortis & popinis implicitì amare, potare, feroces in jurgiis, pavidi in acie, imbecilles, inertes, ſibi invicem diſſidentes de præda, & libidine, non de belli gloria, & virtute certare. Ea porrò luxurie, ac deſidia, quæ velut tabes vulgò ſerpebat militum animis reſolutis, ac depravatis, cùm propè in ludibrium, & jocum converſa apud milites eſſet Luſitaniæ recuperatio, magni tunc planè momenti dilapſa res eſt, Elvum ſcilicet Tranſtaganæ provinciæ caput, clavémque regni per proditionem recipiendi. Erat per id tempus huic validæ civitati præpoſitus Matthias Alburquercius ſummè fidus ipſe Bregantio; at cives aliquot ibi nobiles vel propenſione in Catholicum Regem, vel ſimultate potiùs, quam cum Alburquercio acriter exercebant, impulſi, clam in urbem

conſenſerant Caſtellæ exercitum introducere, quæ hujuſmodi induſtria res ad autes Comitis penetravit. Conſciorum quidem urbano mutaro cultu, habitúque paſtoris amictus, velut pecora pabulatum agendo propiùs ad hoſtium ſtativa divertit. Eo loco ut idem animo intenderat, obvius ab hoſte facilè captus ſupremi Ducis congreſſum poſcit; ſtatim hoc impetrat, verba enim ejus, & frons, & oris lineamenta, geſtúſque aliquid altiùs ea ficta ruſticitare oſtendebant. Proinde ad Monregium illicò adductus remotis arbitris declaravit genus, patriam, amicorum ſecreta conſilia, mentémque opportunitatem agendæ rei, cùm diſcors nobilitas eſſet, cauſámque diſſidiorum ipſum Alburquerciū civitatis Gubernatorem haberet, quæ incitamento debebant eſſe facinus maturandi. Porrò autem adeò ſibi eſſe ſtrenuas, ac fortes hærentes in urbe parres ut iiſdem nervis, ac viribus ſiſi poſſe neque inconſuliò putarenr incolumem, incruenrúmque ſive clam, ſive palam intra Elvi mœnia recipere milirem Caſtellenſem; tanto verò faciniori, ut ea ſpes ſecundùm induſtriam, & ordinem rerum haud ſanè debilis erat, ſuffragante fortuna, totiùs fermè Tranſtaganæ provinciæ tractum propugnaculo deſtitutum, arque nudatum, quæ ob miram ſoli fœcunditatem provincia Luſiraniæ dicitur horreum ſeu vi, ſeu ſpontè haud ægrè tandem Philippi ad obſequium rediturum fuiſſe. Omnia hæc ejuſdem ad nutum ſummo cum ſtudio, atque fide tranſigere ſocios paratos eſſe, niſi occaſionem ipſe contemneret, atque in illo rantùm negotio pro ſæpè alias oſtētata virtute cumulatáque nominis laude ſibi diſſimilis eſſe vellet. Ad ea Monregius laudat in primis Elvenſes, & maximè fidem præcipuis laudibus ornat, deinde ſe ſeriùs omninò reſpondet ea de re conſulrurum, nam ratione, & providenria magis, quàm impetu aut incerto fortunæ arbitrio ſummi Ducis obire munus benè ipſe fixum ac deſtinatum in animo habebat. Illi inrerim colerent fidem, operíque conficiendo aptiora inſtrumenta pararent, ampliora profectò apud Regem ſolutæ fidei quàm obligaræ apud Tyrannum perfidiæ præmia adepturi. Hoc reſponſo,atque eadem ſimulata perſona inremuncius remiſſus,amicis cūcta,ur juſſus erar, expoſuit qui dum labore,arte, & cōſilio conjurationis propoſitæ fila deducere ſtudent; Monregius contrà plus ingenio meticuloſus, & iners, quàm animo rectè cautus, dum rem extricare, ac benè dirigere quærit, aliis ex aliis, & ultrò quæſitis tricis implicitus ſecum ipſe ratiocinando volvebat, an per inſidias hoſtis Ducem exercirúmque eo verſipelli commento peteret; jam per abditas voluntates, multiplicéſque naturas varia verborum, & cogitationum hominum involucra, & quamplura quoque funeſta, atque publica exitia veniebanr in menrem dolis ſimilibus accerſita, jam Luſirana ſuſpecta potiſſimum fides; interdum pro tanti momenti re, ac ram facillimè expedienda fortunam quoque ut immodicè blandienrem horrebat, modò ſibi, modò laſcivia, otióque laſſato, ac planè corrupro militi diffidebat. Ita huc, atque illuc tum ſpei, rum metus per diverſa viciſſim objecta argumenta ſive contraheret, ſive explicaret ſeſe cogitatio pro negorio deliberando jactarus nullum exitum reperiebat. His difficultatibus circumventus addere moras Monregius ubi erat opus celeritate, ac prolatando conſilia diſſolvere, undè is & pericula conjuratis,ſibíque noram ignaviæ ac dedecus faceſſebat. Igitur ulrrò, citróque ſæpè miſſis, remiſſiſque internuntiis, ubi illi peſtiferam tarditatem accuſanr, & importunum languorem animi, eos verò Comes verbis inanibus paſcit, ægrè diutiùs ſuppreſſa manavit randem ſuſpicio, ac Breganrio continuò

continuò delata acerbas, & graves Elvi quæſtiones excivit. Conſilii tamen participes pauci, & cùm viri ipſi nobiles eſſent, raro exemplo inter ſocios immania quæque tormenta perpeſſos, ac doloribus cruciatos nec ſecretum nec fides prodita. Planè conſtat ipſum Matthiam Alburquercium ut contagione partium afflatum, falſóque in ſuſpicionem, ut poſteà patuit adductum, à Bregantio ſubinde Elvenſi regimine amotum, eíque ſtatim Alfonſum Melum ſuffectum eſſe. In hunc modum disjecta Elvenſis tandem eſt conjuratio, imperitia nempè, & errore Caſtellæ Ducis, dum conjuratorum promiſſa neglexit, aut longius extracta, quàm opus eſſet, mora, & inſcitia corrupit. Quod enim ſtrenuè, & intrepidè Elvenſes rem illam ſuſceptam, eadémque conſtantia agitatam, & ſubtiliter ductam, exterior ſi in tempore vis acceſſiſſet, alacriter etiam peracturi fuiſſent, ſatis vel illud eſt argumento cum tormentorum contemptus, & ſuperior ſuppliciis, ac terroribus animus, tum per egregia in ſuſtinendo ſilentio fides, nec porrò tantùm in cauſa detrahere Monregio debere fiduciæ vetus tunc videbatur Luſitani in Caſtellenſem cognitũ odium, quantũ utiq; adjicere, quæ recentes jam inter eos iræ, ac ſimultates exarſerant, cùm longè plus ūrant animos illæ quidem irarum faces, quæ à privato excitantur, quàm quæ à publico odio, & fortuita quandoque res id inter arma facillimè obtineat, ad quod ingentes ſæpè conatus obtorpuiſſent. Talia dedecora ac detrimenta militiæ ubi & pejora quoque ſubinde paveſcens Monregius mente recurſat, ſubit animo cogitatio, opus ſcilicet eſſe ſibi miniſtro, qui conſilio, ac militari prudentia ejus corrigeret imperitiam, animíque remiſſionem intenderet. Ademptum proptereà Frigiliano Comiti quod laxiùs hucuſque tractaſſe apparebat regimen Badacocii, juſſu Regis, impulſúque Olivarii idem Monregius curavit ad Toraltum Marchionem transferri; quod illa quidem modeſtia, & animi æqualitate Frigilianus accepit, ut priſtino cultu, & obſequio nihil omninò remiſſo in promiſcuam honorarii militis ſortem, ne à bello vacaret, ſua ſponte tranſierit. Erat autem Toraltus vetus, clarúſque miles, quíque parta gradatim per belli munerum incrementa uſu, virtute, ac diſciplina militiæ florebat. Hic ergo tutelam, ac regimen urbis, quæ belli ſedes erat, ingreſſus, ſumma ope primùm contendit revocare militiæ morem, ſtatas per orbem vigilias duci, adeſſe ſub ſignis militem, dictóque parentem eſſe; ignaviæ ac luxuriæ prorſus dehoneſtamenta convelli. Ad hæc laboris aſſiduitate, atque ſtudio cùm vitiorum fomes, videlicet otium elangueat, ut contra excitatur militum virtus, ob id arce nova circum extructa laſcivientem, ac deſidem militem exercere, ac ſimul urbem præmunire conſtituit. Urbs Badacocium ad teli propemodum jactum Anam nobile flumen habet, quod amplioti inibi ſinu, fluxúque liquidas undas agens in circumjectam ſe planitiem effundit. Ad ulteriorem fluminis ripam arduus, abruptúſque prominet collis, qui ſi arce quandoque firmatus eſſet, & flumini, & urbi tum cuſtodiæ, tum ornamento futurus fuiſſe à belli peritis reputabatur. Hoc itaque loco ab armis tunc feriantium opera militum arx quàm citiſſimè extructa, munitáque eſt, cui & ſancti Chriſtophori nomen inditum, atque ita quidem excuſſo laboribus otio, pauliſper à licentia, & conſueta militum præda, & rapina ceſſatum eſt.

Inter hæc Alfonſus Melûs Tranſtaganæ Provinciæ Præſes Olivencam, Elvum, Campomajorem, regionis ejus oppida inſignia circuire, munire, vallare præſidiis, commeatibúſque paſſim

ſim advectis proximo bello ſatis proſpicere ſatagebat, cúmque undique belli fragor, & violentiùs mox erupturus exaudiretur, militum leves interdum incurſiones, aut lignando, aut pabulando hinc, & inde pro tempore, aut fortè intentæ majoris aliquando conflictus occaſionem interponebant. Pares fermè utriuſque exercitus vires in armis, & pro acie conflanda erant: at longè diverſum utriuſque propoſitum, habitúſque Regii Caſtellæ milites in ſtatione, aut propinquis hoſpitiis agebant ad claſſicū bellíque quodcumque ſignum omnes parati, inſtructíque Luſitanos diviſos, ac vagos præſidia pleróſque certæ urbes, & oppida continebant, ægrè ſanè coëundos in unum, nec niſi prælii neceſſitas poſtulaſſet. Conſilium Caſtellenſibus erat oppugnare, laceſſere, irruere quamprimùm in hoſtem, occaſionéſque captare conflictus, Luſitanis ſua quaſi jure retenta tueri, cunctari, circunſpicere omnia, & quando impetere vellet hoſtis, ejuſdem retundere aſſultus. Pro rerum, quæ ſupererat, copia, ſuperbia, inconſulta fiducia Regios, hoſtíſque contemptus improvidos; ea ipſa rerum inopia Luſitanos induſtrios, impigros, anxios & cautos pluſquam, & ſi læſi, irritatíque fuiſſent, iratos ad certamen mittebat. Amor denique patriæ, natalis tutela ſoli, aræ, fortunæ, foci, conjuges, liberi in commune diſcrimen conjecta Luſitanis quamvis belli pondere feſſi, & magnopere exhauſtis conſilia vires, & animos miniſtrabant. Ut de alieno, vel de averſione potiùs imperii, vel gloriæ bellantibus Regiis hebetiores in animo ſtimuli, inaníſque ante oculos fulgor obſervabatur. Cæterùm parva res, ſed ardore contentionis, & quàm pro numero militum major in hunc modum primùm utriſque animorum, & virium experimentum poſuit. Vere dilapſo anni fervebat æſtus altæque ſegetes, ut in agro feraci, atque attentiſſimè culto, gravidæ in meſſem pendebant; tunc Comes Monregius ſuadente Toralto, mille, & quingentos equites miſit, Ductore Teraza ad agros hoſtiles urendos, populandóſque magni momenti futurum ad reliqua agenda ratus, ſi incendio corrupta meſſis rei frumentariæ penuriam induceret hoſti. Conflagrabat itaque ſeges, ignîſque fumó, cæde, & clamore permiſtus longè, latéque belli terrorem intulerat, cùm cladem illam agrorum ab Elvo Melus aſpiciens ad mille raptim collectos equites ire hoſtibus obviam, & communes ultum injurias juſſit, mox propiùs applicitis, ac ſimul concurrentibus equis circa Elvum prælium conſeritur atrox, adeptæ trahendæ Regiis, abſtrahendæ Luſitanis prædæ ſollicitis. Luſitanus, ut ipſe expeditus, & rapido curſu, impetúque invectus in hoſtem fortè ſuperior in primo congreſſu fuit, multíque hoſtium pars cæſi, pars vulnerati, locóque motus regius ſubinde miles, ac trepidus jam fugam circunſpectabat; per agros enim eorum plerique diffuſi, ac nimia fiducia palantes, alii cædibus, alii facibus miniſtrandis, præda, & rapina quamplures, & onere ſarcinarum impliciti erant. At viſó deinde periculo ſociorum, abjectis ſtatim impedimentis, ubi coëunt, atque aciem properè intendunt, laſſíſque integri, & majori etiam numero incurrunt, prælio tum verſo, trepidare, ſenſim effluere, ac flectere ordines Luſitanus, variante tamen fortuna prælium utrinque ſæpè remiſſum, ac penè intermiſſum, ſæpè fortiter reſtitutum diutiùs utroſque eventus ancipites tenuit, donec Didacus Bravus Caſtellenſium equitum turmæ Ductor dum ſocios hortatur, dum eos quoque voce manúque juvat, ſeſéque ubi gravius periculum urget, impavidè offert, brachio tandem, & humero ſaucius cum ejus militibus viſus eſſet, tum quaſi ignominia,

minia, tum dolore percuſſi Ducis, tantùm illis pudoris, atque irarum accendit, ut conferti, novóque ardore, impetúque ſeſe in oppoſitos inferentes hoſtium ordines ſtatim perrumperent, perruptos diſſolverent, & in fugam ſolutos perſequerentur. Cæſi ex hoſtibus ſupra trecentos ex victoribus in varia illa pugna propè centum interiere, ſauciorum major numerus fuit. Hoſte victo, fugatóque, & quàm metu projecerant cum gaudio præda recepta, continuò Teraza propinqua Caſtella expugnatum alacrem militem ducit. Quâ equeſtris hic exercitus incendebat, ubique incendia, hominum fuga, tumultus, & plura patentia, & minora curſim vaſtata, ac diruta propè oppida ſunt. Inter hæc maximè unum erga Bregantium memorabile quidem exẽplo, id niſi error, aut ſupeſtitio labefactaſſet, fidei conſtantiam exhibuit. Oppidani poſtquam in turba, & rapinis, armis, miniſque infeſtum, ſucceſſúque tumentem adventare præſentiunt hoſtem, unà cum opibus oppido ſtatim relicto, nonnulli diffugiunt, numero plures ad ampliſſimam turrim, quæ propiùs erat, evadunt, certi iidem animo, obduratíque cruciatus potiùs omnes, ac mortem, quàm voluntariam deditionem ſubire, rudíque vulgo illam animi pertinaciam Parochus quidam fortè ibi incluſus indiderat, ille ipſe credens, aut ita fortaſsè credi fallaciter volens, juſto pro bello vel ſponte perire, id ipſum ſacri martyrii coronam aſſerere. Fugitivorum ergo refertam Caſtellenſis Dux circumvectus cùm equitibus turrim ad deditionem pacificè primùm cohortatur obſeſſos, ut ſuam citiùs experiri clementiam, quàm militum rabiem malint, ídque eis per præconem ſemel, & iterùm inculcari præcepit. At illi ſtultè feroces, maledicere hoſti, pungere contumeliis, in meliori tanquam fortuna poſiti petulantiùs jactare minas, acriúſque verbis, & rebus promptos injuriæ vindices inflammare. Tunc inani ea fiducia indignatus Teraza, ac ſimul etiam miratus adeò inſulſos, adeò ſuperbos homines illos in extremo quoque periculo furere, atque inſanire, ſucciſa virgulta, ac ſicciora quæque ſacramenta cum arida paſſim ex campo collecta materia congeri juſſit, illicò ignem turri ſuppoſiturus, niſi aliquid Luſitani de ſua duritie, atque inſolentia remitterent,& hoc tertiò illis etiam per præconem indici mandavit. Verumtamen circunſeſſi jam altiùs ſuperſtitionis errore capti, ídque martyrii differre triumphum, & gloriam tantummodo rati quod interpoſitus eſſet murus, accedere faces, comburi turrim, trucidari, cremaríque corpora reſponderunt; nam pro regia occumbentibus fide mors initium beatæ, & miſerrimæ vitæ finem conſtituiſſet. His auditis repentè riſum Teraza ſuſtulit, *& his porrò cæſis litemus victimis*, inquit, *tali perfidia capiti, Genevenſéſque faſti magna iſta nomina celebrent.* Itaque ſiccæ atque aridæ cumulatæ circum materiæ ſuppoſita flamma, cáque vetuſto atque exeſo ſtatim correpta lapide, facibus etiam in turris fores, in tecta conjectis, cùm per ima, atque ſumma latè globos tendendo ſerperet ignis, voracíque illo impetu quidquid afflaret, abſumeret inter exuſtæ domus ruinas, candentes paſſim acervos, ac torrida ſaxa horrore tãdem, ac ſtrage cuncta complevit. Plures igitur ſemiuſtos, & laceros hoſtes atque ignibus mutilos ardentium poſtaſſium, & trabium, & ruina ſaxorum oppreſſit, pleroſque omninò celerior vis flammæ peruſſit; aliqui per tumultum, aut ſaltum temerè incendio erepti in circunfuſas, foríſque ſtrictas militum cuſpides incidentes protinùs trucidantur. Ita ſanè obſeſſorum ex numero utriuſque ſexus ingenti nemo ſuperſtes evaſit. Poſt hæc præda, & rapina equitatus onuſtus, ac victor ad Monregium regreſſus eſt, qui

Teraza,

Teraza, atque Bracco laudibus cõmendatis, ad longè inde majorem elatus ſpem capere quoque Olivencam improviſo impetu cogitabat. Hoc oppidum ſitu loci Caſtellæ finitimum, omníque belli munimine hac tempeſtate clarum ab Anæ latere poſitum Badacocio quinas circiter leucas abeſt. Utriuſque propè confuſos limites regni vaſta nec fluvio ullo, nec monte, ne ullo intercapedinis ſigno diſtincta planities miſcet. Frequenter idcirco accidit, ut vigiliæ vigilias hoſtium, & ſtatio ſtationẽ adverſam præmeret, & ſive aquatum, ſive lignatum uterque vagando pergeret miles, cæde, & cruore cuncta redimere cogeretur. Monregius itaque Comes quò nobilis oppidi additamẽto etiam inoffenſo, certóque uteretur pro militibus campo Olivencam intercipere ſtatuit. Tanti momenti gerendæ rei Martinus Moxica cum legionibus tribus eligitur; huic & Teraza majori cum parte equitatus adjectus. Progreditur acies; ſed tantùm moræ interpoſuit hic lentè, ac remiſsè pergendo miles, ut non niſi provecta jam luce in oppidi aſpectu conſtiterit. Cæterùm cùm eo tempore fortè imparatum, ac nihil tale timentem hoſtem, tum ferè deſertas murorum cuſtodias, & omnia ſoluta, ac neglecta apud hoſtem præter ſpem nactus eſſet Moxica, ſimul res improviſa, ſubitus terror, ſua, & opportunitas hoſtium vel ad fortunam tentandam itinere minimè feſſos impelleret, ad mores priſtinos tamen relapſus facilè miles, dum reluctatur incæpto omnéſque aditus intercluſos, aut ignavia torpeſcens, aut metus caligine offuſus exponit, prædarum utique avidior, quàm acquirendæ gloriæ, iis paſſim expletus ad caſtra tandem regreditur. Perculſus rei hujus fruſtratione, & militum maximè negligentia Monregius, paucis tranſactis diebus retentari accuratiùs conatum juſſit, auctáſque præter ituras ad idem facinus copias, Marchioni quoque Rivenſi frequenti cum agmine impoſuit Anæ tranſitum cuſtodire, ut inde præciſa ſubſidia eſſent, ſi præſſo fortaſsè conſpecto oppido voluiſſet ſuccurrere Melus. Res tamen rurſus, ac ſtrenuè tentata pari vanitate, ac ſegnitie corrupta eſt. Quæ ita gerendi belli ludibria, atque irrita tentamenta haud quidem injuria Monregio Comiti imputabantur, quippè qui in umbra, atque otio deliciis ſedendo affluens objectare periculis, ac terere quoque labore corpora militum vellet, quique ſatis ſibi ipſi temperando non poſſet, aliis præſumat imperare.

Hos irritos belli conatus fortuita ſubinde oneravit Toralti Marchionis occiſio. Badacocii fœmina verſabatur, cui præter pulchritudinem oris, colorum figmenta, & corporis cultum, omnia turpia, ſpurca, abominandáque erant. Hæc Granatenſi cuidam Tribuno militum quotidiana ſtipe turpiter mancipata, ut fœdum hoc genus ſemper inſtabile, vorax, fallax, atque intemperans eſt, Hibernenſi quoque gregario militi tenuiori alligata mercede ſe clanculum proſtituerat, ita ut eodem tempore utrique decepto amaſio, & alii alii prorſus ignoto venale vulgaret corpus. Tribunus autem nonnihil poſteà de falſitate fœminæ ſuſpicatus, & cupidus quoque veritatis inveſtigandæ, brevem abſentiam Ducis præcepto ſimulat, & abeundi etiam veniam à pellice accipit. Interim in amici, ſcortóque obverſa domo propinqua latitans, dum per aditus rimas muliérculæ fidem explorat, fortè rivalem militem videt, qui incautus veſtibulo hærens & ſales, & jocos jam mollis, & blandus, jam geſtu ſolutior cùm fœmina miſcens, fictis tandem veneficæ illecebris ad interiores ædes perducitur. Hæc poſtquam videt Tribunus veſano furore inflammatus, & impetu præceps nudo enſe ad aream procurrit, ſublatóque clamore

more domus abſcindere fores minis, & ictibus nititur. Dum ita furit, dum contumelias & probra jacit, ad voces, ad arma confluente undique milite, ſæva ibi exorta militaris ſeditio eſt, hinc Hiſpanis pro Hiſpano, inde Hibernenſibus pro ſuo commilitone certantibus. Ad ſtrepitum, atque tumultum, qui ferè totam compleverat urbem excitatus Marchio Toraltus advolat gladio tantùm munitus, cætera inermis, ac propè nudus; videt ibi cruentas paſſim micare cuſpides, & igneas volare pilas, & alios ſaucios, armis quoſdam exutos, plurimos humi ſtratos, ſpirantéſque reclamat militibus, increpat, eos revocare contendit imperio: at implicatus auribus miles præ fragore, ingentíque tumultu ejus imperium, aut vocem accipere minimè poteſt. Toraltus igitur temerè ſe in conſertos ſeſéque prementes militum cuneos immittit, ibíque ſervis duobus ad pedes ejus collapſis,& ipſe caſu altera manu per emiſſam è fiſtula glandem transfigitur. Gubernatoris, Ducíſque ubi conſpicitur vulnus præ horrore, ac triſtia ſtatim ſeditio reſedit. At ille tota ſubinde manu, eíque commiſſo brachio, cùm ſerperet ulcus, intumeſcentibus, paulò poſt lethali febre correptus extinguitur. Clarus profectò miles, & ipſe clarior in bello Dux & inter illuſtres nationis Italicæ Duces peculiari quidem memoria, ac nomine dignus, qui dubiis tot præliis, & caſibus belli ſua diutiùs virtute, ac fortuna ſuperſtes, inter ſordidos modò rixantium militum, cætus, ac viles turbas occiderit. Id moleſtè Rex tulit & Dux, Comeſque Olivarius, totáque aula commiſerata tanti militis infortunium aſperiùs, quàm anteà propterea cœpit in Monregium Comitem invehi. Ea videlicet eſſe præclari hujus, novíque Ducis documenta militiæ comeſſabundum, & ebrium ad pugnam procedere militem, partiri ſtipendia cum hiſtrionibus, ſcortorum in gratiam ſerere prælia, pectus frõtémque in levioris momenti diſſidiis, & jurgiis, in acie hoſtibus terga dare; in omni denique corruptela militiæ genio militum indulgere, perinde ac tanta licentia, libido tanta omníſque diſciplinæ bellicæ diſſolutio non in communem tandem perniciem caſura foret. Præſtantiſſimos interim Duces per ſummi Ducis ſocordiam, & militum inſolentiam,& rabiem Regi Catholico abſtrahi,nec Monregio ſane Comite integro eam ab exercitu peſtẽ labémque revelli quandoque poſſe. Quod enim exercitus caput pravo exemplo militem docet, inferioris quidem ordinis nemini vel dedocere, vel etiam coërcere,& ſi acrioribus velit ſupplicìis, copiã ullam futuram eſſe. Haud neſcius erat Monregius, ut aulicus melior quàm miles in aula ſe tunc apud Regẽ,& Olivarium æmulorum inſectationibus lacerari, ac proſcindi, corúmque in ſe gratiam diuturno labore, ac ſollicitudine partam, auctámque jam gravi periculo expoſitam, & per ea interjecta accidentia opportunam illorum contortis ictibus eſſe. Ea propter inſigni re aliqua geſta deſiderabat, & ſuæ opinioni jam læſæ, ac propè cadenti Principis gratiæ ſuccurrere. Acceſſerat quoque in magnum rei agendæ momentum ac ſpem Ioannes Garaïus, qui paulò ante in primarium Caſtrorum Præfectum iis copiis per Regem adſcitus pro ætate, ac veteris celebríſque militis diſciplina ingentem apud omnes expectationem conciverat. Hunc hominem ergo Monregius Comes per inſidias,& improvisò ſed totis viribus juſſit adoriri Olivencam, ſin minùs procederet dolus, nec aliter ipſe ſentiret, palam in illam impetum facere. Secundum hæc juſſa paulò mediam ante noctem è ſtativis exercitus proficiſcitur. Primam peditum aciem Rivæ Marchio ducebat, extremam Moxica. Præibat univerſo cum equitatu Paceccus. Jamque è fronte Olivencæ tenebrarum latibulo tectus

conſtiterat miles, anxiúſque Garaïus extremam præſtolabatur cum tormentis obſidionalibus aciem, ut ſatis inſtructus, ac præmunitus oppidi muros aggrederetur. At nimis ſerò hæc, primáque non parum adulta luce pervenit, ex vehiculi, tormentíque bellici inverſione iter pergendi moram diluente Moxica. Inter hæc duæ ferè cùm eſſent horæ matutinæ dilapſæ, propinquo, infeſtóque Luſitani exercitu viſo, omnémque belli ante oculos explicante terrorem, ac diras circuire ſubitò portas, pro muris, pro vallo frequentes adeſſe, ac ſtationes firmare, belli tormenta ſæpiùs excutere; quæ porrò non paucos incautè fortè progreſſos Caſtellenſes interfecere. Tunc Joannes Garaïus ubi non furto, & inſidiis, ut animo volutabat, ſed aperto eſſe marte pugnandum vidit, primariorum ex more adhibito Ducum conſilio paucis verbis expoſuit quàm arduum, quàm importunum, & ſpei quoque leviſſimæ, ac propè perditæ foret per expeditionem illam confuſam, ac penè tumultuariam tantáque mole minorem Olivencæ receptionem in-
„ tendi (Seſe, quidem imparatos,
„ ajebat, aut dormientes, aut propè
„ ſomno oſcitantes, ac nimia fiducia
„ torpentes ad primùm copiarum in-
„ curſum Luſitanos repuraviſſe, nunc
„ verò adeò alacres; ferocéſque & vim
„ potiùs inferentibus, quàm repellen-
„ tibus ſimiles pro vallo, pro mæni-
„ bus exultare, & oris, æríſque cre-
„ pitu obſtrepere minas jactantes, &
„ arma torquentes, ut conſilium, quod
„ tutum, vel ſaltem minùs periculo-
„ ſum res improviſa, ac celeritas effe-
„ ciſſent, jam cunctatione, & intel-
„ lectus errore labefactatum ſit. Du-
„ ra hujuſmodi initia aſperiorem pla-
„ nè exitum polliceri, ex propinquis
„ namque præſidiis traducto confe-
„ ſtim milite Luſitanum pleniorique
„ raptim compoſita acie, tunc parvo
negotio poſſe ad ferendam obſeſſis "
opem concurrere, cùm ipſe Garaïus "
nec aggerem jaciendi, nec munimen- "
ta ſtruendi, nec alias obſidionales res "
adornandi copiæ ſatis, ac temporis "
habuiſſet. Quocirca, & à tergo, & à "
fronte, tempore, ac loco longè hoſti- "
bus æquiori quàm ſibi circumveniri "
exercitum per ea ſcabra conſilia peri- "
culum obverſari: præterquam quod "
præſentes copias, apparatúſq; militiæ "
inſufficientes, ac valdè tenues exiſti- "
maret, & obſidioni validioris oppidi "
ſuſtinendæ, & externis, ſi fortè ingrue- "
rent, ſimùl viribus propulſandis: fama "
plerumque vel arte, aut inanium au- "
cupio acquiſita proficere bella, quæ "
lætis, ſeu triſtibus rerum tenaciùs hæ- "
rere ſoleat initiis. Proinde Olivenca ſe "
tandem fractos, & cum ignominia; ac "
dedecore forſitan abeuntes, exhauſtos "
faciliùs ſumptus, ac diſſipatas in præ- "
lio copias quàm opinionis, & famæ "
publicæ detrimenta labéſque repara- "
turos fuiſſe. Id tamen ſe modò nec "
probare facinus, nec refellere, eorúm- "
que judicio, & conſilio, & cum facto "
eſſet opus belli quoque fortuna uſu- "
rum; arbitrium ea de re ſibi à ſummo "
Duce conceſſum, ipſorum ſententiis "
diligenter excutiendum purè, ac ſim- "
pliciter tantum militiæ more propo- "
nere, ratum in animo habentem nec "
libertatem, nec belli peritiam, nec bo- "
nam mentem, aut ſtudiū in opus col- "
lineandi ad ſuffragia jam euntibus de- "
futura.) Poſt hæc reticente Garaïo Rivæ Marchio præter fervidam juventutem, militari quoque concitatus ingenio, & ardore his propè dictis alacriùs certamen popoſcit.

Dies hæc prima denique nobis, egre- "
gii cōmilitones, illuxit, quæ auſpicata "
militiæ gloriam, ac decus dudum has "
copias otio, ſitúque marcentes, ſuíque "
immemores ferè nominis jam vigen- "
tes & integras omnes ad conferendas "
cum hoſte manus, lauréamq; ab hoſte "
petendam

„ petendam eduxit. Si ergo ut rectè „ & appoſitè dictum eſt, oportet in „ bello famæ potiſſimùm inſervire, „ quæ in principia rerum geſtarum, „ diffuſóſque primò rumores præſertim „ incumbit, cur hanc primam exerci- „ tus expeditionem inanem, aut irri- „ tam, & verius ut dicam, cum con- „ tumelia, turpíque nota nos ſpontè „ cadere patiemur? profectò nec tam „ aſpera, támque iniqua belli cum ho- „ ſte conditio eſt, niſi affuſus menti- „ buš metus vel ex otio diuturno, tabi- „ dáque deſidia quidam collectus ani- „ mo ſtupor, pericula, ut ſolet, au- „ geat, virtutem, ac fiduciam immi- „ nuat. Exigua, ut videmus hoſtium „ belli tormenta ſunt, quæ bilibres „ tantummodo pilas emittunt, muro- „ rum lorica dejecta, víxque hominis „ medio tegendo corpori apta. Miles, „ qui nunc procul ebulliens ferociam, „ viréſque procaciùs per inanes figuras „ oſtentat, mox tanto exercitu circun- „ fuſus, atque undique adſtrictus ani- „ mi ſtatim inopiam quæ cum hac le- „ vitate, jactantia, nimis effuſa lætitia „ ſæpè ſæpiùs conjuncta eſt, patefaciet. „ Atqui externa ſubſidia metuo, di- „ cet fortaſsè aliquis, quæ celeriùs qui- „ dem in unum, fortis dum conſtet „ oppidi obſidio, confluent. Planè „ quæcumque ad hoſtes ſuppetiæ co- „ minus, eminúſque venturæ ſunt, per „ Anæ pontem trajiciendæ ſunt, qui „ valida manu præreptus, illas ſatis ar- „ cere, aut excipere, aut earum tranſi- „ tum prolatare facilè poterit. At etiam „ præcipuum hujus expeditionis fuiſſe „ inſtitutum non expugnare Oliven- „ cam, ſed intercipere. Quid ergo, num „ omnia, furto & inſidiis labuntur in „ bello? num omnia aſſiduo labo- „ ri, temporíſque diuturnitati ſuccum- „ bunt? Multa nimirū prima incurſio- „ ne, víque militum acta, quæ longa „ obſidione, aut per injectas moras, aut „ librata ſeriùs pericula evanuiſſent.

Mars ipſe belli ſæpiſſimè devius, ac “ varius eouſque interdum promptiori- “ bus adeſt, ut per eventus culpa corre- “ cta temerariis, projectæque viris au- “ daciæ quandoque crimen in gloriam “ vertat. Cæterum ſi hunc exercitum “ fruſtrà retractum irriſio ac publica “ contumelia ſequatur, per hæc à no- “ bis toties quæſita ludibria belli via- “ rúmque circuitus, & flexus inanes, “ nonne perfidis firmitudo, dubiis in “ fide lapſus, deſperatio bonis Luſita- “ nis incutietur, ex hoc ſcilicet vires, “ conſilium, aut animos nobis deeſſe “ cernentibus? Saltem eadem ferè in- “ commoda, ac detrimenta rerum ma- “ nebunt nos ſive nihil cùm receſſe- “ rimus, ſive aliquid cùm in rem in- “ ſtiterimus inſeliciter etiam auſos, “ quando præterea tentandi nunc belli “ fortuna utriſq; cõmunis, & æqua eſt. “ Temporis quidem ſatis hucuſque à “ nobis amiſſum; ſatis audaciæ ac pe- “ tulantiæ rebellibus patientia, & mo- “ ra noſtra contulimus. Juvat nunc per- “ tinaciam, increſcentémque licen- “ tiam confringere hoſtis, noſtram “ nos ignominiam, ſi alia re fieri ne- “ queat, ſanguine abluere. Ratio æqui- “ tas, ſana fiducia nobiſcum erunt, qui “ adverſus perduelles inferimus arma. “ Aderit ſimul Numen, Hiſpaniæ mi- “ litiæ robur, fauſtum auſpicium, ac “ nomen inclyti Regis, qui contra “ Tyrannum inſurgit. Poſtremò ſi cæ- “ teri nimis ſegnes, aut cauti, nimis “ prudentes, aut timidi plus eſſe ſibi “ cavendum quam in re nunc auden- “ dum exiſtiment, expecténtque for- “ taſsè cum fortuna paciſci, aut ipſam “ in deſidentium, ac dormitantium ho- “ minum ſinum ingerere palmas, equi- “ dem ſolus cum meis legionibus ir- “ ruẽdi ſtatim in hoſtem poteſtatẽ efflа- “ gito. Adhæſerint alii necne, ſeu nos “ eventus in re ſemper incerta feſellerit, “ ſolatio tamen, & gloriæ morientibus “ fuerit primæ expeditioni pro Catholi- “

„ co Rege ſuſceptæ ampliori virtute, „ quàm ſorte cruorem, & ſpiritum im„ molaſſe.

His à Rivenſi ferociter dictis, aliorúmque prolatis in medio ſententiis Sebaſtianus Moxica, & Geraldinus Hibernenſium Tribunus militum Rivenſi Marchioni acceſſere. Marchionem Falcenſem, Terazam, & Paceccum equitatus magiſtrum contraria ſententia tenuit. Æquatis ergo ſuffragiis, ut in re dubia graviſque, placuit Garaio Monregium conſulere. Itáque Rivæ ipſe Marchio ad Monregium rem delaturus cum equo rapido vectus eſſet, eo præcipiti curſu ire ad illum cum his mandatis approperavit, ut ipſo ſeſſore deſiliente equus ſtatim examinatus procideric. Audit Monregius habitum rerum, Garaii conſilium, æqualitatem ſuffragiorum, mentémque Garaii ad certandum procliviorem interpretatur, ſiquidem ipſum Rivenſem miſerit ea de re Monregium edoctum qui in calculorum collatione pro certamine cenſuiſſet, ille tamen more ſenum aſpernatus ardorem ac ferocia juvenis dicta, quibus arma inculcabat, veritus ſimul ipſe decernere quod in dubium vocaſſet vetus, inſigniſque miles Garaius, neve Olivarii quoque Regiſque præteriret imperia tutelæ Provinciæ tantùm, niſi nec illa prorſus incerta aliquod majus fortuna promitteret, circunſcripta. Poſtremò ea inſita animo inertia, ſuóque implexo, ac trepido nimis ingenio uſus extemplo inde juſſis retrocedere copiis, meliori ſe tempori reſervare conflictum dixit, quæ quidem temporis intervalla, armorúmque remiſſio, ut nutantis tunc regni primordia conſolidarent, Luſitanis ſemper utilia futura erant. Vacuus reverſusitaque miles, ac ſuis ſtationibus diſtributus impudentiùs, ac laxiùs deinde vitiis ſeſe priſtinis volutandum abjecit, nec ea omnino audebat prohibere Garaius quia Monregio ſe ſatis ſciebat æmulatione virtutis inviſum, neve acrius licentiam plectendo militum, ipſi etiam Duci morũ ſimilitudinem exprobraret.

Dum hæc apud Caſtellenſes agitabantur, Uliſippone graves in Bregantii caput initæ inſidiæ ſimul exortæ, atque disjectæ ſunt. Bracarenſis Antiſtes vir, ſicut alibi diximus, animo conſtans, intrepidus, acer eo in Catholicum Regem ſtudio, & amore quo in Bregantium flagrabat odio. Hic igitur ab initio defectionis impiger, anxiúſque quo ſcilicet modo reddere ipſe Philippo Regi Luſitaniam per injuriam ablatam poſſet, ideóque ſpem ex ſpe, & ex conſiliis conſilia volvens, attrectare poſtremò primorum animos ſtatuit, eóſque blanditiis, & artibus ſenſim illicere, multo quidem facilius plurimorum conſentiúmque livore procerum, occultiſque ratus inſidiis quàm armis externis invidioſum, ac præcocem Regem oppreſſum iri. Ipſe namque Bregantius novo in illo, reſtricto, dubio atque oppugnato paſſim imperio magnatum præcipuè potentiam, & opes ut ſibi maximè infeſtas ſuſpiciebat. Porrò autem Principis idem metus cùm jam omnibus exploratus, & cognitus eſſet re ipſa moleſtior, & gravior in ſubditos recidebat, dum expeditior, ac certior in manu Principis per vindictam omnis cõtractæ ſuſpicionis extinctio, quàm tota ſubditis cautio ſive tutela foret, maturiùs idcirco niſi Bregantius præverteretur, ſibi aliquando pereundum eſſe cenſebant. Hac diffidentia, hac formidine animi peræquè illis viciſſim incuſſa, & mutua ſuſpicione, atque odio animis ulceratis, ſciſſiſque, conjurationem, quam diù agitaverat animo aggrediendi Præſuli Bracarenſi opportunitas orta, ſimul etiam, ut ea primariis lectiſque viris innixa factione, auctoritate, conſilio promoveretur. Rem prætereà, ut proſperè flueret, quamprimùm accelerandam arbitrabatur Antiſtes, ne ſervire

fortè conſervo, quod erat initium, & cauſa miſcendi omnia, impoſitóque repentè cervicibus jugo jam magnatibus aſſuetis cum tempore, & uſu emolliretur invidia, néve potiùs favorum & gratiarum illecebris à Principe captis, ac delinitis, alternæ ſuſpiciones, è quibus acria manabant odia, turbarúmque ſemina pullulabant, dirimerentur. Novus præthereà Rex erat; regni res fluctuantes; ſui ipſius ſtudioſos Rex Catholicus multos habebat; & majori fortaſsè inquietorum delectamento res trudere noyas noviſſimæ potuiſſent. Cæterùm inter regni ſummates cùm partes, & Principes partium ad conjurationem ſolidè ſtatuendam requirerentur, hoc ſeriùs Antiſtiti volutanti generis cauſa ut regio ſtipiti propiores & ſplendore divitiarum Averi Dux, & Villæregalis Marchio in rem occurrebant. A Duce tamen Averi qui potentia, ac dignitatis ſpecie, & familiæ amplitudine longè ſuperior erat, imbecilla & gracilis ejus ætas Antiſtitem avocabat. Hinc ferebatur in Marchionem, quem ſupra generis claritudinem, & immodicas opes, rerum etiam uſus, & decora canities, & popularitas commendabant. Huic igitur viro Bracarenſis ſtudio, & induſtria, & ejuſdem quoque in Regem propenſione in partes facile tracto, conjurationíſque Principi conſtituto paulò poſt Dux Camignæ filius ejus adultus acceſſit. Deinde per ſeria, per jocos, dum cauſam Antiſtes callidè flectit, & caſu, an conſilio, & tentabundus tunc loqueretur incertus conſpiratis denique implicuit ſupremum fidei Quæſitorem, poſt Cruciatæ Præſidem, & Comitem Armamaris ipſius Antiſtitis conſanguineum, ac tandem Auguſtinum Emanuelem ſpectatæ nobilitatis, ac fidei virum. His viris egregiis velut conjurationis capitibus conſtitutis, & Eccleſiaſtico Principe cum Profano ad majorem oſtentationem, & plauſum gerendæ rei populíque errorem, & fucum adjuncto, ſimul omnes ſecretò conveniunt, & qua ratione agenda res eſſet conſultant. Variavere primò ſententiæ ut diverſa illas ſtudia, mores, ingenia, hominum ætas agebant. Tandem in Bracarenſis ut totius negotii auctoris ſententiam itum; qui omnium conſenſu in hunc modum cogitatas inſidias ſtruxit. Die videlicet quinta menſis Auguſti conjurati nocte intempeſta in Regiæ quatuor diſtinctas partes, in totidem arcis angulos flammas, & oleo interlitas faces, & alias aptas ignibus eſcas injicerent, cúmque muris, tectíſque correptus ignis intus, & foris tumultum, & metum undique exciret, flammáſque reſtinctum, ut ſolet plerúmque turmatim concurreret populus in ea fluctuatione animorum, & rerum omnium confuſione conjurati promiſcuè tanquam opem & ipſi ferentes per incendia, ædiúmque ruinas, ſuetáſque tumultibus prædas irrumperent, Bregantium confoderent, uxorem ejus, ac liberos caperent, eodémque ſeſe tunc collidentis, ac trepidantis multitudinis impetu diſturbatis, cæſíſque repentè cuſtodibus arcis in Regiam, & arcem ſimul invaderent. Quibus fortaſsè proſperè geſtis Bracarenſis ſtatim Antiſtes, fidei generalis Quæſitor, & Cruciatæ Præſes ſacro ornatu, habitúque quemadmodum fieri in ſacris ſolemnibus ſolet, magnificè exculti in publicum prodeuntes rei novitate attonitam fortè, ſeu reſtitantem ſedarent plebem, tum & Villæregalis Marchio urbis, & regni adminiſtrationem ſuſciperet, donec monitus Rex Catholicus, ſicut ei placuiſſet, imperium, regníque jura repeteret. Hæc magna animorum alacritate, ac tumida ſpe decreta cùm eſſent, ſuccurrit hominibus etiam quia jam Catholico Regi nec Luſitania procul & terreſtres & maritimæ in armis abundè ſuppeterent copiæ, rem omnem, ac ſtatim prædocere Olivarium, ut quo

tempore iidem Uliſippone conjurationem perpetrandam capeſſerent, eodem & ipſe curaret, ut terra, maríque applicitæ copiæ, & claſſis præſertim, quàm citiſſimè poſſet, Uliſipponem appropinquaret. Hærebant tamen velut in ſalebra cùm planè reliqua ſtatuiſſent dum ſollicitè reputarent, cuinam, & quâ tandem ad Olivarium ferendas has ſecretas cōmitterent litteras, cùm omnes paſſim Bregantius circunſeptas teneret vias, magníque momenti arcanum, quod ſteterat adhuc inter viros ut nobiles incorruptum, labile aut anceps profectò futurum, ſi hominibus ſordidis miſceretur. Neceſſitate tandem compulſi, cùm priùs omnia circunſpexiſſent, nec aptior alius incideret animo Petrum Baëzam mercatorem regni ditiſſimum elegerunt, cui per ſpeciem quidem officii externa cum hoſte permiſſa litterarum commercia erant. Nec factu difficilè fuit oblata largè pecunia, extentíſque promiſſis venalem hominem trahere. Baëzæ itaque à conjuratis creditæ epiſtolæ ſunt, quas ille curaret ad Olivarium perferri. Ipſe mox per errorem, falſámque fiduciam recto tramite per Baëzam immiſſæ litteræ in Aïamontium Marchionem tanquam amicum impingunt. Is per epiſtolas tunc explorata Sidonio confeſtim nunciat, utriuſque ſubinde conſenſu, & arcanorum notitia, & ipſæ litteræ caſu interceptæ ad Bregantium delatæ ſunt: Bregantius cum ingenti triſtitia, & animi horrore perlectis epiſtolis, reique novitate perculſus, ac ſummè territus vocat extemplò intimum amicorum conſilium. Inſidiarum ibi retecta, execratáque maximè mole, audit idem attentè, verſátque ſingulorum ſententias. Poſtremò ex amicorum conſulto rem ita peragit. Die per eos conſtituta Bregantius in latiſſimam Regiæ aream, omnes, qui in urbe, vel circa erant convenire milites jubet, velle tunc ipſe bellatorum inire numerum, ſimúlque ſtipendia ſolvere dictitans. Id temporis etiam quos integra fide noverat obſtrictos ſibi clientes ad ſe vocatos alium ab alio diverſos Bregantius aggreditur, iiſq; porrectis, cautíſque ſigno chirographis mandat, ut ea nonniſi domum reverſi ſolvant, ſoluta verò ac perlecta citiùs mandata conficiant. Poſt hæc tanquam magnum, & arduum de bello ſibi tractando negotium objiceretur, Status, Bellíque Senatum frequentem cogit, quò Villæregalis Marchio, & Bracarenſis Antiſtes cum aliis ex conjuratis qui ejuſdem Ordinis erant, conſultum temerè ingredientes, tunc omnes in Regia capti, & cuſtodiæ traditi ſunt. Camignæ Ducem in foro ſtantem ſatellites comprehenderunt. Inter hæc, qui abditos ſignatóſque à Bregantio receperāt codicillos, his domi recluſis, lectíſque poſtquam ſingulis amicis, ſingulos reos corripere, atque in privatis aſſervare cuſtodiis mandatum inveniunt: tam accuratè, tam proſperè eo officio defuncti ſunt, ut conjurationis prætentæ conſcii, ſive ſuſpecti ſeptem, & quadraginta meridianam circiter horam omnes cuſtodia, & vinculis tenerentur. Vulgata ſubinde cauſa per ſtrepitus, populíque tumultus fit concurſus ad Regiam præproperam conjuratorum vindictam minaci clamore, fremitúque poſcentis. Momordit hoc nimium populi ſtudium, qui regni initia præcipuè pavebat, Bregantium, tacitè ſecum conſiderantem, tumultuarium quemcumque ſordidæ plebis conventum, atque concurſum, ſive hæc infeſta, ſive propitia, benéque affecta concurrerit, ob ejus ſtultitiam, animíque mobilitatem, periculoſum, ac dubium ſemper Regibus eſſe; tum verò id planè videri quoque deterius, quod cujuſcumque gravis, levíſque momenti ſuborta re turbulenter coïre, efferre tumultibus ſe, & velut minitabundus dare Principibus leges malo exemplo aſſueſceret populus, ſacráque Regum conſilia

lia ad multitudinis temeritatem transferri, idipſum tamen jucundum, & maximè gratum in ſpeciem pro tempore accipiens, illi gratias populares per homines agi, leniri animi ardorem, diſtrahíque frequentiam juſſit. Mox, quò verè acriora, ac diuturna populi odia ex flagitii concepta magnitudine fierent, minúſque illum in homines noxios jam meditata ſupplicia tangerent ex compoſito, & falsò vera tunc intendendo in vulgus paſſim effuſum eſt. Conjuraſſe, attentaſſe jam deprehenſos in ſcelere proceres totam excindere, ac funditùs perdere domum Bregantii, ſupérque regiam deletam familiam, & ſtirpem, & inſontium Principum ſtragem, & funera Regum ſibi ipſis attollere imperium, quod nec jure, nec populi aſſenſu, ſed tanto facinore peteretur. Ex eo igitur multò magis ira, atque odio incaleſcens populus concitatur; cujus viſa nunc recens animorum conſpirantium affectio, & flagrantior intus invidia, nevè reorum indemnitatis, aut fugæ propoſito fortè prætextu creſceret plebis tumultus, aut in miſeratione invidia cum tempore mutaretur, commovit Bregantium cum omni celeritate de eorum ſupplicio ſtatuere. Cauſa per eos Vliſippone diſcutitur Judices qui è regio prætorio erant, iiſque ut mos eſt in Hiſpania magnatum tractare crimina, binos ad examen judicii aſſidere primates proviſum eſt. Hîc verò poſtquam litteræ, teſtes, indicia prolata ſunt, ex actorum contextu primus Baëza quæſtionis torturam ſubiit. Nondum ardere doloribus cœperat corpus, nec majores adhuc tortores cruciatus adjecerant, cùm ille ſtatim dejectus, ac fractus animo, fuſius excogitati facinoris ordinem promit. Idipſum & multi ante admota tormenta faſſi, mox & verberibus lacerati, circumjectíſque flammis ambuſti inter acerbitatem, ac vim tormentorum repetere compelluntur. Summates confeſſio prævia ſubduxit pœnæ ac dedecori tormentorum. Hiſque ſeveriùs ſecundum legem exactis, convicti omnes, criménque confeſſi nullo diſcrepante ſuffragio capite condemnantur: cùm læſa prætereà divina, & humana majeſtas obtenderetur, nec Bracarenſis Antiſtes, nec cæteri quoque alieni quanquam ob ſacras inſulas fori à capitali ſupplicio excepti togatorum ſententia ſunt. Verumtamen omnia hæc jure regio, & communi, quod nec tempus, nec locum, nec perſonas ſecernit, ſancita ſunt. Videre inſuper tunc è republica erat, quod ratio pro cauſa intereſſet primariæ nobilitatis, novi imperii, novíque Regis ac pro decreti executione ſupplicii juris communis reſpectus rationi quoque Politicæ ac ſtatui reipublicæ conveniret. Quocirca Bregantius frequentiori jam Status Senatu, quia Princeps erat allocuturus, in hunc modum diſſeruit.

“ Marchionem Villæregalis, ejúſque “ filium Camignæ Ducem cum cæteris “ conjuratis perduellionis crimini ob- “ noxios, idipſum & planè faſſos, & “ per concordes etiam omnium Judi- “ cum calculos extremo ſupplicio ad- “ dictos in poteſtate habemus. Ego id- “ circò ſententias veſtras contra morem “ boni cōſilii, quod viget mora, celeri- “ tudine hebeſcit, feſtinus efflagito, eo “ ſcilicet animo, ne deferveat, neu vertat “ hoc in præſenti nobis propitium po- “ puli ſtudium, aut aliqua enata repen- “ tè cauſa, id, quod videtur jam factu “ facilè, & juſtum cunctatio deinde “ reprehendat, aut penitùs tollat. Et “ proceres quidem propter criminis “ turpitudinem, ſuóque pondere gra- “ vioris quòd publicæ cauſæ, & com- “ muni omnium peſti, & exitio con- “ junctum eſt, ne dum extremo huma- “ norum malorum videntur interitu “ digni, ſed ſi eſſet etiam aliquid ſupra “ mortem, hoc genus quoque ſuppli- “ cii promeruiſſe. Cæterùm & ultioni “

„ proviſio, & ratio privata publicæ,
„ & iræ conſilium, & conſuetudini ele-
„ ctio quandoque ne erroris curſu po-
„ pularis abſtracti labamur, antepo-
„ nenda ſunt. Sanioris autem eligen-
„ di conſilii regula certa eſt, haurire
„ nonnihil præteriti, multum conferre
„ præſentis, multóque plus, quod eve-
„ nire, futuri, poteſt. Acuere prop-
„ tereà decet ingenium, ac ſeriùs om-
„ ninò pervolutare, utrum ab eo, ad
„ quod jam ultio, ira nos incitat, jus,
„ læſæ majeſtatis exemplum, & per
„ ſupplicia oſtentandus ſceleratis ho-
„ minibus terror, deterrere, ac retra-
„ here fortaſſe debeant utilitas, tem-
„ pus, talis regiminis conſtitutio, aut
„ jura neceſſitas emendare. Et primùm
„ profectò ſatis omninò conſtat, ulti-
„ mam mihi fortè ſolutam à perduel-
„ libus pœnam nec mihi ipſi Coronam,
„ nec vobis reipublicæ quietem, eſſe,
„ ut optamus, facturam omninò in-
„ concuſſam, & ſtabilem, aut dein-
„ ceps ſimiliter conſpirandi materiem
„ ſceleſtis ac fomitem penitùs extin-
„ cturam; magna quippè adeſt mihi
„ enumerandi copia, qui ſuis conju-
„ rationibus obruti, in flagitio nempè
„ deprehenſi, affectíque ſupplicio fue-
„ rint, & hucuſque tamen violatur lex
„ majeſtatis, violandáque ſemper erit,
„ dum iſtud mortale corpus, ita ani-
„ matum, ita afflatum, ita miſtum, at-
„ que concretum fuerit: ſcimus præter-
„ eà ſæva, & atrocia quantumvis juſta
„ in pœnam reorum, ſeu morum cor-
„ rectionem inflicta ſupplicia ſæpè ho-
„ mines depravaſſe, atque ex malis im-
„ probos effeciſſe, acrioréſque firman-
„ da pro pace turbas in republica con-
„ citaſſe, ut ægro aliquando remedia
„ malè appoſita corpori loco ſalutis
„ peſtem accelerant, ſive hoc refera-
„ tur ad immutabiles rerum vices, &
„ ſuperiores abditas cauſas, incertúm-
„ que fortunæ arbitrium, ſive quia dum
„ inter paucos pœna graſſatur in plu-

ribus etiam, qui eis amicitia, neceſ- "
ſitudine, utilitate conjuncti ſunt, gra- "
via, & acerba interdum provocet "
odia, extimulet iras, unóque tan- "
dem inimico ſublato, quamplures "
ſubinde in ſimilitudinem hydræ ex "
reciſo velut capite profluant. Suppli- "
cia proptereà cùm nefariis homini- "
bus decernuntur ne ea relabantur in "
eos qui decernunt, non juris modò, "
inaniſque populi plauſus, & auræ "
mobilis, fallaciſque, ſed eſt etiam ha- "
benda tum perſonæ, tum temporis "
ratio. Pro tempore autem, quod eſt "
agendarum menſura rerum, quid "
hoc aſperius, quid præſenti diffi- "
cilius, ac durius? Regna profectò "
ætatum quaſi diſcrimina conſtant, ut "
aliæ regni ineunte, aliæ progredien- "
te, aliæ ætate quaſi vergente rationes "
expediant ad ipſum adminiſtrandum, "
mihíque jam in imperii rudimentis, "
ac propè incunabilis conſtituto quid "
profuturum exiſtimem, ſi tam citò "
eduxero gladium & celſiora imperii "
capita ſternam? quod & ſuperbo "
ejuſdem conſilii auctori infeliciter "
quoque accidit, ſanctúmque & im- "
motū hoc idem ampliſſimis Regibus "
inſtitutum, velut ſacro parcendi ſan- "
guini Principum, mihi in anguſto, "
noviſſimóque regno jam propè la- "
banti impunè violare, aut negligere "
liceat? At qui manifeſtus mihi popu- "
li favor, ardórque pro ultione ſecu- "
ritatem, plebi lætitiam, adverſariis "
formidinem faciet. Nihil quidem in "
vulgo ſtabile, aut modicum, & ple- "
rúmque de extremo ad extremum "
ſuo more præceps abripitur? Quid "
porrò eum pro certo facturum pu- "
tem, cùm duo hæc ſublimia capita "
regni littoris manu ſucciſa, cruore "
ſtillantia, humi projecta, & ſanie, cæ- "
nóque polluta viderit? Quidni ſta- "
tim exorta, aut ab invidis ipſi per "
fraudem, & dolum injecta ſuſpicio "
fuerit, non ſcelere proceres, at le- "

viori

„ viori ſuſpicione, aut crimine ficto, ac
„ nefaria cautione peremptos eſſe? in-
„ de aliàs fortaſsè affectiones induerit,
„ quas conditione, & fortuna mino-
„ ribus, ut populus eſt, ſupra modum
„ ingerit miſeratio; quíque ſupplicio
„ exultare, atque plaudere primò cœ-
„ perit, eodem exacto, nec miſereri
„ fortaſsè, deinde nec furere deſinet.
„ In hunc propè modum Julii Cæſaris
„ cædem ob everſum Tyrannum, ac
„ libertatem reipublicæ redditam, ple-
„ bes Romana partim gratulabunda,
„ partim quiete, ac ſilentio primùm ac-
„ cipere viſa eſt, ſed ubi corpus ejus de-
„ forme, vulneribus ſciſſum, exangue
„ in foro publico jacens ſubjicitur ocu-
„ lis, tunc erumpente miſericordia, eá-
„ que in iram, & rabiem repentè con-
„ verſa, quæ hucuſque quieverat, ex-
„ citata ſpectaculo, ſæva, immanis,
„ turbulenta ſtatim ultionis ardore cu-
„ currit. At enim populi ſtudium ſua
„ natura incertum, & vagum, & cui
„ nec ſatis fidere, nec omninò diſ-
„ fidere locus eſt. Quis denique effu-
„ gerit regni optimatum invidiam, ac
„ pertinax odium, hoc perpetrato ſup-
„ plicio, ſiquidem Villæregalis Mar-
„ chio, ejúſque filius Camignæ Dux
„ pleroſque magnates Hiſpaniæ illuſtri
„ agnatione comprehendunt? Quod
„ aſſequi nequeunt fortaſsè ultores pro-
„ cerum manes, quia & ipſi quando-
„ que, & præſertim ſi animæ magnæ
„ ſunt, per umbras dicuntur ciere in
„ Orbe procellas, miſcere res homi-
„ num, & diſcordias paſſim effundere,
„ vindicabunt ſanè cognati, affines,
„ amici, tótque regio ex hoc ſtipite
„ nata, aut naſcentia germina Princi-
„ pum, dum acriorem memoriæ acu-
„ leum dedecoris nota, & interitus
„ cauſa poſteris, quàm mortis ſenſus,
„ ac dolor afflixerit. Ita porrò cum
„ alia ex alia viciſſim nectatur injuria,
„ & vindicta vindictam pariat, & ani-
„ mi ulcera conſeneſcant, niſi venia
nunc interceſſerit, perpetuò quidem "
in regno odiorum materies, ac ſeges "
alentur in excidia familiarum, & "
exitium tandem publicum eruptura. "
Hinc moderatrix illa pœnarum, & "
iræ, ac regiò verè culmine digna "
clementia nobis occurrit, cum im- "
perii temperandis initiis ejúſque ſer- "
vandæ tranquillitati, tum maximè "
procerum ſupercilio, præſentíque "
fortunæ noſtræ conveniens. Etenim "
ſi in ignobilem hominem ſævias, "
cum plebi ſoluta vis, modicæ opes, "
cura parum honeſti, ac fermè ſub "
caligine vita ſit, ad tenendos reli- "
quos in officio ſuo more pavidos, "
abjectóſque dirum ſupplicium exem- "
plo valere poteſt. At viros prima- "
rios, quos factio, concordia, quos in- "
genium, quos reciproca auxilia pro "
conditionis honore gradúque com- "
muni tuendo copulant, & quocum- "
que dolore potior dedecoris ſenſus "
excruciat, ea vehementiùs ut indeco- "
ra quidem exulcerant, quæ prodi- "
tiones, atque perfidias ſupplicia coar- "
guunt; propterea quæ adhibita ſæpè "
remedia acerrima ſunt in multitudi- "
nem concitatam, & ſordidam, ea ip- "
ſa in nobiles verſa res novas, ac tur- "
bamenta reipublicæ moliuntur. Ta- "
lis nimirum ſummatum conditio eſt, "
generoſo ſimillima equo, qui furit "
verberibus, aſperum frænum abrum- "
pit, ſed obtemperat molliori, & vir- "
gulæ nutus, potiùs quàm ictus ſe- "
quitur. Complures mihi Reges in "
mentem veniunt, qui ſtimulo iræ "
contra magnates ad extremam uſque "
perniciem infeſti, cruentíque & ſibi, "
& reipublicæ peſſimè conſuluerint, "
ſed recens non minùs, quàm luctuo- "
ſa Comitis Egmontii, atque Hornani "
per Orbem decantata memoria eſt, "
quorum inconſultis, properíſque ſup- "
pliciis incenſa, erecta, ſeſéque inten- "
dente factione Principum, ſeditioſé- "
que cœtus, ac turbas in Belgio tra- "
hente

„ hente, magna denique illius regionis
„ pars non fœdo correcta exemplo, ſed
„ effrænata Hiſpanum tandem jugum
„ excuſſit. Hoc triſte conſilium ab
„ Albani feroci capite ductum, cùm ad
„ Gallicas extinguendas, quas pueritia
„ Regis accenderat, belli civilis faces,
„ Albæ idem Dux ſubjeciſſet Carolo
„ Nono Francorum Regi, ídque ne-
„ glectum à Catharina Medicæa ſin-
„ gularium fœmina dotium, cùm ad-
„ verſus Guiſium inter Comitia teme-
„ rè cæſum arripuiſſet filius ejus Hen-
„ ricus, is miſerabili tandem clade ſi-
„ mul cum regno vitam amiſit. Ita
„ violentum hujuſmodi Albani conſi-
„ lium binos Reges præcipites voluit,
„ nobíſque alienæ calamitatis exem-
„ plum iiſdem, in quibus nunc ambi-
„ guitate, aut inopia ſententiæ verſa-
„ mur, erroribus accerſitæ diſciplinam
„ in præſentia firmare debet. His quo-
„ que rebus accedit, potentem, & acer-
„ rimum hoſtem terra, maríque immi-
„ nentem jam Luſitaniæ propinquum
„ eſſe. Interficite itaque proceres, eíſ-
„ que æternam infamiæ notam inurite,
„ ſi irritamento fortaſsè nobilium ex-
„ tentæ, inflammatæque partes clam,
„ aut palàm inteſtinas diſcordias in re-
„ gno moverint, & nos quaſi pontem
„ aut molem ex ſtratis corporibus Prin-
„ cipum per hoc ſtructuri ſupplicium
„ ſimus, cujus tranſitus Caſtellenſis ap-
„ properet Luſitaniam occupaturus.
„ Utilius igitur reipublicæ fore videtur
„ eos cuſtodiis adſtrictos velut obſides
„ aſſervare, quorum dilato mortis ar-
„ bitrio, eventus ignaros, mente per-
„ plexos, & in ſuis deliberationibus
„ hæſitantes, ac trepidos malè jam in-
„ clinatos reliquos proceres contine-
„ bimus; hoſtes verò terruerit emerſa
„ inutiliter conjuratio, pérque ipſam
„ callidè nobis quæſita clementiæ fa-
„ ma haud difficilè fuerit, ut rerum no-
„ varum fomenta, quæ emanare inde
„ poſſunt, extinguat. Porrò autem ea

præſertim inter artes regnandi domi- "
nari videtur, quæ verè, ſeu fictè in- "
hærentem in animo ſpem ſive me- "
tum, humanarum nempè cardines "
actionum, cautè verſare, atque in- "
flectere ſciat. Eadem ſpe quanquam "
vana complures ſæpè pellecti, flexí- "
que ad extremum uſque ſpiritum vi- "
tæ obſequium, & fidem in Regem "
irriti coluerunt, quæ iidem fortè ru- "
piſſent ea intempeſtivè depulſi. Id- "
circò etiam pœna vel beneficium per "
cunctationem, & moras aliquando "
ſuſpenſa, artibúſque dilata profue- "
re perſæpè reipublicæ magis, quàm "
ſi eadem invecta celeriter eſſent; nam "
memoria vitio, aut natura caduca, "
& fragilis eſt, & ut plurimùm ultio "
longè diverſos à vindicis mente parit "
effectus, aut fruſtra ſæpè tentata cum "
graviori pernicie prodit infirmitatis "
experimentum. Hunc autem regnan- "
di morem, qui ut veræ virtuti oppo- "
ſitus, & falſitatis ſpecie contractus "
ſummis Regibus vitio ducitur; res "
trepidæ nobis, ac dubiæ, regníque "
novitas, atque parvitas, quibus acue- "
re decet, ubi vires deficiunt, inge- "
nium, excuſare meritò poterunt. "
Itaque Marchione, ejuſque filio Ca- "
mignæ Duce carcere preſſis, ac ſpe "
pariter veniæ nobilibus adumbrata, "
vel ſaltem in dubio poſita, rerum no- "
varum artificibus cauſa, ingenio præ- "
fervidis ultimus impetus, deſperatio "
fortaſsè auferetur timore perculſis, ac "
præcipitia ſpectantibus, nóſque reo- "
rum horum magnatum libertatem, "
ac vitam artibus nundinantes cives "
ſimul, & hoſtes ſaltem ambiguos, "
pendentes animi nihil intra, vel ex- "
tra regnum auſuros per ultionis in "
manu pignus habebimus. Secus hæc "
omnia argumenta per cædem inten- "
tam unus halitus mortis, aut ictus tor- "
toris extingueret, nec porrò quid "
metuant, ſperéntve deinceps ſive ami- "
cis, ſive inimicis laxatis jam odiis, "
furiíſque

„ furiſque ſolutis reliquum fuerit. Hæc „ cauſa poſtremò, ut meæ injuriæ, ac „ periculo quoque conjunctâ cùm me „ Judicem ſimul exhibeat, atque in vi„ ce reddenda partem, ſi fuerit ex vo„ bis, qui hac mea firmiorem ſenten„ tiam dixerit, & refelli non indignabor, „ & in illam ingenuè fateor me æquo „ animo diſceſſurum.

„ Hæc Bregantius, ſed contra Mar„ chio Ferreirus in hunc modum locu„ tus traditur. Multa me, Rex, ab hoc „ ſuffragio ferendo avocant, quæ mi„ nus alios in alia fortaſſe cauſa contin„ gerent lædere nempè jus & officium, „ aut regni optimates offendere, à qui„ bus te ſatis regia potentia, ſplendór„ que tutatur, equidem ut privatus plu„ ribus rebus obnoxius, egénſque op„ portunus injuriæ, ac detrimento ſum; „ ſimul te propriè in hoc negotio tui „ animi ſenſum aperuiſſe, cùm Rex in „ Senatu ſeu primo, ſeu ultimo loco „ cenſeat per adulationem, aut metum „ crebrò ſententias vitiet: præthereà tam „ pravè, quàm rectè conſulta cùm pa„ teant fortunæ ludibriis & caſibus re„ rum innumeris, incertíſque meum „ conſilium, ſi benè ceſſerit utilitas tibi, „ ſin autem improſperè dedecus mihi, „ ac periculum comparabitur. Poſtre„ mò ubi hæc, quæ excutitur modò „ cauſa tuæ ſalutis præſertim, totiúſ„ que regni diſcrimen implicat, durio„ rem fortaſsè ſententiam ſuſpicio aſ„ ſentationis aſperſerit, leniorem pro„ ditionis. Attamen mecum omnia „ cùm reipublicæ utilitas ſuperet abſ„ que ulla offenſionis formidine planè „ fatebor, quod ſentiam. Itaque libe„ rè cenſeo de Villæregalis Marchione, „ ejúſque filio Camignæ Duce, ac cæ„ teris conjuratis ſecundùm legem ma„ jeſtatis, quanta fieri poſſit celeritate, „ ſumendum ſupplicium eſſe. Etenim „ cùm ipſe Philippo Rege detruſo re„ gnes in Luſitania, tum Europæ ple„ rique Principes Auſtriacæ familiæ clientes, quemadmodum tui quoque " regni magnates de regio nomine, & " apice ambitiosè tecum contendant, " tu ideò nunc penes maledicos, invi" dos, ſtultos, quorum affatim copia, " Tyranni opinionem, ac ſpeciem in" duis, quibuſcum te geras oportet, ne " pereas more Tyranni, ut ſeverior, " quàm mitior ſis, cruentas per ſcenas, " ubi res ita cogit, ac terribiles appa" ratus oſtentando terrorem, ingentéſ" que jactando ſpiritus, quo ſcilicet " quidquid pro cultu, & obſequio " amor, & manſuetudo, ut in tran" quillo, ſolidóque contingit imperio, " non valet, metus extorqueat. Ita por" rò ex duobus præclarioris famæ, aut " infamiæ Tyrannis, clementia, qua " promiſcuè; & immodicè uſus inimi" cis ignovit, perdidit Cæſarem, feri" tas verò, atque immanitas Syllam " ſervavit; nam beneficiis æmulis etiã " collatis ſuccreſcit invidia, quippè " quæ ſemper aculeos, ac virũs ab ipſo " virtutis flore decerpit, ex pœna verò " formido ſubigit animum. Ea propter " in Rege imitatio Tyranni, & in Ty" ranno Regis, varii ſtatus, variíque " in utroque ſtatu tenendi moris diſcri" men non facientium iræ, atque in" vidiæ fœdo, ac multiplici exemplo " multorum Regum exitia permiſcuit. " Igitur ab adjecto, altiúſque impreſſo " primatibus metu unum ſupereſt tibi " novo in hoc ſuſtinendo regno ſub" ſidium, ac robur, qui ſi interciderit " unquam timor, animíque in te di" miſſionem, & fugam notaverint for" tè proceres, hoc uno, quo vix nunc " continentur, metus vinculo effracto, " quis effrænatam illorum deinceps li" centiam coërceat, vel contumaces " ſpiritus tundat? Idne accidat planè " vereor, ſi Marchioni Villæregalis, " Ducíque Camignæ peperceris; nam " inopi, ignobilíque in re gravi con" ceſſa venia, nihil aliud in Principe " arguere niſi clementiam, ac manſue" tudinem

„ tudinem poteſt, at primario, & ſce-
„ leſto conceſſa viro jam convicto, de-
„ prehenſo in Regis, regnique interi-
„ tum machinari, ea ipſa timoris opi-
„ nionem colligeret, pluſquam nego-
„ tii faceſſere Principi magnatum po-
„ tentiam, & opes, quàm vindictam
„ injuriæ, & cautionem perſonæ re-
„ giæ, qua ſordida ſtatim ac vili de
„ Principe exiſtimatione concepta,
„ quidni perfidiam impunitas, man-
„ ſuetudo contemptum, contumaciam
„ clementia apud reliquos gigneret? &
„ quaſi in degeneres fœtus abeunte na-
„ tura, noxios virtutes, effectúſque ſi-
„ bi diſſimiles ederent? Tandem ut
„ præmium, & pœna, ita metus &
„ amor, quæ inde oriuntur, imperii
„ præſidia, atque ornamenta ſunt. Hæc
„ miſta, ac temperata ſalubria ſunt, diſ-
„ creta periculoſa, ſi neutrum acceſſe-
„ rit, certa regni perditio imminet:
„ cùm igitur nullus ſit tibi penes ma-
„ gnates æſtuantem propter invidiam
„ benevolentiæ locus, aut Rex, & me-
„ tuendus ipſe, aut metuens, & ſervus,
„ modo vita ſuperſit, futurus es. At
„ eſto, ut fortè Rex vis, hiſce reis ignoſ-
„ catur, & metum quem aliis incutere
„ debes tecum retruſum in animo ha-
„ beas, clementiæ ex eo paſſim famam
„ aucupaturus, quæ ex metu, ac ſimul-
„ tatibus ortas ſuſpiciones oppreſſerit.
„ Quid porrò ſi iidem ipſi tanto me-
„ rito tibi devincti, & in gratiam re-
„ cepti minimè parcant? Quid ſi in
„ gratiam reditus fallax, ſi condonatio
„ ſupplicii relapſura fortaſsè in condo-
„ nantem ſit? Maxima beneficia gra-
„ viora plerumque quàm grata ſunt,
„ alia pudor intercipit, alia torquet in-
„ vidia, quædam, qualis eſt temerè in-
„ dulta proditoribus vita, ut expro-
„ brantia memoriam quoque fatigant,
„ & animos lacerant, hinc & odium
„ erumpit, & conſcii animi tædium, &
„ meditati ſceleris horror, ac demum
„ irriſio pro officio, injuria pro gratia

redditur, ita, ut ideò ſæpè diſſimula- "
re, quàm remittere injuriam præſtet, "
in te autem nunc, Rex, tam manife- "
ſto, tam execrabili ſcelere remiſſio, "
vel diſſolutio potiùs cadere poteſt, "
diſſimulatio non poteſt. Cùm verò "
perniciosſam, ac peſtiferam iſtam cle- "
mentiam amplecti malis, quare etiam "
proceres iſtos, qui de merito, ac ge- "
nere vix aliquid tibi concedunt, non "
pudeat, aut pigeat præcarium, tibí- "
que obnoxium ducere ſpiritum, aut "
cur non ingentis beneficii momenta "
calumniantes, te metu compulſum "
intelligant pœnam nunc illis condo- "
naviſſe, cujus ſeverus tamen exactor "
futurus in tempore ſis? porrò alii ab "
alio cavendum eſt, cùm pereundum "
alterutri ſit. Ne igitur aliena ab hoc "
tempore opinione, atque errore cle- "
mentiæ jacteris: communem ordi- "
nem rerum jam appetitæ perſonæ ra- "
tio, tempúſque tranſvertit, hîc man- "
ſuetudo nocet; infeſta clementia eſt; "
diſſimulatio non habet locum: per "
ſæva hæc, & atrocia, ſed neceſſaria "
quidem ſupplicia vel tuæ te ſalutis "
ſollicitum ut ultum ire, ſeu moritu- "
rum oportet, & illatam rependere in- "
juriam, & inferendam avertere, ſpar- "
ſóque inimici per carnificem ſangui- "
ne tum abſtergere contumeliam, tum "
pericula, & formidines tuas, tum "
ſpes, & conatus cæterorum æmulo- "
rum immergere. Hoc ingenitæ, hoc "
ſcriptæ profectò legi, id Barbaris at- "
que feris indito inſtinctu, id quoque "
Numini placet, cujus ſingulari præſi- "
dio afflatúque nunc velut miraculo "
ereptus exitio es, raróque humano, "
aut divino monitu abuſis bis idipſum "
impunè datur periculum experiri. "
Nec prætereà èxequendo quod affe- "
ro tibi conſilio, ut contraria argumen- "
ta diluam, vel tumultuoſa, vel lubri- "
ca obſtant hominum popularium in- "
genia, procerum modò ſupplicium "
accelerando favorabili hoc populi "
ardore

,, ardore, impetúque uti intrepidè velis,
,, qui ut nunc præſenti memoria ſceleris
,, recenti tanquam vulnere calet, lan-
,, guere, aut frigere per moras tantum-
,, modò poſſet, aut in diverſum mutari.
,, Licuit idcircò Bruto Romanum vol-
,, vere imperium, quia ſcilicet odium, &
,, execratio ſtupri cædíſque manifeſtæ
,, Lucretiæ affectam, & vehementer illi
,, commotam plebem Romanã, & per
,, ingentem conceptam iram ad res no-
,, vas tractabilem cõſtituerat. Secus ve-
,, rò Cæſare occiſio alteri Bruto accidit,
,, quòd nulla recens, ac prævia commo-
,, tio populi per vulgatum aliquod ne-
,, fas ad imperii mutationẽ animos ho-
,, minum ſervituti jam aſſuetos præpa-
,, raviſſet. Hîc autem tanto flagitio in-
,, flammatus, atque in omnem ultio-
,, nem erectus adeo nunc ſtrepit, furít-
,, que populus, ut à tua tibi potiùs cle-
,, mentia, ſi quidquam remiſeris, quàm
,, à rigore ſupplicii, ſi pœnam intende-
,, ris, pertimeſcendum ſit. Nullus ergo
,, te objectus à populo metus, niſi in ne-
,, gotio cunctantem, aut reſtitantem af-
,, ficiat. At regni etiam optimatũ invi-
,, dia, adverſique conatus, & ultrices ar-
,, rectæ partes in tali virorum interitu
,, inevitabiles certè forent. Contempti-
,, bilis quidem, & omninò imbecilla
,, nobilium potentia eſt à populo ſepa-
,, rata; quid porrò etiam, ſi ut in præ-
,, ſenti videmus in ſeipſa quoque diſtra-
,, cta alteri altera averſa, atque oppoſi-
,, ta eſt? Ita prætereà nati, ita inſtituti
,, proceres ſunt, ut quos inanes per
,, minas, aut futiles cauſas propoſitus
,, timor exaſperat, atque ad vindictam
,, magis accendit, iiſdem ſolidus, &
,, conjunctus cum nervis, ac viribus
,, timor frænos admoveat, & ſuperci-
,, lium abjiciat. Sublato verò conſenſu
,, populi cunctis Regibus formidabili,
,, ſciſſáque in ſe ipſa nobilitate quorum
,, plurimi tecum conſpirant, jam vires
,, opéſque tibi redundant, ad reliquo-
,, rum procerum confringendam au-

daciam, nec ullus unquam niſi impe- "
tu iræ, aut amentiæ, qui ut plurimùm "
vulgares homines poſſidet, ſua ſpon- "
tè ad luctam periturus acceſſit. Nihil "
itaque tibi ob juſtum, imperatúmque "
in viros primarios ſupplicium nunc "
jure cavendum eſt à factione ma- "
gnatum, qui quærere potiùs in hoc "
negotio ſtuduerint animi tui experi- "
mentum, ut contra Regem intelli- "
gant quantum impoſterum ſibi mo- "
liri, & audere licitum fuerit. Atqui "
melius rem explorantes, excutien- "
téſque in clementiam inciderint! "
Omnis profectò potentiæ in homi- "
ne, famæ virtutis exuperantia quam- "
vis cum morum candore, ac ſuavita- "
te conjuncta gratuitò malevolos pro- "
dit, invidos excitat, intendítque. Sæ- "
pè inde Reges quo vigorem, & animi "
magnitudinem ad invidorum formi- "
dinem oſtentarent, aliàs ut ſuperbiæ "
inſidiiſque procerum obviam irent, "
aut cauſas in homines ſontes com- "
menti ſunt, aut laqueos per dolum "
intexuerunt quibus illos de medio "
tollerent, nec adeò quoque execran- "
da, aut per ſe fœda crudelitas eſt cùm "
utiliter applicatur. Tu modò proceres "
præpotentes, turpidi ſpiritus, rebelles, "
ſeditioſos, lege damnatos tandem ſo- "
lutos, inultos cum tuo quoque diſcri- "
mine elabi temerè ſinas? Non audeo "
tam citò, dixiſti Rex, educere gladiũ "
& capita ſumma decutere! Imò verò, "
quia novus, ac rudis in regno ſis, "
tuæ parum nunc firmæ, ac ſtabiles res "
ad hoc te maximè hortantur; ubi "
enim continuata Principum ſobole "
quaſi per manus ſucceſſoribus traditur "
regnum, nec extra domum regnatri- "
cem è procerum turba ſeligitur Rex, "
tunc clementiæ captare famam, qua "
in regiam familiam jugo jam longè aſ- "
ſuetis priſtinus ſubditis amor inſitus "
hæreat, incipientem Principem juvat. "
At in Regem privato raptim homine "
aſſumpto in propè pari aliis magnati- "

„ bus genere, & paribus copiis, cùm
„ omnes vel propoſito jam ante oculos
„ regnare velint exemplo, tantam for-
„ runæ indignantium imparitatem, tam
„ volucrem ferè impetum admiranriū,
„ atque invidentium odia, ludibria,
„ æſtus invidiæ atque ex his turbulenta
„ eonſilia manant in mutuam perni-
„ ciem novum Regē, & proceres arma-
„ tura. Ea igitur rui modò ſunr incuna-
„ bula imperii, ut niſi cruenta, niſi hor-
„ rida, ac trucia fluant, periculum ur-
„ geat ne ampliùs florere, aut aſſurgere
„ queant, privati in te nempè memo-
„ ria vel auctoritatem, vel fidem, vel
„ obſequium apud cives diminuenre;
„ cui per rerrorem, non aurem clemen-
„ tiam ſuccurrere malo decet. An ſatis
„ quoque fortè Rex arbitraris tibi, re-
„ gnóque proviſum, ſi hos proceres
„ diuturno, ſive perpetuo carcere affli-
„ ctos cum acri cuſtodia teneas? Scili-
„ cet quos Palatium, & arcem ſimul in-
„ cendere, regalíſque proſtraræ, & con-
„ culcatæ domus acervos miſerrimos
„ ſtruere, & Regem, & regnum cineri-
„ bus tumulare, non terruit nefas, ani-
„ mus valuit, aſperior ſubinde res ipſis,
„ gravioriſq; fortaſsè videri poterir eſſe
„ molis, in cuſtodiæ effractionem in-
„ cumbere? Piſces exigui retibus con-
„ tinentur, majores illa diſcerpunt, ac
„ rapranr. Donec ſpiritus igitur horum
„ magnatum artus afflaverit tibi in an-
„ cipiti ſemper vita, volubile regnum,
„ fomenta, facéſque rurbarū, & cumu-
„ lata ardoribus eſca in magnum incen-
„ diū quàm citò eruprura latuerinr; ad-
„ eò, ut quantum illis miſericordiæ tri-
„ bueris, in tuam perniciem, peſtémque
„ communem caſurum ſit. Quis enim
„ refugiat iterum, arque iterū contra re
„ conjurare ſi irritus vitam retineat, voti
„ compos Coronam arripiat? quidve
„ etiā præmii à te ſperare poreſt amicus,
„ ſi inimicis reddere vicē neſcias? cùm
„ gratitudo, arque ultio ab eadem habi-
„ tudine ingenii impigra ſcilicet, acri-
que natura manare æquabiliter ſoleāt. “
Cæterùm, & ſi jejuna, vel frigida hæc “
prolata ſunt argumenta, valeat ſaltem “
in cauſa auctoritas, vis, & reverentia “
legum, quibus planè parere præſtat, “
quàm per fallacias interpretari, & ob- “
tuſum ſimul ingenio ſimul cum lege “
ſentire præſtar, quàm cōtra ipſa argu- “
rum, & vividū. Valeat illa præſertim, “
quæ lex majeſtatis inſcribitur, Regis, “
regníque ſubſidium ac nervus, & quæ “
ut pœnarū effuſo rerrore coërcet con- “
ſilia ſuperba, impetúſque magnatum, “
ſic ſpreta, ac neglecta eadem exſuſci- “
tat, intendírque; prætereà cum crebrò “
apud Reges trahatur ab utile hone- “
ſtum in hoc peragendo ex legibus juſ- “
ſo ſupplicio, ea tecum nunc agitur “
cauſa, cujus quidem urilitas juri, ho- “
neſtóque eouſque deſeruit, ut ſi mi- “
nus perduellibus parcas, & tibi, & rei- “
publicæ ſimul, & legibus conſulturus “
optimè ſis. Poſtremò hæc quamvis “
abſtruſa materia, & judicio quoque “
contorta ſit, ut aliter eſſe mihi vide- “
tur, quidve in re utile, vel inutile ex- “
plicatu difficile ſit, in reipſa tamen “
ambigua vel bono conſilio ſufficiet “
vincere legem, & quo jus, civiliſ- “
que propendet ratio eo inclinare ſen- “
tentiam. “

Hæc Ferreirus, cujus quidem opinio, ut revera ſimilior Bregantii animo quàm palàm ad pompam ut credebatur, ab illo dictæ nuper ſententiæ, Senatus cæteras traxir, plenóque conſenſu ibidem decretum eſt, ut Marchio Villæregalis ejúſque filius Campinæ Dux cum cæteris conjuratis ſecundum legem majeſtatis capite plecterentur, Antiſtitem Bracarenſem, & alios, qui ut ſacris initiati Eccleſiæ jus appellaverant, perpetua, arctiórque teneret cuſtodia, extremo de induſtria evirato in ſacras perſonas ſupplicio, ne in Pontificis offenſionem, cujus maximè ope firmando pro regno indigebant, incurrerent. Cùm hæc ita igitur capitalis

pronun

pronunciata ſententia eſſet, inter eos qui pro venia arietare Bregantii animũ in re tam aſpera aggreſſi ſunt, ſpectabilis extitit Ducis Camignæ uxor, eximia tum ipſa corporis ſpecie, ac florentiſſima ætate ſed fortunæ inter æſtus ea tempeſtate vultu, luctúque vultúſque ſqualore maximè miſerabilis. Hæc Bregantii genibus advoluta jam incautam, ac cæcam adoleſcentiam, & præcocia viri conſilia, jam claritudinem generis, & ſuam domúſque ſolitudinem, atque orbitatem exponens, modò rogitans, modò illachrimans averſum rigidúmque verſare, ac flectere Principis animum nititur. Hic verò in ſe ipſo collectus, & clauſus, & precibus lachrimíſque inflexibilis. Non ſua id quidem, inquit, at Judicum, Senatúſque ſententia, & arbitrio ſancitum eſſe, ſi mutari judicium vellet, eos ut par erat, adiret. Cæterùm per illorum ſibi coactam procerum necem, ſuarum quaſi viſcerum partem ſentiret ac pectoris venas abrumpi; conducere tamen in tanto negotio omni ope ſubigere, ac frangere ſe, atque in magno dolore, & anguſtia ſolatium ex republica petere; cùm non minus clementia delinquere poſſit, quàm ſævitia Princeps abuſus. Deſperata itaque venia, funerea pompa diſponitur. Primò mane mortale pegma conſpectum, inſeſſæ militibus viæ, firmata cuſtodibus Regia, populúſque vario, ac diſſimili ſtudio agitatus, ac mente perculſus in area ampliſſima fennè totus ſpectator aderat. Mox Villæregalis Marchio ſqualido habitu, pulla veſte, in ſummo pegmatis viſus, totius ſtatim populi amore, odio, miſericordia, ita intermiſtum ingentem clamorem ſuſtulit. Inculta canities, oris auctoritas, arcana vis oculorum, ne inter fortunæ quidem ludibria, & fortiora triſtitiæ, ac doloris incitamenta proceris majeſtatem abjecerant, adeo, ut qui dudum avidius in exitium ejus exarſerant, ſecto mox à carnifice gutture, ubi illum jacentem vident, & ſuo cruore, & illuvie fœdatum, iidem, & qui paulò ante ſucclamaverant morituro, jam mortuo ſubinde propemodum reclamantes maximè congemuerint. Patris interitum eodem modo ſecutus Camignæ Dux filius. Deinde Comes Armamaris, & Auguſtinus Emanuel pari fato defuncti ſunt. Atque ita de viris Principibus ſumptum ſupplicium eſt. Obſcuræ notæ cæteris laqueus ſuſpendio jugulum fregit.

At Medinæ Sidoniæ Dux, qui ut turbidis ejus conſiliis hanc procerum conjurationem prodiderat, in aliam & ipſe ſtatim, quam adverſus Catholicum Regem molitus erat, ita pro mortuis reddente Numine vices, offendit. Erat eo tempore Uliſippone Nicolaus Velaſcus è ſtrictiori Divi Franciſci obſervantia eò ipſe clàm à Sidonio, ut conjurationis negotia tractaret, immiſſus; cujus rei tantæ in aula diſſimulandæ, promovendæque commodior profecto vitæ, & morum auſteritas, atque horror amictus in monacho apparuiſſet, ſi ratione, & judicio pariter experrectum, aut hujuſmodi rebus conſuetudine exercitum ejus homo inſtituti ingenium occuluiſſet. Is capto ſimilis, & magno cum ſtrepitu Uliſipponem primùm adductus ſupra menſem artificioſo, tetróque ibi carcere tentus eſt. Ex eo poſtea emiſſus frequentiùs, quàm externo, monacho, ac nuper reddito libertati congruere poſſe reputabatur, cœpit ipſe Palatium, primarios miniſtros arcana conſilii adire, quæ ore quanquam de more ſuppreſſa, rudi tamen homini, artíſque omnino ſilendi neſcio, utplurimum vultu, geſtu oculis fundebantur tanquam magna ſecum volventi, magníque ſibi ſecreti conſcio. Senſim arrepta idcirco ſuſpicio, & non nihil vagi quoque rumoris extra Regiam effluxerat, aulicíque præſertim, ut ſolent, explorandi cupiditate ſuccenſi tunc ſtudio-

ſiùs Cœnobitæ, veſtigia, congreſſus, oríſque habitudinem connotabant: Accedit etiam, cùm ita hic monachus vagaretur, alendíſque paſſim in urbe rumoribus ſatis materiæ ſpeculantibus ſubderet, ut Franciſcus Sancius genere Caſtellenſis, & regius quondam militiæ Quæſtor Luſitani regni defectionis fortunam æſtúſque ſecutus ea tempeſtate in vinculis haberetur. Hic ubi de Cœnobitæ ſollicitudine, Ducíſque Medinæ inſidiis rumorem, ſuſpicionémque latè ſerpentem attigit, animo ſtatim erectus in ſpem aliquam ductus eſt, poſſe fortaſsè eodem ſe monacho auctore uſum, & ſubducere libertatem & vim ſecreti, quod totam ſuſpenderat urbem, per inſidias exprimere. Multo igitur ſtudio, & induſtria compoſitas litteras Sancius ſecretò monacho mittit poſt largos in illis effuſos de atrociori cuſtodia queſtus, ibíque indignè ſpiritum ſibi ac propè lucem ademptam eſſe, jactat ſe tandem è Sidonii ſinu clientem, arctioríque cum illo fiduciæ nodo ex longo intervallo conjunctum, nonnihil præterea de cauſa recondita ſcire, quæ eo hominem tranſtuliſſet, tum ne ſuo fuco, & colore careret appoſita fraus, epiſtolarum quoque à Sidonio ipſi Sancio datarum grande volumen exhibuit, quò inter eos, antequam Luſitania deficeret, amicitiam, & fidem, & alia benevolentiæ magníque momenti pignora interceſſiſſe conſtaret. Legit has litteras Cœnobita Velaſcus, protinúſque non rerum, non temporis mutatione diſcuſſa, non auctoris conditione, nec captioſo mortalium ingenio, dum temerè Sancium vel Sidonii conſcientiæ jam illigatum, vel proximè jam illigandam exiſtimat, ei confidenter reſpondit. Curæ ſibi maximæ fore, ne dum ut eo fœdo carcere extractus, ſed altiori quoque faſtigio, ſi rebus fortuna faviſſet, locatus eſſet. Silentio; & conſtantia interim opus eſſe. Conjuratio, quam hic ſuſpectabat cum ſatis his verbis ſummatim expreſſa, & magna inſuper ejus moles adumbrata per formulas eſſet, modum, & ordinem præterea Sancius exploraturus, quia ex ſententia prima ceciderant, alacriùs dolum intendit. Paucis pòſt interjectis diebus, obſequio, amore, fiducia plenas, ſubtiliùs tamen efficitas litterulas monacho repetit Sancius, anguſtias in illis, & ferrea ab eo vincula, qui tanta floreret apud Principem gratia primo quoque tempore ſolvi ſibi enixè precatus. Septem jam menſes, amicum, clientémque Sidonii ſqualore, caligine, & ſordibus circunfuſum in atra afflictari cuſtodia. Ad ea refert Velaſcus. Quoſdam Margaritæ Sabaudiæ famulos commeatum à Bregantio in Caſtellam obtinuiſſe, an ſe comitem vellet eò illis euntibus addere. Minimè, tunc è re oblata ſolertiùs fallaciam exornans, reſpondit Sancius. Quinimo Caſtellæ ſe prorſus oblitum Sidonii dũtaxat expetere amplexus, quò fides, amor eundem, amplióque ex rerum ſtatu collecta vocabat ſpes; in aula verò Catholica rationes ſegniùs exactæ ſibi quæſturæ moleſtiùs, & graviùs reddendæ eſſent. Velaſcus artibus hiſce magis implicitus, atque in ſuſcepta fraude firmatus, protinùs cum Bregantio de hominis libertate interceſſit; jámque Sancius eodẽ monacho auctore cuſtodia ſolutus ac liber familiarius propterea cum illo cæpit conjurationis negotia tractare, nexúſque diſcutere. Et planè Velaſcus ne dum velut in primis obnoxium fidúmque Sidonio, ſed conſpirationis inſignem etiam miniſtrum alloqueretur, excogitati facinoris ſeriem in hunc modũ expoſuit. Gallos, Hollandos, & ſimul cum Bregantio Sidonium ſociali eſſe fœdere junctos, quo fraude vel bello ſubacta, ac mutuò diſtracta Hiſpana inter ſe regna dividerent. Summo proinde conatu, atque ſtudio milites, naves, pecuniam undique comparari, ut Bæticam rurſus terra, marí-

que

que peterent, & alia ſubjunxit, quæ ſuperius à nobis commemorata hauſta ſunt ab hoc fonte. Sidonium præterea poſt Bæticam occupatã, prædarúmque ſibi partem addictam libello publico declaraturum Europæ Principibus eſſe jam propè ruentis Hiſpani Imperii diſcrimen, & cladem per Olivarii ignorantiam, aut ſcelus ad extremam calamitatem impulſi, quippè qui tribus, & ſexaginta novis tributis jam veteribus feſſos, ac propè conſumptos populos oneraverit, ſibíque ita afflictis, & comploratis Hiſpaniæ rebus illam arripere tabulam licuiſſe, ne in communi naufragio alieno errore, atque inſcitia periret. Ad hæc plurimas à Sidonio ad ſe miſſas epiſtolas recitavit, quæ Olivarii, Regíſque, item procerum Luſitaniæ Uliſippone degentium arcana conſilia, actionéſque promebant, inſertúmque ibi etiam Sancius deprehendit inditium, quod in Marchionis Villæregalis ejúſque filii Camignæ Ducis, ac reliquorum nuper exitium lugubri ſpectaculo ceſſerat. Ad aggerandam quoque pecuniam, quæ tam arduo ſuſcepto operi abundè fluere neceſſe erat, conſiliũ fœderatos Principes iniiſſe quò naves Hiſpanas Indico auro, argentóque refertas, vel ad portum tanquam amicum per errorem tendentes, vel eò fidẽter appulſas rum præmonitę naves hoſtium circumvenirent, cujus major profectò rapinæ cumulus, ut viro Hiſpano Hiſpaníſque ſubductæ prædæ acceſſurus Sidonio eſſet. Argenteum præterea quod Cœnobita ſecum habebat numiſma protulit Sancio cum impreſſa Regis effigie, biníſque partitis hinc, & inde leonibus ad eum lancinandum unguibus ſectis admotis; & cum hac tituli inſcriptione, *nos eum conficiemus*: cujus imago pro Rege Philippum, pro infeſtis carnivoríſque Leonibus utrumque Bregantiæ atque Sidoniæ Ducem, inſcriptio Philippi ruinam, & cladem ſignificabat. Hæc, & ſimilia cõjurationem vehemẽter prementia, cùm per Velaſcum Sancius edoctus eſſet, iter poſtremò, quod ad Sidonium conveniendum aſſimulaverat; perrecturus, occultis ſignis conſcriptas Sidonio tradendas epiſtolas accipit, ultimíſque datæ, redditæque ſalutis verbis à Velaſco ſic admonetur, ne in re hæſitaret, neu cunctaretur, quemadmodum ſibi mutandum in ſacram purpuram pannum pro re bene geſta promiſerat, ac præſtiturus erat Sidonius, haud ſanè diſparem illũ egregiè navatæ operæ Sancio mercedem perſoluturum. Clariùs hic autem Cœnobitæ tunc levitate, & credula mẽte perſpecta fide majora promittit. Cæterùm ante profectionem, quæ ab illo ſecretò audierat, Didaco Cardenio fido Regis clienti qui Uliſippone tum in cuſtodia detinebatur, expoſuit, ſi ipſe fortè per iter exceptus nequiret indiciũ ad Regẽ deferre. Uxorẽ quam ſecũ deducere conſtituerat alia via ad Caſtellã pergere juſſit, quã ad Gades ſcilicet feſtinatius evecta clã admoneret illius urbis Gubernatorẽ, hoſtium quamprimũ ingẽtes vi, fraudibúſque cõpoſitas claſſes in urbem ſuperventuras. In rem igitur ſedulò incumberet; nam domeſticæ inſidiæ fraudéſque inteſtinæ latebant. His ita diſpoſitis Sancius per ſpeciem quęrendi Sidonium Caſtellã verſus ad Regem iter inſtituit. Jamque Begarem ſitum intra Caſtellæ terminos oppidum cùm acceſſiſſet ibidem offendit tunc à Sidonio ut à ſupremo militiæ Duce mandatum, ut qui ab Luſitania profectus Caſtellam progreſſurus attingeret, ad ſe primò diverteret, ejúſque præſens imperium acciperet. Obriguit audita re Sancius, & mẽte confuſus, ac trepidus, tanquã certas inter inſidias, & ancipitem fugam deprehenſus eſſet omninò conciderat animo. Pergeret ad Sidonium, at litteræ proderent interciđiſſe ſecretum, dolóque ſurreptũ ingentis fiduciæ pignus; recuſaret imperium, at fuga deterior, ut meditati conſilii, & in Ducis exitiũ terminaturi, ſi interrupta fuiſſet inditium. Porrò

abeuntem, aut remanentem ad cautionem potentioris ipſum interitus expectaret. Inter hæc fluctuanti homini fortè illuxit animo palam averſum diffidentémque Sidonio municipii rectorem eſſe. Hunc igitur ſtatim adit, monet, inculcat gravia, & atrocia, atque ad Imperii ſpectantia ſalutem eſſe, quæ ipſe Regi denuntiaturus iter ad aulam approperaret, quæque ipſa negotia poſſent, vel levi quacumque interpoſita mora labefactari. Sineret itaque ipſum, ut fides in Regem, & communis utilitas poſtulabat, curſoriis equis ſtatim, ac tacitè aſſumptis inceptum ad Regem iter velociter perſequi. Tunc oppidi rector cui & ſuſpecta, & grata erat etiam, cùm aliqua paſſim interluceret Sidonii proditionis inditia, hujus furtivi itineris cauſa, ut ſancius popoſcerat cautè, citóque peregit. Dum Sancius hinc iter reſumit, aliunde mulier ejuſdem ut diximus, uxor multum longinquæ viæ prætergreſſa jam Gades pervenerat, ibíque Civitatis regalis Duci Præfecto urbis, præſidiíque renunciáverat. Quamplures nefarios in regno cives proditione Regem petentes fœdus cùm hoſtibus pepegiſſe, cujus quidem conventione niſi fortuna, virtúſque obſtitiſſet, arx erat in primis, & civitas Gadium intervertenda. Viſurum propediem ipſum conſtratum navibus æquor, terra, maríque miſceri omnia bellíque turbines furere, ut ſcelere pacta conficerent; ſubeſſe vim, & inſidias, externos, ac domeſticos hoſtes; celſo & occulto perfidiam capite niti: cúmque ideò ab illa quærere Dux inſtitiſſet, quinam Princeps defectionis, quæ conſpirantium conſilia eſſent, ubi inſidiæ, ubi ea clandeſtina conſilia concoquerentur, unde erupiſſet indicium, & an inquirere ſibi in perfidos homines licuiſſet, viríque juxta præceptum, quæ ſciret ipſa, cùm detegere mulier obſtinatius reluctaretur: ergo, Dux inquit, moram tu mecum Gadibus facies quoad propiùs, quàm adventare dicis, inimica conſpecta claſſe, quid ea mihi fuerit tempeſtate gerendum, ſuggeras. Libertatis ex eo jacturam cùm verita fœmina eſſet, ad quem hujuſmodi indicium jure pertineat, interrogat. Ad Medinæ Sidoniæ Ducem, ille reſpondet, ut ſummum in Bætica Gubernatorem armorum; Idipſum quî modò cohæreat, fœmina adjecit, cùm equidem anxia, & profugæ ſimilis Ducem Sidonium conſultò declinem? Tunc re ille penitus intellecta, cujus & alia per multa ex longo intervallo ipſe Dux ſuſpicionis veſtigia collegerat, tacuit, liberúmque ad aulam Catholicam tranſitum inſtanri fœminæ indulſit. Id tamen extemplo Olivarium per litteras monuit, nudam, & ſimplicem tantùm mulieris narrationem exponens, & perfunctoriè cum ipſa ſermonem habitum; De ea, quæ clàm ipſum affecerat, conjectura, ſuſpicioníſque argumento nihil omninò tetigit, ſatis ille ita ratus ſui muneris partes expletas, nec palam ſaltem eo obſcuro, atque ancipiti indicio Olivarium offenſum iri, cùm arcta ejuſdem cum Sidonio neceſſitudo, & ſi multi multa ſuſpicerent, non parum indices deterret. Hæc Gadium rectoris epiſtola prius Olivario reddita eſt, quàm Sancius Mantuam Carpetanorum ingrederetur. Qui longo curſim itinere emenſo, occultus tandem in Regiam, ubi Olivarius ſedem habebat, adiit. Ibi Olivarii janitorem conveniens, ab eo introduci ad Dominum poſtulat, prætereà cùm plane ipſe ſciret, difficiles aditus, gravem homini vultum, plenas faſtidio aures ſuperbo miniſtro eſſe, ut tunc faciliùs adiri, compellaríque poſſet, adjunxit. Adeſſe ibi Franciſcum Sancium Luſitanæ militiæ quæſtorem fuga, & inſidiis medios per hoſtes elapſum ut indicaret Catholico Regi, quæ Imperii ſaluti conducerent. Audit hæc Olivarius nihilò

hilò tamen minus per Janitorem Sancio reſponſum eſt. Non vacare tunc Olivario; poſtridiè reverteretur. Sancius ubi ſe poſt periculi tantum decurſum, & per longam captivitatem, & lubricum illud iter tantum quoque laboris exhauſtum, jam ita procraſtinando per Olivarium more ſolito eludi, ſpernique videt, Regémque alterius perfidia, alterius faſtu, inaníque fiducia prodi, quærens idcirco merénſque, Numénque indignatus implorans adjecit. Ne Numinis iram, & odium exiſtimem, vimque fati ineluctabilem hoc ad extremam urgere perniciem Imperium, profectò vel à me dicendarum inſcitia rerum purgare tantummodò poteſt Comitem, Ducémque Olivarium pro re tanti ponderis mihi injuſtè aditum extrahentem. Refert hæc rurſus janitor Olivario, qui hæc gravida verba cum illa quoque notitia conferens quam paulò antè idem ipſe à Civitatis regalis accepetat Duce, & ideò, quæ eſſet in cauſa, rem ſuſpicatus; Adhæc metuens, ne temerè in Regem, ipſo quanquam invito ignaróque Olivario indicium illud incideret, quod ipſe antecapere, ſuíque aſtus, ingeniíque imbutum colore, ſubornatáque ſpecie proponere Regi ſtatuerat, intromitti ad ſe Sancium illicò juſſit. Qui ad ejus genua cum more adorantium primò procubuiſſet, fuſiùs deinde Sidonii conjurationem exponit, diuturnam, ac fœdam ſcilicet, quam ipſe pro Rege paſſus Uliſippone cuſtodiam erat, & libertatis cauſam, occulta conſilia, civium proditiones, inita clam cùm hoſtibus fœdera, ſimul neglectæ, incompoſitæque militiæ ludibria, & pecuniam averſam, & diffidentes invicem milites, & arma ipſa Regis in Bætica in ipſum converſa Regem, & alia etiam quæ à cucullato Uliſippone didicerat, quæque ipſe præterea caſu itineris cauſa compererat. Litteras tandem ab eodem cænobita conſcriptas, ac Sidonio tradendas dat Olivario, quarum tenore certa, atque rata ejus confeſſio haberetur. His Olivarius auditis, primò de ea erga Regem ſingulari fide, & conſtantia commendat Sancium, pauliſper poſteà cunctatus, cum æſtuanti, & attonito ſimilis conſtitiſſet, adjecit, egregiè utique ipſum vel ex eo de Rege Catholico meritum eſſe, quòd vir nec propinqui ad propinquum horruerit tantum deferre nefas. Raram idcircò, & impigram hominis fidem geminatam à Rege mercedem repoſcere. Cuncta ſe Regi citius expoſiturum. Ab hoc colloquio digreſſus in cujuſdam Olivarii famuli ſedem inde jubetur occultus ſecedere Sancius, & ipſe Olivarius ea de re ſtatim admonito Regi, interceptas Sidonii litteras tradit. Rex Philippus, cui perinde mens acris, & vivida erat ut animus tenuis, & imbecillus, his auditis, in lapſum extemplò memoria diutiùs à ſe repetitum, atque animo volutatum incurrit delatæ ad Sidonium armorum apud Bæticam præfecturæ, hominem ſcilicet cum Bregantio per affinitatem, & amicitiam adſtrictum, tum affluentia opum, auctoritate, clientela, multóque magis animi vanitate tumentem; familiæ quoque Guſmanæ Rex, & nomen, & omen ad faſtidium abhorteſcebat; fatalem enim ſibi illam eſſe dicebat ob crebras illatas Imperio clades, res moderante Olivario, qui etiam Guſmanus erat, & ob Aloiſiam præcipuè Guſmanam ſororem Sidonii, uxorémque Bregantii, cujus quidem inſtinctu, impetúque fœmineo noverat ipſe virum ad regni rapinam impulſum, quæ omnia ſimul in Olivarii invidiam & odium, ut eadem propagine orti, ut improſperè gubernantis, ut plus rei familiari, quàm publicæ providentis cumulatiùs relabebantur. Cuncta Rex tamen ad tempus diſſimulare paratus æquabili ſemper fronte, vultúque conjurationis delationem cùm ex-

cepiſſet, nec lectas, nec ſolutas etiam Sidonii litteras, ut illæ obſignatæ, atque integræ erant reddidit Olivario, id tantum locutus, ex lege, ſed cautè ut par erat, in illo negotio procederet. Hoc Regis imperio tres Olivarius è regio ſelectos Caſtellæ Senatu, ſibíque magis addictos Judices nominat, qui de crimine majeſtatis contra Sidonium inquirerent; Sanciúſque deinde in ſepoſitum quemdam, & remotum ab aula locum accitus, quæ adierat, quæ viderat, quæ conjecturâ ipſe fortè de Sidonii cauſa collegerat Judicibus aperit. Exhibentur, quæ dolo interciderant, Sidonii Ducis epiſtolæ eáſque perſpectas cùm Sancio coram ſolviſſent Judices invenere quibuſdam ambiguis caracteribus ſcriptas, ſed adeò inepto, rudíque ſtylo Cænobitæ per imperitiam compoſitis, contextíſque, ut clariora quædam interpoſita ſignatorum fermè obſcurorum intelligentiam contraherent. His magna cum cura, peractíſque ſilentio rebus, cauſa ipſa Regis per eas ſic detectas, ac disjiciendas facillimè inſidias cùm jam in tuto poſita eſſet, Olivarius inſuper evolvebat, an, & quo fortè modo tam manifeſto cognati ſceleri non nihil per artes tenebrarum offundens omninò, aut ex parte diluere, orientémque ex crimine infamiam eludere quodammodo poſſet. Quæſitâ igitur comitate, novóque lepore, ac facetiis illi aſperrimo ingenio, horridæque naturæ prorſus inſolitis Sancium ſemel compellans, effluere inter alia velut obiter ſinit. (Quî „ fieri mi Sanci liceat? hunc cucullatū „ nequitiæ, ac falſitatis arguere, cùm „ tantum dignitatis, lucíſque Sidonio, „ ejúſque communi mihi familiæ pa„ teat, quantùm vili, & pannoſo con„ temptûs, & ſordium.) Nullo pacto, reſpondit Sancius, ea enim eſt in probato jam crimine rerum dictorúmque explorata planè connexio, ut quod tribuere gratiæ Sidonii, vel ſplendori domeſtico velis, de fide hoc oporteat, & jure detrahere: Proinde Olivarius hâc ſpe deſtitutus, nomini, ac famæ niſi penitus licuiſſet, vel Sidonii ſaluti conſulere ſtatuit. Hoc porrò ut à Rege impetraret, ſiquidem ægrè ſibi quotidie Regis ſeneſcere gratiam ſenſerat, nunc ratione, argumento, & jure propè cauſæ ſubnixus accedit, omnia cùm anteà libero idem arbitrio, & quodam imperio quaſi extorquere ſueviſſet. Itaque Regem de cauſa Sidonii cùm Olivarius alloqueretur. In acta ex jure relatis, inquit, quæ adverſus Sidonium facta, aut criminosè dicta apparebant, totius conjurationis propoſitæ molem, ut ignoti unius Monachi fide, verbíſque tantummodò conſtitutam in ſe penè deficere, ac ſuo propè fundamento labare. Idipſum tamen non contemnendum cum Imperii, Regíſque in diſcrimen, ac dubium cecident ſalus, in quo nec vitio profectò verti credulitas debeat, & levis quæcumque ſuborta ſuſpicio ſubſtratæ materiæ pondere maximè valeat. At verò honeſta ab utilibus, temeraria à prudentibus, æqua ab iniquis ſecernenda conſilia eſſe, ne onere cauſæ, nevè opibus partis, quam majeſtas hoc loco Regis profiteretur, jus obtuatur in aliquo viro, & eodem fortaſſis innoxio. Locum eſſe prætereà rationem aliquam ineundi, qua, & conſiſtat Principis ſalus, nec prorſus jaceat vis juris afflicta. Paulò ante cæcum omninò præcépſque Hiſpano Status Senatui viſum illud Brégantii fuiſſe conſilium quo proceres reos Luſitanos interitu perdere, quàm clementia ſervare, aut cuſtodire maluerit. At ita forſitan decuiſſe profligato ſcilicet regno, prono ipſi nunc in ruinam, atque in extremum diſcrimen adducto profligata quoque applicari conſilia. Pro rerum idcircò conditione, pro merito perſonarum alios in alios licentiam habere, ita ut alia circunſcripto, fluxóque alia ampliſſimo,

ac

ac ſtabili imperio aptari inſtituta legéſque conveniat, & rationes adducere poſſe, ut idem conſilium alteri Regum laudabile, & utile ſit, reprehenſibile alteri, & ſæpè numero noxium; Philippi patris, avíque Regem ipſum exemplis domeſticis admoneri, qui adverſus Bregantiæ Duces ordiri ſæpè ſæpius inſidias in Luſitano regno compertos, cavere ab illis ſibi curaverint, manus cruentare noluerint, nec certè ipſi Regi conſilio vel opibus eſſe modò florentius imperium quàm anteà fuerit, nec Duces Sidonios minores eſſe Bregantiis, vel clientela, vel copiis, vel turba amicorum cognatorúmque, cùm omnes Caſtellæ numerando magnates, vix unus eorum reperiatur qui Guſmanæ familiæ affinitatis, aut ſanguinis jure non copuletur. At etiam Regum illorum patientiam, atque ſocordiam in eodem regno aluiſſe, armaſſe Bregantios atque in regnum denique ſuſtuliſſe. Quid porrò, ſi contrà ſævitum in eorum ſanguinem eſſet, rem ſucceſſuram melius fuiſſe? an ejus fortaſſe Regis, qui rerum geſtarum uſu, & judicio rerum acerrimo prudentis cognomen communi conſenſu meruit, ne dum imitari, aut æquare, ſed vincere quoque prudentiam arrogare ſibi quiſquam auderet? vel ſatius non eſſet errare cum ſapientibus quàm ſapere cum inſulſis, & ſi per alia adhibita media quid futurum fortè fuiſſet in humanam notitiam caderet? Daret itaque Rex, & ſi fortiùs urgeret crimen vel emeritæ domus faſtigio, quod rigor juſtitiæ peteret à Sidonio, eodémque propterea leniter emendato, & cautiùs in poſterum circunſpecto, & quibus nimis abundat opibus imminuto ſimul Imperii ſecuritati, ſimul honori, decorſque familiæ, juriſque æquitati ritè conſuleretur, ex quo denique pateat, uſu clementiæ, atque animi temperantia Luſitaniæ Tyrannum ab Hiſpaniæ Rege diſtingui.) Subdolus ſermo, Regíſque maximè ingenio cum manſuetudine ipſa, tum metus præſertim injectione verſatili appoſitus impetravit, ut adeò gravem hominis cauſam quaſi fractus rationibus Rex cognati judicio relinqueret. Olivarius igitur juſſa cauſatus Catholici Regis per blanditias, ac preces, & interlitas propè lachrimis litteras, quas per tempora ad nutum fundere conſueverat, vocat ad aulam Sidonium. Idipſum quia latiùs etiam inceſſerat conjurationis compertæ rumor per communium utríque gentilium epiſtolas acriùs apud eumdem Sidonium ſimul intendi curat, ut ſcilicet ſine mora, & cum ſumma fiducia veniret ad aulam, hîc paratam, certámque ſibi eſſe dicto parenti clementiam Regis, ſecus autem tergiverſanti, obſiſtenti inexpiabilem fore moram, exhauſtámque jam latiùs jactati, exploratíque criminis veniam. Atque hoc ſtudioſiùs tunc Olivarius agebat, cùm enim pro ea deliberatione metus, angores, pericula paſſim in affecto valde animo, tumultuantíque conſcientia Sidonium circunſeſſura conſpiceret, ex eo verebatur, ne quid ille ex abrupto ſuſcipiens fortunæ potiùs cum libertatis additamento, quàm libertate orbatus alienæ, ac ſuſpectæ ſe credere fidei vellet. Sidonium verò poſtquam juſſa Regis per Olivarium expoſita ſunt, cùm in diverſum Olivario ſatis fidendi vel diffidendi ſollicitæ curæ diſtraherent, variíſque proinde implicitæ mentis fluctibus volutatum, ea tandem ſententia, quàm nota ſibi facilitas Regis, Olivarii apud eumdem arbitrium, & gratia, communíſque familiæ quæſitum decus indiderat, tenuit: ſimul etiam quia Bætici regni uſurpatio in meliori fortuna tentata ſecus acciderat, & Luſitania, ubi ei tutus, ac pervius à fuga poterat eſſe receptus, nimis anguſtam quæ binos ſimul tantóſque caperet Princeps æſtimabat. Sidonio igitur cùm ibi nec tutò cunctari daretur, nec fugere,

fugere, nec porrò etiam exigua promiſſæ, inculcatæque ſibi ab Olivario veniæ ſpes affulgeret, ad aulam tandem ex Regis imperio ſe contulit. Videt hîc prior Olivarium, ejúſque hortamento, atque interpoſita fide conjurationis ordinem faſſus, delicti, quo teneretur, principium, & cauſam ab
„ Aïamontis Marchione ducens. (Il-
„ lum, aſſeruit, ad eumdem Sidonium
„ ſecretas hujus ſententiæ dediſſe litte-
„ ras. Mitteret ipſi fidei exploratæ fa-
„ mulum, ut ore cum illo transfigeret,
„ quod fas non eſſet, epiſtolæ crede-
„ re; Miſſum propterea à ſe ad Aïa-
„ montium Ludovicum Dilcaſtillum
„ fuiſſe, qui clam cùm eo collocutus,
„ ac poſteà reverſus hæc ſibi ex Mar-
„ chionis ſermone collecta verba de-
„ tulerit. Fortuna, tempore, induſtria
„ in ea rerum viciſſitude & orbe uten-
„ dum utriſque eſſe, ne Portugallia
„ magnifica domus, ne communis ſan-
„ guinis, atque familiæ regia pignora
„ perderentur, eadémque ſubinde rui-
„ na, ut ambitio ſuſpecta erat, ac ſu-
„ perba felicitas, fortuna, ac neceſſi-
„ tudine affines, quótque regiæ gloriæ,
„ luctúſque participes eſſent, ſimul
„ præcipites traheret, præterquam
„ quod iis, qui in Bætica viverent,
„ & maximè, qui in eadem, ut am-
„ bo, provincia florerent, annitendum
„ præſertim eſſet, ne hæc jam feſſa tri-
„ butis, & quotidie plus lacerata fœ-
„ diora quàm quæ hucuſque luxiſſet
„ detrimenta poſteà ſubiret, & vaſtita-
„ te, atque excidio cum egenorum, ac
„ divitum clade poſtremò conſumere-
„ tur. Erectis, ac fortibus animis magna
„ eſſe propoſita præmia, ac ſi fortè of-
„ fendiſſent per brevem receptum cir-
„ cunſtantis periculi fugam; torpentes,
„ ac timidos tótque malis indormientes
„ perniciem proximè fore. His per Lu-
„ dovicum Dilcaſtillum relatis, ſibíque
„ præter expectationem auditis rebus,
„ metu ac ſtupore ſe primùm obtor-
puiſſe execratúmque peſſimum ca- "
put, litterarum cum eo commercium "
per menſes aliquot ſuſtuliſſe. Quin "
& diù cogitaſſe attrectatæ temerè in "
ipſo tantum perfidiæ ſcelus revelare "
Olivario eodem ipſo internuncio in- "
dicis operam profitente, poſteà verò "
cùm crebrioribus ipſe datis in eam- "
dem ſententiam litteris, omníque "
aurium, intellectúſque illecebrarum "
abuſus aucupio jam pertinacius Aïa- "
montius inſiſteret, illius artibus ſe "
pellectum, ac verborum lenociniis "
inductum, ac denique victum con- "
ſenſiſſe proditioni, eámque ſecretò "
cum Bregantio tractatum Uliſippo- "
nem miſiſſe Nicolaum Velaſcum è "
Franciſcana familia, inde nefaria con- "
ſtituta conſilia, firmata cum hoſtibus "
fœdera, ſollicitatos animos militum, "
omníque probro, & corruptela mi- "
litiæ, quæ ejuſdem eſſent officii, res "
bellicas hactenus agitatas. Cæterùm "
ad hoſticæ claſſis adventum, maxi- "
múmque apparatum, cùm bis inte- "
grum ſibi foret exequi deſtinata, íd- "
que allicere fama facinoris, & falſus "
honoris ſplendor objectus, optatíſ- "
que favere propitia fortuna cùm vi- "
deretur, in rei tamen perpetrandæ "
momento, velut ſceleris propiùs fœ- "
ditate perſpecta atque alia tunc ſibi "
objecta diù cogitati facinoris ſpecie, "
ita ſe animo cohorruiſſe, ut ſemel, & "
iterum ſpe illuſos, quærulos, vacuos "
magna cum claſſe dimiſerit hoſtes. "
Jamque deinceps ex facti conſcientia "
ſibi intimè torto, atque afflicto, ten- "
tatíque pœnitentia mœrenti ex longo "
intervallo in animo conſediſſe, pravi "
opportuna, ſed jam retractati, abje- "
ctíque conſilii confeſſione, ac dolo- "
re mereri clementiam Regis. At cun- "
ctantem, ac ſecum ipſum pugnan- "
tem hinc pudore, hinc per æmulos "
metu in illa animi volutatione, & in- "
teſtino mentis ſupplicio inanem pro- "
pè relictum contabuiſſe. Actiùs id- "
circò

,, circò ardere dolore ſe, atque animo
,, angi, quia inſidiantium præmen-
,, tiúmque æmulorum indicio is apud
,, Regem præventus eſſet, qui non niſi
,, Aiamontii conamine impulſus con-
,, jurationem adierit, atque eam cùm
,, maturè perficere potuiſſet omninò
,, disjecerit. Poſtremò tot ſibi viæ ad
,, evadendum cùm in illo diſcrimine
,, occurrerent, excuſſúmque à ſe ipſo
,, pavorem in eos, qui illum incuſſe-
,, rant, retorquendum, ſua tamen
,, ſponte obtuliſſe periculis caput, ſem-
,, pérque intutæ, incertæque fidei ho-
,, minum addixiſſe, & maximè fiſum,
,, potiora futura apud Regem officia
,, Olivarii pro ſe, quàm æmulorum in-
,, ſectationes, & contortos invidiæ
,, ictus.) Ad ea benignè Olivarius reſ-
pondet. Bono, lætóque animo eſſet,
ſua jam opera extortam à Rege veniam,
& qui in majori negotio viciſſet, in
minori non defuturum. Inſtructum
deinde Sidonium, quæ ei peragenda
coram Rege Catholico eſſent, ad hunc
Olivarius Sidonium per ſecretum Re-
giæ aditum introducit. Tum verò Si-
donius incultus triſtíſque vultu, ocu-
líſque pudore, ac mœſtitia dejectis re-
giis pedibus provolutus, & oſcula cre-
bra figens, miſta ſuſpiriis, ac fletibus
voce præteritæ culpæ remiſſionem pe-
tebat. Rex tunc animo tactus, ac ferè
humeſcentibus oculis, ruere in ample-
xus, ſolóque pervicacius hærentem
manu allevare contendit, nec ea ficta
quidem, ſeu fortè quæſita adverſus
meritum male clientem erat commiſe-
ratio, cùm tanta de more Regem affi-
ceret, ut vitio propemodum redunda-
ret. Tandem Sidonius plorans, & ge-
nibus nixus ſupplicem Regi porrexit
libellum cum veniæ exorandæ notis,
& confeſſionis articulis conſtitutum,
quem fronte ſerena, mitíque ſermone
,, Philippus accipiens. (Quò gravius
,, Dux, inquit, erraſti, eò mihi majo-
,, rem oſtentandæ clementiæ occaſio-
nem dediſti, & quia ſalutem, & fa- "
mam humano lapſus errore, ac pœ- "
nitentia extemplo correctus ad pedes "
meos projeciſti, utrumque ex animo "
tibi remitto.) His ita confectis. In "
bonis poſteà Sidonius à Rege multa-
tus eſt, ut ita ſuperbiæ alimento ſub-
tracto, ſecundíque qui vulgo ita dici-
tur, ſanguinis ſecta vena illa inſolentia,
animíque decreſceret tumor; ſimul
quia Bœticæ ac Luſitaniæ ſuſpecta, &
lubrica quoque Sidonio vicinitas erat,
cùm ſimulata, & coacta ſæpè numero
ſit pœnitentia, atque etiam hominibus
pronior ad priſtina vitia recurſus, ideò
ille Valliſoleti quod civitas regia, & Lu-
ſitania procul abeſſet, vitæ reliquum
ducere juſſus eſt. Verùm hæc priuſ-
quam fierent, ſic Olivario ſuadente,
Sidonius provocatorios ad Bregantium
libellos immittit, ac vulgat præter no-
bilium equitum morem contumelio-
ſos, minaces, ſtomacho, & bile plenos.
In his tanquam idem innoxius & fama
quoque incorruptus, ut vulgi rumores,
qui Regiæ ſecreta ſuo more rimatur,
eluderet falſo impoſiti ab illo criminis,
artibúſque promoti gladio vindictam
expoſcit. Porrò diem, atque locum
Bregantio Sidonius ad ſingulare certa-
men ſtatuit. At ſi eo laceſſitus libello
Bregantius pro ſupercilio ſibi Regis
aſſumpto ad conflictum dedignaretur
accedere, tunc ingenti mercede, quæ
prolixo propoſita ſcripto patebat, cùm
alia ſibi via non daretur, ire ultum
injurias, ſicarias in caput ejus extimu-
lat. Die itaque præſtituta Sidonius ami-
corum, famulorúmque agmine com-
munitus velut arenam invaſit, inſtitit-
que manendo ibi temporis etiam præ-
fixo termino elapſo. Cùm nullus in-
tereà cum ipſo dimicaturus apparuiſſet,
in Luſitaniam inde progreditur inani
ibi quoque ferocia ſtrepens, & minas
per otium undique jactans. Hìc ille
quoque tranquilla, pacata omnia, &
ubíque ſilentium, ac ſolitudinem videt,

&

& nedum indicto certamini obnoxius, ſed ne ſpectator quidem aut certaminis teſtis in ſpatio illo ampliſſimo occurrit. Comperto ex eo porrò Sidonius neminem ſibi minitabundo, atque inaniter inſultanti procedere obviam, non ſe ideò neglectum, ſed victum dicens, qui ſecum per arma congredi recuſaſſet, idipſum per teſtes, & ſcribam fide conſtare publica voluit. Quæ, ut ſimulata, metúque omnia pœnarum expreſſa contempſit Bregantius, ac ſi revera peracta fuiſſent, obſtabat certè congreſſui intuti, alieníque præſcriptio loci, fortunæ ac dignitatis imparitas, ratio prætereà perſonæ publicæ quam jure, aut injuria prætentam in eo ſtatu rerum expediebat ſuſtinere Bregantio. Ita Sidonio in extremo periculi conſtituto Olivarii favore conſultum eſt. At non eadem profectò fortuna, quæ Sidonium ita ſervavit Marchionem Aïamontium excepit. Is Sancii, Sidoniique teſtatione conjurationis particeps manifeſtus ubi indemnem propè Sidonium, levíque duntaxat impoſita pœna ſolutum, ac ſoſpitem videt, in magnam, ſed ſalſam erectus ſpem eſt quòd utriuſque conſimilis, rebúſque & conſiliis connexa criminis cauſa in pari propè conditione, ac fortuna haud diſſimilem foret exitum habitura. Auxere homini ſtulto fiduciam nimíſque ſibimet adulanti Olivarii fallaces litteræ quæ inanes ſpes ejus inflantes poſt recentem indultam Sidonio veniam ante oculos poſitam quaſi per ſales, & jocos finem ſecere; Numini ſimilem Regem parcere nolle niſi planè peccata confeſſis. Simplicem igitur Aïamontius delicti confeſſionem tanquam veniam per illam promeriturus exprompſit. Hæc quemadmodum erat ſignata ab Olivario ſtatim Judicibus proditur; Judices reum capitali ſententia damnant. Porrò Aïamontius in urbe Segovia eliſis in carcere faucibus perduellionis ſupplicium dedit, inſigni quidem credulitatis exemplo, aut verius aſſidua peccati comite pœna, cum in Sidonii comparatione ſpe falſus, pravóque judicio deceptus aliàs acutus, & providus homo non introſpexit quantum familiæ ſplendore, & copiis, & Olivarii cognatione, & ipſo jure, & pondere cauſæ inter ſe, ac Medinæ Sidoniæ Ducem diſcriminis intereſſet. De hujus etiam animi immanitate, aut ſtupore, aut potiùs conſtantia, interitúſque contemptu, quo ductus eſt ad ſupplicium, qui Segoviæ tunc aderant, narrant, cum ei pridie ſupplicium, & hora quoque denunciata ſupplicii eſſet, idque jam peracturi cum omni funeſto apparatu poſtridiè acceſſiſſent camifex, prætor, cæteríque necis miniſtri, tunc Aïamontium arctiori ſomno complexum, altéque ſtertentem inventum eſſe; ægrè ſubinde excitatum ſopore diſcuſſo, & fruſtra eſculenta ructantem dixiſſe pauxillo inſuper quietis ſibi tunc opus eſſe, prætorem ei reſpondiſſe, ſatis requietis mox perituro acceſſurum fuiſſe, tractum deinde ad ſupplicium eadem animi firmitudine, & ore, ac verbis intrepidum guttur carnifici præbuiſſe. Ludovicũ poſt hæc Dilcaſtillum, quem conſpirationis quoque fuiſſe miniſtrum actorum contextu liquebat, Olivarius corripi juſſit. Hunc priùs fugientem, ac latitantem juxta Begatem ſatellites aſſequuntur, ab eorúmque ſe manibus ipſum comprehendere connitentium nudo mucrone proripuit, poſt in templi latebra inventus, atque inde per vim aſtractus, primò Segoviam, deinde Mantuam Carpetanam traductus eſt, ubi denique Ludovicus in publica cuſtodia conſenuit, datúmque eſt gratiæ, ſamæque Sidonii, cui tunc quod recens, & incerto jactata rumore, nec latiùs effuſa res eſſet, illudi per artes laborabatur, ut hic libertatis jactura redimeret, quod cruore ſolvendum eſſet. Hunc finem ſortita eſt conjura-

tio Medinæ Sidonii Ducis, Marchioniſque Aiamontii, quæ non judicio, aut rerum directione, aut tractationis aſperitate, ſed partium ignavia, aut pigritiæ, ſeu Regis potius fortuna diſſiluit.

Interea Bregantius, poſtquam Luſitaniæ magnates, ut diximus, capite pœnas luere, quoniam Margaritæ Sabaudiæ Principis ope, inſtinctúque ad conſpirandum illos quoque incitatos proceres intellexerat, ſimul quia cultus, victúſque & amplioris cuſtodiæ ſumptus graviores quotidie jam propè exhauſto videbantur ærario, cùm novarum præterea rerum miniſtram in regno alerer, rum demum regnum ſeſeque tam ſumptuoſa, tam ſibi, & reipublicæ infeſta exonerare Principe ſtatuit. Sed ea res perfunctoriè in Senatu jampridem excuſſa, an videlicet expediret pro Odoardi Bregantii fratris ſecuritate Margaritam ibidem tanquam obſidem retinere, & tunc ob frarernas ſuſpiciones, & odia, quæ in occulro Bregantium afficiebant à Senatoribus inrerrupta, poſtquam Odoardum jam libertaris expertem apud Germanos arctiſſimè cuſtodiri vulgatum eſt, acriorem ex eo profectò conſultoribus curam incuſſit, & factu perinde, dictúque nefas viris prudentibus apparebat, ſi redimendi proditi fratris, inſontis, qui multa hucuſque apud Cæſarem paſſus, deterrima quæque fuiſſer, cùm in Hiſpanorum omninò poteſtatem incideret perpeſſurus, occaſionem quam tunc in manibus frater haberet ſine ulla cura ſineret præterlabi. Idipſum ægrè, & moleſtè audiebat quoque Bregantius, inde trepidus, anxiúſque animo rem volutabat, eam maximè tunc ad famam, & popularium referens fidem, quorum utique uſu, affectúque penes domeſticos, exreróſque ad imperii ſtabilitatem egebat. Jámque idem Bregantius harum mole curarũ, & magnitudine metus oppreſſus à prioris decreti conſtantia, qua inconſulto quidem Senatu abſque ulla permutatione, & gratuitò dimitti Margaritam cenſuerat, exceſſerat. Quæ nunc meditanri eæ quoque ad novam confirmandam ſententiam rationes acceſſerant, nimirum ut Olivario infenſam, & forruna quoque jactatã, quamquam ibi in cuſtodia velut obſidem retentam Regem omninò Principem neglecturum, nec ejus vexationem aliquid fratri profururam fuiſſe; contra verò ſi immunem mulierem regno diſcedere pateretur, ſuæ ipſum retruſæ mentis receſſus, & alienatum à fratre animũ, & Regum ingenia, & miſerias, adverſante Senatu, & malè apud populum audientem revelaturum. Itaque fixum in illo Bregantium, Sabaudiam nempe Principem non reddendi conſilio, niſi anteà frater ſibi reddirus eſſet, ejuſdem elati, vividíque ſpiritus uxor hoc ſtrenuo argumento deturbat. Si planè, " inquit, grandiores natu filii etiam " ſuſpecti, nimiſque moleſti Regibus " ſunt, tu huic modo regno partibus " ſciſſo, & ſeſe, ut ita vides, factionibus laceranti, fratrem impones aſſuetum militiæ, quique plauſus militaris, " & gloriæ famæque, & imperii guſtare dulcedinem ceperit? mite illud ingenium, & bonis utcumque moribus temperatum quidni blandiendo, " inſtigando verſare, atque efferre " aliquando partes rerum novarum in " regno cupidæ poſſint? Scilicet tanta cuique pro regno ſibi parando " cum natura luctatio eſt, vel nunquam " ingenium, & hominum mores, aut " occaſio, aut fortuna, niſi lateat in " floribus anguis, commutare ſuevit, " ut oblatum, & parabile quiſquam " diadema rejiciat, & alii ſervire quàm " impeꝛare malit! Non laudo more " Turcarum fratres interfici, ſed eos " procul habere, atque inter ea, quæ " induſtria vel caſus implicuit, pericula deſtituere. Cæterùm Catholici " Regis injuriæ, Cæſariſque violatæ " fidei non parum emolumenri, vel "

K grariæ

„ gratiæ referre debemus acceptum „ cùm ex iniqua Olivarii cuſtodia uti- „ litas nobis, publicum dedecus illis „ inciderit. Valida in ſpeciem hæc argumenta, viri præter ingenium jam uſu, & imperio tractabile uxori nullo negotio flexere Bregantium. Juſſit itaque ſtatim Margaritam è regno diſcedere. Hæc accepto repentè mandato, quia ea ipſa de re Catholici quoque Regis imperium præſtolabatur, cujus injuſſu ſe niſi coactam relinquere regnum tem eſſe abſurdam, ac reprehendendam arbitrabatur, Bregantio reſpondit, miſſum à ſe ad Regem Catholicum, eodem annuente Bregantio Petrum de Motta, qui commeatum, ut par erat, à Rege peteret, nullum hucuſque ſibi reſponſum per illum à Rege redditum, ſine quo illicitam ſibi, ac planè præcipitem futuram eſſe profectionem. Ignorabat eo tempore Princeps quod in aula Catholica ejus delatis ad Regem epiſtolis, iiſque ad Senatum per Regem rejectis, ejuſdem decreto ſancitum fuiſſet, poteſtatem, quam Luſitania abeundi Margarita popoſcerat præteriri ſilentio, ac prudenter diſſimulari; iniquum enim, & impium hinc eſſe cenſebant, quod illa rogaret, inficias ire, ſin palàm rem inde concederent, verebantur, ne ex eadem Regis permiſſione major etiam contradicendi prurigo, aut extrahendi, aut venalem habendi Principis libertatem Bregantio cupiditas augeretur. Diſſeruerant etiam in eodem Senatu Conſiliarii, eſſe eam Principem Margaritam per Luſitaniæ defectionē, ejus cura, regníque regimine devolutam, ſui idcircò juris, ſuæ poteſtatis, ſimul generis celſitudine immunem, atque ampliori dignam obſequio, nihílque propterea in illam moliri, aut ſtatuere fas eſſe Bregantio pro jure gentium ac libertate, ac tum maximè abire cùm vellet, à regno, neque exitum impedire. Ea tamen Hiſpani Senatus cùm Principi occulta ſententia eſſet, ſine reſponſo, ut aliàs ſæpè rurſus illuſam, & oblivione, ac deſpectu ſe quoque jacentem interpretata, dum metu, ac dolore interim angeretur, à Bregantio diſcedere juſſa mentem Regis excuſavit. At verò Bregantius, cui pleraque arcana Hiſpani Senatus conſilia auro, & induſtria quæſita patebant, rei conſcius, ſed tacitus, ſubdidit tandem mulieri, penes ſe utique unum, nec hominem alium in Luſitania rerum omnium arbitrium eſſe, quemque ſuo ipſe exigere regno vellet, ejuſdem coactum ni ſponte ſumptum, futurum egreſſum eſſe. Cùm eò devoluta res eſſet, ut ſi acriùs obniti fœmina vellet, ad vim, aut ſimile quidquam jam cauſa ſpectaret, ne Princeps jamdudum Luſitani rigorem experta in majoribus etiam malis experiretur, decimo poſt Luſitaniam amiſſam menſe, inculta, tenuíque familia, habitúque fortunæ caſibus conſentaneo Ulíſippone deceſſit. Iter ingredienti datus eſt etiam cum militibus prætor, qui ſpecie tutelæ, ſive apparatus, revera cuſtodia corporis uſque ad regni confinia illam proſequeretur. Is verò adeò inſolenter, atque inurbanè per iter cum ipſa egit, ut ſacerdos ſacelli ejus miniſter eo tudi agreſtíque tractandi Principem, modo ita, & ſtomacho multùm incenſus dum ignominiam, & petulantiam liberius, quàm tempus peteret, objurgaret, juſſu prætoris in quodam diverſorio detentus, moxque compactus in vincula fuerit. Ad famam adventus ejus, ubi ea primum Caſtellam tenuit, primarii exercitus Duces cum cohortibus obviam à Monregio Comite miſſi, qui militari obſequio, atque pompa omnes honores Principi cumulantes Badacocium adduxerunt. Poſteà Idelphonſus Cardona, qui Prorex in Balearibus fuerat, mandato Regis Badacocium ſe contulit, ut domeſtico primùm ſplendore, ornatúque

ornatúque ad tantæ mulieris dignitatem compoſito, indè ad Ocaniam paucas ab aula diſtantem leucas comitaretur. Huc tandem mulier evecta, longo ibi tempore ut ingrato ſeceſſu, vel in exilio poſita potiùs ægro impatientíque injuriarum animo vixit, ob vetus, ac firmum Olivarii inſtitutum, quantum pro viribus poſſet, eos à congreſſu, aſpectúque Regis arcendi, quibus regii ſanguinis decus, aut elegantia morum, aut meritorum auctoritas partem ſurripere gratiæ, aut dociles Regis præſtare poterat aures; Margaritam verò præſertim, ne ea cum Rege colloqueretur, Olivarius reformidabat, quominus Luſitaniæ collapſæ per injuriam ab ipſo Principi culpam affictam, hæc quibus uſu, ac natura valebat dicendi aculeis, ac nervis in auctorem apud Regem reflecteret.

Inter hæc in exercitu regio quem Monregius Comes adminiſtrabat, iterum ut in mores ſuos redeundi pronum, ac lubricum ut plurimum iter naturæ corruptæ eſt, abuſu, ac peſſima diſciplina militiæ tanquam inſania, aut furore milites capti debacchabantur. Non crapulæ tunc, non libidinis, non rapinæ, non militaris imperii, ordiníſque vivendi modus inerat ullus, augebatúrque quotidie cupiditas copiâ, & contumacia licentiâ. Hæc ſeriùs profectò, quàm pro more militiæ opus erat, Monregius Comes animadvertens, & corrigere quoque cupiens perpaucos tandem, ac deterrimos quoſque ſeverè plectendo coërcere ſcelerum ſocios injecta formidine ſtatuit. Quatuordecim itaque milites ſuſpendio, ac laqueo necari juſſit univerſo coram exercitu ea terroris oſtentatíque ſupplicii imagine offuſa. Cæterùm cùm non ejuſdem negotii in ordine moris, ac diſciplinæ profectò ſit ſuere velle ac diſſuere; laxare, & contrahere vitioſè, atque infectæ humanæ naturæ frænos, multóque hominum lapſus impediri faciliùs poſſint quàm emendari, ſtrenuum remedium, ut ſerum, irritavit, exulceravítque magis militum animos, quàm lenivit. Proinde miles quidam gregarius ſummum interficere Ducem in animo volvens, feſto quodam die cùm ad conſuetum obſequiũ majoribus ſclopis excuſſis Monregius ſalutaretur per errorem velut illapſam in illum glandem collineavit, quæ paulum à ſigno propoſito aberrãs, ipſius Ducis lateri adſtantem famulum interemit. Mox & Joannes Daza equitum turmæ Ductor in militari tumultu, atque ſtrepitu inter ſe conſpirantium, hominúmque fremẽtium confoſſus eſt, quod ex Ducis mandato ſeveriùs, quàm ea inveterata licentia, militúmque contagio ſinebat in hominem ſontem auſus eſſet inquirere. Igitur ita miles nec imperii, nec inſolentiæ, nec ampliùs libidinis potens, adhæc impunitatis illecebra ſuper naturæ lapſæ & morum effrænium impetum diſſolutus, ac vagus, & velut navis ſine gubernaculo fluitans apertè jam ad ſeditionem ſpectabat, cùm ſecum Monregius reputans vacuam, infamem periculis plenam eſſe ſibi militiam, in aula ſecus ampliſſimas ſibi opes, magnifici muneris uſum, Olivàrii quoque gratiæ ſubſidium, benéque per hunc erga ipſum Regis animum inclinatum, confirmatúmque quæ propter dedecora belli, atque inde inertiæ, & ignaviæ ſibi notam inuſtam omnia invidorum expoſita ſtimulis, in eo jam eſſe diſcrimine viderentur, ut domi ſimul militiæque omninò ornamentis amiſſis, nec bonus ipſe miles, nec fœlix tandem aulicus agitaret, valetudinem idcircò cauſatus miſſionem à Rege obtinuit. Inde Mantuam Carpetanam reverſus Italiæ Senatus Præſidis, Senatúſque conſilii Status intermiſſa ibi munia reſumpſit, nihil in ipſo apud Regem ob geſtam incurioſè militiam, tótque inanes profuſos ærarii ſumptus gratia priſtina flacceſcente quippè qui ex Olivarii partibus,

ejúſque in primis addictus rationibus eſſet. Olivarius autẽ ut ſua noverat intereſſe,eventorũ notitias facundè pingebat Regi, & verborum quaſi præſtigiis rerum inflexa momenta librabat. Ita Monregio è belli Præfectura dejecto ſucceſſit extemplò ut dignitate gradúque militiæ propior meritóque ſuperior Joannes Garaïus, verſúſque repentè moribus miles mutare cum capite vitia eodem tempore viſus eſt. Nihilo tamen minus animi dubius verſabat hucuſque Garaïus, an occaſioni, & imperio præſto futurus miles, an Ducibus animus, an municipibus fides; ſatiſne excuſſa militum vitia, & an ea relapſura in tempore forent? Utrum milites Duci, & municipibus milites conſentirent, cùm res adverſæ præſertim fallaces hominis latebras, & cujuſque vel aſtu, vel defectu materiæ latentia mala, vel bona merita proferant. His etiam acceſſerat, eſſe profectò Luſitaniæ finitimum Badacocium, & locorum ſæpè vicinitatem cauſas permultis offenſionum, & crebriora diſſidia inter ſe, aliis quoque gentibus aliquando per hoſpitia, communes affinitates, atque commertia benevolentiam, & uſum inter finitimos peperiſſe; taliſque ardere, ac furere nuper fœda ibi militum rabies conſpecta erat, ut incolæ tunc execrabili militum odio, atque horrore militiæ correpti ſimilia, aut minora fortaſſe, & ſi illi viciſſent, paſſuros ſe ab hoſtibus eſſe putarent. Id porrò tam in cive quàm milite Badacocii Garaïus per artes exploraturus quadam nocte ſupra tenebras nubila falsò ad arma clamari, & certaminis ſignum proponi juſſit; perinde quaſi tunc improviſus Badacocium hoſtis impeteret. At Ducem anteà Infantati, qui juvenilium amorum errore exactus ab aula hîc honorarium agebat militem, ut hoc urbanitatis officium Principi viro præſtaret, ne ad claſſicum ſurgeret, monuit. Igitur hominum, tubarúmque clamore, ac tumultu longè latéque per urbem effuſo, concives militibus miſti raptim capere arma, concurrere, efferre ſigna, circunſiſtere portas, propugnacula, mœnia ſubire, properè omnia, atque alacriter agebantur; cúmque id ſemel in urbe, & rurſus in caſtris expertus eſſet, jam ſatis Dux civitati, ac militibus fidens, exinde luxuriæ, atque ignaviæ adhuc militi illata diſcutere probra inſigni quodam facinore cogitabat. Interim Luſitanus poſtquam novi ſuffecti Ducis peritiam, induſtriam, & animum intellexit, ejuſdem prærepto pugnæ conſilio ad virium animíque jactantiam prior idem ipſe decrevit laceſſere hoſtem. Valvardes Caſtellæ oppidũ Badacociũ inter & Olivençam hinc unam, illinc quatuor propemodum leucas abeſt. Planitie qui ſubeſt oppido ſitus extentus amœnis, ac paſſim virentibus cingitur collibus, ſed eo leni faſtigio porrectis ut inde appoſitè queat per belli tormenta oppugnari, quatique. Propterea, & quod hoſtico ſolo premitur locus, & vi atque inſidiis viciſſim armata vicinitas eſt, atque aſſultibus opportunior, ſolido muro, atque aggere triplici ſeptum oppidũ erat, capita quoque viarum interpoſitis clauſtris, & munimẽtis undiq; inciſa, & legiones duæ cum quatuor equitũ turmis aſſueto præſidio aderant; Intercipere primùm, aut ſi res fefelliſſet, impetu capere hoc oppidũ Luſitanus intẽtus peditum quinque millia, & nongẽtos propè ſatis inſtructos equites Franciſco Rabello ductore miſit, at plauſtra cùm militaribus impedimentis, & tormentorũ quoque vehicula, ut fieri plerumque ſolet, adeò iter implicavere, ut non niſi ad lucis orientis initiũ juxta Valverdem copiis appulſis, elapſa cùm jam eſſet occaſio, vi, non inſidiis agendum hoſtibus eſſet. Id tamen anteà Garaïus per exploratores edoctus Valverdis præſidiũ auxerat, & quoniã de imperio, atq; loco graviores inter tribunos

altercatio

altercationes exarſerant, ne diſcordia faveret hoſtibus Franciſcum Freilum impoſuit, qui ad municipii tutelam Legati nomine juſſa militibus daret. Jamque mox radiante die cum omni militari apparatu adverſus Valverdem pulverulentus hoſtis apparuit. Tunc Teraza univerſo cum equitatu in adventantem Luſitanus emittitur. Cautè hic, & cunctanter obequitans per varios flexus, & obliqua viarum nunc circuire, nunc ſpontè cedere, poſt rurſus inſtare, tumultuaria, fugacia, ac levia ſerere prælia, modò ipſe in frontem, modo in latera, aut terga curſim invectus; ſed robur, & vires cùm ex hac parte longè impares eſſent, & Luſitanus equitum peditúmque diductis clauſiſque alis Caſtellenſem propè circumventurus infeſtus appropinquaret, averſus hic tandem in fugam eſt, eouſque tamen tumultuando, atque orbes agendo diſtinuit hoſtem, donec aliquid ſociis dederit ſpatii ad oppidanam parandam defenſionem, quò ipſe fugatus tandem, ac fuſus cucurrit eques, cum oppidanis cæteriſq; militibus defendere muros & aggerem curaturus. Luſitanus autem propiùs advectus priùs munimentum, & oppidi ſitum luſtrat, inde colles propinquos ſubit: ibi tormentario ſuggeſtu poſito ad tormenti bellici jactum conſedit, crebriſque inde ictibus verberare, ac diſcindere murum, & aggerem cœpit. Diù, acritérque ea verberationis incuſſa vis, multa donec labe, continentíque ruina fatiſcentibus muris propiùs oppidum hoſtis aggreſſurus incurrit. Hic verò atrocior incenditur pugna, & latior utrinque ex propinquo cum initio calerent vires, aggeritur ſtrages, & cum pugna mox inclinaret his ſpei, his deſperationis incitamento perculſis ex cauſa diverſa vis, animíque conatus intenditur. Tandem cum etiam contis refractus, ac ſciſſus agger aſſiduas inter ruinas ac cædes nudaret hoſtibus oppidum, ſparſique præthereà lapides arma, ligna & alia ſubſtrata corporibus corpora, & deſuper jacti confractarum moles acervi ſcalarum velut gradus aſſurgerent, iidémque etiam hoſtes numero prævalentes & animo referti, conſtipatíque impreſſionem vehementiorem intenderent, tunc dejectis propugnatoribus, per avulſa, atque ſtrata murorum, & aggerum munimenta, & armorum, & corporum clades Luſitani cruenti, feroces in oppidum intrant. Porrò intus novi quoddam conſeritur genus conflictus, quo verſo marte premunt, cædúntque victi, qui vicerant. Etenim Freilus, atque Teraza vana illa debilium murorum, aggeríſque defenſione comperta, idoneos bello municipes, cladíſque reſiduos collectos milites, viarum initia, quæ erant obicibus intercluſa, tueri, cæteros invalidæ ætatis, ac promiſcui ſexus imbelles, ad majorem Eccleſiam, quæ arcis in modum conſtructa erat effugere juſſerant. Igitur ſanguine oppletus cùm Luſitanus jam irrupiſſet, multiplicis pugnæ facies, ubíque varia, terribilis, fœda ante oculos verſabatur, & longè ea quoque minus invaſis, quàm invadentibus luctuoſa; flexus enim, & capita callium ſpatiis, vallíſque disjuncta, cùm alius aliò conflueret, tot diverſa, & cruenta certamina ſuſtinebant, & alii quidem audaciùs progredientes inter aditus fauces oppreſſi, alii temerè ſubeundo icti, vallóque præcipitati, multi ob locorum anguſtias, dum in arctius frequentes coëunt in ſeipſis tunc implicati, & ſe invicem collidentes faciliùs obtriti ſunt. Eodem quoque tempore Luſitanos aut vagos, aut vallis hærentes ab ædium faſtigii lapidum jactu, tegularum fragmentis, & igneis fiſtulis Caſtellenſes adoriuntur. Qui verò ædes ſive ſuffugii, ſive cauſa ultionis temerè ingreſſi erant, familiares è latebra egreſſi confodiunt. Poſtremò Rabellus ubi viarum impenetrabiles aditus, volven-

tem tetro fortunam ſeque omni arte belli tum induſtria, tum hoſtis virtute ludificatum videt, deſperata, quam maximè optabat, municipii direptione, labore aſtúque languidos diſperſóſque colligit milites, templúmque inertis, imbelliſque multitudinis plenum eos expugnatum impigrè ducit. Effuſa erat ibi planities, ibíque juſta ferè concurritur acie, efferatíſque continua fermè cæde militibus, jam propè ereptum victoriæ decus recipere Luſitanus, oblatum autem illud arripere enixius Caſtellenſis incumbit. Poſt multum fluentis hinc, inde cruoris, & obſtinatis animis, editæ cædis cùm adhuc dubia res eſſet; Didacus Lara Caſtellenſis Centurio valida oppidanorum, & militum manu contracta repente à tergo ſe oſtendit. Tunc ancipiti metu perculſus, atque animo fractus hoſtis fugam ſubinde capeſſiturus conturbare, ac diſſolvere cœpit ordines. Quo viſo Rabellus detrahit confeſtim, abjicítque è capite galeam, atque ita pugnanti, militéſque adhortanti, & fluctuantes, ac trepidos fugam reſpicientes ſiſtere ordines annitenti latus lancea transfigitur, equóque ſtatim excuſſus occubuit. Hinc Luſitanis jam capite deſtitutis communis initium terroris, ac cædis præcipitíſque fugæ; & fuga quidem effuſior quàm cædes patuit; non enim acrius urgere Freilus eſt auſus, aut longiùs perſequi pulſos, & in fugam disjectos, adhuc integram hoſtium multitudinem pertimeſcens, & quod ei mederatiùs eo tempore videretur eſſe quidem utendum belli fortuna ſecunda, cùm adeò varius, ancépſque Mars in eo certamine colluſiſſet. Cæſa hoſtium ad bina millia, ex victoribus ad octingentos interiere; cædes hoſtium conditione, quàm hominum numero inſignior fuit; nam præter occiſum ejuſdem exercitus Ducem plures quoque nobiles ceciderunt ex militari qui Chriſti dicitur ordine, quinque etiam equitum Duces, ſigna militaria quatuor adempta, præter plurimos vulneratos, qui per ea ipſa plauſtra, quæ pervaſtati, everſique oppidi ſpoliis implenda inani fiducia traxerant, Olivençam revecti ſunt. Inter hæc Badacocium cùm invaſæ Valverdis fama perlata eſſet, confeſtim Garaïus Paçecco, Marchioníque Rivenſi præcepit, ut cum duabus hic legionibus, ille majori cum equitatus parte, aut Valverdem urgentem permetent, aut inde fortè digreſſo in veſtigiis occurrerent hoſti; ſimul & Anæ pontem, unde tranſitus erat, cum copiarum parte ſubducta circunſiderent. Cæterùm Luſitanus jam cæde militum imminutus, & ſauciis, ac ſpirantibus etiam, quorum plurimos ſecum trahebat, per viam irretitus, cùm hoc ipſum metueret, ne ſarcinis ſcilicet implicatus exciperetur, gradus per iter addendo opinione celeriùs evaſerat, móxque obvii commilitones victoriam invicem gratulantes ad caſtra reverſi ſunt.

Labentis anni hujus res geſtas clauſit Romana tandem legatio, quam apud Urbanum Octavum agendam Bregantii mandato Antiſtes Lameci ſuſcepit. Hujus quidem legationis exitus omnes ferè Chriſtiani Orbis expectatione ſuſpenſos, erectóſque valde tenebat Principes, diſpicere in ea cupientes, quantum pro amore videlicet Galli, pro Hiſpani formidine, pro ſua dignitate, pro opinionis famæque ſtrepitu in hac Luſitani cauſa Pontifici licuiſſet; ſed multo magis ſollicitos, anxióſque quos vetus exinde, nunc verò incitatior eadem in aula jactandæ potentiæ, vel gratiæ contentio ſuſtulerat, tum Hiſpanos, Gallóſque in rerum eventum arrexerat. Gravior præſertim Hiſpanum, cujus maximè res agebatur cura perculerat, ne fortè probatum Urbano, acceptúmque illud fictitii, intruſique Regis officium, quaſi injecta divinitùs mente, afflatúque efficaciùs palámque Bregantio jus,

nomén

noménque Regis aſſeteret, quod planè cùm non ſecus juſtitia, ac ejus ſimilirudo vulgares homines rapiat, ſegniores, pigriotéſque deinceps, aut minus ſtudioſos Hiſpanos pro amiſſo regno recuperando, ut duriores in ſuſcepta perfidia Luſitanos conſtituiſſet. Metuete tamen, quàm credere potiùs offerebatur Hiſpano Pontificem, qui neutras hucuſque publicè partes profeſſus, clam, & velut per latebras Regem Catholicum inceſſiſſet, abjecta repente larva, tanto nunc vulnere palam læſurum ipſum fuiſſe, qui in promptu reddere vices poterat, & longinquo rerum, ac temporum curſu tantam diſſimulando collectam in Pontificem iram effundere. Amplior autem in hoc negotio Gallos alliciebat ex ingenio Pontificis ducta ſpes, iis ſcilicet ita prono, ut Hiſpanis ſemper adverſo, infeſtóque & magis, quod turpis etiam in aula Romana recénſque rumor increbuiſſet, ab Hiſpania, inſcio Rege, Olivarium ad Romam miſiſſe ſicarios, qui veneno Urbanum extinctum pergerent, ídque tam triſti à ferendo ſummo Pontifici inditio, Cardinali Franciſco, ne metu ſenem exanimaret,exterrito, per Oratorem Gallum Urbanum non fefelliſſe. Ad ſceleris fidem addebant etiam, hanc poſteà inflictam criminis notam cùm res irrita cecidiſſet, ut Olivarius abſtergeret, quemdam apud aulam Catholicam hominem alio, & gravi fortè crimine implicitum, inani ſpe veniæ oblata, auctore Olivario pellectum eſſe, ut execrabilis ſe parricidii in Pontificem voliti reum, & litterarum inſuper corruptorem, quæ in hac cauſa Olivarium aſperſerant, fateretur. Hoc credulum hominem præſtitiſſe, & veto crimini fictum appoſuiſſe, ſubinde & quod fecerat, & quod mentitus peccatum fuerat, jubente Olivario, pœna capitis exolviſſe, ut hoc à ſe dolo flagitii ſuſpicionem averteret quàm in illo, qui verè dederat, motte multaſſet. Hos Romanæ inter aulæ ſermones ultro, citróque jactatos, & prout ſinguli erant partium in animo ſtudiis imbuti rerum intellectionem trahentes; Joannes Ciumazerus, qui ea tempeſtate Romæ Hiſpani Oratoris munus obibat jam ex longo tempote inſtructus à Catholico Rege fuerat, quo ordine cautè, & gradatim iturus ſedulò eſſet Luſitani conatibus obviam, leni ſcilicet primò, diſſimulatóque quodam vigore, atque aſperſa gravitate modeſtia coram Pontifice uſus argumentis, ac precibus de cauſa publica ageret, ſi nihil temperantia ac modeſtia cum illo proficeret, tunc validis ſenſibus ſed ambiguis, ita miſceret precibus minas, ut nec ruere ſuccenſus Pontifex poſſet, nec timere deſineret; extrema tandem ſpe deſtitutus, ambage verborum omiſſa, directè, & conſtanter Urbano denunciaret, quod in aulam Romanam Luſitano legato regio more recepto, inde è veſtigio eſſet ipſe Regis imperio ceſſurus, reſciſſa amicitia inter Urbanum, & Regem,ejectus ac pulſus ab aula Catholica Apoſtolicus Nuncius, bonáque omnia Eccleſiaſtica adempta, ac futuro Pontifici, à quo eſſet Hiſpanus jus violatum tepetiturus, ſepoſita forent. Rei hujus gerendæ ordo ab Hiſpano Senatu decretus, & à Rege ſubinde Catholico juſſus ex Imperii decore magis,ac ſpecie quadam modeſtiæ prudentibus viſus, uſúque ipſo faciliùs tractandæ rei, quæ nimis calidè cæpta languere, aut tranſverti primo impetu ſoleat; at leni ipſi ordine ductæ vis, & conſilii cunctando robur, ac pondus, & fortunæ interjectus quandoque favor accedere. His regiis mandatis Ciumazerus acceptis, ubi ad urbem appropinquare Luſitaniæ legatum allatum eſt, Urbanum confeſtim adit, úrque mos Catholicis eſt, pedibus ejus affuſus ſermonis initium à vulgi rumoribus petens, de Luſitano quodam, qui regia ementitus

titus inſignia in Luſitani legati nomen invaſerat, novo, & attonito ſimilis Pontifici refert, jus deinde inconcuſſum, longioríſque uſura temporis rarum, quo avito Rex Luſitaniæ Philippus eſt regno potitus, exponit, ídque ipſum fortunis omnibus, liberis, vita, totóque vocato, ſi ita opus eſſet, Hiſpano ad extremum diſcrimen Imperio enixius tueri paratum eſſe. Adjicit etiam Pontifici trahere, atque innectere ſecum hanc communem rationem, & cauſam Orbis terrarum Principes omnes, ne ex fæce, ac populi ſordibus ſcilicet Tyrannos exortos, ope ipſi, aut illecebris nutrientes, novos idcircò, pro exemplo felicis injuriæ, atque impunè aliena turbandi, uſurpandique regna, terrarum latrones in ſuis ſedibus excitarent, & Regem quoque ſibi Philippum auxiliatorem, ac vindicem quærerent; maximè tamen ad ſummum hominum, ſummúmque Antiſtitum pertinere ſuo more, & exemplo ſua diſciplina componere Orbem, atque in omnium etiã perniciem ſerpentium ubíque malorum ſemina ſtatim, ac nutrimenta convellere, tandem Philippum Apoſtolicam ita diligere, & colere ſedem, ut doliturus vehementer eſſet, ſi durius fortaſsè quidquam conſulere in ipſam laceſſitus injuria compelleretur. Ad ea placidè Urbanus, hanc Luſitanam legationem, inquit, multò plus ſibi quidem faceſſere molis, & onerare quoque conſcientiam, quod cum Epiſcoporum electione, ac ſpirituali illius regni regimine illigaretur, alienúmque à ſua dignitate, atque animo ſemper fore divinum humano poſtponere jus, aut Regis gratiæ religionem. Cæterùm Cardinalium ſuffragiis excutiendam rem eſſe, quodque major, aut melior pars cenſuiſſet hoc ſe integrum habiturum. Hoc accepto reſponſo, niſi multæ ſpei plenus Orator haud tamen adeò ſollicitus, anxiúſque à Pontifice abſceſſit: quanquam enim obſcuros per verborum circuitus Urbanus, cum numero, ac merito potiores inter calculos ſecreviſſet, velle ſibi callidè videbatur totius negotii aſſumere arbitrium, ea cauſa tamen ad rationem conſilii, ubi tunc præpollebat Purpuratorum Hiſpanica factio rejecta, ſibi rem æquiorem, aut mora deluſam, aut omninò corruptam, vel ſaltem in dubio futuram Ciumazerus intelligebat, non nulli ſiquidem Patrum altioris cupidine gradus cautè, & occultè; palàm, & alii penſionis mercede conſtricti partibus ſerviunt, at numero plures Hiſpanis, ſive clientelæ vinculo torti, ſive bonorum in Hiſpana, quæ latiùs patet, ditione pendentium, cúmque ſua quemque utilitas agitet, & alios hebetiores affectionis errore moveat, alios voluntariè tranſverſos agat, inter momenta conſiliorum plus ab Hiſpano, quàm Luſitano, Gallóque Cardinales plerique ſperare poterant, aut metuere. Verum Urbanus Hiſpano dimiſſo Oratore illum Cardinalium conventum ſecum ea ipſa de cauſa conſultum vocat, qui ab arctiori rerum fiducia, ac puritate partium Conſilii Status appellabatur, ſimul eos Patres qui apud aulam quondam Catholicam Nuntii Apoſtolici cura defuncti uſu, & officio Hiſpana inſtituta moréſque callerent accerſit, eorúmque ſententiis rem agitandam permittit. Inter hos Cardinalis Sacchettus affinitate, gratia, dulcedine morum in primis Pontifici commendatus Luſitanum legatum regiis inſignibus eſſe admittendum hoc prope modo diſſeruit.

Legati munere Luſitanum, qui " Eccleſiæ interſepta, & cum grege " Dominico paſceretur obedientiam, " obſequium, & fidem ſummo Ponti- " fici, Paſtoríque regio nomine reddi- " tum ad hanc urbem approperare; " quod certè pietatis, ac religionis Sa- " croſanctum obeundum officium, ac " munus, ne Mauro quidem, aut Scy- "

thæ,

„ aut Regi cuicumque barbaro ex ulti-
„ ma quanquam emerſo prægelida,
„ aut torrida cœli plaga, ſi exuta ali-
„ quando perfidia peragere vellet, ne-
„ gari meritò poſſet. Hanc ipſam etiam,
„ quæ in controverſiam modo traha-
„ tur, legationem cum illa conferri,
„ quæ Apoſtoli Collectoris nuncupe-
„ tur in Luſitania, prima autem injuſtè
„ ſublata, alteram etiam evelli, item-
„ que ſacrorum per intervalla inciden-
„ tium ſurrogationem Antiſtitum, ita
„ ut ſine Collectore, ſine Epiſcopo,
„ regno prorſus neglecto, omníque
„ ſubſidio, ac diſciplina animarum or-
„ bato, & furiis idcirco, hæreſúmque
„ portentis mox erupturis, & cladibus
„ derelicto, id ultrò in Luſitania per
„ hoc videatur à Pontifice intendi,
„ quod jam ploratur in Anglia. Quid
„ porrò Tyranne, quid raptoris iniqui,
„ aut latronis ſimilitudinem, ſive um-
„ bram, ut Caſtellenſes ſuperbè ja-
„ ctant in Luſitano Rege prætendi,
„ cùm ſtet pro illo & ſuffragatio ju-
„ rium, & populi plauſus, & acclama-
„ tio, quorum unumquoque diviſim,
„ & ſi alia plurima deſint, quæ ſanè re-
„ dundant in cauſa, valeat Regem le-
„ gitimum conſtituere? Verumtamen
„ eſto, ancipiti jure, atque integra cau-
„ ſa, qua neuter hucuſque lite ceciderit
„ inter Regem Caſtellenſem, Luſita-
„ númque verſari modò negotium re-
„ gni, eſſe prætereà in more vetuſto
„ apud Romanos Pontifices poſitum,
„ cum legum auctoritate, ſive acie &
„ cuſpide armorum de regno aliquo li-
„ tem Reges ingrediuntur, illum pro
„ Rege Pontifices ducere, qui per aſtū,
„ aut vim, jure aut injuria in regnum
„ invaſerit, id modò poſſideat. Ita ſa-
„ nè Rodulphus, Alfonſúſque Caſtel-
„ læ Rex, cum ſtudio inter ſe Germa-
„ nis Principibus ſciſſis, ac ſuffragio
„ diſtractis de Cæſarei jure diadematis
„ diſceptarent, Gregorium Pontificem
„ tandem aſſenſiſſe Rodulpho ut Im-

perii poſſeſſione, & populi aura, at- “
que gratia per id temporis perfruenti. “
In Caſtellæ quoque regno perempto “
ab Henrico Petro fratre cognomen- “
to crudeli, regníque impuri, cruentí- “
que per cædem fratris extorti ſubin- “
de potito, Hiſpani reliqui Reges cùm “
illum, quia nothus erat, exploderent “
ſibíque ſinguli regnum, inflexo ad “
libidinem jure ſtatuerent, inter tot “
lege, atque jure altercantes, armíſque “
Principes obſtrepentes, impari licet “
materno genere Henrico ſuffragatum “
Pontificem eſſe, quod libens eo tem- “
pore in ſpeciem, ac tacitus populus “
per ſcelus quanquam impoſitum, & “
fratricidio quoque fœdatum jugum “
illud jam ſuſtineret. Similia, & per- “
multa ad rem ſuppetere exempla in “
Neapolitano præſertim expoſita re- “
gno, ubi velut Principum joco, na- “
tionúmque ludibrio, cùm alius alium “
barbatum Regem truderet, ac velut “
ludo pilæ jactatum regnum, recep- “
túmque peregrinas quotidie inter “
manus volutaretur, omiſſo tum jure “
Pontifices, ei niſi palàm Eccleſiæ ho- “
ſti regios faſces, noménque regium “
indulſeriñt, cui populi ſtudio, aut “
ingenio, aut armorum fortuna regni “
poſſeſſio ceſſiſſet. Hunc longo planè “
intervallo conſtantem in aula Roma- “
na ritum, minimè quidem nunc citra “
lapſum, & publicam notam pro Ca- “
tholico poſſe Rege, & Luſitanum ad- “
verſus Regem infringi, quamvis & ille “
major, minor hic opibus ſit, cùm ho- “
mo imbecillis, ac tenuis juris momen- “
to ſubnixus potentiori collatus emi- “
neat, atque injuſta, turpíſque lata ſen- “
tentia fraudem quoque & perniciem, “
Deo ſive homine ultore in ejus au- “
ctorem transferat. Quin etiam reli- “
gioni, ac pietati, & honeſto, & ob- “
ſervantiæ debitæ legum, quæ pariter “
omnia Luſitanæ legationis cauſam “
corroborarent, accedere quoque “
momenta utilitatis tantæ, ut vix aliàs “
hujuſmodi

,, hujuſmodi juris, utilitatíſque nexus
,, in re ulla deliberanda tam arctè quàm
,, id quod incidit modò conſilium
,, complexus fuerit. Neminem enim la-
,, tere vaſtum Hiſpaniæ, ac luculentum
,, nimis dominium, non minutis Italiæ
,, modò Principibus, ſed cunctis etiam
,, Europæ Regibus periculoſam extẽde-
,, re umbram. Hujuſce nimiã coæqua-
,, re potentiam, & immodicas opes,
,, ſtrepitúmque jactantiæ minuere hoc
,, fore proinde, ut fragiles quoque præ
,, cæteris Italicæ libertatis reliquias ju-
,, verit. At nihil aptius ad rem conſe-
,, quendam intẽdi profectò poſſe quàm
,, illi objicere Luſitanum, impigrum
,, ſcilicet, fortem, ac veterem, inimi-
,, cum Caſtellenſium ut literarum mo-
,, numenta teſtantur tundendæ ſatis ſu-
,, perbiæ propè fatalem. Ab acerrimo
,, itaque hoſte, & tam proximè Imperii
,, ſedem, arcémque prementi feſſos in
,, poſterum Caſtellenſes, ſuíſque viri-
,, bus implicatos Italiæ fortaſsè liberta-
,, tis reſiduo eſſe minus inſidiaturos,
,, minúſve deformis obſequii, aut ti-
,, moris quo rei nunc Romanæ jacta-
,, rent arbitriũ, à Romanis Principibus
,, extorturos. Non uno quidem eo-
,, démque impetu tracta cadere ſimul
,, imperia. Commota, ac ruere, ſter-
,, níque ſemel incipientia, membra-
,, tim ferè diſſolvi, avellíque & per re-
,, deuntes-intervallis poſitis labes tan-
,, dem funditùs tolli, ſicut ab uno
,, quam ſæpè refixo clavo totam, in-
,, gentémque paulatim diffluere machi-
,, nam contigiſſet; fluere idcircò per
,, partes ſenſimque dilabi Hiſpanum
,, ſinatur Imperium, quantum enim
,, animi, ac virium dematur Hiſpa-
,, nis, idipſum Italis acceſſurum. Po-
,, ſtremò Reges Galliæ, Angliæ, Daniæ,
,, Sueviæ, quotquótque abhorreant ab
,, Hiſpanorum ſervitio, ſaſtúque Prin-
,, cipes Luſitanum admiſiſſe Oratorem,
,, Brigantium Regem appellaviſſe, ex
,, quo indecorum Eccleſiæ Patribus, ac
notæ præcipuæ fuerit præter rerum “
ſacratum neglectam in Luſitania cu- “
ram, religionémque periclitantem, “
ſervientium ſe quoque & adulantium “
cætibus immiſcere, ſervitiíque mer- “
cedem tumida gentis ingenia, atque “
ex gratia metum interpretantia, ac “
longiora ludibria pati. Hæc Sacchet- “
tus; Cardinalis verò Bentivolus hiſtoriæ ac nominis claritudine celebris media, ac temperata ſententia uſus Pontificem hortabatur, ut regio cultu, gradúque Luſitanus ab ipſo Orator admitteretur, publica tamen ante fide profeſſo, id utique integro, ac libero fieri Catholici Regis jure. Ita namque nec novum ponendo, nec deponendo Regem, ejúſque Oratore ſalva lite, dubia ſententia recepto, fore, ut nec intermiſſa deinceps in Luſitania jaceret paſtoralis officii ſollicitudo, nec ultima infligeretur Catholico Regi plaga, nec nimia inde, & ſuo contemptrix ingenio hæreret in Luſitano fiducia; imò verò utrique formidine, ſpe in ancipiti cauſa conſtricti faciliùs poſt hac circunduci ad nutum Pontificis poſſent. Ad hanc ſententiam, ut magis cautam, lenémque & ſuffragantis auctoritate maximè fultam Pontifex, Auguſtíque Senatus plerique Patres flectere videbantur, cùm Cardinalis Pamphilius, qui Nuntius extiterat in Hiſpania, & paulò poſt ad Tiaram evectus Innocentius X. eſt appellatus dicere juſſus ita fermè locutus fertur.

Duas magníque ſanè momenti res, “
quæque ipſæ inter ſe diſſidere falsò vi-
dentur, hoc me oportet componere “
loco, Beatiſſime Pater, nempè hone- “
ſtum, & utile, ſive animi conſcii quo “
æquè nobis, ac Deo ſatisfacimus, & “
rationem, quæ dicitur, Status, qua “
ſacri hujus Imperii tutelæ ac majeſtati “
conſulimus. Hinc hominum etiam “
opinio, & fama publica manat, varia “
nempè, & incerta quædam virtutis “
umbra fallaci plerumque mortalium “
judicio,

„ judicio , & errore pererrans , cui ne-
„ que nos laïcorum Principum more ,
„ quibus & vertitur laudi libertate eva-
„ gari , populique rumores ſpernere ,
„ ſed intenſius quidem proſpicere ju-
„ var , ne quos porrò conſcientiarum
„ cæteris decet præcidere laqueos , pra-
„ vo nos fortè tradito exemplo in Chri-
„ ſtiano feramus orbe. Et primùm prò
„ rei gerendæ honeſtate ſatis nobis pro-
„ viſum exiſtimo , Philippum ſecun-
„ dum Hiſpaniæ Regem arma contra
„ Luſitaniam in juris ſubſidium cepiſ-
„ ſe, ita prius à legis peritis, à Theo-
„ logis, à publicis juris prudentiæ gym-
„ naſiis interpretati, in ejus deinde vi-
„ ctoris verba ſolemni ritu juratum ,
„ diuturnámque regni poſſeſſionem
„ armis , ac legibus partam in filium ,
„ nepotémque hæreditaria ſucceſſione
„ tranſmiſſam. Rem prætereà ſecutos
„ aulæ Romanæ plauſus , ſummóſque
„ Pontifices alium , poſt alium ſæculi
„ propè decurſu ratam certámque ha-
„ buiſſe. Itaque ſi latronis , ſi intercep-
„ toris injuria Luſitaniam Philippus
„ arripuit , fateamur quoque neceſſe
„ eſt , tot violata judicia , tot iniquos,
„ falsóſque Theologos , tot juris peri-
„ tos ſceleſtos , aut fatuos , totidem
„ etiam Catholicos Reges Tyrannos,
„ & nefarios, impióſque Pontifices, qui
„ hiſce Tyrannis ſecures , & faſces , &
„ omnia regni ornamenta , ac præſidia,
„ ſua auctoritate probando , contule-
„ rint ; magnámque Orbis terrarum
„ damnare partem , criminaríque li-
„ cebit , ne jure ſecus , ne cauſa cadat
„ Bregantiæ Dux , quando poſſeſſio-
„ nis regni longinquitas , juratus po-
„ puli aſſenſus , publica commendatio,
„ pacata res , bona fides , Regum con-
„ cordia vim maximam habeant , ubi
„ vel juris obſcuritas , aut in auſa debi-
„ litas inſit. At eſto eò maximè opinio-
„ nis error exceſſerit , qui tempore va-
„ let, & cùm ſemel emarcat , contagio-
„ ni ſimilis hæret , ac funditur , utrúm-
que jus partium ſaltem in dubio ſit, “
hiſque adhuc infecta ſub judice pen- “
deat , olim tanquam ipſa lacertis , & “
armis non legum imperio dirempta. “
In hoc ita conflicto ſtatu rerum am- “
biguo , quo quantum circunſpecto “
conſilio expetere partes poſſunt , in “
cauſa mihi minimè obſcura , indulge- “
tur , liberum certè nobis illibata con- “
ſcientia fuerit ad eam , quam publica “
ratio , aut utilitas dictat , concedere “
partem. Igitur quod ad ſedem Apo- “
ſtolicam attinet , quis niſi ſtultus , “
aut ægro animo affectus non dilu- “
cidè videat , inter validè arrectas , “
& commiſſas acerrimè partes , quo- “
ties, ut modò nobis contingit , neu- “
tras ſequi minimè juvat , poten- “
tiores, ac pleniores eligere ſatius eſſe? “
Pius ſecundùs Pontifex maximus ro- “
gatus de Renato in Neapolitanum “
regnum ſubſtituendo, diſertè reſpon- “
dit: Poſſet ne Renatus Piccininum Ec- “
cleſiæ cervicibus imminentem armis “
expellere? quod cùm negaretur, & “
quid eſt, inquit , quod expectemus “
ab eo ſi nobis pereuntibus opem nul- “
lam valet afferre? Nobis neceſſarius “
in regno eſt, qui ſua poſſit, & noſtra “
tueri. Hujus ergo Pontificis ut par “
eſt , veneratus oraculum ſciſcitor , ſi “
ultione , atque ira Rex Catholicus “
præceps ſuæ ditioni cõmiſta Eccleſia- “
ſtica bona ſequeſtri titulo abſtulerit, “
ſi ab Hiſpania Apoſtolicũ Nuntium “
ejecerit , ſi hæc vel alia quæſita cauſa “
Hiſpanus repentè armatus irruperit “
in noſtri dominii finitima, ubi nec ſa- “
tis adeſt cuſtodiæ , nec bellicæ diſci- “
plinæ , ſi egeſtas , ſi fames per vias ab “
Hiſpano intercluſas , ſi gravior ali- “
quis caſus ob receptum Luſitanum in “
Curiam acciderit , ea tempeſtate no- “
bis malorum tot fluctibus agitatis, ac “
penè obrutis, Galli ne an Luſitani præ- “
ſidio , an hujus Romani populi fæcis “
pecudũ modò partes ſectantis emer- “
gendi pateret locus? Nihil utique “
ſtultius

,, ſtultius quàm alienis elatum conſiliis,
,, aliena potentia fretum voluntaria,
,, & acerba ſubire velle pericula, aut
,, ita futuris te caſibus comparare, al-
,, terius ut ope ex illis te explicaturus
,, indigeas, cùm officium, & fides ſæpè
,, fallacis, ſempérque mutabilis animi
,, fructus, vires, & opes ludibrio for-
,, tunæ ſint, ſapientéſque propterea
,, conſilium, & rationem quàm ſpem,
,, & fortunam perſequi malint. Pulſo
,, verò Luſitano legato, quò ſeſe illæ
,, tandem jactabunt, quos nunc inſta-
,, bilitas animi, naturæ volubilis impe-
,, tus, ac ſimul comperta ſibi virium
,, infirmitas agit minæ Gallorum cir-
,, cunſtrepentes? ſiquidem longè ab-
,, ſunt, nec meliora, ſicut Hiſpani, ſa-
,, cri ærarii noſtri pignora tenent. His
,, etiam adde quod in hac partium con-
,, tentione ut fautores concurrũ Galli,
,, Hiſpani de ſuo graviorique negotio
,, decertant, ex quo vana tantummo-
,, dò illis in urbe Romana gratia, vel
,, oſtentatio virium, vel patrocinii ſuſ-
,, cepti pudor, his autem imperii jus,
,, atque decus in diſcrimen adducitur.
,, Beneficium poſtulat Gallus, quod
,, ſæpè numerò adeptum facilè tollit
,, oblivio; Hiſpanus deprecatur inju-
,, riam, quæ altius inhæret animo ac-
,, cepta, & viſcera quoque urit. Ea ita-
,, que in Luſitani, Gallíque gratiam
,, offenſione Hiſpanis incuſſa, acrio-
,, ríque per illam conflato vindictæ ſti-
,, mulo, multíſque propterea pericu-
,, lis circunfuſos, cùm ſatis de Gallo
,, dixerim, vindicare ne poterunt nos
,, hi Luſitani recentes, enerves, fluidi,
,, à nobis valdè longinqui, atque ultra
,, fretum Herculeum in extremo ter-
,, rarum poſiti, qui tantùm profectò
,, agitare, aut Romæ petere audebunt,
,, quantum, & ipſos Gallorum impul-
,, ſus, favórque ſuſtulerit. Eſt nobis
,, nunc in diſcrimine, Sanctiſſime Pa-
,, ter, Luſitanos an Caſtellenſes, ſive
,, Hiſpanos amicos habere velimus. At

qui Luſitani, ut dicebam longiſſimè "
abſunt in arcto quodam Hiſpanico "
ſinu interclusi, Hiſpani in Italia no- "
ſtris cervicibus imminent; propriis "
Hiſpanis confiſi nobis; Luſitani alie- "
nis viribus comminantur, Hiſpanos "
copia, Luſitanos inopia tenet, illi "
amici veteres ſunt, hi adhuc ignoti, "
inexperti, novíque; cúmque utpluri- "
mum noxia in meliùs etiam in ſpe- "
ciem facta amicorum mutatio ſit, ſi "
hæc planè in deterius apertè fiat, quid- "
ni mutatio peſtifera foret? In hac er- "
go partium electione, quæ ex rei pro- "
poſitæ ſtatu, & articulo nobis certè "
inevitabilis eſt, utilius profectò vide- "
tur, ac tutius aſſiſtere Hiſpanis, quo- "
rum potentia major, quorum ira "
propinquior, quorum ultio pericu- "
loſior, quorum gratiæ tandem emo- "
lumentum uberius, ac plenius eſt. "
Verumtamen neſcio quid inanis fidu- "
ciæ jam aures, ſenſúſque noſtros oble- "
ctet ex ſpecie, vel pompa quadam re- "
ligionis Hiſpanæ ſubductum, quo te- "
merè nihil illos, aut incompoſitè "
acturos, ne vetus ſcilicet illud artis "
Politicæ fundamentum evertant oſ- "
tentatione quidem pietatis, fucóque "
interdum religionis innixum, contra "
Apoſtolicam ſedem putandum ſit, ut- "
cumque nobis in cauſa decernere "
placeat; nam præterquam quod ubi "
de injuria cuique, aut contumelia in- "
ferenda agitur, ſi minus quiſquam ut "
fatuus ſua ſponte perire accerſito ſibi "
periculo velit, eum quem lædit inju- "
ria, ultorem, & maximè infeſtum "
ad illam reddendam totis viribus ſur- "
recturum, ac ſi ad eam propulſandum "
revera ſuppeditent vires, tanquam "
certum præhabendum in animo eſt; "
quanto in errore verſentur, qui ita "
de Hiſpanis ratiocinantur, qui vixi "
diutius in Hiſpania ſatis mihi ſpecta- "
tum eſt. Hiſpanis quippè divina in- "
concuſſa fides, varius uſus religionis, "
doctrina ad rerum momenta flexibi- "
lis

„ lis eſt. Exteriùs ſæpè apud illos utili„ tas ab honeſtate, atque jure per fu„ cos, atque pigmenta pulchritudinem „ mutuatur, & Deos nonnunquam „ ſtudiorum ſuorum velut ſatellites „ credunt, aut ita credi jactantes vo„ lunt. Tam tortuoſo igitur multipli„ cíque Hiſpanorum ingenio rationum „ anfractus, aut per aurium ludibria „ compoſita verba fortaſſe ad ultio„ nem purgandam deficient, cùm Lu„ ſitanum regio more receptum in Cu„ riam ulciſci velint,illiſque ſimul ad ul„ tionem rapidus animus, ſenſus dolo„ ris acerrimus, æqualis potentia, reli„ gio, quæ ſola obſiſtere poſſet, verſa„ tilis ſit. Cunctis mortalibus, gravio„ ris quàm re ipſa momenti ſunt infli„ ctæ ſibi videntur injuriæ; raro quem„ quam non pœnituerit, ſe qui plus „ poſſet eum offendiſſe, ferè nunquam „ inultus omiſit cui impunè ad vindi„ ctam graſſari licebat. Hæc omnia ſi„ mul in nos ex Hiſpanorum parte „ concurrunt; laceſſere quidem illos in „ noſtra manu poſitum eſt; iratis in„ feſtiſque ſatis illis occurrere, cùm „ magnum præſertim incendium exul„ cerata potentia ſuſcitet, nec in no„ ſtro, nec in Luſitani, Gallique ſitum „ arbitrio, vel opibus eſt. Atqui obſtat, „ inquit, inveteratus Eccleſiæ mos, illi „ rata nimirum inſignia, noménque re„ gium habendi, qui regni controverſi „ dominium jure ſeu injuria teneat, ne„ ve utilis quoque nunc opportunitas „ effluat, in aula Romana premendi, „ quod omnibus ſtomacho, & odio „ eſt Hiſpanorum intolerabile ſuperci„ lium. At etiam ſi res attentè conſide„ retur, valdè inæqualis profectò ratio „ exemplo collata, atque in rem ſubje„ cta argumenta diſcriminat. Illic enim „ inter Principes viros genere, opibus, „ claritudine fermè pares diſceptatio „ de regno erat, hic verò inter Re„ gem, & hactenus ſubditum, ſacra„ menti nempe ruptorem, perduellem,

Tyrannum ſimul ad regni ſolium tu- “ multuantis cœno populi evectum, re- “ luctante nobilitate, cujus planè con- “ ditio ne dum imperii poſſeſſionem “ deformat, debilitátque; ſed obrepere “ etiam ad integros imitandi contagio “ poſſet, dum æquè Regis ac ſubditi “ vices ad libitum hominum plebíſque “ temeritatem converterentur. Quid “ autem ampliùs de Hiſpana inſectanda “ ſuperbia loquar, quàm quod ipſam “ congeſtis, tractíſque ab ea regione “ theſauris,pecuniaria quaſi pœna mul- “ tamus, eludimúſque dum ridiculus “ illis, noſtra patientia tumor, ſoli- “ dæ nobis opes augeſcunt, nonne “ ſatis ſupérque pœnarum hæc na- “ turæ, hæc morum aſperitas, hæc “ animi inflatio, hæc affectata gravi- “ tas, ſive hominum inſolentia no- “ bis dediſſe videtur nervorum inci- “ ſione? Plures Europæ Principes “ Bregantium Regem ſalutaverunt “ ejúſque Oratorem pari titulo rece- “ perunt. Qui porrò, niſi Auſtriacæ “ familiæ hoſtes, & quorum intererat “ utcumque nocere hoſti? Nos verò “ hoſtéſne Regis Philippi ſumus, an ita “ eſſe expedierit, ejuſdem hoſtium ve- “ ſtigia ſectantibus? Quod ſi mediam “ ſententiam tenere placeat, hæc enim “ etiam objecta eſt, qua ſcilicet ſalvo “ Regis Catholici jure Luſitanus ut re- “ gius à nobis admittatur Orator, præ- “ ter Hiſpanos hoc vulnere graviter “ ictos, Galláſne an Luſitanis hoc fal- “ laci, inaníque commento morem eſſe “ geſturos credimus? Hi quidem exi- “ guum hoc potiùs quod ſibi cautè de- “ tractum, quàm id quod foret omni- “ nò conceſſum mortalium vitio con- “ ſiderantes, ipſiſque ob injectam ab “ Hiſpano formidinem per eam cautio- “ nem jus imminutum, ac omninò in- “ terverſum eſſe querentes, inquieti, “ arrogantes, obtrectatores majora, & “ procacius ſubinde repoſcent, ideó- “ que nos propter metum offenſionis “

L via

„ via quaſi media incedentes ex eo fœ-
„ dius lapſuri ſumus, quod nec Hiſpa-
„ norũ nobis effugere odia, nec prorſus
„ Gallorum inire gratiam contigerit. Ea
„ quidem ſententia gravis Sanctæ Sedis
„ ſplendore, ac robore digna eſt quæ
„ in deliberando conſtantiam, animi
„ magnitudinem, atque morum can-
„ dorem præfert; cavillantium tricas,
„ implicitas artes, ac dolos, quæ captan-
„ tes ut plurimum captant profanis
„ Principibus relinquamus. Cæterùm
„ non negaverim unam in hoc negotio
„ maximámque difficultatem urgere,
„ ne Luſitana hæc Eccleſia ſacris Præ-
„ ſulibus deſtituta per injuriam, ac ne-
„ gligentiam errore aliquo exorto in
„ fide, atque officio aliquando labaret,
„ cui quanquam periculo poſſe videtur
„ ad tempus occurri, ad ipſum nempe
„ Pontificem, ſeu more Germanico
„ accepto, ad Canonicos Eccleſiarum
„ conventus Epiſcopos nominandi per-
„ functoriè tranſmiſſo jure, quia tamen
„ hæc conſtitutio, ut rogatione ſua ex-
„ cluſam, & contra annitentem utram-
„ que offenderet partem, de regio ora-
„ tore de Epiſcopis nuncupandis ad
„ rem penitùs ſtatuendam, decennium
„ præſcribi cenſeo. Interim tum Hiſpa-
„ nos, tum Gallos æqua ſpei, metúſ-
„ que lance ſuſpenſos, ac dubios, eóque
„ diutiùs nobis addictos habentibus
„ diſpicere dabitur, utrum novum per-
„ manet imperium, pax, an bellum con-
„ tentionem dirimat, interfluentéſque
„ fortunæ caſus ſaniora nobis conſilia
„ in tanta rerum ambiguitate, ac tu-
„ multu ſubjicere poterunt.

Cùm hæc Pamphilius dixiſſet in ejus ſententiam ut mediam uſúque temporis pertractandam diſceſſit Pontifex, nec ei obſtitit unus qui totã turbare rem poterat, & cui adipiſcendi quoque Papatus expectatione occulto artificio Pamphilius pro Hiſpanis, & contra Hiſpanos locutus in cauſa de eorum nonnulla moribus quaſi exprobando interjecerat, ancipiti quodam ſuffragio aſſentari ſtudebat Cardinalis ſcilicet Barbarinus. Etenim Barbarinus Courenſis id temporis Galliæ Regis in aula Romana legati cùm ſuperbiæ faſtúſque valde pertæſus eſſet, ut hic munere amoveretur, ſpem fecerat Regi Galliæ, ſi novus, & cui mitior adeſſet indoles morum, Gallus Orator cum Luſitano Romam veniret, faciliorem utrique, ſe quoque annitente, futurum ad Põtificem aditum. Courenſi verò legato adeò offenſum, & nauſea ac propè ſtomacho affectum eſſe Pontificem, ut omnia ejus facta, atque dicta averſo præ animo perperam flectens omninò negotia labefactaret. Porrò autem niſi Principi gratum, & qui ingenii dexteritate, modeſtia, lepore ſimul, & gratia quemdam in ſe quaſi virtutum concentum efficeret, neminem rectè apud Principes poſſe legationis munere fungi. Itaque mox Courenſis in locum Babarini opera à Rege Gallo Marchione Fontanenſi ſuffecto, ipſique Luſitano in itineris Ducem, & Comitem dato, jam Cardinalis Franciſcus ſui voti compos cætera negligebat. Id nimirum in cauſa fuit cur primo Urbani miniſtro palam non adverſante haud ægrè in Pamphilii ſententiam itum. Luſitanus præter eà legatus ſi eo tempore in aulam cum illa animorum, partiúmque jactatione, dum res ita caleret, admitteretur, timore perculſis, ne inter æmulas nationes, & partes turbæ miſtarúmque ibi gentium barbaries concitarentur; placuit etiam Patribus, Urbanóque ne dum à Pontificis aditu procul, ſed urbis etiam Romanæ Luſitanum haberi. Hoc novum decretum cum Pontificio adverſum ingenio, & rebus anteà ab eodem in Galliæ favorem geſtis oppoſitum, ideóque inſperatum, ac ferè præceps Galliæ partibus videretur, eò moleſtius, & gravius Luſitanos, Gallóſque perculit. Convocat itaque ſtatim conſultum in ædes ſuas

Cardina

Cardinales clientes Gallus Orator, ferox hîc animo rapidúſque non ſuffragiis, ſed ferro, atque vi rem totam decernere poſtulabat; erat enim promptus ingenio, longo in nationem gratiæ Pontificis uſu tumens, & modo inſuper laceſſitus fallaci quàm nunc acerrimè repetebat Barbarini promiſſione. At Romani Principes aſtu, & conſilio nunc expeditiùs, ac tutius res aggredi, ac vincere ſoliti ſerio monebant Gallum, cunctatione, patientia, agendi ſeſeque flectendi dexteritate fluere proſperè quidem omnia, per abrupta, ac celena nimis conſilia, negotia, ſpes ſæpè, & homines quoque præcipitari. Cum ſene gerendam rem eſſe, ſenibúſque ſicut profundum, ac peracutum ingenium, ita ex rerum incidentium peritia, ex frigeſcente in corpore ſanguine, ac laſſitudine propè ſpiritus trepidum anxiúmque inhærere judicium, & animum, pavore huic itaque ſeni revera, vel ficta per animi turbationem adumbratóſque præcipuè tumultus incuſſo tranſverti è ſententia facillimè poſſe. Fruſtra igitur per minas, & arma, & cum periculo ex hoſte, atque ira Pontificis peti, quod mora, & induſtria faciliùs, ac citiùs obtineretur. Eo etiam acceſſit, qui in eodem conventu aderat Cardinalis Barbarinus Antonius, iſque omnium conſenſu dolum ita compoſuit quo caperet patruum. Ejuſdem ſcilicet auctoritate conſeſſus, ac nomine electus aliquis Purpuratus pergeret ad Pontificem, nunciarétque Hiſpanorum vulgatas in urbe minas, ingentes armorum, bellicíque pulveris moles interdiù, noctúque in Oratoris ædes illatas; cœtus, ac paſſim hominum turbas per areas viarum, per trivia Romæ miſceri, extraneos accitos è finibus milites, proſcriptóſque qui latrociniis, ac cædibus paſti, vagam ac perditam ultra terminos vitam ducerent. Tantarum ad ſtrepitum rerum plebem Romanam attonitam, ac penitùs animo conſternatam obtorpuiſſe, eò fortaſsè tandem inclinaturam quò ſors certaminis cecidiſſet. Ex altera verò parte Luſitanos Catalaunis Gallíſque promiſcuos arma ſollicitos expedire, trahere ſecum alios clientes, amicos, homines mercenarios, & hoſtibus obvia quamvis atrocia frequentes communicare cōſilia quamcumque vel levem injuriam, & contumeliam ulciſci cruore paratos; jam ebullire ſeditionem, & prope rem eſſe ut Roma ſanguine redundaret. Daret itaque Pontifex Romanos milites Luſitano, qui eum extra urbem attentiſſimè cuſtodirent; & qui per viarum etiam capita diſtributi fluctuantis in urbe ſeditionis anteverterent æſtus. Hæc in paucis admodum vera, pleraque afficta inculcanda eſſe Pontifici in eo Cardinalium conventu propoſuit Antonius. Erat autem hujus latentis fallaciæ nexus, atque inanis amplificatio in hunc modum compoſita, ſi enim extra urbem incautum, & contumeliæ inimicorum expoſitum Luſitanum legatum deſeruiſſet cum ejuſdem Luſitani periculo minaces per hominum voces, armorúmque apparatum tunc Pontificia quoque auctoritas, ac veneratio nominis videbatur in diſcrimen abire, ſin ipſum cura, & excubiis extra urbem circumvallari mandaſſet, hoc etiam timoris notam, ac dedecus in Pontifice arguere perinde, ac ſuprema in Orbe majeſtas, niſi excubiis, & armis domi munita externis ludibrio foret. In hunc modum objectis, auctíſque falsò periculis, Pontificem genio ſuo proniorem ad deterrima quæque de Hiſpanis exiſtimanda, ſua ſponte venturum arbitrabantur, ut Luſitanus in urbem ſacrum velut aſylum ingrederetur, conſiliúmque proprio quaſi marte delapſum obſtinatius ſuſtentaturum; ita enim conſilia quo ea faciliùs amplecti velint, exponenda

L 2 Princi-

Principibus ſunt, ut ex cauſæ rerúmque contextu deliberationem ipſam manantem dum illam arripiunt velut proprii judicii fœtum ſibimet adulando cognoſcant. Cardinali igitur Bichio, qui in Gallorum partibus erat, hoc tranſigendi cum Pontifice munus injungitur. Pergit ad Pontificem Bichius, omnia quæ juſſa erant verborum inſuper ambitu, & copia, laterúmque conatu proponit. Arma repente, faces clandeſtina conſilia, minæ paſſim effuſæ, hominum concurſatio, tumultus, certamina partium, omnia inſtrumenta bellíque terrores menti, oculíſque penè Pontificis offunduntur. Quibus auditis Urbanus ſive ira & odio in Hiſpanos, ſive objecta terroris ſpecie commotus, ac veriſimilitudine captus, accedere ſtatim ad Curiam Luſitanum legatum juſſit, addidítque in quo falſus tantummodo eſt Bichius, ne regia oſtentatione, atque pompa, ſed clam, & privatus in urbem intraret. Cæterùm ne id quidem Pontifex eſt aſſecutus interventu Galli Oratoris, qui ut acrius repungeret æmulos, habitúmque aulæ proprium inanem jactātiam, & patrimoniorum ruina compoſitum luxum oſtenderet exquiſito ornamentorum ſplendore, & magno equitum apparatu in domum ſuam hoſpitem Luſitanum excepit. Oratorem agmina famulorum, ac turmæ clientium pompa certatim, habitúſque ornamento ſplendentium ſectatur: ampliſſima tanquam ſcena, ubi Romæ alii obſequiū, & fidem in Gallum Regem, alii opes ſuas aulicis oſtētarent, per ſummā luxuriem explicita. Cardinalis Barbarinus Antonius cultu ipſe, animóque magnificus ad quingentos armatos præmiſerat equites, qui ſecuritatem itineris explorarent, inflammavítque generoſitatis exemplo clientes, adeo ut Romani populi plauſus in partium effuſa oſtentatione ac lætitia triumpho ſimilis perſonaret. Immoto ad hæc omnia, atque omninò ſilente Hiſpano legato, qui nuper togam cùm exuiſſet, ut Oratorem indueret, pacatis, ac forenſibus potiùs negotiis idoneus, quàm Politicis, ac militaribus videbatur, niſi hoc etiam ad cunctationis Hiſpanicæ partem, ac diſſimulationem referre liceat. Itaque Luſitanus cùm jam expugnaſſet Romanam ad urbem ingreſſum, ſpe inde inflatior Urbano libellum, in quo à veteribus Luſitaniæ Regibus repetito, explicato, & uſque ad Bregantium eleganter deducto jure, regii petebat Oratoris honores, porrigit. Hæc poſtulantem Urbanus ſilentio perſtrixit. Nam idem ipſe magis quotidie magíſque animo incertus, ac pavidus ob partium in cauſa pertinaciam tantam perſpectam, ac vim, quid ageret, quóve ſe verteret agitabat, quippe cui ex aula Catholica admonitus ſcripſerat Apoſtolicus Nuncius, propter ipſius adeo notam, ac nimiam in Gallos benevolentiam, inſuper nunc Luſitanum amicitia ac fœdere complectentes, anxium Olivarium, ingentéſque irarum volventem æſtus, eidem Nuntio palam denuntiaviſſe quod Principis, Paſtoríſque perſonam benè, & appoſitè ſciret Catholicus Rex in ipſo Papa diſcernere, & quod aliam ſejunctam ab alia, ſi occaſio quandoque tuliſſet, incorrupto pudore perſequi licuiſſet, eas ſimul alas divitiarum, ſeſeque efferendi nimis fomenta quæ Rex Sacrorum à Principibus accepiſſet, cùm per eas inſoleſceret, tempus fortaſsè venturum, quo iratis Pricipibus redderet. Proinde moroſum ingenio Olivarium, ac trucem, ac diuturna patientia propè jam efferatum, ſi nova, eáque acerba cumulata quoque moleſtia fuerit preſſi torrentis in modum cum ruina, atque ſtrage tandem erupturum fuiſſe. Hicciſmodi impreſſis in animo minis Urbanus, cautiorem ſe in poſterum, & minora quæque paventem habebat. Luſitanus verò

rò legatus abſque reſponſo ab Urbano dimiſſus prælo ſubductum opus ſubinde vulgavit, in quo explicatius, ornatiúſque capita rerum expoſuit, quæ ſicciùs, ac preſſiùs ne fortè verbis obtunderet paulò antè Pontifici dederat, cùm juris præſidio regiam legationem expoſceret. Huic aliam ſtatim lucubrationem, & luculentam, quæ adverſam labefactaret, Joannes Ciumazerus in ſua jam arte irritatus oppoſuit. Sic denique Romæ armis calami ſucceſſere, partéſque per quietem, & otium, pro armorum cuſpidibus ſtylos exacuebant, ea ludicra tunc literarum certamina, ac diverticula ingeniorum eſſe tumultibus interjecta longævis gaudentibus, ac ſimul irridentibus aulicis experimento ſatis edoctis torpere apud Principes rationem nervis, ac viribus deſtitutam, juríſque legalis vim in illorum judicio, atque foro ad potentiæ menſuram intendi plerumque ac remitti.

DE BELLO LUSITANO LIBRI TERTII

SUMMA.

FORTUITA, parváque res Luſitanos & Caſtellenſes, celeriùs quàm anteà ſoliti erant, ad tractanda arma commovet. Alfonſus Melus captivos Caſtellæ milites, velut mancipia turpiter exercet. Ludovicus Lancaſtrus commilitonum injurias ultum mittitur. Campomajoris, dolo per Hiſpanos tentata receptio, fallaci exploratoris fide, corrumpitur. Valverdem diripit & incendit Luſitanus. Occupat Tellius oppidum Elcæ, cujus arcem ad primum tormenti bellici jactum prodit Gubernator. Dux Albæ amiſſam arcem fruſtrà recipere tentat. Sancti Martini obſidionem irritam Tellius tollit, inde Elcam urit, & arcem exſcindit. Viverus & Burgius quàm plura Luſitaniæ oppida incendunt, & diripiunt. Memoria poſterorum digna quarundam mulierum Luſitanarum virtus. Iſabella Borbonia Regis Catholici uxor frequentes exercet eum Olivario contentiones. Urget per ſe, clientéſque ſuos, Regis profectionem ad Aragoniam. Nectit difficultates Olivarius, Regémque voluptatis blandimentis, à belli curis abſtrahere conatur. Invito ac palàm repugnante Olivario, ſecundum Marchionis Granenſis ſententiam Cæſaraugustam Rex ſeſe confert. Bellum Luſitanum elangueſcit. Viennæ agunt Hiſpani cum Cæſare, ut ex Germania, Odoardus Mediolanum traducatur. Olivarii genus, cultus, vitæque inſtitutum. Invitus, à patre Salmanticam mittitur, ad Iuriſprudentiæ addiſcendam doctrinam. Morte fratris ad Regiam tranſlatus, ſervitio ſeſe addicit Hiſpaniarum Principis, quo ad regnum evecto, Imperii regendam molem ſuſcipit. Deficiente Catalaunia, Regis in ipſum minui cœpit benevolentia. Regina præſentiens labare jam Olivarium, extremæ illius ruinæ miniſtram eligit Margaritam Sabaudiam. Secretum Margaritæ cum Rege colloquium. Comes Caſtrillius, inſtinctu Reginæ detegit Regi, quæ ipſum latebant, reipublicæ vulnera. Olivarius, quò liberius imperaret, inter Cæſarem & Philippum diſſenſionum ac diffidentiæ ſemina jaciebat. Hinc Regina, Marchionem Granenſem monet, ut contra Olivarium inſurgat. Anna Guevara nutrix olim Philippi tyrannicam Olivarii Gubernationem Regi exponit. Rex & Regina ægrè patiuntur, Balthaſſarum Hiſpaniarum Principem, ætatis annum quintum decimum agentem, Olivarii artibus malè educatum, ac pejùs edoctum, inter mulieres adoleſcere. Henricum filium nothum famulitio Principis præficere cupit Olivarius. Manu Regis conſcriptos codicillos accipit, ut Loeccium pergat. Olivaria lachrimis, Regis Reginæque animum mitigare nequit. Ludovicus Arus, ut triduò in palatio maneret Olivarius, impetrat à Rege. Incredibilis lætitia,

&

& publica gratulatio omnes afficit, ob lapſum Olivarii, qui impendens à furore populi periculum arte ſubterfugiens, Loeccium petit.

BELLI LUSITANI
LIBER TERTIUS.

1642 ALTERIUS anni volventis initio fortuita, parváque res Luſitanos, & Caſtellenſes celerius, quàm anteà ſoliti erant, ad arma tractanda commovit. Alfonſus Melus Tranſtaganæ Provinciæ Præſes perpetuo labore, & gloriam, decúſque militiæ profeſſis indigno complures laſſabat, quos Elvi captivos eo tempore habebat Caſtellæ milites, dum vilia, ac ſordida quædam urbana opera ſtruere per ictus, ac verbera cogeret, & alios fodere terram, alios dorſo materiam vectare; omnes velut empta mancipia milites laborioſè non minus, quàm turpiter exerceri; & maximè nobiles inter eos, quorum plurimi tenebantur, aſſiduo quamvis opere feſſos longè plus ſtimulus ignominiæ quàm oneris impatientia perculerat. Huc & mordacia dicteria accedebant, & felle reſperſi ſales, & ſuperba hoſtium ludibria, eorum auribus minus parcentium, quorum corpora fatigarent; quæ audire, ac perferre talia, & ab aliàs ſpreto à ſe hoſte inſuetos acerbiùs Caſtellenſium animos uſſerant. Ex illis igitur miles quidam gregarius animo audacior, & excitatior etiam ingenio ſitim ſe habere ſimulans, ut eam in propinquo reſtingueret fonte permiſſionem à Duce poſcit, datúſque eſt illi prorſus inermi miles cuſtos Luſitanus, qui eumdem poſt aquæ hauſtum ad conſuetum laborem reduceret. Hic ergo dum ſupra fontem curvatus corpore bibere ſimulat, lutulentam manu raptim compoſitam maſſam retro repentè volvens impingit in os, oculóſque militis Luſitani, qui improviſo turbatus, ac territus ictu, & lachrymarum quoque cadentium effluvio pauliſper lumine orbatus dum recipere ſe oriſque & luminum ſordes abſtergere curat, jam interim Caſtellenſis pernicitate pedum elapſus, per anfractus viarum arrepta fuga limo ſuffuſam, & caligantem oculorum aciem fefellerat. Ille igitur miles poſtquam Badacocium pervenit, hoſtiúmque ludibria Garaïo, ac fœdam ſociorum captivitatem expoſuit, Ducem commovit, ut illicò iret cõmilitonum ultum injurias, utque vi ſive dolo libertatem tentaret. Erat tunc in exercitu tormentorum Præfectus Ludovicus Lancaſtrus non minus decore militiæ, quàm generis amplitudine clarus. Hunc juſſit Garaïus tribus legionibus ſumptis, ac millibus ferè delectis equitibus improviſum, & quo maximè poſſet impetu ruere in externum Elvi præſidium, ubi premi labore captos ac dedecore affligi milites nunciabatur, ſi forſitan illi, cùm ex propinquo commilitones viderent, repentè collecto animo inter hoſtium tumultum, ac trepidationem elaberentur. Vaſtam quoque planitiem, quæ circa urbem effundebatur, cùm oleæ interjectæ, vepréſque & quidam velut ſinus, flexúſque armandis inſidiis accommodarent, juſſit ibi equitatus occultam ſubſiſtere partem Garaïus, dum prætervecta peditum acies vel ſigna cum hoſte conferret, vel ipſum incautum ad inſidias traduceret. Lancaſtrus impigrè juſſa Ducis exequitur, & multò anteaquam dies inalbeſceret Elvo jam proximè infeſtus cum exercitu minabatur. In urbe repentè cùm turbinis inſtar objectus ante oculos eſſet hoſtis maximè trepidatum, ſuis deinde conſiliis, & armis ob rem improviſam impliciti majori celeritate quàm ordine alii fuſi, alii ſe invicem collidentes per ſolutas, pa-

lantéſque ferè catervas Luſitani diſcurrunt. At primùm ea ne fortè elabendi foret occaſio, cuſtodia Caſtellæ captivis intenditur; nihilo tamen minus plerique eorum ex hoſtium confuſione, metúque animos colligentes pars pugnis, & jactatione corporis eluctantes, pars inter hoſtium pavorem, tumultúmque dilapſi, nonnulli fortiùs pro libertate pugnantes ſpiritum reddunt. Interim Alfonſum Melum, cum Joanne Coſta, Michaële, Acevedo, iiſque primariis exercitus Ducibus, obvióque milite curſim qui præcurrendo anteceperat iter, adjuncto progreſſum exorti repentè regii milites intercludunt, ingenti edita ſtrage, ac ferè impunè diffuſo cruore, ac niſi tum equitum Commiſſarius ſurgendi ex latebris nimis citò dediſſet militibus ſignum, cæſi propemodum omnes, aut velut retibus capti inſignis regiorum præda ceſſiſſent. Dum in hunc modum aperto campo confligebatur, ex urbis mœnibus, arce, cum magno fragore, impetúque à belli tormentis emiſſæ pilæ in vagam utrinque ruentes aciem non minus civium, quàm hoſtium in lato campo ſternebant. Tum Rodericus Caſtrus Luſitanus equitum Ductor cui initio quoque imperaverat Melus ut cum reliquis peditum, equitúmque plenóque agmine rectà procederet Caſtellenſibus obviam, ipſe dum interim Melus alia ſemita circumductus hoſtico lateri improviſus incurreret, & poſteà in inſidias, ut diximus, eodem tramite offendit, jam hoſtem adeptus acriorem cum illo pugnam inierat, ibi enim Lancaſtrus, ibi denſatus conſtipatúſque pedes, ibi ſimul eques immiſtus vehementius ordines impellebant. Ex adverſo Luſitanus Hollandis, Galliſque militibus communitus cum omnibus nervis eodem in loco gradum intulerat, & utrinque certamen incaleſcebat. Neutrò fortuna hucuſque inclinaverat, æquis idcircò viribus, æqua propemodum ſorte in incerto judicii, ſpeíque pendebat res, cùm ex utraque parte certantibus opportuna, & eorum, qui inſidias tetenderant, & qui illas nuper evaſerat, nova ſuperveniunt auxilia. Tum verò utrinque ferocior, at ipſa inæqualis intenditur pugna. Etenim Caſtellenſis equeſtri intercepta paulò ante victoria, recentíque hoſtium cruore perfuſus, eóſque ſemel, ac nuper viciſſe memor ampliori fiducia, atque animo dimicabat, nonnullos etiam eorum ſaucios, multos à ſe paulò ante fugatos ac fuſos, alios eorum idcircò timidos repetere prælium internoſcebat. Is itaque in hoſtem cùm alacrius eo ſtimulo incumberet, adverſa cæpit nutare acies, ordinéſque deníque fluere, ac remitti. Quod ubi videt Lancaſtrus perculsíſque propreteà vehementius inſtare nititur hoſtibus, brevi fiſtula cominus ictus, per latus & brachium cùm cutis extrema libaſſet, prope inani tranſgreſſa pila lethali periculo eximitur. Languere deinde, ſenſimque cedere Luſitanus, acrius tandem impulſus, & agminibus preſſus effuſa fuga agros paſſim campóſque complere; nec potuit, quanquam vellet Lancaſtrus, in fugientium pugnare terga, cùm arcis, meniúmque diſploſis perſæpè tormentis, quâ plerique ceperant fugam, protegerentur, minor propterea cædes quàm pro tanta victoria, ac bellatorum numero fuit. Digreſſis eo victoribus loco ubi ſaucios, partémque cæſorum ad urbem Melus portari curat, inter ea fœdè ſtrata militum corpora inventus eſt Luſitanus exanguis macie, ac pallore confectus, extremos inter anhelitus animam agens, ultimúmque pietatis officium expoſcens. Continuò ſacer miniſter advolat cúmque Sacramento pœnitentiæ expiatum, atque refectum pro ultimo agone confortare cæpiſſet hominem: Nihil, inquit opus ſibi ſolatio, & hortamento eſſe inter duos hinc, & inde jacentes,

jacentes, ſuáque manu confoſſos, quos & digito demonſtravit, Caſtellæ milites expiranti. Poſt binas præbitas patriæ victimas ſe tertiam devovere. Hiſque dictis efflavit animam. Tanta alia in aliam libidine incitatur æmula ratio.

Poſt hæc Campomajoris ſitu,ac munimine in Luſitania celebris municipii, dolo per Regios tentata receptio, fallaci tandem exploratoris fide corrupta eſt. Antonius Meſſia Luſitanus cum prædia opulenta duorum in continenti regnorum limite poſſideret, utriuſque conſenſu partis inter mutuas accolarum hoſtilitates, ea ſibi ipſe pacificè procurabat, allecto in magnam ſpem Caſtellenſi, fore, ut emolumento rei familiaris adſtrictus fidus, ac tutus hic inter hoſtes falleret ſpeculator; Luſitano verò in majorem expectationem erecto, nihil omninò mercedis tantæ futurum, quod inveteratum, ac propè inſitum Luſitano in Caſtellenſes avelleret odium. Hic itaque verſipellem indicem agens ea aſtus ſubtilitate falſas notitias, ingeniíque commenſa ſtruebat,ſubjiciebàtque,vt Comitē Ognattū Alburquercicæ oræ Gubernatorem, Antoniúmque Santiliſiū Judicem Caſtrenſem ſagacioris quanquam ingenii viros induxerit ad credendum, perfacilè ejus tunc opera, & artibus poſſe per vim, & inſidias prævalidum oppidum interverti. Maximè Santiliſius, cui id negotii ab Ognatto commiſſum fuerat, inflatis abundè promiſſis aggredi Luſitanum, pellicere donis, lenocinio verborum, blandimento, & comitate captare, factu quidem optimum eſſe, verum, & magnum lucrari inſigni munere Regem, cujus pinguis & ſumma cum laude meritorum verſura foret. Ad ea ſeu utilitate, ſeu amore, ſive illecebris captum ſe fingit Antonius, avidúmque rem impigrè perpetrandi, prius tamen opus eſſe reſpondet pecuniæ vim magnam impendi, ut Ludovici Baineſii Campomajoris Gubernatoris, quo inconſulto, atque inſcio facinus fruſtra foret, fides ſollicitetur. Igitur Santiliſius aureorum viginti millia, Ognatto ipſo annuente, Meſſiæ pollicetur, alios prætereà honorum, & munerum cumulos, ſi res benè verteret, addit, tanto ſcilicet beneficio, Regíſque amplitudini, & gratiæ munificæ pares. Approbat rem Luſitanus, & ſtatim operam offert, inde Baineſium Campomajoris Gubernatorem, deinde Alfonſum Melum ſummum in ea Provincia armorum Præſidem adit, eos fraudulentum animum Santiliſii, & captioſa quoque promiſſa docet, ſubjicit etiam in animo eſſe, ni ſecus illi præciperent, iiſdem inſidiis, ac dolis, quæ pretio artibúſque moliri in Luſitanum ſtudebat hoſtis, eumdem ipſum circumvenire. Tum Melus cum multò expeditius, ac longè minori in bello diſpendio aſtu & conſilio eſſe noſſet, quàm brachiis, armíſque graſſari, retortáſque in auctores inſidias feliciùs ut plurimum ipſas, gratiúſque ſuccedere, ea lætus occaſione laudat Meſſiam, jubétque illum trahere ex compoſito fraudem, ea ipſa deinde prudenter, ut ratio, tempúſque moneret uſurus. Verumtamen ſecum inde reputans Melus mortalium naturam fragilem, mobilem, & ad ſua deſideria explenda præcipitem, ſimul quæ egregia animi bona in præſtantiſſimis quoque viris, gradúque altiſſimo collocatis fœdaverit avaritia, quid ſatis vallatum, quid invium, quid impollutum auri conatibus foret, quótve fulgoribus auri intellectionis acie perſtricti, rectà licet euntes offenderint ne vel in dubio verſari rem tanti ponderis pateretur, néve illud malè fortaſsè tractatum, aut fraudulentum indicium innoxio tandem ipſe capite lueret, ſtatim per litteras monuit Bregantium. Conſtantiſſimæ fidei, integritatíſque in primis perſpectæ Gubernatore opus

Campo

Campomajori eſſe, ac pecuniæ aſſultibus invincibilis, ut incolume ſtaret oppidum; nam auro cæperat jam Caſtellenſis Præſidum animos pertentare, & arcium clauſtra perrumpere. Paucis elapſis diebus venit ad Santiliſium Meſſia, & quemadmodum ipſe fallaciter erat per Alfonſum Melum inſtructus, quò moras negotio ſubnecteret, narrat, inchoatam rem eſſe, retentatum, arte pellectum ac ferè jam ad proditionem præ oblata pecunia Baineſium Gubernatorem impulſum eſſe, ab eo tamen, ut prudentiſſimo viro, fortuitiſque caſibus pavido, & circunſpecto elicere hucuſque minimè potuiſſe niſi perplexos, ancipitéſque ſermones, & varia, ac trepida verba, nec in ſpeciem implentia, nec eludentia votum. Cæterùm quod rem tantam primò propoſitam non ſtatim homo averſatus horruerit, nec aures difficiles dederit, imò ſilentio contegat, ad eam quidem proclivis, ſed ſuſpicacis, cautíque hominis, rerúmque momenta pendentis promere ſigna. Inter hæc expedire ſibi videri, mandare militibus, ne ejus ſoli circuitus, qui Campomajoris fines amplecteretur, ulla hoſtium incurſione, vel fraude per id temporis vaſtaretur, ut ea incolarum irritamenta quæ alienatis omninò animis novo quoquomodo nocere ſubeundo ſervitio poſſent, maturè ceſſarent, cunctáque ex ejuſdem ſententia, quia ea ſpes tunc inanis afflabat, confecta ſunt. Poſteà verò quàm id temporis fluxerat quod pertractati negotii maturitatem veriſimilem faciebat, redit ad Santiliſium Meſſia, & ore mendax, vultúque falſus; Rurſum à ſe conventum eſſe Baineſium, pecuniæque illecebris jam irretitum polliceri proditionem enunciat. Cæterùm auri ſibi promiſſi vel prælibare dimidium velle, ne totum deinde poſt rem perpetratam, ſeque tunc apud hoſtem inutilem per ejuſdem arbitrium periclitetur. Caſtellenſis, & ſi dolo, & ambage ſe facilè poſſe per Luſitanum ludificari ſuſpicabatur, cùm ſceleris merces perinde accipientibus tuta, ut immaturè præbentibus dubia foret, cùm levior tamen pecuniæ jactura Catholico Regi, ut majoris quidem momenti tan i oppidi acceſſio fuiſſet, decem millia aureorum, conventionis nempè dimidium, enumerat Luſitano, dat litteras ad Baineſium, ſatíſque inſtructum remittit Antonium, pactæ videlicet, ſolutæque pecuniæ poſtulans à Baineſio, quo tempore, quóve aditu, quibus ipſe ſubnixus copiis emptum jam oppidum interciperet. His Santiliſii mandatis cùm ad Baineſium reverſus eſſet Meſſia, fraudíſque inter eos pretium peræquè diviſum eſſet, dum conſilia pariter conferunt, quibus aut plus auri captarent, aut citiùs inſidiis opprimerent hoſtem, inter hæc comparanda, contigit ut Bregantius ſicut fuerat à Melo præmonitus, ejecto ſtatim Baineſio, Arium Saldanium multis ſecum fiduciæ nodis obſtrictum Cāpomajoris cuſtodiæ ſufficeret, ſimul eodem etiā tempore Ognatto ad ampliora ejúſque ingenio, & indole digna munia ab ipſo Rege ad aulam Catholicam accerſito, ut Alburquercicæ quoque oræ quam Ognattus Comes tenebat, Gullielmus Burgius præficeretur. Veriſimilem igitur ex nova gubernii mutatione, reverſus cùm eſſet inde Meſſia, difficultatis interjectæque moræ cum Santiliſio cauſam prætexens, nihilo ſecius adjecit recentem Gubernatorem numeratæ pecuniæ parte corruptum id ipſum quoque ſentire. Ea res, ut par erat, à Santiliſio, Burgio, & Luſitano ſimul excutitur; vires ad opus examinantur., conveníque poſtremò quo ordine, ac ratione arx, oppidúmque à Caſtellenſibus furtim appeterentur. Cæterùm hæc Ario Saldanio relatum Antonium, ut ipſe dicebat cùm remeare de more vellet, comprehendi ſtatim præcepit Burgius, ac more

militiæ quia obligatus pecunia erat, loco obſidis cuſtodiri, quemadmodum enim novum regimen ineuntes vitio naturæ potiùs, quàm cauſæ rigidiores ut plurimùm rerum anteà geſtarum ſolent cenſores eſſe, in hoc autem negotio nimia etiam in operando credulitas cùm verè aliquid inſectandi materiem offerret gravius idcircò reprehenderat Burgius præproperè, ac ſtultè jactam pecuniam illam fuiſſe, nec eſſe tanti æſtimandam tortuoſi profectò hoſtis, Luſitaníque ſemper fallacis, validíſque de cauſis Caſtellæ nomini infenſi fidem. Sed contra niti Meſſia, multos in eo oppido ſcilicet præſto ſibi eſſe clientes amicos, & pecunia, & blanditiis jampridem municipes captos, jacere autem perdíque omnia inter conatus, & arma factionis ſublato Duce. Itaque abſente ſe, neque illos, neque Saldanium Caſtellenſes in opidum admiſſuros, aut ipſum igitur ſolvi cuſtodia, & in oppidum mitti oportere, aut novi nihil moliri; nec tamen per hæc verba mollito Burgio ut potiora omnia Luſitana fide cenſenti, Santiliſius poſtremò interceſſit, ea de Meſſiæ ſtudio, dudúmque ſibi comperta fidelitate latè commemorans Burgio, ut hic pudore potiùs, quàm ratione propoſita fructus ægrè tandem Luſitanum dimiſerit. Verumtamen acris ea ipſa de re cùm ſerperet intùs ſollicito Duci ſuſpicio, ne improvidè copias tanto periculo objiceret, in hunc modum anteà decrevit hoſtium conſilia, & habitum explorare. In utriuſque regni confinio Eremita quidam agebat, qui per occaſionem quotidianam petendi ſtipem, in oppido, ac regiis caſtris liberiùs, ac ſæpiùs verſari ſolebat. Erat etiam in homine præter æternam pietatis, ac rerum contemptum imaginem [illegible]rem intentam colludentia compoſiti oculi, macies, pallórque oris, ac ferè inedia ac vigilia perempti cum ſqualida veſte, barbáque. Hunc ergo pecunia ſubornat Burgius ut conſuetæ per eleemoſinæ ſpeciem Campomajorem adeat, omnia quæ hoſtis inibi fortè pararet exploret, exploratáque ſibi quàm celerrimè deferat: aptúſque in primis ille Eremita ſuſtinendo negotio erat, cùm jam ſenex, emeritæque militiæ alimentorum inopia ductus inſtitutum mutaſſet. Hic igitur primis ſe ferè intendentibus tenebris Campomajorem ingreſſus, poſtquam oſtiatim pergengovagus ea, quæ ad rem faciebant diligenter obſervat, ac luſtrat, inde celetius ad Burgium regreſſus, vidiſſe ſe memorat oppidum armis, militibus, equis cum magno ex omni parte tumultu, atque ſtrepitu æſtuans, inſuper miſſis à Melo præſidiariis ab Elvo cohortibus ex omnibus copiis alias in arcis, & oppidi ſtationem, alias ad foris tendendas accedentem in hoſtem inſidias conſtitutas intellexiſſe: Antonium verò Meſſiam Meli mandato in arctam cuſtodiā conjectum eſſe. Quæ cùm Burgius iratus, ac triſtis audiſſet, & ſe illuſum à Luſitano, & temerè aurum in hoſtis ſinum effuſum, & ſaniori Meli conſilio pro delati pignore indicii exploratorem in vincula impactum eſſe, tunc Santiliſii facilitate, atque ignavia multum inceptia pugnæ apparatum diſſolvit. Cæterùm Dux Luſitanus, qui per rejectas, ut falsò putaverat, in inſidiatores ipſos inſidias, jam affatim ſanguinis hoſtium, & prædarum, & gloriæ voraverat animo ea demum ſpe devolutus, & animo hæſitans, num Antonius idem Meſſia ſpe duplicis quæſtus illectus fidem ancipitem ducens negotium intervertiſſet ex qua jacebat cuſtodia hominem ſtatim extractum, vinculíſque conſtrictum, ad dicendam Uliſippone corā Judice cauſam deduci juſſit, ibíque per corporis cruciatus, ac ſæviora tormenta extremo tandem ſupplicio, non ſceleris notæ ſubtractus Antonius propè fatalem proditoribus pœnam ſuſtulit.

Sic

Sic propter Burgi conſilium inſidiarum utrinque expectatione deluſa, Alfonſus Melus hac irrita expeditione perculſus, ſimul quod paulò antè circa Elvum per Caſtellenſem inſidiis equeſtribus penè obrutus offendiſſet, præclaro quoquam opere cupiebat quaſi demere ſibi ignominiam, metúque rurſus injecto compeſcere hoſtem. Jubet itaque Sancium Emanuelem, & Ferdinandum Tellium Tribunos militum cum majori exercitus parte in Caſtellam evadere, quámque ibi ſors, & occaſio rem belli agendam præ ſe tuliſſet, aggrederentur, nullo quidem certiori conſilio,' aut mandato, tanta quidem inhæſerat Duci talium commilitonum de animi alacritate, & fiducia, ac bellica diſciplina. Tellius cui per id tempus ut ſeniori armorum imperium obtigerat, ſilentio noctis egreſſus repentè Valverdem ducit quò dolo primùm aditus patuit, mox & excidium in hunc modum ſecutum eſt. Mille fermè Caſtellæ milites pro Valverdis præſidio ſtabant, ſed cùm ſolito ſegniùs, atque ſolutiùs, prima quæ mœnia tenebat, vigilia conſiſteret, hæc Luſitana ab una cohortéque longiùs progreſſa ſocialia propè muros inſignia, & falsò vernaculæ ſonitum linguæ jactabat primò decepta, mox facilè fuſa, & fugata hinc liberum dedit confertis hoſtibus aditum. Occupatus hìc fraudibus locus ferocius tantiſper à Luſitano defenſus eſt, donec reliqua retrò ex induſtria latebris tecta, ſigno ſublato, cucurrit acies. Ibi tunc editur ſtrages, qualem amoto penitùs metu, effrænium irarum ſolent aculei, & mutuò exardentia conflare odia; nam Caſtellenſes cæteri milites, qui priuſquam invaſos jam ſeſe circunſeſſos atque improvisò captos eſſe ſenſerunt, id porrò fortuitum, atque inteſtinum eſſe primò tumultum exiſtimantes, dum ferè inermes, ac ſeminudi ad clamorem, ad arma circunſonantia concurrunt, temerè armatos incidentes in hoſtes ſternuntur, oppidanos verò pleroſque ſemiſopitos, jacentes, aut exire cunctantes, aut fuga deprehenſos ferrum, aut flamma conſumpſit. Ex eo luctus, ubique gemitus, clamor, & diſſipatæ per domos, ac templa flammæ, & collabentium ruina tectorum, & fragor & cædis, igníſque confuſa ſtrages, Luſitanóſque impunè ſparſímque jam diſcurrentes, alios rapinæ, alios ſtupra, alios cruoris aviditas tenet. Ex proteſtantibus Angli Hollandis, Galliſque intermiſti, cùm religioni quoque inſultarent, ſacra ſpolia, & ornamenta diripiunt, & polluunt: tandem opulenta congeſta præda, & Valverde direpta, incenſáque diſcedunt. Poſt curſim hæc omnia æquè ſævè, ac feliciter acta conſultum eſt inter Duces, utrum feſſis, prædíſque vehendis implicitis requiem, & otium militibus darent, an propitio fortunæ curſu, ſpéque nova calentibus militum animis uterentur. Retrocedere copias, temperare fortunæ curſui, laſſóſque per quietem reficere milites cenſebat Tellius, contra diſſeruit Sancius Emanuël, animóque ac bellatorum arbitrio in eo diſcrimine, ac dubio utendum eſſe reſpondit, ne gloriæ, ne prædæ ſtimulis jam excitata torpeſceret militum virtus, néve afflantem modò fortunam ſpernentes, per inertiam, ac deſidiam deinde cùm reflantem vidiſſent, dolerent. Poſtquam ergo per ipſos Duces voluntate militum explorata, iidem ferociter pugnam depoſcunt, ad Elcam extemplò ducuntur. Militaris Alcantaræ Ordinis tenue, & exiguum hoc oppidum juris eſt; ſeipſo quoque indefenſum, ac propè patens, natura tamen, & opere, ſitúque ſublimi aſſidentem prævalidam habet arcem. Hic à principio locus Alburquercica ditione complexus parebat Comiti Ognatto, poſt illius oræ tractu Badacocii regimini juſſu Regis adjecto, quod ſitus ejus in medio

dio eſſet, dubitabatur, ad Garaïum Eſca tuenda, qui per id temporis Badacio, an ad Albanum Ducem, qui Civitati Roderici cùm armorum imperio præeſſet, jurè ſpectaret. Eò demum cum copiis Tellius evectus, nullo adverſante, ſtatim occupat oppidum jam ab incolis derelictum, qui appropinquantium illuc armorum, & hoſtium audito ſtrepitu, quæ citò aſportari facilè poterant, fortunarum ſuarum collecto faſce, dilapſi omnes in loca munita erant. Arcem hoſtis ſubinde pulſat, eámque ad longam quidem obſidionem tum cibariis, tum militari præſidio indigentem, Præfectus, qui aderat, nullo tunc oppugnando, aut propugnando fortunæ præmiſſo, aut virtutis experimento, ſeu temporis ſpatio ad primum tomenti bellici jactum Luſitano turpiter prodit. Erat arx præter loci, ac ſtructuræ ſingulare munimen haud procul Luſitaniæ finibus ſita, ſimul ipſa opportuna, quæ reciprocos commeatus, ſi à Luſitano retenta eſſet, Caſtellenſibus intercluderet. Defendere idcircò, & pro viribus eam ſuſtinere cùm Luſitanus cogitaviſſet, munit illicò arcem trecentis veteranis militibus, belli machinis, alimenti, nitratíque pulveris copia, ejus tutela, & cuſtodia Sancio Emanuëli ut in primis egregio, atque impigro Duci committitur, ac ſi urgeret fortaſſe hoſtis ſuppetias Tellius ferre pollicitus cum reliquis copiis Luſitaniam repetiit.

De his, quæ Elcæ contigerant, rebus, quod proximus loco eſſet, cùm prior, certiórque factus eſſet Albanus, nihil porrò cunctatus ſui ne juris, an alieni aget ille vaſtatus, & arx Regi Catholico adempta cenſenda eſſet, Garaïo quoque inconſulto, velut æmuli imparitate contempta, Viverum ſtatim Legatum Joannémque Suarium cum quinque propè millibus peditum, mille & quingentis equitibus mittit amiſſam ad arcem, oppidúmque recipiendum. His igitur copiis infeſtos ad arcem Caſtellæ milites ſuccedentes, dum illam incumbunt primo recipere impetu frequens, & ignea ex tormentis mutalibus peſtis effuſa magna cum ſtrage retraxit. Eo vulnere cautior factus deinde Viverus, ideóque ad longiorem moliendam obſidionem converſus aggerem jaci, valla componi, præliaréſque ſuggeſtus multis in locis erigi curat. Hæc molientem caſu interceptæ cum tabellario literæ, quæ proximè adeſſe hoſtium auxilia ſignificabant, eum ab incæpto avetterũt. Erat ambiguæ ſcriptionis ſenſus obſcurus. Elicere porrò ab hominis ore quod implicato, ac dubio ſtylo latebat Viverus intendens, admotis primò tormentis tabellarium excruciari, mox pertinaciter reticentem inter laqueos, & ignes jugulari præcepit. Satis tamen & ipſe certus propè jam hoſtium imminere ſubſidia, ea obſidionis omninò forma intermiſſa, arci propinquum occupat fontem, quò iis impeditior, qui in arce erant incluſi, aquandi commoditas foret, ſimul vias, & obliquos paſſim tramites inſidere, ne ex aliquo loco pateret obſeſſis, preſſíſque hoſtibus commeatus, partitos milites jubet. Elevat ipſe tandem in loco arci oppoſitum opportuno validum munimentum, unde ſæpiùs obſidionalia belli tormenta excuſſa illam diverberabant. Ita enim, ſi diſtuliſſent Luſitani ſubſidia, breviter arx videbatur aut impetu armorum, aut rerum egeſtate lapſura, ſin autem approperaſſent, tunc univerſas colligere vires, ſtatímque plenam in hoſtem dirigere aciem in promptu Vivero fuiſſet. Joannes intereà Garaïus Elcanæ arcis jactura comperta, Albæque Ducem ſua auctoritate neglecta in ejuſdem ditionis, juríſque circuitum, ſeipſo inconſulto, exercitum præmiſiſſe, conceptam animo iram, quam apertè in Albanum propter viri faſtigium effun-

dere minimè poterat, dolo, & fallacia cunctationis explebat. Laturum igitur arcem obſidentibus opem Gullielmum Burgium Garaïus cum quinque equitum turmis, & unica legione dimittit, Alcantaræ quoque juſſum perque interpoſitos propè vicos aliam conſcribere legionem tumultuariam, iiſque viribus ad urgendum arcis obſidium, vel cum hoſte, ſi copia foret, pugnandum Albano militi ſe conjungere. Verùm hæc intempeſta legendi, cogendíque militem mora, cùm expeditior eo tempore inſtaret, & alacer hoſtis, negotium prorſus evertit. Luſitanus quippè ſollicitus, pavidúſque, ne Albani copiæ per Garaïum intenderentur, exercitu quàm celeriter aucto jam ad ſolvendum arcis obſidium moverat. Tripartitò Luſitana pergebat acies, hinc hoſtiles ut illas, quæ ad fontis cuſtodiam ſedebant, inceſſerent turmas, hinc ut tormentarium ſuggeſtum aggrederetur arci oppoſitum, infeſtúmque cæteræ copiæ directum iter eæque paulùm inflexæ, extentæque obliquos etiam, quos hoſtes inſederant, celeri gradu petebant calles. Erátque tunc Ferdinando Tellio conſilio priuſquam in orbem ſe cogerent hoſtes, & integram aciem ad pugnam inſtruerent, ita diviſos, ac robore diminutos majori cum numero excipere. Arte etiam, & fuco compoſita prima Luſitani exercitus facies erat, in quo hominum ſupra numerum militaria ſigna, tubicines, exultantium, ſibilantiúmque tumultus, atque clamores militum apparebant, raráque ipſa incedentium militum agmina, quibuſcunque in aciem per iter acceptis agreſtibus obviis, dolo referta re ipſa belli majorem molem, ampliorémque pugnæ apparatum, mináſque præbebant. Viverus autem ſpe undique àbſciſſa à Garaïo promiſſæ opis, ſimul terribili in ſpeciem objecta Luſitana repentè acie, cùm aurium, tum oculorum ludibrio captus, ac trepidus, obſidione relicta, vaſa raptim colligere, & compoſitè ac ſenſim recedere milites jubet, ne ſoluti, aut fugaces conſpecti ab hoſtibus ordines avidiùs inſtandi, atque in eorum quoque terga ruendi, plus ideò ſibi fidentibus Luſitanis incitamento forent. Videt hoc Luſitanus, cúmque plus ipſe dolo, & induſtria, quàm viribus fretus rem promoviſſet, hoſtium percautus veſtigiis inſiſtens, eos in arcto per viam obſidere, aut eludere, aut iniquo intercipere loco deſiderabat. Idipſum metuens Viverus, & quod appetentis obſcuritas noctis viam militibus implicabat, & quod agmina raptim fugientium in modum ibant, flexit tandem ad oppidum Sancti Martini mœnibus ibi ſeſe, niſi animo, & copiis pro tempore defenſurus. Tria millia circiter militum ex toto exercitu incluſa mœnia oppidi tenuere. Reliquos metu, ſeu induſtria, ſeu errore palantes ſuis, quas huc uſque collegerat, viribus Burgius adjunxit. Is apud Sillerum moram id temporis faciens imperata à Garaïo ſubſidia parabat, cùm à diſſipato, fuſóque paſſim milite accepit, disjectam arcis obſidionem eſſe, proſpero eventu inflatum euntem longè inſtitiſſe cedentibus hoſtem, Regióſque in oppido clauſos, atque conſtrictos jam omni belli terrore, ac miſeria circunſideri, in arcto rem eſſe, ac niſi properè ſubveniret, flamma ferróque ex oppido buſtum futurum. Itaque Burgius jam ſatis anteà collecto, & adventitio quoque ſubinde milite auctus ad Sanctum Martinum properat. In Caſtellæ propè termino jacet oppidum. Hinc aſpera ipſum præruptáque juga cingunt, quà Luſitaniam ſpectat haud latè inde patens funditur aditus; montis enim ferè continens dorſum, & per ambitum oppidi longè, latéque protentum quodam velut ſinu, flexúque

que curvatur qui in planitiem inde porrigitur, & viam molliorem per eas quaſi fauces aperit Luſitaniæ. Talis igitur oppidi in hunc modum erat tunc conſtituta per Luſitanum Ducem obſidio. Ceperat ille primò Divi Franciſci, quod extra, & contra oppidum ſitum cœnobium erat, ibíque tormentarium ſuggeſtum fixerat. Fontem deinde, quem Aghinaldum incolæ appellant, quod ea ſiccitate, æſtúque ſqualeret regio, & via etiam eſſet, quà tranſeuntes ferre opus erat obſeſſis Caſtellæ milites opem, equitum, peditúmque ſtationibus communierat. Reliqua agmina Luſitana minis, ictibus variis armis infeſta, & prementia fortiter oppidum circunſtabant. In hoc ſtatu rerum ſubſidiariis cum copiis repentè Burgius à fronte conſpectus eſt. Unde nec longo ipſe intervallo disjunctus, quaſi pugnæ proludere miſſilibus vellet, inceſſere cœpit hoſtem, mox ſolutas quaſdam peditum turmas in ſumma collium, qui penè oppidum ambiebant, aſcendere juſſit, quo loco ſeſe atque illam oppidi partem quæ collibus erat obverſa defenderent, ac ſi fortè inclinaret poſteà collata cùm hoſtibus acies prompta ſubſidia forent. Eo quoque tempote Dux Luſitanus expeditos progreſſos equites per levium momenta certaminum juſſit animos hoſtium, viréſque explorare, qui porrò propiùs illati tunc velitantes, & alterno acceſſu, receſſúque per induſtriam fallentes, atque extrema ſæpè laterum inſectantes, poſtquam preſſum, clauſúmque vident in ſuis ordinibus Caſtellenſem, ad Tellium tandem regrediuntur, ac nunciant, optimè inſtructum, ſed imparem ipſis Caſtellenſem pro numero viſum, ſimul agreſtium colluvie, bellíque penitus rudium juga illa montium, dorſúmque paſſim expleta, maturato igitur opus eſſe, ne ad conferendam obſeſſis opem, vis quæ coïre facilè potuiſſet, hoſtium fortaſſè major ingrueret. Ea res impulit Tellium ad acriùs urgendam oppidi obſidionem. Quocirca parte exercitus contra Burgium, ne terga ille vel latera circuiret, objecta, ipſe ferocior in oppidum ruit, ac ſolito enixiùs obſidionem intendit. Pugna vehementior utrinque quàm pro loco, ac numero militum agebatur, infra ſclopis, & longioribus haſtis quia humilis, nec ulla diſtincta lorica murorum ſtructura erat, aliis deſuper armis, & candenti ſæpè fuſa materie, & provolutis lapidibus incumbentium in hoſtem; nec minus quidem jactata lingua conviciis quàm ferro, ignibúſque hinc, & inde furebat dextera, apparebárque tantum impetus, ardoríſque & nervorum, & animorum, quod æquè hoſtes acerrimè exagitabat per victoriam certamen primo quoque tempore diremptutum. Tum verò opportunè militibus, oppidaníſque pro murorum defenſione laborantibus affuit, agreſtium, peditúmque ſubſidium, ac turma qui Burgii mandato impendentes oppido colles inſederant. Illi enim ex tuto, atque edito loco majoribus ſclopis nunc latus hoſtile, nunc frontem petebant; lapidum etiam imber ex contortis fundis effuſus, ſimul tripudia, ſibilus, clamor velut ſine metu inſultantium, ac ferientium non minus præliares conatus hoſtium, quàm vim animorum frangebant. Læti hæc oppidani conſpiciunt, proinde jam animo, viribúſque refecti alacriùs, & fortiùs in Luſitanum inſiſtunt; inde prælium æquatum eſt, cùm propugnarorum conſtantia, virtúſque murorum fragilitatem ſuppleret, & in quo rabies, furórque pugnantium, & impetentium quoque numerus ſuperabat, opportunè diſpoſita ſuper colles auxilia apud Caſtellenſes explerent. Dum circa oppidum in hunc modum ardebat pugna; Quæ nuper

M 2 à

à Tellio copiæ præmiſſæ fuerant, ut impedirent Burgium, ne obſeſſis in oppido poſſent ſuccurrere ſociis, jam collatis cum regiis militibus ſignis cautiùs, quàm acrius certamen trahebant, remorari quidem ſuppetias oppido Luſitano tantummodò intento; Caſtelſenſe, quod id ſublati militiæ nervi certum excidium oppidi contraxiſſet, eludere, aut ducere idcircò pugnam allaborante. Cùm igitur neutri rei ſummam extremo periculo objicerent, nox prælium diviſit. Hinc Burgius ad caſtra reverſus, & valdè anxius, quid utile ſibi foret in re tam ancipiti ſtatuendum, hoc propemodo vocatos alloquitur Duces.

„ Illo furore, illa audacia obſeſſi, im-
„ pulſique violenter ab hoſtibus oppi-
„ di jam penitùs propè quaſſa crebriſ-
„ que lacera ictibus cōſpici mœnia, iiſ-
„ que præterea reficiendis vix integram
„ noctem ſufficere, quando etiam per
„ tot ſaucios, ſtratóſque pugnando mi-
„ lites, & qui metu quoque diffugerant,
„ eſſent admodum diminutæ propu-
„ gnatoribus copiæ. Cunctatione, aut
„ variis aſſultibus ibi, falſóque dunta-
„ xat armorum objecto fulgore velle
„ cum hoſtibus uti, fortunæ intereà ſuf-
„ fugia vel caſus bellicos expectantes,
„ id prohibere quidem oppidi angu-
„ ſtias, quodvis tunc hoſtilis, arctiùs
„ ſubinde fames, & rerum omnium
„ egeſtas preſſura eſſet. Omnia itaque
„ ſibi in eo negotio circunſpicienti fi-
„ duciam undique imminui, pericula
„ contra, animique ægritudines creſ-
„ cere, nec aliud profectò diuturnam
„ in loco illo moram, & otium ipſi vi-
„ deri comparaturum fuiſſe, niſi fœdæ
„ ſociorum internecionis intereſſe ſpe-
„ ctaculo, oculiſque profuſum impunè
„ cruorem, auribúſque cadentium, at-
„ que ſpirantium gemitus, & ululatus
„ haurire, hiſque inſuper tandem in-
„ felicis pugnæ reliquias ſpe, atque vi-
„ ribus fractiores, ac perterritas quo-
que tantæ ſpectatæ cladis exemplo "
commilitonum ſuorum funera per "
ſua ipſa corpora cumulare, ſi ſtatim "
conſerere manus cum hoſtibus vel- "
lent, imparibus nervis, graviorique "
periculo pugnaturos. Conſulerent "
itaque Duces utrum exigua ibi cum "
ſpe manendum, an abeundum, an "
ſors extrema tentanda certaminis eſ- "
ſet, & per hoc geminato quoque pe- "
riculo municipii jam in agone peri- "
clitantis, & copiarum illarum dunta- "
xat fortuna ſubnixi. Poſt hæc & alia "
ad rem ſimiliter dicta, agitatis in concilio ſententiis, cùm pleriſque Ducibus placuiſſet, ut ubi vires deficerent, aſtus ſuppleret, poſtremò inter omnes convenit, ut primo mane inſpectantibus hoſtibus tanquam receptum illis præripere, itérque intercludere cogitarent, Valverdem verſus diſcederet acies, néve repentè certa ſpe opis, qua unicè niteretur oppidanus excuſſus ſubmitteret animos, ea ipſa nocte ſecretò Burgius moneret Arnaldum Sancti Martini Gubernatorem, quod ex loco quem ceperant, cùm dies illuxiſſet, ſua ſpontè copiæ moturæ eſſent, eo planè conſilio, quo citiùs illius oppidi obſidio diſſolveretur, proſpiceret ergo ne turbamento, aut metui fortaſsè municipibus eſſet, quod paulò pòſt in Luſitani perniciem, ac peſtem volvendum foret. His illa nocte tumultuariè decretis rebus, actiſque oriente jam ſole mirabundus aſpexit Tellius colligere vaſa hoſtem, loco moveri ſigna, ſuiſque ordinibus clauſum paulatim effluere militem, eóque metui permiſta plus admiratio rem intuenti creſcebat, quod nulla tunc profectionis tam ſubitæ ratio, aut incuſſæ repentè formidinis cauſa multa Tellio volventi occurrebat. Frequentem etiam per id tempus intelligebat ab Duce Albano delectum pro auxiliaribus copiis indictum eſſe, nec veriſimile videbatur, exercitus partis, quæ ejus fidei commiſſa erat,

in

in diſcrimine jam conſtitutæ forè omninò Garaïum impigrum Ducem immemorem. Anxius itaque Luſitanus, gravíque ſuſpicione commotus, intercipi ſibi cum illo conſilio iter, atque in alieno, & hoſtico ſolo, ac maximè inculto, qua ſeſe armis, qua rerum inopia, tranſitúſque difficultate præcludi, opprimíque & perquàm facilè fore, ut cùm mox Albani milites acceſſiſſent conjunctis utrinque copiis, ipſius jam cædibus imminutus, & opere laſſus exercitus obrueretur, cùm perexiguus deinde, vel ejus oppidi excidio futurus eſſet laborioſæ victoriæ fructus, his ſcilicet curis in animo fluctuans, ac trepidus receptui ſignum denique dedit, atque obſidionem irritam ſuſtulit. Inde celerius ad Eliam pergit, oppidum urit, arcem exſcindit certaminis cauſam, propinqua corrumpit, abundantíque ſubvecta præda in Luſitaniam revertitur. Inter hæc Caſtellenſis, qui ſub montium radicibus latitans quid tandem conſilii caperet Luſitanus expectatione ſuſpenſus hærebat, paulò pòſt è latebra egreſſus ubi dilapſos hoſtes, ereptúmque obſidioni, ut ſperabat, oppidum vidit, in eodem quo ſe abdiderat loco conſtitit, donec Albani juſſu collecta ampliora acceſſere ſubſidia. Quibus ſatis exercitus confirmatus, hinc Vivero, inde Burgio imperante in Luſitaniæ fines populabundus irrupit. Ea portò incurſione militum impetúque quamplura circumincenſa, ac direpta minora oppida ſunt, errantium fortè pecorum, commeatus, ruſticorum bonorum pars ferro, flammáque corrupta, pars major abſtracta, atque in prædam congeſta eſt, cúmque agros paſſim fumantes, & tuguria, atque tecta flagrantia, & perſultantem hoſtem, & omnia in tumultu, atque præda cruentè raptari cerneret Luſitanus, quia pari tum ille carebat, quam hoſti opponeret, acie, mœnibus circunſeptus ibi otioſus, ac triſtis domeſticæ cladis ſpectator aſſedit. Cæterùm hujus bellicæ expeditionis poſterorum memoria dignum, id unum non prætermiſerim, quod adverſus Eſcalam ignobile quoddam oppidum accidiſſe Luſitani ſcriptores memorant. Caſtellenſis cum militum multitudine, tum fortunæ ſucceſſibus fretus, dum incautè in oppidum illud invehitur, majus profectò, quàm pro murorum ibi debilitate, aut defenſorum numero reri poterat, luctamen offendit. Stabant enim Luſitani corpore erecti, gradu ſuo immobiles, confertíque ſupra pinnas, ambitúmque murorum, fiſtulas inde igneas celeriter onerantes, diſplodentéſque, omníque genere armorum, atque miſſilium Caſtellenſes arcentes, ac vulnerantes; & gloriæ ultioníſque cupidine ſupra modum incenſis non languor, non æſtus, non præſens obverſa, ac multiplex mortis imago inter vulnera, & cædes miſtúmque ſudore, ac pulvere ſanguinem eo tempore ſatis præliantibus erat, ut quidquam de iniqua, ac pertinaci ea pugna remitterent, ferire, quàm ſibi cavere, vincere, aut mori quiſque obſtinatus in veſtigio malebat. Aderant pugnæ quoque hortatrices uxores, matreſque municipum, illæ per brachia exhibita viros, hæ nuda per ubera liberos comprecantes, obteſtantéſque ne vitam potiorem quàm libertatem, ac patriam ducerent; lucem ipſam, ſpiritúmque deformem, & omnigenæ mortis ſuppliciúque teterrimum fore ſuperbo, & crudeli Caſtellenſium relictum arbitrio; Eſſe pietatis, nequaquam ſævitiæ utcúmque victoris antevertere cruciatus, prævenire ludibria; uxores idcircò mancipata ſponſione corpora, ſpiritus matres, ac lucis uſuram corporíſque concretionem ac nexum ex propriis viſceribus præbita pro ſuo quáſque jure in ea reipublicæ cauſa repetere, nec ſe quidem ſuperſtites ruinarum mobilibus fore. Tandem cæſorum ſuper

corporum ſtruem,ignique torrida ſaxa, patriámque favilla, ac cinere commutatam, ac tumulatam tam inhumano, tam barbaro dignum hoſte triumphum conſtruerent. Hæc paſſim clamantes ac fœminæ repetentes effuſas inter pilas, protentas in prælio haſtas, enſéſque rotantes audebant inferre ſe, viriſque pugnantibus arma, aliis pulverem belli, aliis & feſſis præbere cibum, quibuſdam fortè labantibus verbis, vultúque incuſſo pudore virtutem acuere certabant. Majorem diei partem mirabile, & atrox hujuſmodi prælium abſumpſerat, cùm imparatos tunc oppidanos, quia nihil antea minùs, quam impeti ab hoſte timuerant, defecit tandem nitratus pulvis, vanè jam illis obſtrepente ferocia, armorum uſu prohibitis, inſtrumentiſque tutelæ in medio conflictus ardore ſublatis. Plures ergo per aditus belli tormentis effoſſos impetum facientes, alii per ſcalas raptim applicitas ſubeuntes, cùm ſegnius velut manibus captus inſtaret hoſtis, Caſtellenſes in oppidum irruunt. Tum verò undique obvii tam viri, quàm fœminæ trucidantur, plerique diſperſi conſilii inopes, vitabundi partim propinquas domos, partim incertas quærere latebras, multi ne victi quidem, ſtratíque cedere, imò etiam ire armatis inermes obviam, & quibus arma non erant,impellere ſaxa niti: fregit tandem rigorem animi tantum extrema neceſſitas, inſanúſque ille impetus, atque animi ardor, quo furialibus tanquam ſtimulis Luſitanus impulſus exarſerat, ira, ac licentia victoris contritus eſt. Singularis, & clarior tamen in hoc ultimo rerum enituit excidio muliebris virtutis, atque animi laus, inter quas memorabiles fortitudine fœminas, referunt patruum ab una Caſtellæ partibus adhærentem, ac transfugam ictu lapidis interfectum; ab altera verò domi ſuæ circunſeſſa, ac reſtricta, cùm fores hoſtes revellere niterentur, lapidibus facibus, oleo ferventi, ſimilíque materia conjectis quatuor Caſtellenſes proſtratos eſſe; tandem circuiſſe hoſtes, tectóque conſcenſo perinde emiſſam ſclopo majori glandem egregiam mulierem confoſſam. Poſtremò ex hoc,aliiſque oppidis curſim depopulatis,nonnullis etiam exciſis,atque combuſtis, ditiſſima parta præda, in Caſtellam exercitus rediit.

His ita geſtis parvo poſt intervallo refriguit in Luſitania bellum ob inſtitutum à Catholico Rege ad Catalaunam Provinciam iter, cujus præſentia Regis quemadmodum res aucta eſt Catalauna, ita ejuſdem abſentia res eſt Luſitana Caſtellenſibus imminuta. Regii hujus itineris motum, & cauſam adſcribunt plerique Iſabellæ Borbonicæ uxori Catholici Regis, altius petito principio à frequentibus ſcilicet, acribúſque quas ea per id temporis exercebat cum Olivario contentionibus, quem ut illo potentiæ apice, & comparatione æmulationis omninò ſecum indignum regia fœmina contemnebat, eò plus animo cruciabatur, ſeſe Reginam, ac duplex ſanè regale jactantem ſtemma conſilio, auctoritate, gratia apud Regem privato homini conceſſiſſe, dolebátque præſertim quod hæc ſibi inflicta per æmulum contumelia palàm per ora vulgi, ac remotas Principum aulas circunferretur. His acceſſerat, ſatis quoque Reginæ, nec ſine magno ſenſus angore,atque odio compertum eſſe, ſtudio ſeu joco, & verborum lenociniis, & fuco in animo Regis indidiſſe Olivarium, mulieres ad gubernationem inertes, ac planè fluidas edendis tantummodo fœtibus,educandæque proli à natura vel Numine deſtinatas domeſticis curis, & muliebribus otiis omninò tradendas eſſe; ſolidæ nihil in illis, nihil veræ, nudæque virtutis hætere, nec foris quidem minùs ex calamiſtris, atque pigmentis pulchritudinem oris, quàm ex fictis

virtutibus

virtutibus intus ſpeciem animi ſuffurari. Hæc pravo Olivarii ſtudio in animo Regis immiſſa, & faciliùs à Rege quàm vera res eſſet, accepta, ut contrà factis Regina refelleret ſummopere optaret abeſſe Regem, quò Caſtellæ regimine ſibi ob Regis abſentiam tranſmiſſo per hoc temporis ſpatium gubernacula ſuſtinendi dolo ſuppreſſas, vel iniquè detortas ab æmulo ingenii, atque animi dotes Regina palàm exprimeret. Ad hoc nonnihil ex reipublicæ cura deſumptum, ut facilè eſt ſibimet blandienti ubi nec copia eſt, privatæ curæ publicam nectere illam etiam adhortabatur, mutatio ſcilicet loci quam è Mantua Carpetana digreſſus facturus Rex eſſet, quippè quæ velut ex abdita cauſa volvere ſoleat interdum ſecunda, vel triſtia curricula rerum, atque ita res quidem ea tempeſtate decurrerent, ut ſi mutatio aliqua interceſſiſſet, nihil Regi ac reipublicæ niſi propitium, nil Olivario niſi infelix, ac præter votum accidere potuiſſet; nec porrò id quoque alienum à Reginæ conſilio erat ab eo nempè loco ſtudentem illecebris Regem, marcentem otio, ac velut torpedine fractum, geminatas ſui Imperii clades, quibus totus fermè Orbis concuſſus fuerat, vix dum animo ſentienrem abripere, & quodammodo cœlum, ſolúmque vertenti puram, & integram illi mentem, & animi valetudinem reſtituere; poſtremò ut extractus ab Olivarii cuſtodia ſeu diſciplina Ludiquaſi magiſtri per iter, aut alibi Rex aſſueſceret circunſpicere, noſcere, gratas offerre ſubditorum quæſtibus aures, ac per mitia reſponſa doloris ſolatia reddere, utque puerili tandem tutelæ ſubductus ſuo jure, ſuo ingenio, ſua auctoritate Rex uteretur. Huc profectò quà privata, quà ex publica utilitate rationem, & vim haurientia ſpectabant Reginæ conſilia, quæ ideò per ſe clientéſque ſuos, & eos Olivario maximè inviſos profectionem Regis urgebat. Contra Olivarius, quem nec Reginæ conatus, artéſque, nec ratio illa propoſiti fugiebat, & ſolertiæ, atque induſtriæ acumine ipſe, niſi eas aliquando fortuna deſeruiſſet, longè ſuperior æmulis erat, nectere idcircò difficultates, interponere moras, modo Regem, modo Reginam ex ejuſdem tela retextis Reginæ filis per alias fallaces ſubtilioréſque compoſitas artes decipere velle. Regi præſertim, ac ſæpè iterando ingerebat; Diſceſſum ejus ad Aragoniam Luſitaniæ rebus ſummè perniciosum, Catalauniæ minimè profuturum cùm prævalido hæc innitatur exercitu, illam verò copiis egentem, atque enervatam præter immodicos regii itineris ſumptus, qui privatas comitum domos, qui perfractum jam Regis exhauſiſſent ærarium, accideret etiam, ut longinquitas Regis affligeret. Utiliùs profectò videri, ut quæ profuſius in viæ regiæ apparatum conferenda pecunia eſſet utrique juvando partita bello, interim Rex avi Regis exemplo ficti quondam in Belgium armis, ac tumultibus ſciſſum itineris, perrecturi ſui pompam magnificè ſtrueret, falſáſque jaceret paſſim propinqui diſceſſus voces, certo, arcanóque tamen conſilio Imperii arcem non deſerendi, ita namque dicebat ſua ipſum Regem propinquitate Luſitaniæ rebus optimè conſulturum, ſpéque præſentiæ Catalaunis oblata, eáque artibus innutrita, acriores bellum ibi trahentibus ſtimulos additurum fuiſſe, dum multa, & magna quoque incidentia per iter diſcrimina pateant, unóque ipſo capite tot imperia, tot hominum millia pendentia in periculum contrahantur. His adderet etiam, quod inter varios, ac dubios fortunæ caſus martíſque communia ludibria, ſi parum, aut nihil oſtenſus Regis aſpectus coram urgendo proficeret, ac

„ velut poſt fortiùs nequicquam emiſ-
„ ſum in hoſtem jaculum, quaſi muti-
„ la, expéſque torperet ad cætera ma-
„ nus, irrito jam ſupremæ majeſtatis
„ conatu, ſummáque p·puli expecta-
„ tione deluſa, quid ampliùs Regi fu-
„ turum, quod in extremo collabentis
„ Imperii opponere poſſet hoſtibus.
„ Non omnes tam citò eſſe hoſtibus
„ copias, viréſque explicandas. Eſſe ali-
„ quod ſummis præcipuè Regibus reſ-
„ ſervatum, quod multò magis per in-
„ expertam, offuſo procul in ſpeciem
„ terrore, quàm reipſa per vim proxi-
„ mè applicitam valeat. Hæc & talia Olivarium ſagaciter obtendentem fortuna magis quàm ars, ſive ingenium deſtituebat. Multiplici namque & eo ubique propè improſpero bello Hiſpaniæ rebus attritis, Imperiúmque tum alia poſt aliam ruina præmente, cum pro tempore alacriùs Olivarii obtrectatores arrecti tam ipſius rectè, quàm malè geſta per omnia momenta calumniarentur, vacua propè ipſius apud Regem intrinſecus gratia, fluxa etiam & imbecillis in ſpeciem erat. Igitur cùm in Status Senatu Olivarii ferè cadentis jam claudicaret auctoritas, porrò tunc pro Regina, & contrà Olivarium conſiliariorum ſtudiis accenſis, & cauſa longè diſcuſſa, ea in Senatu ſententia in gratiam Reginæ vicit, quæ Regis profectionem ad Aragoniam probavetat. Verumtamen Olivarius, cùm magna eſſet conſtantia animi, variíſque ingenii ambagibus præditus, tum regiæ indolis peritiſſimus, novo commento ſtatuit decretum, juſſúmque ad Aragoniam abrumpere. Procul à Mantua Carpetanorum ſeptem circiter leucas Aranucecium amænus in primis receſſus, ſuetæque Regum delitiæ, quò feſſi negotiis ſolent quandoque divertere, jacet. Cœli ſalubritas, ſoli cultioris ubertas, ex binis propè collatis amnibus irriguæ paſſim manantes aquæ, quæ vel in rivulos fuſæ, vel in ſtagna coactæ, vel in ingenioſas fiſtulas fontium contortæ per arte, & labore compoſitas ſilvas, ſaltúſque, & luculentos hortos circunfunduntur, non minus jucundum in tam inculta, atque arida regione, quàm theatrum mirabile præbent. Huc Regem impulit Olivarius, quo voluptatis eum blandimentis mollitum, & otio, ac deliciis, ſenſuúmque omnium circunſeſſum illecebris à moleſtis belli curis abſtraheret; nec decreti tamen itineris interim per ea ſe turbatorem, aut manifeſtum ſe diſſuaſorem prodere audebat, imò potiùs itineri quod ſumptuosè, ac magnificè regióque digno ſplendore parandum eſſet, ea haud gravia, & ingrata eſſe otia interjecta jactabat; deinde cùm Mantuæ Carpetanorum, quod ibi Regina commoraretur, ſuſpecta ſibi vicinitas eſſet, jamque laſſæ, atque ex facili corpora implenti voluptati Olivarius nova ſubinde irritamenta conquireret, Regem inde Concham, atque Aragoniæ Molinam tranſtulit, apta ipſa venatui loca, quo Rex in primis delectabatur. Itaque dulci, occultóque voluptatis veneno Olivarius, ſimul tempore, quod omnia mutat, tum vario, ac ſubtili artificio prolaſſando negotio uſus, cùm regiæ quoque utplurimùm voluntates primo emiſſo impetu torpeant, adeò tranſvertit animum Regis, ut quod de tegia ad Aragoniam profectione Mantuæ Carpetanæ decretum frequenti Senatorum ſuffragio fuerat, jam in Provinciæ limite ejuſdem præcepto Regis in conſultationem, ac dubium revocaretur. Lætus propterea, atque effusè petulans inſtitit Olivarius, quippè qui Conſiliarios omnes comites Regis à ſua fortuna, nutúque pendentes conſultò traxerat, nec dubitabat, fore plane, ut id illi cenſerent, quod ipſe juſſiſſet. Sed fortè tunc ita contigit ut conſultantiũ conventui Marchio Granatenſis Cæſareus Orator mandato

Regis accederet. Hic belli, pacíſque artibus inclytus æquè Reginæ carus, ac Olivario infeſtus, ubi concordes Hiſpanorum omnium ſententiæ jam iter Regis ad Aragoniam inſtitutum expunxerant, contra omnes unus inſurgit, ac diſertè locutus affirmat, quod ſcilicet anteà Mantuæ Carpetanæ diſcuſſum, validis argumentis aſſertum, & ritè conſultum, ac fixum fuiſſe jurè conſtaret, id eſſe omninò perficiendum. Illud enim à Status Senatu conſiliorum capite, ac fonte quæſitum, id novi, ſubreptíque conſilii per rivulos quoſdam affectibus turbidos hauſtum eſſe. Nihil quidem magis Hiſpanos perculit, quàm coram ipſis virum externum, & caſu, aut favore in conſultorum cœtum adſcitum rei alienæ conſulere meliùs, eorumdem fractis repentè ſententiis publicè ſibi arrogare, ac patefacere voluiſſe. Reliquis tamen ob tanti hominis dignitatem, ac libertatem ſingularem ingenii metu, aut pudore ſilentibus, unus Joſephus Gonzalius regius Caſtellæ Conſiliarius aura præcipua gratiæ Olivarii, & ſuopte inflatus ingenio præter diſciplinam, & urbanum loquendi morem Senatus, qui poſt ordine latas ſingulorum opiniones, nec refelli, nec refellere quemquam ſinit, inſolenter, & extra ordinem ſurgit, verborum effluvio ſtrepitúque contendens Cæſarei Oratoris orationem obruere. Tunc ſtomacho incenſus, atque ira percitus Marchio, præſertim quod per illatam æmulo contumeliam videri Gonzalius vellet aſſentari Olivario, & gratiæ ab injuria quærere augmentum, ſeſe quidem, adjecit, circa Bartoli, Baldíque ſcita, ac præcepta libenter concedere primas Gonzalio; at in belli rationibus evolvendis ventoſæ tantum loquacitatis rapidè verba volventis, tantúmque volubilis, incompoſitíque geſtus ipſum Gonzalium fruſtrà conſumere; illas enim non audiendo, nec explorando, aut per otium, & umbram præceptorum, ſententiarúmque floſculos ex codicibus colligendo, ſed inter haſtas, & gladios præduro labore, aſſiduis vigiliis, notíſque cruentis addiſci. De ridiculo eſſe profectò jam rogatos munditiis, & otio exquiſitíſque vitæ deliciis mulieribus ſimiles affluentes velle Ducum ſedendo dicta cavillari, & jura, legéſque militibus figere. Pertimuit tunc Marchionis Granenſis iram Gonzalius, néve ille jam verſo colore, æſtúque incitatus, ac furens ad fœdiora convicia prolaberetur, aulicus, togatúſque libertati, & ingenio viri primarii, atque militis impar obmutuit. Cęterùm ut levioris ſæpè momenti res fortuitò quandoque vel providentiæ divinæ luſu res maximas implicat, hæc privata, & fortuita in conſilio altercatio negotium, quod aliter ſucceſſiſſet, Olivario omninò diſſolvit. Quippè Rex facti conſcius, diſſidiíque propterea cauſam magis, quàm rem conſultã cupidus agnoſcendi ab Oratore Cæſareo poſtulat, verbo quæ ipſe in concilio loco ſententiæ diſſeruiſſet, ſerius ſibimet expendenda de ſcripto propoſita traderet. Paret mandato Granenſis, Réxque ex probatarum rerum contextu, robuſta quadam, acríque copia, & aculeis, nervíſque dicendi cùm prono volveret animo, jam prudentiam, animúmque Reginæ capacem Caſtellæ regiminis ſubeundi, jam non adeò exiguam, ac tenuem occurrere ſpem, debellandum in Catalaunia eſſe, ſi regiæ perſonæ majeſtas, ac fulgor eò propiùs appulſa fuiſſent, Olivarium etiam interdum obliquè perſtrictum, quod ab initio belli Luſitania retracta cenſuerit, vehementiùs, ac primo loco eſſe Regi in Catalauniam allaborandum, nunc autem verſo, pro ejus quæſtu, aut libidine, ſtudio, ita oſtendere ſe in Luſitaniæ domandæ conſiliis, & curis immerſum, ut regni alterius jam pereuntis propè ipſum oblivio ceperit; atque ideò

ideò ita cum ſua non Imperii utilitate, ac ſalute pro rerum omnium temperamento videri Olivarium calculum ponere, his aliíſque tandem convictus Rex argumentis ſeſe, invito, ac palam repugnanre Olivario, ſecundum Granenſis ſententiam Cæſarauguſtam Aragoniæ metropolim contulit.

Cùm igitur ea in urbe Rex Catalauno intendendo bello neceſſaria pararet, otio, deſidia, ac militari licentia labefactatum Luſitanū elangueſcebat; nam inter cætera vitia, quibus ganea, vino, luſtríſque confectus tunc miles ille volutabatur, cupido quoque habendæ pecuniæ potior, quæ ubi ſemel invaſit, nihil ipſa omninò incorruptum in homine præterit, tabis in modum latiſſimè effuſa non militum modo ſed Ducum etiam primorum infecerat animos. Proinde militiæ conturbatis undique officiis, erant ea tempeſtate nunc laſcivientis, nunc debacchantis exercitus curæ, pecunia, aut æqualibus rebus Luſitanas expoſitas merces, aut Indiarum aromata commutare, ſine ordine, ſine imperio, latrocinii, non belli modo incurſantes frequentes ducere prædas, vel ſeſe prædas hoſtium ferro, vel auro fieri, neque illam militiæ peſtem, belliſque ludibria ſedulitate, aut ſupplicio valebat omnino coërcere Garaius, quod gravi tunc eſſet corporis valetudine implicitus, ac ſimul primores Ducum, ut eidem ipſi crimini obnoxii ſua, ac cæterorum militum vitia dignitate, atque exemplo foverent, ac tegerent. Ægriùs propterea inter alios, & admodum paucos culpæ communis exortes Ludovicus Lancaſtrus, de cujus ſplendore generis bellíque peritia diximus, animo gravabatur. Porrò autem aſperiùs, quàm eouſque ſolutum, inſolentémque deceret militem ipſe fruſtra corrigere nititur, quod deſperabat fore Garaïus; inde majorum anteà latentia vulgata quoque flagitia patent, ac notiora illorum exempla non paucos integros etiam corrumpunt; cohibēdis militibus impar Lancaſtrus palam oſtenditur, atque ex eo ſcelere manifeſto, compertáque jam clariùs effrænes, procacéſque compeſcendi milites impotentia non niſi turbarum licentiæ ac laxiores exercitus corruptelæ & ad ſummum Ducem dedecora procedebant. Eo temerè, & gratis ſuſcepto negotio Lancaſtrus Garaïum maximè offendit, querebatúrque in rem odioſam, ac planè ſuperbam ſe ultrò immiſiſſe Lancaſtrum, & quæ refricare faciliùs exercitus vulnera poſſet, quàm lenire, aut mederi. Indignatus ergo Garaïus, ut obliquè Lancaſtrum tanquam aliud animo intendens occultis ſtimulis foderet, illius paulatim officia intervertit, eóque diſſimulando, cauſiſque adornando per contumeliam proceſſit, ut tormētorum Præfecturam Lancaſtri propriam ei ſine auctoritate, ſine uſu, titulo tenus relictam, & contemptibilem tandem fecerit. Inſuetus ea videre, atque ferre Lancaſtrus quà ætatis ardore, quà nobilium virorum impetu ductus abſque commeatu, atque litteris aſſertitiis injunctum à Rege munus ſua ſponte deponens Cæſarauguſtam querelas daturus ad Regem perrexit. Ibi convenit Olivarium, docet eumdem tumultuarii diſceſſus cauſam, ſimul pollutam, everſam in Luſitania, inſanienre milite, diſſimulante Duce, bellicam diſciplinam, ſéque illam acriùs reſtituere nitentem Garaii non modo deſtitutum auxiliis, at inſuper loco favoris, aut præmii contumelia, atque injuria indignè notatum eſſe; falſa ita veris admiſcens cuncta in majus amplificabat, ſtimulo nempè iræ, néve inconſulto inſcióque Duce, & contra morem militiæ profectio, leviori quoque excuſatione accedente, intenderet conrumaciam; certo, ac ſtabili tandem conſilio ad Garaïum non redeundi, pro Catalauno bello ſtipendia, múnuſque militiæ depoſuit;

vetera

vetera exacta merita, recens delatum Garaii crimen, gentilitium ejus nitorem, & gratiam ratus rem ſecus difficilem lenitura. Verumtamen Olivarius, quo minùs ira calentem hominem, & animo fluctuantem accenderet, vel quod indignum ſe duceret rigidè, ac durè virum nobilem alloqui, nullo tunc aſpero facto verbo Lancaſtrum licèt inſtantem, implacido tamen, & quodam nimis ad gravitatem intorto vultu ancipitíque reſponſo dimittit. Egreſſum proinde Lancaſtrum, & plures per dies Regis congreſſum nequicquam petentem, adminiſtróſque prece, & ambitu fatigantem tortuoſo, & callido quodam circuitu ita ludificat Olivarius, ut niſi palam increpitus, aut emendatus ſupplicio, vel temerarius, ac præceps, ac ideò tacitè caſtigatus injuſſus ejus è caſtris diſceſſus reputaretur. Poſtremò inter ſpem metúmque ſollicito, miniſtróſque obeundi frequentia, ac per dubia, & inania illorum reſponſa laſſato, ſimul tædio, ac labore ſatis aulæ per artes punito Lancaſtro, cùm frigefacta jam ira, refractúſque langueret ille primus impetus animi, tunc juſſu Olivarii à Ferdinãdo Contrera primò è ſecretis Con„ ſilii Status reſponſum fuit. Bellicam „ diſciplinam, ac militare inſtitutum „ obedientia, atque obſequio potiſſi„ mum ſtare, cujus ipſum modo Lanca„ ſtrum per eam inſolentem, & con„ tumacem à caſtris diſceſſionem cor„ ruptorem, ac palam reum nec Re„ gis decere ſubire oculos, nec im„ punè dimitti. Igitur rectà ad Ga„ raïum reverteretur, quem mitiùs „ agere ſecum in poſterum jam Regis „ præcepto cautum, nec egregio cui„ quam, ac nobili quidem viro con„ tumeliæ, ac dedecori, fas eſſe, ver„ ti, cùm pro reipublicæ bono, atque „ ordine diſciplinæ minori quoque „ ſubmitteretur, & ſi Garaïum nec re„ gia collata poteſtas ornaret, nec ſublimis militiæ gradus extolleret. “ Pro certo denique haberet, plus ſanè “ reipublicè, ac Regi illicitam ejus à “ ſignis profectionem ne pravæ ſcili- “ cet imitationis contagio, ſi palam “ eam improbare non oſtendiſſet, in “ bellicam diſciplinam influeret, noci- “ turam fuiſſe, quàm quanta ipſe in “ Garaïum, & milites ejus crimina, & “ ſcelera cumulaſſet; quædam enim “ gravia quanquam peccata quaſi fur- “ to, aut latenter commiſſa poſſe ne- “ gari, aut tegi aliquando, aut in alios “ fortaſſe factorum culpam tranſmitti, “ meritíque ſupplicii, quod in officio “ continet homines, excuſationem “ prætexi; quæ vero in propatulo ſint, “ & viros maximè polluant, qui per al- “ tioris honoris gradum, generíſque “ ſplendorem plus ad exemplum in pu- “ blica luce ſpectantibus pateant, ſi in- “ conſulto diſſimulentur, fomiti per ſe “ prono, ac ſatis corruptæ, vitiatæque “ naturæ impunitatis etiam illecebris “ ad prolabendum adjungi. Ita Lan- “ caſtrum ad Luſitaniæ fines regreſſum “ gravi, mitíque ſermone Garaïus reprehendit, eámque illi deinceps amicitiæ ſpeciem exhibuit, qualis redintegrata, ac reſarta eſſe ſolet perpetuis, ac mutuis nempè ſuſpicionibus icta, ac ſemper in lubrico pendens.

Dum hæc geruntur in Hiſpania, quò eodem ferè tempore magis Bregantio fortuna erat in Luſitania propitia, eò magis apud Germanos adverſa in Odoardum fratrem ingraveſcebat: is, ſicut anteà diximus, acri, ac perpetua detentus ibi cuſtodia, cùm abſentium Germanorum officia Principum munuſcula ſimul, ac litteras ſæpiùs acciperet, tum in omnium propè ore, ac deliciis, liberalitate, gratia, & comperta quoque innocentia eſſet, repungere in animo cæpit Hiſpanos, & maximè quod afflueret illi pecunia ſeverioris cujuſque cuſtodiæ victrix, tutóne ille tunc in Germania cuſtodiretur, an tutius

tius

tius fuiſſet in ſolum Hiſpano ſubjectum carcerem commutari. Cum Ferdinando propterea Cæſare per Caſtelli Roderici Marchionem Hiſpanum Viennæ ea tempeſtate legatum agere Hiſpani cœperunt, ut ex Germania Odoardus Mediolanum traduceretur. Ea fortè res intellecta Odoardo, & quia ſpe libertatis abſumpta hoſtium omninò manibus dederetur, & quia ipſi quondam Cæſar fidei pignus obtulerat, nunquam ſe integro illum paſſurum extra Germaniam libertatis expertem ferri, ſupra modum animo virum afflixit, ac perturbavit. Scripſit itaque Cæſari jus gentium Odoardus implorans, fidémque debitam repetens, non id profectò ſacramentum militiæ, tótque apud illum contracta labore bellico merita, tótque exhauſtas difficultates, & pericula propè abſorpta poſcere tandem à Cæſare, ut hoſtibus ille proderet innoxium ſanguinem hauriendum, lacerandáque viſcera, néve diuturnæ aſperrimæque cuſtodiæ unicum modo ſolatium, & ultimam ſpem, & vinculum fidei, quod nunquam à Germania niſi redditus libertati demoveretur, extingui tum privatam, tum publicam fidem frangendo ſineret. Hæc de ſcripto per Odoardum cùm eſſent Cæſari expoſita, ſupra occultos juſtitiæ conatus, ac tacitam vim, quæ in malo quoque pectore ſerpit, in aula præterea Cæſarea intendebat quidam eò ideo miſſus ab Odoardo famulus eloquentia, jure cauſæ ſubnixus, & favore Principum Germanorum id indignè ferentium. Erat etiam Viennæ Cæſaris quidam miniſter ſui Principis gratia clarus, nimiùm in aula potens, & ad omnium rerum arbitrium bonis, & malis artibus nactus opes, cúmque Cæſarei animi affectio nunc inſtabilis, varia, nutúque Hiſpanorũ fermè verſatilis ſit, ex quo ſæpè coguntur miniſtri ejus Hiſpanicis potiùs, quàm Imperialibus commodis inſervire, is à principio, ut Hiſpanis per Cæſarem illis obnoxium aſſentaretur, Luſitano acerrimè adverſabatur. Cæſárque aut genii ſui contractione ſubactus, aut uſu in gratioſi miniſtri conſilio, & Hiſpanorum illecebra adverſus lachrimas Luſitani, Germanorum Principum preces, & hortamenta juris inexorabilis permanebat: at opimis ille deinde Luſitani muneribus oneratus, & à ſententia dejectus contra ubi tendere, ac niti cœpit in diverſam ſubinde ſententiam Cæſarem traxit, jámque dubia, & incerta nunc, quæ rata, atque certa paulò ante conſtiterat, per jactos ubíque rumores agitabatur Odoardi ad Hiſpanos traditio. Quod cùm audiſſet Hiſpanus Orator eò imperioſus, verbíſque minax aſpérque Viennæ miniſtros, & Cæſarem compellavit, ſilendum ſcilicet eſſe legibus, ubi ex adverſo regiminis uſus, & ratio, ſeu cura reipublicæ ſtatus obſtreperent; *Privatos quidem à juribus, at jura à Principibus regi.* Proſpicerent tandem ne indiſſolubilem adhuc utriuſque Coronæ domúſque Auguſtiſſimè nexum hic advena Luſitanus eo tempore adverſo, ea frivola cauſa reſcinderet, privatíque hominis gratia cum maximi Regis indignatione collata iniquo nimis examine propenderet; ut his & ſimilibus argumentis perterritus Cæſar, ac porrò ſententia repentè mutatus planè Odoardum arbitrio Hiſpanorum addixerit. Hiſpanus itaque Orator Auguſtinum Navarrum, prioris quem ſupra executorem cuſtodiæ fuiſſe meminimus Odoardum regio nomine accipere, Regíſque ex præſcripto Italiam verſus iter diſponere jubet. Prima verò hujus parandi itineris cura, atque proviſio fuit, veteres omnes Odoardi pellere famulos, ac novos inducere, ut inimici gratia receptos, Domino infidos; ſecretæ deinde pietatis amovere miniſtrum, quod illum coarguerent Hiſpani, & conſcientiæ Odoardi moderatorem, & omnium ſecretorum

conſiliorum ejus fuiſſe participem, & colendæ maximè auctorem, quæ nimis Hiſpanis ſuſpecta eſſet, Germanis cum Principibus amicitiæ, neque id alienum ab Hiſpanorum moribus, quos ipſi introſpicerent, erat, ſub rudi nempè indumento, ſacríque muneris larva,& cucullis, & infulis ad graviora diſſimulanda, vel cohoneſtanda negotia altiora ſecreta condere; poſtremò ita rem comparare, ut mobilis ſēper ac novus Odoardo ſuccederet famulus, qui nec longa aſſuetudine fidei, nec beneficio, aut merito gratiæ quærere locum apud Dominum poſſet. His rebus ita cōpoſitis, Odoardus ſubinde lectica vectus, & Germanis à Cæſare miſſis equitū, peditúmque ordinibus circunfuſus Navarro Duce ad Italiam pergere inſtituit. Jámque ab arce unde moverat Luſitanus ad Auſtriaci juris Tirolum cum vix comitibus venerat. Hîc alter eſt prætor Cæſareo comes adjunctus, qui ad iter expediendum ab Auſtriaco Principe deſtinatus fortuita re contigit, ut hoc viatoribus intercluderet. Pervetuſta, atque integra adhuc finitimos inter Tirolenſes, ac Rhetos de terminorum diviſione pendebat lis. Princeps quo minus jus ſuū imminueret ſuo Tirolenſi Prætori mandaverat ut Odoardum cum magiſtratus inſignibus ſequeretur uſque ad Pontaltum intra Enguidinam octo ultra leucas, qui cauſa litigii limes inter finitimos erat. Hunc itaque locum ubi prætor attingit ſciſcitatus, à Rheto cur in ſolo alieno auderet prætoriis faſcibus uti, jurgium extemplò, rixámque cum illo commiſit; obſtinatius deinde, ne per id præjudicii in exemplum fortaſſe relati jus, atque cauſa cōmunis aliquando flacceſceret, cùm obſiſterent partes, eo tunc calente diſſidio interruptus eſt trāſitus. Concuſſus, ac valdè indignatus ea improviſa difficultate Navarrus cùm inflectere ſaltem Auſtriaci miniſtrum non „ deſperaret, Non id inquit loci, aut „ conſilii ſui eſſe ſtatuere Principibus „ fines, aut jam ſeneſcētes perfunctoriè „ dirimere lites, ſed bona pace percur- „ rere viam, quæ vinctis cōmunis gen- „ tibus erat, & quam eò uſque euntibus „ intercipere, ne auſi quidem hactenus „ fuerant Auſtriaci nominis fermè ho- „ ſtes. Porrò autem Odoardi poſſeſſio- „ nem à Rege Catholico intentam, ac „ etiam Viennæ ab æmulis oppugnatā, „ & vi, quàm gratia potiùs extortam „ Auſtriaci modo ſanguinis Principem „ per comitatis ſpeciem, & inania liti- „ gia in diſcrimen conjicere. Ea ſurdis „ tamen Hiſpanus cecinerat auribus, nemine illorum è ſuo decedere jure abſque Principis juſſu ſatis animi habente. In eodem igitur loco morari Navarrus coactus ad Principem ſcripſit, ut revocaret ſtatim Prætorem, qui per vanas, & futiles controverſias non ſine magno periculo iter impediebat. Solvit tandem has dubitationes, atque itineris moras data mox à Ludovico Paniza ad Navarrum epiſtola, cujus ſententia erat. Seſe à Comite Zirolenſi Mediolani Gubernatore Odoardii Portugallii cuſtodiæ itineríſque Ducem cum Hiſpanis cohortibus deſtinatum fore illi quamprimùm obviam, ſed alia via ad Valtellinam nempè tendenti, ne per Enguinam forſitan tranſeuntes offenderent. Erat enim Plantarum ibi familia clientela, factione, & opibus potens, & cum hæreſis labe, tum Gallorum favore ſuſpecta. Lætus eo nuncio Navarrus, quo tutò intermiſſum repeteret iter, aliò inde ſtatim deflexit, Malſiúmque tranſgreſſus extremam Tiroli oram in planitie Panizæ occurrit, ubi dimiſſis Germanis ipſe Paniza cum Hiſpanis militibus ſibi ex Zirolenſis mandato Odoardum per iter cuſtodiendum aſſumpſit. Jámque ab externi militis, regioníſque ſuſpectæ cura, & formidine liberati cùm Morbegnum Hiſpani fidentes, & animo alacres attigiſſent parum eo loco nihilominus abfuit, quin per occul-

tas inſidias Odoardus elaberetur. Aderat hic Rethorum nomine Procurator, ac Prætor Joannes Planta cultu hæreticus ipſe, gentilíque propenſione, affectúque addictus maximè Gallis, qui vel captus pecunia, vel ad Gallorum captandam gratiam, cùm præſcius itineris eſſet ſurripere Hiſpanis, etiam violata tranſitus fide, qua erant publicè Rheti Regi Catholico obſtricti, eodem in loco Odoardum ſtatuerat. In altam idcircò diſſimulationem compoſitus Prætor allicere donis Hiſpanos, comitate blanditiis prolixioris benevolentiæ ſpeciem oſtendere, modo officiis cùm illis, modo jocis, & ſalibus uti; Contrà aſpernari Odoardum, ac ſi fortè in illum incideret, obliquos jacere oculos, & ſupercilium altè contrahere. Inumbrante in veſperem die, qui ſolis caníſque flagraverat æſtu, ut longa triſtitia, atque angore depreſſum levaret pauliſper animum Odoardus inter Duces, militéſque cuſtodes per irriguos, amœnóſque illius oræ tramites ducitur, inde ad hoſpitium regreditur, & ſtomachi tunc intemperiem, capitíſq; dolorem cauſatus maturius ille ſeceſſit, & abſque cœna decubuit. Lautè interim Duces in eadem cœnabant domo, cúmque Germanicò more inter plauſus, feſtáſque voces ſæpè numero laceſſita, ac majora ibi pocula verſarentur, tunc Navarrus ſollicita quadam cogitatione, curáque improviſa remorſus atque intimè ictus, & quia talis incuſſæ ſibi moleſtiæ eo tempore cauſa non ſuppetebat, majori quodam horrore perſuſus, ac tacitus inter potus, & fercula hæret. Quid rei ſubitæ eſſet percunctantibus ſociis hic ſive caſu, ſive inſtinctu, afflatúque ſuperiori, quē Deus aut Angelus excitaverit, ſive quid divinantis ſcintillæ luteis jam propè ægritudinibus ſuffocatæ humano quoque ſub pectore lateat, reſpondit effugere ſibi Odoardum, eripíque videri. Ad hæc, quia ſemel exorta illicò ſerpit, ac latè funditur ſuperſtitio, nonnulli etiam eadem, & intus ſuſpicione, metúque perculſi temerè fatebantur. Omnibus igitur qui circunſederant menſam novo ſtupore, ac pavore defixis, & quò evaſura res tandem eſſet ſummo ſilentio, ſumma admiratione expectantibus, tunc Antonii Caſtelli, qui Joannis Plantæ loci Prætoris Vicarius ſimul erat & æmulus, nuncius ad Navarrum accedit, ejúſque in aurem clam inſuſurrat, excubias Odoardo munirent, & vim fraudéſque anteverterent; dolo, & injuria Prætorem graſſari. Tum verò cùm hæc in tempore audita & primo animi impulſui, & ferè improviſo vaticinio congruerent, Paniza, & Navarrus de menſa ſtatim exilientes in Luſitani domicilium incurrunt, ibíque in veſtibulo hærentes cædere januam ſaxis, clamore, ſtrepitu impellere, Odoardum nominatim exclamare. Reſpondet vocantibus Odoardus, tum remiſſo pauliſpet metu, inde Paniza cohortes ſtationarias inviſum, ad ſuum Navarrus domicilium revertit. Quò cùm ſollicitus introïſſet, unum ex famulis videt Navarrus, qui alia manu adoleſcentem quemdam tenebat, nudo alia ferro, torva fronte, atque ira micantibus oculis illi interitum minabatur, ea niſi ſtatim quæ clam ipſi Navarri famulo aperuiſſet, Domino proderet. Multas poſt minas, ac verbera tandem ſæpiùs incuſſa coram Navarro dicere cogit adoleſcentem. Eſſe ſe Plantæ Prætoris ephebum, juſſúmque ab illo ſecretò monere Odoardum, ut quemadmodum inter ipſos convenerat, cùm omnia jam ex ſententia parata eſſent, quàm celerrimè fugam arriperet. Eo verò miſeriæ ac ludibrii ſeſe à fortuna projectum eſſe, ut per errorem loco Odoardi cùm in Navarri famulum incidiſſet, fidem ſecreti caſu, & inſcitia corruperit. Præctereà ſe nihil ſcire. Detectis itaque inſidiis, ephebóque ſtrictiori cuſtodiæ tradito hinc Paniza, hinc Navarrus cùm milites convocaſſent, ingenti fragore, ac tumultu

in Luſitani ſedem irrumpunt. Specie cubantis in lecto jacebat, cùm turmas repentè militum, trucique aſpectu, ac liventibus oculis Duces,& minis, armíſque infeſtos ruere in ſeipſum dejectis foribus aſpicit Luſitanus, ratúſque extremo ſe fato per impetum illum in eodem momento premi vel animæ priùs expiandæ pallorè ſuffuſus, ac triſtior facultatem expoſcit. Mitior exinde Paniza, non eò ſe quidem ad inferendam homini mortē, ſed ad fugam prohibendam cum militibus acceſſiſſe, ne malè præſtita ſcilicet, quæ à ſummo ſibi Duce commiſſa cuſtodia fuerat, in ejuſdem tandem innoxium Panizæ caput revolveretur. Cæterùm vera ſeu falſa illa manaſſent indicia fugæ quominus temerè in dubio res tanti ponderis relinquatur, oculatas in poſterum ipſi Odoardo addendas excubias eſſe. His ita confectis, Ludovicus Paniza adhuc terroris imagine pavidus, anxiúſque reliquos milites congregat, copiíſque diviſis eos partim Odoardi vallare hoſpitium, partim itinere circuire, alios juſſit propinquum antecapere pontem quò ſive fraus, ſive hoſtium fortaſsè vis intercurreret, omninò præcluſus aditus eſſet. Ingraveſcebat enim ſemel exorta ſuſpicio fugæ cujuſdam gregarii quoque militis teſtimonio, qui & ipſe, ſatſus Panizæ fuerat, mediam circiter noctem per forium rimas aſpicientem vidiſſe ſe Luſitanum è cubili ſublatum, lectiſſimas gemmas, quarum ingens ei pretium erat, & copia, in faſciculum ducere tanquam fugæ ſe comparantem. Hæc porrò animorum, & corporum volutatio hominum ſcilicet paſſim vagantium, atque paventium per reliquum noctis milites, atque Duces vehementer ſollicitos tenuit. Ubi illuxit, itérque reſumere Luſitano præceptum eſt, tum is nocturnum ob illum aſſultum, & oneratam quoque cuſtodiam ſibi injuriam illatam eſſe prætendens, hoſpitio priùs abire detrectat, quàm ſatis ipſi per rationem & ſtrepitus cauſam expoſitam fieret. Negat hoc primo Paniza, nec fas aut opus hoc fore cum homine dictitat jam capite diminuto, & qui nec juris ſui eſſet, nec legitimæ poteſtatis, cùm Odoardus deinde propoſiti tenax atque animo exaſperatus, venenum, quod ad caſuum fortuita ſervabat, ſe potiùs hauſturum dixiſſet, quàm loco decedere invitum, & contumeliis affectum, atque eripi ſibi corporis libertatē, ſpiritus minimè poſſe, Paniza tandem Luſitani conſtantia victus, quò planè acceperat ordine, inſidias illi compertas aperit. Audit hæc Odoardus ingentíque ſuſpirio effuſa deniq; voce (Rectè vos, inquit, expletis " ut decet, injuncti muneris partes, at " durior mihi fortuna eſt, quā verti aut " infringi humano conſilio poſſit, imò " licet profectò vobis tanto ſtudio, tāto " labori in meā cuſtodiam collato par- " cere, dum adamantinis equidē vincu- " lis per fati rigorem trahor.) Poſt hæc " intenſiori cura, & cuſtodia munitus viæ reliquum ire pergit. Sed antequam loco diſcederent Ludovicus Paniza, & Auguſtinus Navarrus ob manifeſtè deprehenſas in itinere inſidias coram ſcriba, atque teſtibus Joannem Plantam municipii Prætorem convenerant, illíque palam denunciaverant publicè ab ipſo læſæ pro tranſitu fidei ſupplicium ex jure gentium apud Rhetorum Senatum fore quamprimùm Catholicum Regem repetiturum. Hinc Novum Comum deducitur Odoardus, ubi quanquam Hiſpani juris in loco, ea toties ac fruſtra petita Luſitani cuſtodia, novo tamen periculo minimè caruit. Sic enim ab initio, eorum qui contrà tetenderant, inſidiarum ordo compoſitus erat. Jampridem evulgata Luſitani profectione cùm duæ ad Mediolanum pergerent viæ quarum altera in Enguidinam, in Valtellinam altera flectit, è Plantarum familia

quidam, & ipſe opulentia, pecunia, & partibus valens, utroque itinere circunſeſſo in animo fixerat, ſi per Enguidinam fortaſſe tranſiret in eorum dominio, & clientela Odoardus parata inſidiantibus præda foret; ſi ad Valtellinam iter ſequendo vergeret, loci Prætori mandaverat, ut quemadmodum licuiſſet hàc tranſeuntem ſurripere, aut rapere Luſitanum Hiſpanis annitererentur, ſi hæc in irritum cecidiſſent, cùm plurimi ad rem etiam vi, ſi fraus defeciſſet, urgendam exules, prædonéſque, finitimis nota calamitas per Mediolanenſes, ac Venetos limites magno agmine graſſarentur, iiſdem ingentis, qualis Odoardi perſona erat, pretii rapina propoſita, ut ea potirentur veriſimile quidem eſſet, ipſos remiſsè nihil acturos. Sed Valtellinæ fortè disjectis inſidiis cùm nollet jam ipſe admotæ ſpe fraudis excuſſus in rem violenter, ac palam incumbere Prætor, ſive enim nulla, ſive cruenta ea cum Hiſpanis pugnando victoria fuiſſet, in quocumque rerum eventu ipſe unus apertè injuſtè intercepti tranſitus cauſa ſeipſum ſuppoſuiſſet fidei interpoſitæ reum, cúmque altera via inſidiarum interclusa penitùs eſſet, nefariis tunc Prætor hominibus accerſitis impoſuit, iter, ac tramites inſiderent, qui Novo Como Mediolanum ferebant, ut ita ſeipſo fide exoluto, illi ingentium ſpe præmiorum ſua pericula metirentur. Cæterùm Odoardo jam Novum Comum advecto, poſtquam Paniza reſcivit plenam eſſe latronibus viam, & ſaltus, ac ſilvas inſidiis paſſim inſeſſas, quacumque ipſe cepiſſet iter ex compoſito erumpere intentis, ſatis, ſupérque in eadem urbe munitus conſtitit, novis donec copiis, quas Mediolano frequentes acciverat, aggregatis, inde auctus præſidio Mediolanum contendit, ubi arcis Præfecto Odoardus diligenter cuſtodiendus regio nomine traditur.

Narrationis nunc poſtulat ordo 1634. Olivarii dicere lapſum à gratia Catholici Regis, & quod illum inter alia publica exitia Luſitaniæ præſertim defectio peperit, & quod humanarum rerum mirabile in ipſo, fluidæque Principum gratiæ verſetur exemplum, quæ quò clariora legentibus fiant, de illius genere, cultu, vitæque inſtituto pauca præmittere oportet. Gaſpar Guſmanus Henrico Olivario Comite, & Maria Pimentella genitus Romæ eſt, dum hic Hiſpaniæ Oratorem ageret Pater, eóſque ibi fallaces aulæ ſpiritus hauſit, quibus deinceps imperandi conditione, negotiorum uſu, ejúſque naturæ propenſione mirè coaluit. Ab urbe Roma oratorio poſtquam functus officio eſt in utriuſque Siciliæ adminiſtrationem patrem ipſe ſecutus peregrinis Hiſpanam indolem inſtitutis, ac moribus imbuens, acutum, flexibile, ac docile ſimul ingenium variis ſtudiis, & artibus temperavit. Ab Italia ad Hiſpaniam his amplis honoribus uſus cùm rediiſſet Comes Henricus Gaſparem filium quanquam invitum ad juriſprudentiæ addiſcendam doctrinam Salmanticam miſit. In hoc juvenis exercitio natura cum opere luctabatur quippè, qui longè minùs civili ſcientiæ, interpretúmque cavillis, ac formulis, quàm Politicæ diſciplinæ atque imperantium vacavit arcanis, rapiente illum tacito quodam naturæ impetu ad quod occultè fortuna ſtruebat. Acerba deinde natu maximi fratris mors, cùm ampliſſimæ domus expectatio, ſplendórque in unum Olivarium incumberet à Salmantica ad Regiam juvenem tranſtulit, ubi Duce fortuna, comite induſtria gratiùs ſeſe Hiſpaniarum Principis, & hæredis Imperii ſervitio addixit adhuc Philippo III. ſuperſtite patre, variíſque tunc licet æmulis gratiæ præ alboribus nimis initio pellucidis conflictatus, inconcuſſa nihilominus ipſe ſempérque ſtabili conſtitit apud

apud Principem gratia. Erepto poſtea Philippo Rege, filióque ſubinde Imperii magnitudinem ſubeunte quò emergentis æſtus invidiæ,quæ inter vaga Principatus initia ei qui aſcitius, ac ferè intruſus imperii clavum arripuiſſet, terribilis eſt, cùm artificio, fucóque deluderet Olivarius querelarum ingeſtarum incurſui & publico hominum odio cum ſpecie, ac pompa quadam regiminis Balthaſarum Zunicam objectavit, tanquam hic Politicarum, & militarium, ipſe porrò Olivarius in rerum domeſticarum, ac leviorum curam aſſumptus à Rege foret; at tevera umbratili quodam dominio concertationes, æmulationes, communes queſtus, & aulæ odia, inſeparabile imperii onus geſtabat Zunica, potentiam, & vim alieno labore, ac periculo tectam clam, tutiúſque Olivarius ipſe tenebat. Cæterùm ut ſuopte mortales vitio ita præſentia, ac vetera oderunt, quemadmodum nova, & incognita cupiunt, idcirco averſari ac propter falſam imperii oſtentatam imaginem ſummopere odiſſe jam Zunicam cœperant aulici, & Olivarius tum ſerò quidem intellecto periculo, volubilem nempè Principis gratiam, captatu aſſuetudine facilem eſſe, ac ſocietatem dominationis infidam de illo poſteà, ut propinquius in latere Regis hærente, ac majora affectante, ſuſpicioſus, & animo anxius, qua ratione affligere poſſet, quem idem extulerat, cogitabat. Inter hæc fato intercipitur Zunica, & Olivarius pernicioſum, ac pariter ſtultum inter aulicos eſſe ratus in ſummo potentiæ gratiæque faſtigio ſua ſponte periclitari per inductum æmulum malle, quàm inſanos vulgi rumores, & invidorum loquacitatem deſpicere. ſumotis illico æmulis palam, & ſolus, obnoxio jam Rege, vaſtam Imperii regendam molem ſuſcepit. Hoc maximè modo Olivarius duos, & viginti circiter annos regni, Regíſque potitus arbitrio eſt; & planè cùm nulla inſigni ab Hiſpanis ſuſcepta clade alternis æquaret fortuna ſucceſſibus res, nullo negotio, & odia majorum Olivarius oppreſſit, & æqualium inſidias, & allatrantis quoque populi voces, quas etiam obtrectatores confictis ſæpè fabulis paſcunt. Complures prætereà ſecundum ſpeciem amici, fauſtæ, quos ſortis illecebræ, ac temporis vincula jungunt proſperè agentem hominem adjuvabant. Verſâ poſtremò fortunâ, vertere quoque cœperunt hominum placita, voces, ſententiæ, perinde quaſi alia mens, alius homo curſum regiminis direxiſſet, & jam vitia erant in Olivario, quæ quondam virtutes fuerant: fatalis hujus ſcenæ converſio, & rerum mutandarum initium à Cataluniæ motibus ortum. Hac primò deficiente, regia etiam erga Olivarium fluere paulatim, ac minui quotidie benevolentia cœpit, vetúſque deſerere ſenſim ipſum audacia, atque ille animi priſtinus vigor, & ſpiritus, æmulos autem ex pervetuſto ejuſdem viri dominio, faſtúque inſitus timor, pudórque. Incaluere deinde communia hominum odia, queſtúſque Luſitanæ defectionis additamento, tótque Imperii ſeſe prementes eodem prope tempore clades gravem apud Regem ſuſpicionem conflaverant, judicióne an animi inertia potiuſquam ſorte in publico miniſterio, atque arbitrio delinqueret Olivarius, & utrum infelicis, inepti, ſive nefarii mutatio miniſtri ſpei aliquid videretur afferre eo jam uſque collapſas Hiſpanici Imperii res omninò, aut ex parte fore quandoque reſtituendas. In humani tandem judicii, ac Regum maximè lance, cùm multò plus fortuna momenti, quàm ratio hominíſque conſilium, ut quiſquam mereri negotiorum curam, & fidem valeat, ut plurimum teneat, ſecum Rex ipſe pro rerum eventibus ſtatuit, regimine,ac Regia Olivarium primo quoque tempore

 exigere

exigere; ſpecioſam tamen ad rem comminiſci, vel ultrò per tempus occurrere cauſam deſiderabat, ne fortè Olivarius, ut publicè reus acceptarum Hiſpaniæ cladium expulſus, reprehenſionem, & quaſi crimen in ipſum reflecteret Regem, qui tandiù illarum auctorem ad Imperii perniciem, & contra publicas querimonias ſuſtinuiſſet. Eſt alia quoque in Principibus ſaltem Hiſpanis ſatis nobis comperta animi affectio, rerúmque proviſio, longis occulta nempè conſilia quaſi cuniculis ducere, ut vera effectus intenti cauſa, quæ in cordis receſſibus latet, minimè appareat. Hinc ſæpè numero illuſos, atque deceptos aliorum ſe oratione videri malunt, aut inſulſos, aut perperam ſentientes quàm quidquam, quod intus reconditum habeant, reſponſionis verbis effluere. Cæterùm & ſi ad rem hanc maturandam haud Regi infrequentes occaſiones inciderent; Olivario tamen ab officio pellendo obſtabat inveterata gratia, quæ ſolidas adeò radices in ejus animo fixerat, ut quanquam Philippus evellere cuperet, ægrè ſe ipſe vincere, ac frangere poſſet. Regiam enim exiſtimationem, & reverentiam non minus ſibi Olivarius integritatis, juſtitiæ, religionis impenſiùs jactato in negotiis ardore pepererat, quàm aſſidua vigilia, labore, atque ſtudio pro Imperii adminiſtratione ſuſceptis, effuſam Regis benevolentiam. His verecundiæ, & amoris validioribus quidem gratiæ firmandæ apud homines nexibus accedebat, ſecundum fortunæ gradum humanas plerumque affectiones intendi, acuíque atque in ſumma fortuna qualis eſt Regum ſummam concipere vim, impetúmque ex quo revera contingit aut perrarò, aut vehementer amare reges, & cùm pudor inhæſerit, eo potiſſimùm tangi. Addebatur peculiari quoque Philippi Regis ingenio obſcurior, ſuíſque ipſa involuta conſiliis, atque implicita mens, tum imminutus ac debilis animus ex ſe ipſo explicari, enitíque inſufficiens etiam in minoris momenti rebus. Iniquum prætereà ea tempeſtate cenſebat Rex, cùm de Olivarii ſibi ruina deliberandum eſſet, quando ſuo ipſe diffideret, alieno conſilio uti, quod planè ipſe ſciret, ob gratiæ amplioris invidiam, conſuetáſque in moderandis reipublicæ rebus offenſiones inimicos in illum aſtare multos, æmulos ferè omnes. Hiſce curis luctantem Regem fortè Regina interſpexit, etiam ipſa jampridem cum ſtomacho, & ira potentatus imparitatem, atque ſuperbiam imperioſi, petulantíſque natura æmuli dedignata, cùm verò præſentit labare jam Olivarium, atque omninò æmuli deturbandi faventiore opportunum conatibus tempus, optimo quidem conſilio extremæ illius ruinæ miniſtram elegit Margaritam Sabaudiam. Erat hæc enim cognata Regis, Olivario vehementer offenſa, ut mulier, ut Princeps avida nimium vindictæ, quod Luſitanæ defectionis rea ipſa apud Regem ab illo immeritò conſtituta, atque ideò tunc ſpecie extorris in Ocaniæ relicta ſeceſſu, ſpreta ibi, deſerta mulier in ſolitudine teneretur, ne eſſet ei locus coram Rege aliquando purgare ſe, aut illo ſqualore, & anguſtia ac perpetua ægritudine animi accelerata fortaſsè Principis mors ut omnes tandem Olivarii ſuſpiciones, & odia convelleret. Itaque clam Regina Margaritam per litteras monuit, jam nutare, ac peſſum ire quotidie quoque videri in Regis opinione, atque gratia Olivarium, ſi paululum ſimul annitereſtur, nec factu difficilè fore, in illum jam præcipitio pendentem, omníque prorſus deſtitutum auxilio impulſum ſimul addentes miſerabili caſu injurias tum publicas, tum privatas ulciſci. Summa proinde cautione, ac ſilentio feſtinaret ad aulam iter. Apud Regem nunc mitiorem, ac præter morem tractabilem injuſſi, improviſíque diſceſſus

diſceſſus cauſæ patrocinium ſe ſuſceptu-ram. Ad ea læta, atque alacris Margarita ſub noctis dimidium vulgari, ignotóque ſubvecta curru citato curſu ab Ocania digreditur. Ejuſdem oppidi Præſes, qui abeuntem fortaſſe ibi ſiſtere Principem, ejúſque intereà ſecreta, actionéſque rimari, ac revelare Olivario juſſus jampridem fuerat, duabus poſt horis eam repentinam profectionem intelligit. Proinde quærere, ambire, volvere in oppido omnia, mittere ſtatim, qui euntis veſtigia tenerent, vel obſervarent, ſed cùm ei ampliùs non licuiſſet juris ſui terminos jam prætergreſſam remorari, vel aſſequi Principem per tabellarium curſorem rem Olivario denunciat. Is tum improviſo audito caſu perculſus, ac territus, & cumulantium, prementiúmque ſe ſe malorum cogitatione confuſus, ac trepidus, quídve potiſſimum evitaret, & magna inter mala ſeligeret anxius, ubi in arcto ſibi rem eſſe, & proclivem fortunam ſuam, & æmulos omnes arrectos, conſtipatóſque videt, non id temporis eſſe ratus, aut Margaritam in via detinere, aut à Regia venientem excludere, fremens idcircò frendénſque ira, victricè tandem paſſus eſt illam accedere ad aulam, ea tamen verborum aſperitate, ac tumido ſupercilio Margaritam, cùm Regiam ingrederetur, excepit, ut æquè ſuæ ac alterius conditionis oblitus nimis ipſe iracundè, ac valdè intemperanter obſtreperet. Aſſiduò apud Regem deinde clandeſtinæ diſceſſionis carpere contumaciam, inſectari ſuperbiam Sabaudiæ, ut ille gratis ajebat, ingenitam indoli, lacerare conviciis, ac probris, facem, peſtémque ſæpè dicere Luſitaniæ, cujus porrò vecordia fœminæque ſtultitia florentiſſimum regnum illud exarſerit. Hæc apud aulicos, hæc apud Regem, ac proceres, hæc in Status quoque Senatu propè concionabundus Olivarius ſæpè repetere, non tam ira in præſenti, aut ultionis ardore commotus, quàm cautione ac tutela pro ea quæ ab illa jure recideret, formidine præmunitus, quò fœminæ ſcilicet ut graviter læſæ, ut iratæ, ut ultricis furore ſeſe per convicia, & maledicta jactantis, cùm acerrimè in ipſum invecta eſſet, auctoritatem, ac fidem infringeret. Quod enim merito ſuo virtus, nonnunquam, & dolo conſequitur ars, ut in auctorem quoque retorta vera incidant maledicta. In eo maximè tamen ſuas ipſe omnes collegerat artes, ac prope ingenium Olivarius expreſſerat, ut Margaritam quanquam ad hoc efficacius, & ſua Reginæque cura, & ſolertia tendentem, à ſecreto colloquio Regis arceret. Mœſtum ſemel, & anxiorem ſolito in publicis curis Olivarius Regem offendit, jocari cum Rege cùm idem hoc tempore conſueviſſet, tunc velut per jocum illabi ſibi curavit. Caveret utique Rex, ne triſtis, ac niger ille ſuffuſus viſceribus humor cum atra Sabaudiæ bili commiſceretur. Aliàs & ſeriò cùm ſermo incidiſſet, ſollicitiùs monebat Regem, quid ſua; quid ſui Imperii regiminis intereſſet, iniquè tum oppugnatam, & quodammodo afflictam miniſtrorum auctoritatem tueri, ac reverentiam officii, cùm nequiores, ineptioréſque quaſi ex tuto videantur in aula extra injuriæ periculum degere, meliores perpetuò acriori appetantur invidia, pugnámque perennem exerceant, iiſq; livore fortè dejectis ad indignos, vel fatuos hæc regni ornamenta, & moderamẽ prudentiæ, & rerum omnium arbitrium venturum, atque inde imperii exterminium futurum. Eodem ille conſilio ejuſdem uxorem quæ Reginæ tunc erat cubicularia, Margaritæ Principis aditus, exitus, tempora, geſta explorare, ac veſtigiis hærere juſſerat, ne unquam mulieri facultas eſſet Regem ſine arbitris convenire. Diutius eo aſtu, ac ſolertia utraque ex parte

certatum eſt, inter Regis pudorem, & Principis Margaritæ modeſtiam ſuperante Olivaria. Vicit tandem Reginæ vim fortius in rem intendentis auctoritas, quæ porrò ſecretum Regis cum Margarita colloquium popoſcit alacriter ipſa, & impetravit à Rege, contrà nequicquam moliente, ac teluctante Olivaria; hora enim præſtituta colloquio, rei tanquam inſcia, & comis, & falſa obſequii velamine audebat ingreſſuram ad Regem perſequi Principem. At Reginæ interpoſitæ imperio, minacique deterrita vultu mulier turbata, ac cinereo propè colore ſuffuſa in januæ limine ejecta ſubſtitit. Igitur Margarita Sabaudia cùm ultrà ſexum ingenium induſtria, atque aulæ conſuetudine excultum, tum ſua ingenita luce, negotiis, atque periculis expolitum haberet, hæc ferme ſola apud Regem eloquitur.

„ Eſurie, quæ malorum ultimum
„ eſt, ad Regiam, ad tuos ego proje-
„ cta pedes, Domine accedo. Impro-
„ viſum, ac ferè tumultuarium meum
„ iſtum, ſed coactum tamen ad aulam
„ acceſſum, equidem nolim ſuper ea,
„ quæ mihi errores, & crimina paſſim
„ objiciuntur, augere apud te mali-
„ tiam, & cumulum. Immanes, ac
„ feras belluas, quanquam luce, &
„ conſortio abhorrentes ex caveis, ca-
„ tulorúmque cubilibus inediæ ſtimu-
„ lus famelicas agit, vitam meam, quæ
„ nec inutilior quidem, nec vilior eſt
„ ſi ab Ocaniæ ſeceſſu, ſeu luctuoſa
„ potiùs cuſtodia famis quoque mor-
„ ſibus laniandam, te non jubente, Oli-
„ vario certè adverſante ſubduxerim,
„ ita ſceleri omninò ero in hoc in faci-
„ nore obnoxia, ut etiam in aliis pro-
„ miſcuè arguor. Cæterùm rea ego
„ fuerim necne, dubitari fortaſsè po-
„ terit, culpæ tamen ſqualorem, igno-
„ miniam, ac pœnas abſque ullo du-
„ bio per tot animi angores, coacerva-
„ táſque longè miſerias patior, & quod
planè in hac cauſa multò magis ini- “
quum, & impium eſt, priùs oppreſ- “
ſa, quàm citata, priùs damnata, quàm “
audita, contra bene meritam Prin- “
cipem, & Auſtriaci ſanguinis ſobo- “
lem inverſo judicii ordine dirum “
rerum humanarum exemplum præ- “
beo. Nonnihil porrò decerpam ex “
longa mearum calamitatum Iliade, “
ne explicatiùs ſingula dicens obtun- “
dam. A penatibus meis, & dome- “
ſtico imperio inflatis quondam pro- “
miſſis avulſa, Luſitanóque quan- “
quam invita regimini impoſita, non “
regere ibi vel imperare, ſed Marchio- “
nis Populenſis ſuperbiæ, atque fa- “
ſtui, ſed Vaſconcelli teterrimo genio “
ſervire, ambórúmque inter ſe diſcor- “
dibus ſtudiis media ipſa raptari, at- “
que diſtrahi non minus laborioſè co- “
acta, quàm contumelioſè, quàm tur- “
piter ſum, quæque imperium in Lu- “
ſitania, jubente te Rege, quæſieram, “
ſervitutem acerbam experta ſum. “
Poſt Luſitaniæ defectionem à mini- “
ſtrorum ego meorum emerſa ludi- “
briis in Ducis Bregantiæ, & victri- “
cium ejuſdem partium inſolentiam, “
& iras impegi; in tantáque rerum “
converſione, ac tumultu nihil aliud “
agere mecum viſa fortuna eſt, quàm “
tortores mihi mutaſſe; à cuſtodiæ “
namque ſeveritate, ab excubantium “
moleſtiis, ab arido victu, eóque la- “
chrimis macerato, à carcere, & pro- “
pè vinculis meæ me dignitatis, ac “
generis ſplendor nec vindicavit in- “
ſontem, nec barbaræ quidquam in “
me aſperitatis remiſit. Multa ibi ſu- “
ſtuli, multa voravi; In hoc uno for- “
taſsè Bregantius oſtentare ſe Regem “
ratus, quod ſe meliorem affligeret. “
Porrò cùm inde ad Caſtellam rever- “
ſa eſſem Bregantio ne humaniùs, aut “
mitiùs me Olivarii arrogantia tra- “
ctavit. Vetera quidem, nec ex juſta “
ulla cauſa ſed livore duntaxat ma- “
nantia odia, violentiùs, cùm erum- “

pere

„ pere fortè liceat, incumbunt. Præ-
„ tereà cùm flectere ſemel, ac ruere ap-
„ petita cujuſque probitas cœpit, effli-
„ ctim eliditur. Hoc volente, hoc
„ imperante ex longo ſanè intervallo
„ captæ ſimilis ego, ac velut belli, &
„ certa Olivarii furoris præda in cir-
„ cunſcripto, & anguſto Ocaniæ limi-
„ te vixi. Hinc ira in hoc loco, ani-
„ mi ſollicitudo, turbatio, deteriorum
„ etiam malorum metus, ac propemo-
„ dum deſperatio, infeſtorum affec-
„ tuum omnium inteſtina pugna ac
„ tumultus, illinc fames, rerum ino-
„ pia, rigor exilii, ac libertatis adſtri-
„ ctio integrum annum fœminam Prin-
„ cipem divexarunt, & animi an corpo-
„ ris magis, cùm hæc duplex preſſura
„ eſſet, perpetuis laboribus, & crucia-
„ tibus angeretur, incertam; ex qui-
„ bus ſola fortaſsè anima velut feſſo,
„ laceratóque miſeriis corpore deſti-
„ tuta ſibi aliquem tandem exitum in-
„ veniſſet, niſi alimentorum inopia,
„ quæ arces etiam invincibiles prodit,
„ expugnata quoque patientia mea,
„ nunc victam me tibi, ac ſeminecem
„ tradidiſſet. Igitur hîc modò fœmi-
„ nam habes ſimilitudine fortè ream,
„ exactúmque tali de rea ſupplicium,
„ & eò duriùs, eò atrociùs quia inimi-
„ cus ejus exactor, ac Judex eſt, &
„ quia lenta morte peremptæ, ac per
„ ſtillicidia prope conſumptæ ſuppli-
„ cium crudelius, ac longius eſt. Ve-
„ rùm, quid in te rogo tanto ſuppli-
„ cio dignum peccavi Rex? num frau-
„ de? num injuria fortunæ? num opi-
„ nionis errore lapſa ego ad deſciſcen-
„ dum compuli Luſitaniam? Haud
„ equidem in hoc crimine refellendo,
„ vulgari, atque omnibus obvio illo
„ argumento utar, ſtudium ſcilicet fi-
„ dem, ſollicitudinem meam in regi-
„ mine laudem, fortunam accuſem.
„ Cur enim de fortuna merito querar
„ ego, quam nec conſilio, nec ratio-
„ ne, nec ullo prorſus ad regni admi-

niſtrationem negotio aliquo modo “
experiendi mihi, attentandi permiſſa “
poteſtas eſt. Inter Marchionem Po- “
pulenſem, & Vaſconcellum ſcenæ “
ibi tantummodò, ac pompæ Guber- “
natricis inſerviens, vacua proptereà “
deriſa, atque inutilis mulier ab initio “
gubernationis ſedebam. Duo homi- “
nes iſti ſpes, atque vota Olivarii ina- “
niſſimè inſlantes, totum regiminis “
orbem circumferebant. Ultrò citró- “
que ut ab illis relata, aut conſulta, ut “
Olivario decreta ſententiarum ora- “
cula commeabant, mihi tanquam “
inerti, deſpectæ, otioſæque mulieri, “
& quodammodò infidæ recondita. “
Proinde ſine auctoritate, ſine ope, ſine “
conſilio rerum omnium prorſus igna- “
ræ, & inimicorum propè ludibrio, “
& contumeliæ projectæ fœminæ tot “
inter æſtus, fluctúſque ſe mox im- “
merſuræ reipublicæ nihil profectò “
agere, nihil cavere conceſſum fuit. “
Id tamen excidii quod ipſa prævidi “
& antevertere minimè potui, & cu- “
jus excidii cauſa in Bregantium, oc- “
caſio referri in Olivarium debet, “
utroque in præſenti cum ſuis opibus “
integro, altero ſcilicet Rege, alte- “
ro ſpecie Regis, & utroque Tyranno “
equidem totum hoc innoxio capite “
mulier excepi. Atqui ipſa rem præmo- “
nere, increpare, debueram, & niſi vin- “
dicis, niſi imperâtis, nobilioribus mé- “
que dignis excluſa curis ſaltem in re- “
gno ſpeculatricis munere fungi: planè “
ſubmittere ſe, dare injurias reipubli- “
cæ, & quoquo pacto juvare pericli- “
tantem oportet. Et me id utique fa- “
ctitaſſe, ut plurima neceſſaria ſcitú- “
que digna quo nempè rerum ſub- “
tractis tibi notitiis, uſúque pruden- “
tiæ carentem faciliùs circunducant, “
& fallant, fortaſsè te Regem latet. “
Quid porrò cùm me inconſulta, & “
Olivario ſuadente arma, & pecunias “
Bregantio, viam ſcilicet concupito “
parando regno dediſti; cum Luſitano “
ad

,, ad Catalauniam tranſvecto repentè
,, milite, enervatæ ſpoliatæque præſi-
,, dio arces ſua etiam ſponte incitatos
,, ad defectionem cives alliciebant,
,, cùm clandeſtinos cætus, ac nefariæ
,, conjurationis inditia didiceram ab
,, extraneis, mei enim, tuíque ſe mihi
,, miniſtri tum credere nefas arbitra-
,, bantur, nonne accuratiùs Olivario
,, cuncta reſcripſi, orientis, increſcen-
,, tíſque conjurationis ſpiritus, nervos
,, momenta quæque notando, conju-
,, rationíſque partes, ac Duces? Ve-
,, rùm, quem operæ meæ fructum ego
,, retuli Olivario? Ambigua ſanè reſ-
,, ponſa, contortáque verba, ſenſus
,, obliquos, obſcuros, velut ancipiti
,, latos oraculo, atque ita porrò ubi me
,, bene meritam, atque in laude &
,, amore poſitam cogitabam, eſſe rur-
,, ſus iriſam, ac ſpretam gravius in-
,, dolui. Cæterùm juſtus hic dolor
,, num me obmuteſcere poſteà? num
,, connivere, aut indormire periculis,
,, aut extrema præterire remedia coë-
,, gir? Certum, & ratum apud aulicos
,, omnes eſt, pernicioſius omninò eſſe
,, primum miniſtrum, quàm Regem
,, offendere; Rex quippè læſus per il-
,, lum molliri, flectíque, miniſter, ut
,, regia tumidus gratia, atque aſſen-
,, tantium corruptus illecebris ferè à
,, nemine poteſt; ſimul qui ſua indu-
,, ſtria, & ingenio alienos tractare ani-
,, mos callet, quo in artificio ſummus
,, miniſter excellit, ipſe plerumque in-
,, tractabilis eſt. Prætereà cùm ultionis
,, vis, & aculeus in homine ex digni-
,, tatis menſura, virtutíſque incremen-
,, to decreſcat, tantúmque ſubeat Re-
,, gis conditio quantum declinet pri-
,, vati, plures invidia, artibúſque mi-
,, niſtri, quàm ira, vel odio Regis inter
,, ſubditos pereuntes agnovimus, epi-
,, ſtolas tamen, fluctuantis, quæ regni
,, motum, & habitum declararent, ego
,, multas ſubinde tibi commiſi Rex
,, quas Olivarius ſuperbè rejecerat, ex

eo quanquam ſcirem in Olivarii of- “
fenſionem incurrere, quippè qui ad “
te coram vel ſcripto abſque ejus per- “
miſſu adiri pro crimine ducit. Ve- “
rumtamen nihil per te mihi reſpon- “
ſum eſt, & aliunde Olivarii ingraveſ- “
centibus odiis, quia tibi ipſa placere “
per ejus iracundiam quæſierim, in- “
gratæ inaníſque ſollicitudinis imme- “
ritas modo pœnas exolvo. Omnia “
igitur auſa, atque paſſadum Luſitaniæ “
aſſidebam, ut hunc rerum avertere “
turbinem poſſem cùm nihil ampliùs “
præſidii, aut ſpei humanæ reliquum “
cernerem, ipſámque irreparabilis re- “
gni ruinæ ut ſpectatricem in fœdo “
ſpectaculo deſtinatam, quod ulti- “
mum erat deſtitutæ, abjectæ, mul- “
tíſque doloribus fractæ mulieri ſuſpi- “
riis, ac lachrimis Luſitaniam fato, “
vel hominum culpa ruentem, ac de- “
flagrantem conſequi cæpi; tamquam “
multis, ac tandiù jactata procellis, “
atque periculis meo tandem capite “
didici cùm potiſſimùm inter homi- “
nes mulier opinionis, & famæ, quæ “
curſus errore humana pleraque tra- “
hit, detrimento laboret, ad eam gu- “
bernantem niſi integerrimæ fidei mi- “
niſtri, tum in agendo mirè concor- “
des acceſſerint, inevitabile quidem “
Imperii, quod temperaret, futurum “
exitium. Nihil profectò abſurdum, “
nihil à fide alienum loquor. Impera “
quæſo Rex tua vel Olivarii ſecreta “
ſcrinia recludi, litterulæ meæ quaſi “
innumeræ in illis reperientur aut ſitu “
ſemeſæ, aut penitus laceræ, aut con- “
tagii ſuſpectis ſimiles cum intacto “
adhuc ſigno in acervos conjectæ. “
Unde hæc tanta animi elatio, atque “
immenſa in Olivario fiducia eſt? un- “
de hæc effuſior contemptio mei? Res “
à me malè propoſitas ſpernere, ſecus “
admittere potuiſſet; apud ſuperbas, “
ſurdáſque aures non propriæ, nec “
alienæ prudentiæ, non pœnæ, ſeu “
præmii merito locus eſt ullus. Vel “

omnia

„ omnia ſcire, & audire, niſi exequi „ omnia, qui gubernaculo ſedet, oportet. At ille tuo periculo peccat Rex, „ túque infelix, ac perditus propè aliena ſtultitia verſaris, cúmque tu illi „ per traditas temerè opes, & imaginem regni poteſtatem peccandi facias, tot cumulatis Imperii cladibus tua ſimul, & Olivarii peccata „ ſuis. Quod ad me attinet, dum juſſu tuo Luſitaniæ inani cum titulo, „ ac falſo nomine præfui, quantum „ mihi per tempus, inſolentéſque miniſtros licuit, diligenter, ac ſtudiosè „ me munere meo defunctam exiſtimo; ſi ultra Olivarius, ut ſolet, procaciter adverſetur, placeat, utrumque jure altercari; audiántque Judices Margaritam Sabaudiam contra „ Olivarii injurias, & odia, legum ſubſidium implorantem; ſin tibi idipſum quoque dedecere videtur, ita „ me, ut vides, aula denique extorrem, egentem, circunfuſam ærumnis inter ludibria Olivarii, & contumelioſas populi voces deſerere, „ non minus, Rex, tibi, quàm mihi quidem deforme communi judicio fuerit.

Poſtquam Margarita diſſeruit, ſtudio Rex priùs, ac fide Principis collaudatis, ejuſq; libatis breviter meritis poſtremò ſubjecit, poſſe, quæ quæſta adhuc brevitet eſſet crudelitati fortunæ, quæ excutere ſæpius benè meritos ſoleat, attribui, de cætero ſe curaturum, eam, ut par eſſet, obſervari, colíque, ac diverſis officiis ante acta rependi. De Olivario nihil adjecit, verùm contracta mœrore frons, ac diſcolor vultus, & in terram defixi oculi aliquid altiùs in pectore tunc volutantis clariora, ſed triſtia quædam promebant inditia. Fuit hæc prima, atque intimè impreſſa in Olivarium labes; amiſſo deinde pudore, ac regia jam aure manifeſtis, aſſiduíſque inſectationibus rrita, nudum in poſterum ille latus æmulis appetendum expoſuit. Notum idipſum Reginæ, cumque ipſa Regina gratia, atque admiratione virtutis ex eo multum apud Regem increbuiſſet, quod Cæſaraugustæ moram habente Rege pro Catalauno juvando bello ſummo labore, ſummo ſtudio, pretioſioribus quoque ſuæ gazæ copiis oppignoratis abundè inopiam ærarii in magno rerum diſcrimine expleverit, eámque recentibus meritis partam cùm inhærentem de ſe opinionem in animo Regis ſatis nunc exploratam haberet mulier, porrò ipſa liberiùs, atque explicatiùs oſtendere cœpit Regi, quibus eo tempore vitiis corpus regiminis laboraret, quid validum, quídve infirmum per Imperii amplitudinem foret, quædam etiam aperiebat in regiminis diſciplina Olivarii artibus Regem latentia, quibus ſua ille, ſuorúmque clientium commoda reipublicæ videbatur, & utiles etiam honeſtis rationibus anteferre, eáque tum omnia tam ſolerter proviſa, tam cautè prolata, tam acutè reſponſa cùm aliquid Regem interrogaſſe, contigerat, ex induſtria Regina Olivarii nomen declinans inſtillabat auditui Regis, ut luctuoſi potiùs viderentur illum eventus, ac temeraria damnare conſilia, quæ detrahendi ſanè formula acutior eſt, quàm inſectantis æmulæ verba. Ad ea tunc audienda majori quotidie quaſi ſtupore defixo, pronóque animo, & auribus Rege, quò iniquiùs & ipſe anteà ejuſdem ingentes fœminæ dotes neglexerat. Dum ita per aſtus Regina contra Olivarium Regem impellit, ex parte altera Comes Caſtrillius, qui Reginæ Caſtellam propter Regis abſentiam adminiſtranti ejuſdem Regis mandato adeò egregiam contulerat operam, ut futuræ ex eo ille magnitudinis ſemina jecerit, Reginæ inſtinctu, morúque cùm Regem aggreſſus eſſet in hunc prope modum derexit illi jam ſibi comperta, uſúque ab ipſo in eo negotio tractata

tractata,nec brevis quidem medelæ rei-
publicæ vulnera.
„ Imperiorum omnium mutationes,
„ & clades utplurimùm omnes perne-
„ ceſſariam, aut ſtultam ærarii profu-
„ ſionem, & vaſtitatem inferri, quæ
„ deficit enim, ac neceſſariò ad rem
„ impendenda pecunia eſt, dum erui
„ per ſcelera, aut ſubditorum lanienam
„ incumbitur, inde queſtus, & publi-
„ ca fluere odia, turbulentíſque occa-
„ ſioníque prehendendæ paratis homi-
„ nibus cuncta paſſim turbandi,ac miſ-
„ cendi quæſitam anſam offerri; præ-
„ terquam quod venis, ac nervis rei-
„ publicæ inciſis, aut illo ſenſim ex-
„ preſſo, qui pecunia dicitur, ſangui-
„ ne, ſi ex Politico corpore multum
„ exhauſeris, id primò in deliquium, ſi
„ totum, mox certè in exitium iturum,
„ ac tabem eſt. In hac autem ærarii cu-
„ randi utiliſſima ratione gravius ſe ab
„ Olivario eſſe, aut negligentia, aut
„ inſcitia peccatum hactenus compe-
„ riſſe; nam præter Conſiliariorum
„ conventus qui communibus curis ad-
„ dicti in hac Curia duodecim nume-
„ rantur, quique annus cumulatis ſti-
„ pendiis nimis & ipſi multi ſine regu-
„ la, ſine modo regiis opibus ſignantur,
„ ut ſupplementa priorum extra ordi-
„ nem alios adjeciſſe Olivarium qui
„ Senatus legitimi propria ad ſe nego-
„ tia excutienda trahentes dum alie-
„ nas exonerant, aut præ numero, ac
„ turba potiùs implicant curas,penſio-
„ nibus quoque in rem moleſtam, &
„ irritam geminatis onerare, ac pre-
„ mere magis ærarium, arcanúmque
„ negotiorum, quod eſt reipublicæ
„ ſacramentum tot per hominum ora,
„ vocéſque diffuſum faciliùs labefa-
„ ctari. Huc etiam accedere Olivarii
„ ab ingenio, ut indigentiæ ſubſidium,
„ profectam corruptelâ pecuniæ, adul-
„ terino, & injuſto ei ſuppoſito pre-
„ tio, quando nihil hac peſte gravius,
„ nihil pernicioſius peſſum, aut venum

Hiſpaniam dederit; argento enim, "
& auro quorum turgidæ quondam, "
nunc adſtrictæ, ac propemodum va- "
cuæ in Hiſpania venæ reliquæ ſint, "
ab externis ademptis, falſóque in- "
troducto metallo, quo novam con- "
flarent, veterémque pecuniam aufer- "
rent, ſic opulentam provinciam, ſco- "
riæ jam ſordibus ſibi relictis ad alie- "
nas, & quod eſt pejus, ſæpè ad ho- "
ſticas regiones metallorum ſplendo- "
res, & opes cumulatiùs effundere. "
Præterea tum optimates, tum merca- "
tores volubili, ac vario pecuniæ pre- "
tio, quòd demit, augétque libido, "
incerta egeſtate, incertíſque divitiis "
in fortunarum ſuarum orbe, tan- "
quam ludo verſari; plagam numma- "
tis infligi, nobilium, divitúmque rui- "
nis pauperes obrui. Neminem quo- "
que ignorare, ex quo Hiſpanam re- "
gendam, aut potiùs rem conflictan- "
dam ſibi ſumpſerit Olivarius per "
tributorum congeſtas moles, ac pro- "
pè direptionem, ac prædas Imperii "
auri permulta collecta talenta, & ta- "
men æs alienum à Rege contractum "
eò per inopiam creviſſe, ut poſthac "
contribuere, cùm Rex eguiſſet, relu- "
ctantibus publicanis, ideóque re mi- "
litari deſtituta ſubſidiis, re domeſti- "
ca ornamentis, & copiis,perſona, ip- "
ſa, domóque regia orbata decore, "
cultúque tantæ fortunæ pari, æquè "
nunc Regem, ac ſubditum egeſtas, "
& ſqualor afficiat. Novum ac ma- "
gnificum ædificium quod boni ſe- "
ceſſus appellant, ídque immodico "
ſumptu,atque egenorum everſis opi- "
bus auctore Olivario, excitatum alio "
fortaſsè tempore futurum fuiſſe Re- "
gum illecebris opportunum, nunc "
verò ubi omnia premit inopia, & "
majora quoque promittit belli vis, "
ac diuturnitas mala, ex fletu, ſudore, "
atque gemitibus pauperum ſuperva- "
caneas delicias, ac voluptates quæ- "
rere, nihil utique minus, quàm Ty- "
rannidem

„ rannidem ſapere, cui & bonũ Regem „ obnoxium, ac notam palam inuſtam „ alterius ingenio eſſe. Ulterius etiã ſi„ ve mortalium invidiam, ſive leves, ut „ ſolēt, populi voces excurrere, execra„ rique Olivarium, quod ipſum reſpi„ ciant theſauris publicis incubantem, „ inſidiantémque & omnia Imperii ju„ ra, atque commoda nundinantem, ſi„ quidem tãtum egere quotidie videa„ tur ærarium, quantum privata domus „ ejus affluere. Quod modò verum, „ an ſecus fuerit quo forte pacto im„ pollutos minoris notæ miniſtros, ac „ manus integras habituros, ſi rapaciſſi„ mas primus dicatur, aut in ſuſpicio„ nem veniat habere? His rebus & ad„ di vocabulo gratiæ, ac mercedis, quæ „ bene de Rege meritis conferuntur, „ Olivarii nimis profuſas, ac temera„ rias profectò largitiones, quóſque „ magna ex parte, & commodiùs fas „ eſſet Catholico Regi loco præmii, & „ aculeo virtutis pecuniæ parcendo „ honorificis titulis exornare, cuncta „ his inconſultò per ærarium exolvi. „ Idcircò multis injuſtè, & crudeliter „ rapi, aut latrocinii more ſubduci, „ quod gratiæ paucorum impertire„ tur, Regémque paulatim extenua„ tum aliena etiam cogi intervertere „ bona ut pinguiores pauci ejus rapi„ nis, & opibus fiant. Cæterùm mini„ ſtrorum omnium errores, ac vitia „ cùm adhuc Imperii latitudo, viréſque „ immenſæ ſuſtineant, Regem ipſum, „ dum Cæſarauguſtæ commoraretur „ expertum eſſe, quod uxor ejus Re„ gina vel ærarii fragmenta, iiſdem„ que miniſtris ereptas prædarum re„ liquias legendo, ea quidem pro Lu„ ſitano, & Catalauno juvando bello „ contulerit, quæ nec florentiſſimo „ regno paraverit Olivarius. Præter „ hæc autem fenebre, ac vetus in re„ publica malum, tum publicas, tum „ privatas exedere opes, cujus & vo„ racem corrigi queſtum, & prædandi quoddam genus immenſum è republica tolli, exterńiſque præſertim auferri hominibus expedire ne in fœdã prolapſus inopiam decoxiſſe tandem Rex videatur, néve ad Italiam ſeu aliò terrarum per fœneratores avecta pecunia, ea ut hactenus contigiſſet ne dum evacuetur, ſed etiam oppugnetur Hiſpania. Revocandum eſſe præterea antiquum Hiſpaniæ morem per temporarias nempe numorum collationes, & conſtituta per intervalla ſtipendia, non fixa per vectigalia, ac perpetua tributa imperare ſubditis Regem, quæ opus in belli ſubſidium eſſent, cùm circunſcriptæ, atque exiguæ vectigalium radices ſint, nec menſuram excedere aut numerum poſſint, hiſque brevi tempore abſumptis, Regis etiam areſcant opes, utque ea ſubtracta publicanis utilitas in populo maneat. Poſtremò uſque ad copiam, uſúmque pecuniæ cùm ex ea quaſi animata, atque concreta reſpublica ſpiritum ducat, ejus propterea incolumitas ſtatus ferè plus Oeconomica, quàm in arte Politica ſit, quantum Politica Olivarius excellat tot calamitoſos dicere caſus, & communium, & privatarum interitus rerum, de arte Oeconomica ſeu regiæ opulentiæ cura ipſum Caſtrillium conſtanter aſſerere, nihil omninò ſcire Olivarium, ac diſcere quoque ſuperbiſſimè dedignari. "

Hæc & ſimilia cùm Regi Caſtrillius locutus eſſet, omiſſis de induſtria Politicis inſtitutis, ea ſolum aperuit Regi, quorum reddere rationem ob munus à ſe auſpiciis Reginæ, juſſúque Regis exercitum videbatur. Providerat quippe ille quantum ægrè in animo affecto cæca videre cupiditas poteſt, acerrima, quibus exarſerat, deſideria, in Olivarii nempè dejecti ſubſtitui ſe locum ſolertiſſimè premere, cùm illa inſuper inflammarent, & ampla Reginæ promiſſa, & nota erga ipſum

O Regis

Regis benevolentia, & nonnihil præ-tereà ſpei quæ falsò, ut poſteà exitus docuit, eo tempore interlucebat. Rex autem more ſuo obſtruſus, & rigidam quandam gravitatem affectans, tanquam regiæ majeſtati detraheret, ſi citiùs aliquid emanaret, quod in pectore coqueret, adhuc tenax ſecreti Caſtrillio reſpondit. Pergratam ipſi fuiſſe quàm egregiè ſe abſente navaſſet reipublicæ operam, ærarii verò ſe detrimenta reficere ſuo tempore curaturum. Nunciat hæc ſtatim Reginæ Caſtrillius quæ quo dexterior afflabat in rem incumbentibus ſpes, eò ſollicitior, ne fortè alienata Philippi Regis voluntas Olivarii ſuſpectis inſidiis, & artibus mutaretur, néve in illo curſu rerum improſpero Olivarii conſilio, aut fortuna felicis quid exitus interlapſi verteret omnia, idcircò negotium accelerabat. Monuit ergo Regina ſubinde Oratorem Cæſareum Marchionem ea tempeſtate Granenſem, magno tunc animo, & alacri, ut idem promiſerat, contra Olivarium inſurgeret. Ad hæc facto, & maturato opus eſſe, ne res cùm temporibus inclinaret, ne propter rerum viciſſitudines elaberetur occaſio. Inveteratæ gravéſque, ut anteà tetigimus, ſimultates inter Cæſareum Oratorem, & Olivarium intercedebant, quibus jampridem ſua ſponte Cæſareus incitatus Orator in ejuſdem Reginæ, ut Olivario maximè adverſæ infeſtéque conceſſerat partes. Alebat, intendebátque præcipuè hanc mutuam variiſque de cauſis exortam, ac multis poſt accidentibus auctam inter ipſos invidiam, offenſionúmque materiem, ratio itidem miniſterii, quod pro Cæſare Marchio Granenſis in aula Catholica obibat. Cùm enim Catholicum Regem, ac Cæſarem cognationis, perpetui fœderis ac reverentiæ nexus indiſſolubilis in charitate, atque fide conjungat, ideóque clam ſæpè ambo inter ſe animos, ſtudia, conſilia communicent Principes, inde ſequitur primos utriuſque aulæ Principiſque miniſtros, quos privatos populatiter nuncupant, ad gratiæ tutelam, rerúmque ſervandum arbitrium parem afficere metum ex utroque Principe incuſſum, ut idoneo unoquoque apud alterum inſtrumento contrahendi, ampliandi, extinguendi acquiſitam privatis gratiam, cùm ſeſe per occulta inſinuare monita vellent; porrò obſequium ex metu oritur, & obſervantiæ ſpecies, ſimul dubia, falláxque fides, æqualia fingere ſatis in homine ſpes, metúſve ſuevit, cum ambitionis orbe jactatur: utérque proptereà privatus utríque Principis nimis officioſus illecebrarum, ac fictionum omnium aucupio mereri in ſpeciem benevolentiam, captare fidem laborat. Attamen Olivarius cùm eſſet animo elatior, & cuipiam aſſurgere impatienti, quo ſe maximè illæſum, ac tutum ex Cæſaris parte præſtaret, unúſque liberè ipſe imperaret ſui principis genio, ex compoſito inter utrumque Principem quaſi diſſenſionum, ac diffidentiæ ſemina jaciebat, confovebátque multo labore, ac ſolertia poſtremò aſſecutus plura dum Cæſaris poſtulata ſubdolè ipſe per Regem vana, atque irrita redderet, omninò inter eos tepefacere amorem, ac ſenſim fiduciam minuere, iiſque fallaciis, ac dolis eò uſque Olivarius invaluit, ut fractus animo Cæſar, Regi per omnia diffiſus, æmulóque ſubjectus, in quo ſibi faveri à Catholico Rege vellet, prius Olivarium, quàm ipſum Regem pudibundus adiret. Præter has rationes ad privata Olivarii conſilia cauſáſque ſpectantes intererat etiam vetus illa æmulatio, altiúſque adverſus Germanos Hiſpanis invidiæ radix infixa, ex priſco nempè connubio, quod gentem Auſtriacam in externum dominium invexit, Hiſpanis proceribus indignantibus,

quod

quod olim omiſſo, ſpretóque Hiſpanæ nobilitatis faſtigio ex Germania Rex in Hiſpaniam quæſitus ſit, Germanis, quod amicitiæ argumenta, & cariora pignora fidei per odium, atque contemptum iidem Hiſpani ſuperbè corrumperent. Hinc pervetuſtæ, & communis offenſionis initium, quam & privatis de cauſis Olivarius hoc tempore intendit. Itaque Cæſar cùm gravius Olivario ſuccenſus occaſionem ſedulò quæreret longè ſibi moleſtum, atque imparem æmulum deturbandi, jam per Granenſem Oratorem edoctus lapſui hominem proximum declinare, ac fluere quotidie in animo Regis, factúque facillimum fore perlevi quocumque librato ictu ſternere titubantem, hujuſmodi epiſtolã ſcripſit Catholico Regi. *Cùm inſeparabilis, & planè adeò una Cæſarei, Hiſpanique Imperii fortuna, & rerum conditio ſit, ut ſimul creſcere, ſimul decreſcere, vel quod Numen avertat, utrumque ſimul perire, ac funditus tolli neceſſe ſit, cum periculo etiam offenſionis cogi ſe tandẽ commonefacere Regem, ut animo volutaret cujus ſive ſortis, ſive pravitate conſilii ceciderit Luſitania, ad Gallos Catalaunia diſceſſerit, reliqua quoque regna in fide, & officio labaſcant, celebriſque ac tot per ſæcula florens Hiſpaniæ militiæ laus, & magnitudo geſtarum rerum jam ſeneſcere incipiat, atque interitum comminari, compertóque poſtremò tantarum auctore calamitatum, majorum ſuorum exemplo utrumque Imperium unius capite vindicet. Cætera Granenſis ore auditurum.* Hujus ſententiæ litteræ priuſquam Regi Catholico redderentur, cùm viſæ, approbatæq; Reginæ eſſent, Oratórque ſermonis per illam articulis, quibus Regem nomine Cæſaris compellaret, inſtructus eſſet, ita in ejuſdem colloquio dicitur contrà Olivarium invectus.
„ Nullam quidem externo ſibi, alieniſ-
„ que negotiis, curiſque diſtricto cum
„ Olivario odiorum, aut peculiaris cer-
„ taminis cauſam eſſe, & ſi qua privatim
fortaſſis accepta ipſum repungeret “
contumelia, quarũ affatim liceat apud “
ſuperbum, & aſperum hominem ſuſ- “
picari; Granenſem tamen aciem huc- “
uſque, atque arma profeſſum, & pluri- “
ma ſecum belli decora, & ornamenta “
geſtantem, minimè lingua, quæ iner- “
tium, atque imbecillium tutela eſt, ſed “
gladii acumine, & acie decere ſolvere “
injuriam. Prætereà non eo obſcuro ſe “
loco ortum, nec ruſticis adeò moribus “
inſtitutũ, ut ſi ira exarderet, non ſup- “
puderet etiam bilis ſordibus fuſis, ſto- “
machíq; intemperie regias reſpergere “
aures. Juſſa tantummodò Cæſaris effe- “
cturũ, eodem ſe Rege annuente ejus “
aſpectui, & colloquio dediſſe, quorum “
in eo ſumma præſcripta eſſet, patere “
ſcilicet Regi, quæ in obeũda reipubli- “
cæ cura trãſverſa, atque errata regimi- “
nis nec admodum pauca notentur in “
Olivario, & quibus niſi citiùs ſubveni- “
retur, poſt binas Hiſpanorum regno- “
rum clades, inſtare periculum, ne totũ “
concuſſum jam undique Imperium “
convelleretur. Et primùm quidem eſſe “
Olivarium acerrimè reprehẽdendum “
quod pace, aut induciis ſublatis rectè “
intermiſſum in Belgio bellum redin- “
tegrare voluerit, nemo quanquam niſi “
inſipiens & palam ſtultus vel juſtum “
bellum cum pace iniqua mutare ma- “
lit, vanúmque ac turgidum hominem “
ſibi in animum induxiſſe, jam afflictæ “
laceratæque reipublicæ conſumptis “
prope viribus debellare, quos ne Phi- “
lippus quidem ſecundus regni efflo- “
rentibus, ſimúlque annitentibus opi- “
bus fregerit; tum etiam longinquam, “
ac diſſitam eam regionem ærarii vora- “
ginem quamdam ſepulturam Imperii “
tam cruento, tam ſumptuoſo tenere “
bello, quàm in pace quoque dimitte- “
re, & à reliquo Imperii corpore ſegre- “
gare, quod expediat Hiſpanis, nec ab- “
ſurdè pleróſque cenſere. Huc accede- “
re amentem quemdam, & furioſum “
militiæ gerendæ morem, belli Oliva- “

rius dum ſe magiſtrum, & arbitrum jactat, qui nunquam militiam attigerit, ſimul conſilia, atque juſſa militibus ſtatuit, quæ in longinqua locorum, ac temporum ſpatia ad effectum recipi debeant, cúmque ſæpiſſimè in bello ita fortuna pro agendarum rerum ordine variet, ut rata paulò anteà conſilia, actiones, motúſque hominũ in acie ipſa, inter arma corrigere oporteat, illius feris, inverſiſque conſiliis, & juſſis, res interdum perditas eſſe, ac meliores opportunitates corruptas. Quid etiam dicendum de magiſtratuum collatione, in quibus prudenter impertiendis, quippe qui & oculi, & Imperii manus eſſe dicanrur, totius regiminis moles innititur? Conſtare profectò per bonorum injuriam, neglecto merito, ad Olivarii utilitatem, & gratiam adeò impudenter officiorum, & munerum cumulos circumferri, ut illius amicitia unicus pateat honoribus aditus, inimicitia, aut levi interpoſita quoque ſuſpicione ſit omnibus intercluſio. Idcircò magnis crebrò exercitibus, claſſibúſque præfectos penitus belli, reíque nauticæ rudes; curam etiam regnorum juvenibus ſæpè commiſſam præ ætatis ludibrio, regiminis imperitia, vitióque naturæ in æſtu, atque ardore juventæ ad pravas cupidines pronæ ſibi non minùs, quàm reipublicæ metuẽdis, aliis quoque nobilibus viris, ſed egentibus ære alieno obſtrictis, aut inhiantibus avaritia, ut parata ægrè affectis peccantibúſq; provincia inextinguibilem ferè ſitim, aut domum inanem ærarii, vel expilatis pauperum bonis expleret. Hunc autem ſeu voluntatis, ſeu intellectus errorem dicas, adeo Olivario familiarem in quibuſdam fortaſsè excuſabilem, aut minus pernicioſum, in Duce verò Bregantio prorſus intolerabilem, ac planè miſerrimũ extitiſſe; illi ſiquidem regnum omnium opinione affectanti, tanquam hoc, ut faciliùs aſſequi poſſet, & imperiũ armorum, & ærarii arbitrium conceſſerit, quémque abripere Luſitaniæ, atque in extremo aliquo Hiſpaniæ aut Italiæ opus eſſet angulo ſtatim includere, ut cum Duce Calabriæ egerat quondam Rex Ferdinandus, exẽplúmque deinde ad Motteſumæ gentem Mexicani Imperii reliquias tranſiit, arma illi in manibus, pecuniam in ſacculis, incendio eſcam appoſuiſſe, quæ auctoritate, & pecunia publica armatus contra ipſum denique Regem converteret. Ex tam fœda ergo, atque corrupta regiminis diſciplina, quid mirum? duo intra Hiſpaniam tam facilè amiſſa regna, tot in Belgio, tot in Inſubria, & apud Indias etiam propugnacula ablata, munitas ſimul exciſas urbes, integras regiones avulſas, ac perditas eſſe, in utroque pariter mari pluſquam ducentas naves aut prælio victas, aut tempeſtatibus laceratas, ſaxíſque conjectas eſſe; cæteras ſponte deficere urbes, aut in ſe fluctuare, aut ab hoſtibus vinci; terreſtres, ac navales ſimul obtritas in bello copias; nihil ratione, & conſilio, omnia animi ardore, atque impetu agi ſeu teterrimo ſtudio; ruere, flagrare omnia circa Olivarium utpotè cuncta ad exitium pro libidine commiſcentem. Super hæc premere etiam Imperium pravum, & aliud Olivarii inſtitutum in ſingulis ſcilicet regiminis partibus conferendis, quoniã ab Hiſpanis ſimultatum, & invidiæ certaminis cauſa jure multúmque ſibi metueret, fidere nimiùm externis, diffidere propriis, & præterquam quod alienigenæ fidem ut plurimùm nundinariam, & fluxam habeant, eóſque gratis gentilibus anteferre rectè pars quædam Tyrãnidis à Politicis cenſeatur, quàm ſæpè contingere, ut externi hominis militari, ſeu domeſtico imperio reluctentur indigenæ, quapropter ſi advena felix, ac probus in miniſterio commiſſo fuerit, ipſius invidere felicitati

„ felicitati ſin autem improbus, mi-
„ nus ejuſdem ſufferre vitia, magis
„ contemnere imperia; proinde recto-
„ re, ac perperàm quoque rectis alio
„ alii ſuſpectis, inviſis, & ore atque
„ opere mutuò inſectantibus ſe, tumul-
„ tuſque cientibus, jura, & officia con-
„ fundi, rempublicam ſcindi. His ad-
„ dendam, & aliam politicam rationem
„ Hiſpanis olim ſuo temperamento ſa-
„ lubrem, nunc autem ſtultitia Oliva-
„ rii, ut ea intemperanter utentis, in
„ Imperii labem, & maculam admo-
„ dum vitiatam ac noxiam, multò vi-
„ delicet magis promittere, atque ina-
„ nibus verbis offerre, quàm poſſe re-
„ vera præſtare, ſeu velle, ſpeique fu-
„ gacis oblectamento, vel fraudibus
„ captos, vel ſaltem ancipites animo
„ continere Principes in obſequio, in-
„ gentibus quippe promiſſis, & quæ
„ ærarii menſuram & opes, & fidem
„ nonnunquam excedant, euſque
„ clientes, ac Principes oneraſſe Oli-
„ varium, ut arte deluſa, jam pateat
„ fraus, promiſſa vincula officii ſordeſ-
„ cant, nihilque ſatis jam credant in-
„ tegra ſibi fide pollicitum Principes,
„ quod non ore momorderint; Ad
„ hæc ſchedularum tenore mercedis,
„ aut præmii loco datarum, cùm ne-
„ quicquam repetant Principes, quod
„ ampliſſimè ſibi promiſſum fuerat,
„ poſcendo, inſtandóque denique fati-
„ gatos, irriſos, imò & exhauſtos ſe ſen-
„ tientes, tantúmque propè dum pete-
„ rent eos eſſe ſumptibus imminutos
„ quantum ope creviſſent, ſi id exe-
„ giſſent, quod non exegerint, acer-
„ biora colligere odia, unde amor non
„ rectè quæſitus fuerat. Queri etiam,
„ & graviter Principes quod ſub Ora-
„ torum ſuorum perſona contumelio-
„ sè, nimiſque ipſi ſuperbè tranctentur
„ ab Olivario, nimirum in diem ex
„ die quà prolatatis moleſtè colloquiis,
„ quà inſolentia verborum, & per fal-
„ laces implicatis ambages oraculi mo-

re reſponſis, ac planè irritis, cùm ve- “
riùs benevolos eos, atque gratos in “
primis Procuratores, & Oratores ha- “
bere conduceret, dum iiſdem ſtudiis “
Principes imbuantur, quibus affecti “
Oratores in eoſdem per litteras in- “
fluunt. Quod ſi placeat ulteriùs ar- “
cana Imperii attrectare, ſatis huc uſ- “
que compertum eſſe, veteres leges ac “
diſciplinas quibus adhuc Hiſpanum “
Imperium ſteterit, in ejuſdem per- “
niciem ferè omnes per Olivarium “
reſciſſas eſſe, atque illam idcircò Hiſ- “
paniam quæ antiquis tenendis, tuen- “
diſque moribus duriot à rebus no- “
vandis ſemper abhorruit, nihil am- “
pliùs ſub Olivarii ductu quàm no- “
vitatibus ſtuduiſſe. Duo hæc potiſ- “
ſimùm à Ferdinando Catholico Re- “
ge tradita, à Carolo Cæſare ſtabilita, “
& nunquam à cæteris poſteà Regibus “
interrupta inſtituta videlicet ſum- “
mum Pontificem, atque Cæſarem “
revereri, eorúmque expiſcari, ac fo- “
vere pro viribus gratiam niri, ut Itali- “
cæ ditionis ab alio, Belgii, & Inſu- “
briæ ab alio ſecuritas per utriuſque “
propinquitatem, & validas opes ami- “
citia, ac fœdere teneretur, ita obſer- “
vaſſe Olivarium, ut ferè nullum in “
præſens Hiſpania Pontificem nume- “
ro Urbano magis infeſtum, Cæſa- “
rémque imperturbabilis amor, Au- “
guſtæque duntaxat familiæ commu- “
nio adverſus multas offenſiones in “
ſocietate, ac fide retineat. Horum “
omnium errorum ex infecta tan- “
quam radice, alia porrò in Imperii “
ruinam innumera prope capita pul- “
lulare, cùm alia ex aliis pravitates, “
& vitia, ut virtutes ex virtutibus pro- “
fluant. Sed illud quidem haud mino- “
ris eſſe momenti, quod regiam dire- “
ctè perſonam vulnerat, perpetuis ſci- “
licet ipſam ineſcare blanditiis, & “
amatoriis voluptatibus paſcere, quo “
levioribus curis adſtrictus, res tempe- “
rare pertæſus Rex, plane Olivario ſe “

O 3 totum

totum addiceret. Quod ſi hujuſmodi veneficia Philippi IV. acerrima mens cum ſumma virtute, atque conſtantia diſcutere potuiſſet. At intereſſe Principem filium eò uſque ætatis quanquam adultæ fraude Olivarii aſſueſcere vitis prohibitum, egregiámque animi indolem, atque gratiam inter fœmineas illecebras corrumpentem; idque profectò per quaſdam occultas, & eò atrociores, quò blandiores inſidias petere caput ipſum Imperii, ac longè plus ex prudentium omnium opinione affligere Hiſpaniam, quàm clandeſtina conſilia, miniſtrorum proditiones, clades exercitus, provinciarum everſiones; quippe cùm tota ſalus à capite pendeat, hoc depravato, hoc lue venenorum imbuto, læſóque nihil intactum, & integrum à communi contagio in reipublicæ partibus ſupereſſe. Nec aliunde ſanè hoc tam capitale, atque exectabile malum niſi ex primario introducto miniſtro, quem vulgò privatum, ut itidem Olivarium appellant, in Hiſpanam rempublicam irrepſiſſe, quo negligente Rege, jam prope torpente, otioſo, irretito deliciis humanarum pro monſtro rerum Regi, regnóque imperitet ſubditus. Hinc procerum, miniſtrorúmque diſſidia uni ut majori invidentium, ut impuro indignantium, pérque calcatum Regem,& omnia proſtrata regni illum deprimere cupientium. Hinc privati iracundiam, & niſi ſe ſuſtentare cum Rege poſſet, Rege ſe exoneratum ad ambitionem, ultionémque replendam in regnum ſolum invadere. Hinc tandem inverſo regiminis clavo omnia fluctus, & gurgites abſorbere. Quem præterea mortalium cupiditati ſatis poſſe frænorum injicere, ut ſine uſu, ſine rerum notitia Rege, ſine populi ſtudio, marcido prope ſitu, & Imperii quaſi cladibus oſcitante is qui plus valeat, aut propior faſtigio ſit adeò injuriæ opportunum, imbecillum, caducum non aſpiret ad regnum? Induere profectò in terris videri Regem Divini Numinis ſimulacrum, quod omnia intra Orbem impellens, trahénſque & ipſum à Nemine impulſum, tectúmve altiori mente cauſatum attemperat motus, nexúſque committit, & rerum ordinem moderatur; atque verè ita illum in Orbe regnare, qui immotus,ac fixus ſuo ipſe circumagere arbitrio, juſſúque cæteros porrò miniſtros, non collegas Imperii, ſubditóſque conſpicitur. Hoc planè cùm ad regiam auctoritatem, ac ſupremi nominis decus, tum ad regnorum etiam utilitatem magnopere pertinere; nam quo ex tempore Hiſpania in privatorum poteſtatem offenderit vergere ſenſim ipſam, lentéque devolvi quibuſdam potentiæ quaſi gradibus occæpiſſe; nunc verò præ Olivarii temeritate, atque inſcitia ut malis antiquis feſſam, ut recentibus circunfuſam eo præcipitem volvi, ut, niſi hæc cauſa malorum, hæc cauſa publici exitii, hæc fax funeſtiſſima Imperii quamprimùm ſummoveatur, ampliſſimæ quondam gloriæ opibúſque Provinciæ ſummis, excidium, & vaſtitas finem factura proximè ſint. Talia ſe juſſu Cæſaris, ut fidem epiſtola faciebat pro ſui ingenii mediocritate Regi Catholico explicuiſſe; ſummum ſe tamen Regis judicium, mentémque ſublimem in ſuis quoque receſſibus latitantem venerabundum in limine colere, ipſúmque Regem pro ſua ſapientia, atque peritia meliùs, quod optimum factu reipublicæ ſit proviſurum.

Hæc & ſimilia Granenſem loquentem, ſubtriſti, aut nimis ſevero, graviqúe ſed æquabili ſemper vultu cùm Rex Catholicus tenuiſſet, ſubjecit tandem. Perbene amoris, & gratiæ vicem ſibi rependere Cæſarem, quæque

utrique in eo negotio expedirent, ſuo tempore expoſiturum. His igitur ſic per Reginam tantorum virorum autoritate, & conſilio firmatis, res porrò accidit, & parva ipſa dictu, ſed pro artificioſo, aut incidentium, aut conſultarum rerum contextu major. Ad Regiæ ſacellum diebus feſtis ex more Regem euntem oſtentationis, cultúſque cauſa concomitari magnates ſolent. Nondum Olivario ad ſummum rerum arbitrium, & libertatem, ut poſteà accidiſſet, evecto, nec adeò inſolenti jactatione potentiæ, & plenioris gratiæ Regis inflato eò frequentes illi coibant, rati poſteà, ac difficiles, quia Olivario palam offenſi, & quia conſultò, ſed cautè odia, quæ in animo illis contra Olivarium, jam inſoleſcere incipientem, ebulliebant, vellent in re tam publica declarare. Retrò inde verſa fortuna, atque in regiæ culmine gratiæ trepidè tunc hærente, ac propè pendente Olivario, eò uſque imminutum conſuetum erga Regem comitatus obſequium eſt, ut ſolemni Chriſti die natalitio, vacuis magnatum in ſacello ſubſelliis unus duntaxat Sanctæ Columbæ Comes Regi Catholico aſſiſtere viſus eſſet, idque à nobilibus eodem tempore ſtudioſiùs, quòd opportunum urgendo æmulo videretur, in Regia in Status Senatu, in exitu Regis in publicum obſervatum, ita, ut idem Rex mirabundus Ludovicum Arum qui tunc ſecundum, Principem poſteà, ejecto Olivario locum in gratia Regis obtinuit, ſemel interrogaſſet, quæ tantæ alienationis ab ipſo procerum, tantæque tunc circa ipſum ſolitudinis cauſa eſſet? Arus cùm nactus occaſionem libenter eſſet, velut Regis imperio ſatisfacturus veterem æmulum vellicandi, communes, & graves in cauſa eſſe reſpondit ab Olivario incuſſos abundè timores, & rigidas omnibus minas cur intima vota oprimates, & clara fidei argumenta prementes cum dolore, ac triſtitia Regis conſpectum fugerent, quo ſcilicet minùs argutas, & acres Olivarii ſuſpiciones intenderent, pétque ejuſdem valdè ſubtiles cognitas artes, in quo magis ſe vellent gratificari, ne eidem fortaſsè Principi diſplicerent. Sic aulæ per jocum, ubi tabibus erat animus inimicum maximè offendere ſibimetipſis ab illo cavere jactabant. Quæ, ut perfunctoriè prolata ſerena fronte, ſed pectore anxius excipiebat Rex, alias ex aliis rationes, cauſáſque quotidie nectens quibus propoſitum maturaret. Aliud deinde, acriúſque commentum, ab inimicis excogitatum, quo fortiùs in Olivarium inſidiarum moles urgeret. Larvati quidam homines noctu in urbe Segobia Prætoris in ædes irrumpunt. Hic eos fures eſſe, ejúſque bona direptum nocte intempeſta concurrere falsò ratus, de honore multo plus, atque fama, quàm de fortunis, aut vita pavidus, anxiúſque ſupellectilis, aſſervatæque pecuniæ ſua ſponte claves inter ædium tumultum hominibus offert, ſalutem ſupplex tantummodò petit, inviolatam uxorem, & filiæ unicæ pudicitiam, ac florem virgineum intactum. Eorum tum unus haud quaquam nefarios ſeſe latrones, aut maleficos homines eſſe retulit, neque auri, neque alieni profligandi pudoris eò ſe cupidos acceſſiſſe; verum ad ard um & perutile Regis negotium conficiendum, cujus impigrè geſti meriti, ſi dicto fideliter paruiſſet, ipſum quoque Prætorem cùm magna laude, atque præmio participem fore. Secundum hæc verba clauſas quaſdam, obſignatáſque Prætori literas tradunt cum mandatis, ut eas inſcio Olivario quàm citò deponat in manibus Regis, gladiúſque ſæpè cervici, ſæpè jugulo admotis, in ipſius, totiúſque familiæ caput ruituras interminantur fidei corruptæ pœnas, nec priùs inde abſcedunt, quàm Prætor equum conſcendit, & aulam Catholicam verſus

ſus celeriter iter inſtituit. Evectus ad aulam Prætor Regem confeſtim adit, ſui adventus cauſam,perſonatarum hominum ſcenam, horridas minas, & capitalia mandata docet, porrectíſque clam Olivario litteris è veſtigio Segobiam revertur. Cæterùm, ut maximè inepta,atque obcœcata ſemper humana malitia eſt, ſimul ne totum Orbem ſuis venenis immiſceat æternæ mentis conſilio, nunquam vel raró circunſpectæ prudentiæ comes, parum profectò abfuit quin hujuſmodi, ut multo livore, atque felle reſperſæ litteræ in regiæ eo tempore gratiæ, atque potentiæ ſummo Olivarium labantem, ac propè cadentem ſiſterent. Illæ quippè litteræ auctoris, abſque ullo ſigno, & inſcriptione ſolita nominis velut per inſidias, & caliginem loquebantur. Fracta igitur verecundia, pravóque ſoluto ſtudio, invidia ibi, turpis ambitio, effera odia, iræ ſpumantis illuvies, cæteræque malæ cohærentes artes, dum vitia, & peccata Olivarii impudenter aperiebāt, ſuā quoque inſitam turpitudinē denudabant, & Rex, cui delicatæ molléſque aures ſtomachatus tam putido ſtylo, & nauſea quadam animi affectus inde clarius mente percepit, non merita quidem, non errores judicii, non reipublicæ detrimenta, ſed potentiæ regiæque gratiæ fulgorem, ac ſpeciem Olivarium allidere, tótque paſſim in illum æmulos concitare. Quidni hoc etiam fore de aliis, aliiſque viciſſim, qui in ejuſdem ejecti loco ſubrogarentur? Omnes ergo magnates vel imperii pari Olivario conceſſo gradu ſimul participes ſecum habendos, vel eoſdem inquietos, ſeditioſos, res novas, & procellas, ac tempeſtates reipublicæ molientes, vel exoptantes, perinde quaſi ejuſmodi ab illis in ſpeciem intenti tumultuoſi prope regiminis forma, & gubernantium in turba confuſio, nec uſu foret aſperior, nec majora reipublicæ detrimenta, ac pericula cumularet. Criminatrix enim & cæca illa Regi reddita epiſtola præterquā quod in modo loquendi effusè procax, ac petulans erat, quamplura Olivario affingebat, ex triviis, & hominum circulis, atque inſulſa collecta populi voce, quæ omninò eſſe falſa, aut mendaciis, & artibus picta noverat Rex, quædam etiam lividè interpretata, atque ex longe diverſis producta conſiliis, quæ adverſa fortuna, & ſi rectè media delecta eſſent, iniquè torſiſſet, alia in majus aucta, ſimúlque congeſta, & quæ propè oculis notarentur invidiæ ſignata morſibus; cúmque ita paſſim impelli, urgeríque Olivarium ab æmulis conſtitiſſet, Rex tamen cùm pauliſper animo fluctuaſſet, perſtitit tandem immobilis in prima tacitè lata de Olivario ſententia; quippè qui deliberati, fixíque in re animi, clariora ſatis indicia præbuerat,unde ipſe inconſtantiæ, mobiliſque judicii ſibi certè acceſſuram timebat notam, quam ita execrari auſtero ſuo more, gravitatíſque tenendæ ſtudio videntur Hiſpani, tanquam in tanta varietate, & volventium ambitu rerum, quibus aptanda conſilia ſunt, pars prudentiæ nunquam cenſeri mutatio ſententiæ poſſet; deinde quod celſæ, erectæque mentis miniſtrum, & ſubdolum, atque ultionis ingenio præcipitem, jam rei, quæ in ipſum ſecretò caleret, dubium, eámque indignè, ac moleſtè ferentem, ſi ulterius in faſtigio ſuſtineretur, minùs de cætero fidum, & contumeliæ quoque vindicē metuebat. Præterà & ſi in moribus,vita,cultúque Olivarii erant,& quæ amorē,& quæ odia ſimul mererētRegis, in ea tamen virtutū, & vitiorum admiſta indole, ea tunc illuſtriora patebant Regi quæ odioſæ affectionis expreſſa notis, ac diſtincta penè coloribus eminebant, poſtremò quia Reges qui ſolutum, & liberum rerum omnium arbitrium ob ſuperbiam atque faſtidium quaſi apici innatum vehementer affectant

ctant, alieno etiam hoc alligari conſilio, atque ab alio, eóque minori cum imperio pendere, ac ſubmittere ſe, & ſibi quàm ſæpè, & humanæ imbecillitati, & neceſſario quoque felici quanquam miniſtro naturæ vitio ſubiraſcuntur. Hæc & talia volvendo Rex quamvis lectarum epiſtolarum nequitia, & ſqualore commotus mutandæ opinionis incertus ac medius paulìſper fuiſſet, eo animi tandem compoſito æſtu ſuſceptam ſemel ſententiam in mente retinuit.

Hos æmulorum contra Olivarium conatus ſequitur alius à Regina confictus, qui oppugnatum undique inſidiis, ac prope labentem illum omninò proſtravit. Erat in Regia fœmina quædam, nutrix olim Philippi Regis, ad id miniſterii favore, & opera Lermani Ducis admiſſa. Anna Guevara, hoc mulieri nomen, ejuſdem Ducis Florente gratia, cùm regiis in ædibus moraretur unà cum lacte prope transfuſo Catholici Regis affectu, Privati ſub umbra, & congruis honoribus valuit. Sublato deinde aulæ artibus Duce, ejúſque ut ſemper accidere tacto capite ſolet, factione ſtatim labefactata, membratímque convulſa; gratia quoque favórque Annæ cæpit ut cum Lermani fortuna complexæ dilabi, ſedem in Regia tamen retinuit, & viſa libenter à Rege hauſti quondam lactis memoria priſtini amoris, ac dignitatis reliquias apud Regem, & aulicos conſervabat. Lermani pro imperio faſtigium cùm mox Olivarius occupaviſſet, cujus animum ſuſpicacem, & ob gradum in quo excellebat, ruendum ad omnia trepidum, anxiúmque illius Ducis clientes mirè perſtrinxerant, partiúmque in aula reſidua ſimultatúmque ſcintillas prorſus extinguere in animo erat, Annam Lermano tanquam addictam, Regi percharam ſibíque propterea magis inviſam Palatio per ſpeciem honoris ſummovit. Longo poſt intervallo cùm iterum globus fortunæ volveret, fluerentque ac deficerent res Olivarii, hæc ipſa mulier annitente Regina, quod eadem ſibi propter recens beneficium obnoxia, atque Olivario contumeliæ memoria maximè infeſta faciliùs & fortiùs, ut admodum grata Regi conſpiratura adverſus communem æmulum foret, Palatio reddita eſt. Venit ad aulam mulier, ingentíque factionis adverſæ plauſu denique reſtituræ nutricis aſpectus in Rege amorem veterem excitavit, auxítque illa etiam per artificia; nam aulæ perita moris ſeniliſque prudentia, atque arte ſupra modum inſtructa cautè cùm partibus ſentiebat, & permodeſtè utebatur favore Principis. Hæc itaque paucis poſt interjectis diebus juſſu Reginæ cùm ad partem ejuſdem ædium poſt prandium de more pergeret Rex, in veſtibulo occurrit, ejuſque proſtrata genibus lachrimíſque madentibus oculis ipſum de rebus gravibus alloquendi poteſtatem, ac veniam poſcit, & impetrat. Inde ab Olivarii gubernationis initiis exorſa rudi, ac ſimplici fœmina ſtylo, regias qui feſſas adulationibus aures utplurimùm magis oblectat, expoſuit conculcatam, ac propè dilaniatam ab Olivario, ejúſque ſectæ mancipiis continuis vectigalibus plebem; nihil reliquum ſubditis eſſe præter nudum, vaſtúmque ſolum, lacerum corpus, & miſeram animam; eumdem in terga, eumdem in bona ſævire, nullum crudelitatis, & avaritiæ genus, quod Tyrannus in ſubditos; victor in captos cives, homo in hominem inimicum edere impunè, ac barbarè poſſet, omiſſum. Illuſos præterea ſpretóſque magnates, totam omninò curiam ſuſpicionibus, odiis, ac ſimultatibus eſſe ſciſſam; quæſtum undique ab uno per probra, ac dedecora quæri; appendi inter infulas aurum; ſacra, & profana cuncta miſceri, & venum, aut immeritò dari; tantáque vehementia, & ardore cum vultu, & animo

mo ſimul incaluiſſet, & plurima ſimul ſermonis capira amplexa contra Olivarium fœmina inſtitir, ut Rex tandem effuſo cordis ſecrero, tetulerit. Vera dicis Anna,& remedium longo tempore meditarum brevi Imperium experietur, hiſque dictis unà cum illa Reginæ cubiculum intrat; ubi cùm prærer morem altiori velut cura defixus, vultúque & colore varius, ac racitus ſe Rex contineret, eorum, qui aderant, mœſto quodam ſilentio, atque expectatione ſuſpenſis, ac pavidis omnibus, nemo audebat ſermonem incipere. His porrò artificiis Reginæ auctoritate, atque ingenio, eámque ſectantium æmulorum ſtudio conrextis inſidiarum in Olivarium ordo proceſſit; cætera, qua fide nobis tradita ſunt, exponentur. Reverſus ab Aragonia in Caſtellam Catholicus Rex, cùm inflatior, vetúſque erga Olivarium illa ſenſim detumeſcere gratia cœpiſſet, excutique quotidie pudor, illum Senatus perſæpè conſulta, ac reſponſa de more ferenrem quibuſdam facetiis, acríque ſuffuſis ſalibus felle pungere cæperat; duriùs interdum, & clariùs eumdem jam inepti, jam infelicis, jam nimis audacis aculeo, morſúque carpebat. Ea tam inſolita & verborum, & vultus aſperitate, Regíſque faſtidio, cùm maximè perturbatus, & dolore animi affectus eſſet Olivarius pervolutabar, ampliſſimam, vividam mentem ineſſe Regi, ſed conrractum, abjectum, & humilem animum, ſimilibus quoque viris pro imbecilli ſubſidio pectoris,ſimulationem, & aſtus naturam providam immiſiſſe, quæ quàm retruſas utique haberent in Regis animo latebras, rempore, & uſu ſatis ſibi perſpectum eſſe; nunc verò quaſi repentè mutato more ſe propè cogentem, ſuæque indoli vim facientem tam apertè, tam incompoſitè coram primario ſeſe miniſtro, omni fictione, ac verecundia ſepoſita Regem frontem perfricuiſſe, quod priùs ne cum aliis quidem minoris notæ miniſtris gerere conſueverat; quid ergo Rex aliud his fortè verborum, ac rerum ambagibus veller, niſi Olivario tacitè innuere, ut ſpontè, quominus cum publica nota, ac dedecore pulſus deníque videretur, aula, ac regimine cederet? Cæterùm cùm ea anceps res eſſet,rantíque ponderis conſultatio, qua nunquam profectò major in Olivarii vita incidiſſet, an ſcilicet ipſi in eo ſtatu rerum conduceret dimiſſionem à Rege petere, propera quippe rerum ſua deſperatione, eáque præcipiti fuga, calamitatis quæ ei jam impenderet, & quam avertere tempus, ſeſéque inflectentium rerum curricula potuiſſent, ſemetipſum fortaſsè auctorem, aut impulſorem conſtituiſſet, uxorem idcircò, quæ ingenium, & mores ſupra ſexum gerebat, conſuluir. Mulier in cauſa conſulta, nullo pacto abeundi facultatem à Rege ſimpliciter eſſe petendam cenſuit, & his conjecturis adducta. (Mens enim " regia, dum ſuis implexa, & revoluta " conſiliis, atque ideò in rebus etiam " exiguis extricatu difficilis ſæpe com- " perta eſſet ægrè ei per ſe forſitan li- " cuiſſet hujus momenti rem expedire, " quam ex adverſo ita incertam, & hæ- " ſitantem, & exitum requirentem, " quidni metus, vel ſtulta illa cautio " per volũtarii diſceſſus petitionem ob- " jecta reſolvere tandem, atque ad fi- " nem traducere valuiſſent, quíque " ejus ruinam ita proximam cerne- " rent, ad ultimum impetum æmulos " conglobare, ac vehementiùs acuere. " Anxium præterea ipſum Regis judi- " cium, & naturalis quidam implici- " tus animi motus per redundantem " modeſtiam, aut vitioſum quemdam " pudorem, dum lara conſilia agita- " ret, in eodem perſæpè Rege Catho- " lico præſtitiſſet, ut alia ipſe invitus " contra ſententiam juſſerit, moleſtè " quædam, ſed voluntariè tamen ſu- " ſtulerit,

„ ſtulerit, multa quæ ei ſummè diſpli-
„ cuiſſent, ore atque fronte diſſimula-
„ verit, acríque ſtomacho deglutierit,
„ nec ideò ab ejuſdem Regis conditio-
„ ne, notíſque ejus moribus abhorre-
„ bat ab ipſo etiam nolente ac repu-
„ gnante Rege in eo gradu potentiæ
„ ſummo, ut idem hactenus pertuliſ-
„ ſet ſuſtentari Olivarium. In rerum
„ exempla liquere ſane Olivario, quam-
„ plures regnorum Gubernatores cum
„ contumelia, ac dedecore tandem
„ amotos, quia nimis, æmulorum
„ inſidiis, & querimoniis vulgaribus
„ pavidi creduliique abdicatione mu-
„ neris maluiſſent ipſi ſuſpectam ſub-
„ terfugere injuriam, quos tamen niſi
„ metus inanis, & inconſulta illa ratio
„ in celerem fugam dediſſet, in eodem
„ fortaſsè regimine, & loco pudor, aut
„ perplexitas Regis adverſus omnium
„ querelas impulſúſque ſuſtinuiſſet. Suo
„ interim orbe, atque vicibus ſemper
„ inconſtans, volubiliſque fortuna cur
„ non Imperii tot eventibus luctuoſis
„ ſatura, aut laſſa denique poſſet fauſti
„ aliquid immiſcere quo animo Rex
„ erectus hæc triſtia conſilia poneret?
„ Quod utique unum acerbis ex mi-
„ nis, perpetuíſque fortunæ ruinis in-
„ ductum ita inimicos adhuc extulerat,
„ ut Olivarium oppreſſerat. Tandem
„ pro certo ſciret genium ſuum genio
„ Regis eſſe longè ſuperiorem, nec ſa-
„ tis arbitrii, animíque oſtendere Re-
„ gem quo proſterneret Olivarium, niſi
„ ſe ipſe priùs Olivarius aliquo pravo
„ conſilio perverteret. Verumtamen
„ id conſilii cum conjecturis, quæ fal-
„ lere ſæpè ſoleant innixum in cauſa-
„ rum incerto pendeat, turpíſque ex
„ altera parte expulſionis ab aula ter-
„ ror, & famæ dehoneſtamentum im-
„ mineat in tanto periculo conſtitu-
„ tum, fore utilius fœmina ſenſit, non
„ ingenuè, atque apertè poſcere virum
„ abeundi poteſtatem à Rege, ſed cùm
„ ipſum Regem conviciis, ſive dicte-
riis, in quibus plus aculei, quàm le- “
poris, aut ſalis eſſet fortè inceſſen- “
tem audiret, hoc tum ille obliquè, ac “
velut fortuitò ſic interjaceret, ut hæc “
miſſionis petitæ verba caſu potiùs, “
vel regiæ leniendæ iræ cauſa, aut ſti- “
mulo urbanitatis, quàm ex animo “
expreſſa viderentur effluere. Hæc “
quippè ex compoſito agenti quan- “
tum conſultu, factúque res aſperrima “
pateretur & obvio dedecori foret ef- “
fugiũ, nec ſuæ ipſe cladis miniſter fu- “
turus eſſet. Strenuè interim Princi- “
pis iras, benefici tacitè, amici mode- “
ſtè ferendas eſſe, poſſe odia tempus “
abſumere, aut in melius mutare. Lau- “
dat uxoris hæc prudentiæ, atque amoris
monita plena Olivarius, iíſque oppor-
tuniùs paulò poſt uti in hunc modũ tu-
lit occaſio. Vere jam appetente ex hy-
bernis in Catalauniam moturus erat
exercitus, ingentíſque Galli apparatus
longè, latéque diffuſus rumor armo-
rúmque ſtrepitus circumlatus, gravio-
rem Hiſpanis multis jam anteà belli ex-
peditionibus fractis, incuſſerat metum,
eóque Rex ampliùs de futuro parando
bello ſollicitus ſcripſit ad Belli Sena-
tum, (Regi enim quanquam præſenti
ſolitum ſcripto eſt Senatum, & ſingu-
los quoque Senatores conſulere) velle
ſe omninò ſcire tam lato belli terrore
ſub Veris initium jam minitãtibus Gal-
lis, quas modo paratas, & validas ipſe
Rex copias eſſet hoſtibus objecturus.
Ad hæc Senatus ſe planè hoc ignorare
reſpondit: alium etiam peculiarem Belli
conventum, cui Comes Monregius
præpoſitus eſſet, Olivarium conſtituiſ-
ſe, hunc porrò eſſe Regi pro ſuo offi-
cio ſatisfacturum. Idipſum ſubinde Rex
à Monregio Comite poſtulat, qui in-
terrogatus expoſuit Regi, ex triginta
ferè militum millibus partim ferro, par-
tim inedia, vel morbo conſumptis aliis
fuga, aut miſſione dilapſis, decem vix
millia ad bellum integra ſupereſſe, no-
vum fermè exercitum comparandum,
novóſque

novóſque paſſim delectus habendos, ad quærendam verò pecuniam eò uſque Monregius abſciſſa, præruptáque omnia, ac ſpe difficilia depinxit, ut ira, ac dolore percitus Rex, non alius, ſed ego dum res ita friget, addiderit in id quod tanti refert, incumbam. Vocat deinde Olivarium, proximíque gerendi belli rationem, & modum ab eo ſciſcitatur, cúmque ejus oratione iterùm Rex in eaſdem difficultates, ac rerum tricas incurreret præter morem exacerbatus, atque ira in ore, oculíſque ſuccenſus perculit Olivarium propè oſcitantis, ac deſidis maledicto. Is tunc, quod & mente prævenerat pedibus Regis affuſus cum mœrore, flétúque. *Domine*, inquit, *ſi exilio meo, vel interitu, fortunam miteſcere publicam, aut in melius fortaſsè vertendas Imperii res arbitraris, jube me rogo ne dum ejectum ab aula, ſed etiam inter corporis cruciatus, atque extremas humanitatis miſerias communem calamitatem explere, ſatiíque rabiem exatiare.* Mollitus hoc miti, flebilíque ſermone Rex humi jacentem manibus ſuſtulit, vultúque in ſpeciem compoſito, faciliùs ſimul uterque, ſubdidit, belli negotia in poſterum agitabimus. Porrò ex eo recreatus, & paululum animo Olivarius erectus ad exiguam, eámque fallacem ſibi ſpem intendendam illas in animo rationes aut ex monumentis hiſtoriarum, aut ex Principum indole repetebat, quas falsò plerumque ſpes adulatrix, & vana cupiditas ſuggerit, cùm improviſo velut fulmine ictus ſpe rurſus tandem, & animo concidit. Balthaſarus Hiſpaniarum Princeps, qui acerbo poſt fato præreptus eſt, cùm ætatis ſuæ annum quintum decimum ageret, adhuc diſciplinæ civilis rudis, regiíque ſplendoris, ac moris expers malè educatus, ac pejus edoctus inter mulieres adoleſcebat. Ægrè id Rex, & Regina paſſi ſæpè inculcaverant Olivario ut ſeparatam, ac certam in Regia ſtatueret Principi ſedem, muliebríque conſuetudine, & corruptelis abſtracto convenientem familiæ pompam, & ornamentum Principe dignum inſtrueret. Olivarius tamen ſuis artibus fretus in re ipſa cunctari quàm maximè poſſet, & alias ab aliis dilationis, & moræ ſubnectere cauſas quærebat; regium enim adoleſcentem uxori Olivariæ traditum, ejúſque dolo, & blanditiis puellarum amoribus innutritum, & manu fallaciter ductum, ut ſupra tetigimus, impenſiùs Olivarius optabat ætatis flexu, ac temporis curſu enervatum, ac mollem. Porrò autem filium ejus Henricum nothum obſcuræ, atque ignobili vitæ confeſtim ereptum, ut Principis illum famulitio præficeret, & per hominem arctiori ſanguinis ſibi, nexúque fortunæ conjunctum, Principis aures, & aditus obſideret, cùm magnis honoribus extuliſſet, uſu temporis opus erat, quo ille privatæ, vitæque turpiter actæ ſordes aulæ conſuetudine abſtergeret. Inter has Olivarii fraudes, & moras, quibus redimere tempus rerúmque occaſiones arripere ſatagebat, Rex, quod ſponte ſua facere nunquam auſus húcque fuerat libellum Olivario porrexit, ubi illo inconſulto manu ſua perſcripſerat Rex quos filii ſervitio delectos proceres vellet, idémque ſubinde juſſit ex libelli tenore familiæ amplitudinem præparari. Olivarius veteri audacia, vel affectata potiùs, qua occuleret metum, fiducia, decretos & à Rege ibi quoque ſignatos famulos paucos admiſit, alios eraſit ut moribus, alios ut natalibus impares, in quoſdam ſibi ipſi inviſos & ideò magis ſuſpicioſos petulantiùs, & acriùs invectus eſt, non aulico intra limites Regiæ præſtito Principi obſequio, ſed per emiſſum inde pedem ex libero ingenii, & conſuetudinis uſu internoſci mores hominum dictitans. Nec ſanè gravatè tunc illud accipere ore tenus oſtendit Rex; tracto deinde prolixiùs ſermone

ſermone cùm mentio quoque de ſede Principis incidiſſet, Rex Olivarium interrogavit, ecquam ædium ſuarum partem, quæ ſatis deceret, pro habitatione filii Principis duceret? eam Olivarius reſpondit, in qua regius frater Cardinalis agebat. Quidni, Rex adjecit, elegantior, ac dignior ea pro Principe ſedes erit quam tu id temporis occupas, ibi pater meus, ibi ego Princeps vixi, iſque locus in Regia ex longo intervallo eſt magnificentiæ Principum conſtitutus. Senſit tum aulicas artes, qui ſatis in illis inſtructus ac volutatus erat, eóque verborum ambitu ſibi per aſtus tacitè innui, ut Regia protinùs demigraret. Repentè igitur animo conſternatus, atque attonito ſimilis, cùm ſtupor ſimul ac dolor emiſſa trepidè verba in fauces revocarent, paucis, curſimque tandem ab illo ſe turbine explicuit. Bene monere Regem, properóque diſceſſu ſe vacuam facturum Principi ſedem. In cubiculum inde redit, ibíque ſolus, & clauſus, ubi horrida ea ſolitudo, mœſtúmque ſilentium colligere vires, contractúmque laxare animum dabant, ſecum ipſe volvere cœpit. *Quid inſuper expectabo? Quid ultra experiri jam proſtrato, atque afflicto licebit? Odit me Rex, urget Regina, conſpirant undique proceres, conjurata ipſa quoque fortuna ſævit, fatíque impulſibus rapior. Faceſſere modò Rex, méque aula abire præcipitem jubet, jam omnis extincta ſpes eſt; aut infamia, aut interitus mihi quidem in hoc diſcrimine ſubeundus; hic me, ſi reſtiterim, illa, ſi ceſſerim, conſequetur; porrò nihil mihi miſero ſupereſt aliud, quàm quæſito quocumque colore, atque ſpecie communi exiſtimationi, honoríque quantum ipſa ementiri nota calamitas ſineret, providere.* Eadem itaque nocte, dum Rex cubitum ſecedebat, Olivarius ejus pedibus provolutus Regiam, ac regimen deſerendi facultatem expoſcit, ad rem ipſe attritam laboribus valetudinem, declivem ætatem ſuam, regiminis ſatietatem, ſolitudinis deſiderium obtendens, omnia etiam ſibi cum ætate ſeneſcere, & fluere quotidie, labíque videri; ereptum, quod ſupereſſet occupationibus tempus vacandi animæ curis, melioríſque vitæ negotiis attribuendum eſſe. Rex adhuc ſimilis reſtitanti, & neque id omninò probare, neque improbare præ ſe ferenti, hoc non negare ſe dixit, ſed pro rei temporíſque maturitate differre. Hæc ſuboſcura, & quaſi implicita verba Regis, & quæ torqueri in ſenſum ancipitem poterant, ut credula nimis ſibi leviſſima quoque ſpei aura flatúque circumfertur ambitio nonnihil mœrore jacentẽ, & animo prorſus afflictum hominem erexerunt. Sic ergo inter ſpem, atque metum, & varias & invicem diſſidentes cogitationes, & curas illa integra nocte Olivarius cùm æſtuaſſet, prima ipſi denique lux dubitationem omnem exemit, tunc enim manu Regis in hanc ſententiam conſcriptos codicillos accepit. *Pergeret citò Loëceium, ibíque ſe contineret, Rex donec aliud, quod è republica duceret eſſe ſtatueret.* Cohorruit, diras eas notas dum legeret Olivarius, non enim ſatis ſibi fore, crediderat, quod adhuc tantopere formidaverat. Uxoris propter ea conſilium, aut potiùs in tanto malo ſolatium ſollicitè quærens, codicillos quos ipſi Rex dederat, ad mulierem, quæ moram Loëcii tunc faciebat, ſummiſit, adjiciens raptim veniret ad aulam, ibíque ſimul jam leviora hucuſque cætera experti majora, & extrema remedia tentarent. Mulier ubi hæc intellexit ſupra modum attonita, & velut fulmine icta aliàs ſolertiſſima, & cauta, nunc coram aſtantibus non linguæ, non ſuſpiriis, non lachrimis temperare præ nimio doloris ardore poterat. Curru igitur ſtatim conſcenſo ab Loëccio ad

P Regiam

Regiam quàm celerrimè convolat. Videt ibi virum, primúſque & mutuus eorum aſpectus in uberiores utrumque lachrimas ſolvit; eo mox lachrimarum impetu effuſo cùm aptiora inter ſe pro electione conſilia diſcuterent, diúque ſuſpenſi, ſollicitique quia malum hoc ingens memoriam excuteret mentémque turbaret, omninò hærerent, & cunctarentur, decurrere tandem ad obſecrationes, miſtáſque lachrimis preces placuit, ſi blando Olivaria ſermone, fletúque Reginæ fortè valeret, Regíſque animos mitigare. Mutandæ ſententiæ, novíſque ſemper caſibus eſſe unumquemque mortalium obnoxium, & feros etiam, ac ferreos animos non ſemel duntaxat mollire preces, ſcindere lachrimas conſueviſſe. Hoc illa conſilio mœrore ſqualida, habitu inculta ore, viſúque planè deformis Reginam, ac Regem ſeparatim aggreditur, humíque proſtrata, lachrimis, atque interjecta ſingultibus voce rogat, rationibus etiam „ inſtat, Ne viri tot indefeſſo, ac diu„ turno cumulata labore merita pa„ tiantur infami deſinere exilio, néve „ innoxium miniſtrum ea iniquitate „ fortunæ, aut æmulorum inſectatione, „ & invidia tanto cum dedecore con„ flagrare, ſi perfidiæ, ſi negligentiæ „ quoque, ſi voluntarii cujuſquam „ erroris, & lapſus jure Olivarium „ convictum invenerint, quando ali„ quid eſſet, quod morte crudelius, ac „ trucius excogitari poſſet id ſibi in „ ſupplicium minimè recuſare, ſin accu„ ſare fortunam, aut ſidera liceat, aut „ immutabili lege ratum fatorum diſ„ ſolvere ordinem, aut eorum in ho„ mines, ſi fas ita dicere, culpam „ transferre, ficti hujus criminis, mul„ tò magis, quàm Olivarium fore pro„ fectò participem Regem, cujus oc„ cultis auſpiciis Imperii moles tem„ peraretur. Proinde iræ ne tantum „ aut vulgi quærelis indulgeatur, ut ira, & invidia potior conſilio, & „ ratione habeatur. Jus legis, quæ „ nec vili, & abjecto, ac ſummè ino„ pi denegatur more ſuo agat, per „ quam Olivarius criminibus abſolu„ tus priſtinum locum retineat, vel „ aliter jugulatus, ac ſæviſſimè tortus „ meritas pœnas rei publicè ſolvat. „ Hanc mulieris orationem lachrimarum ſubinde fuſus tanquam imber excepit. Rex porrò illam quanquam fletu, & lamentis, & contorta quoque argumenta iterùm repetentem abſque reſponſo reliquit. Regina verò, quod tot rerum adverſarum experimentis, inquit, populi afflatu, hominum, Divorúmque conſenſu, tantáque omnium concordia ſancitum fuerat, mortalium quemquam reſcindere nefas duceret. Tunc Olivarius uxoris deſperatis auxiliis cùm omnia ad præcipitium ſibi tendentia cerneret, nec eſſet ubi pedem in lubrico figere poſſet, vertit ſe tandem ad Ludovicum Arum ejuſdem ſororis filium, quem & ſi ſatis ipſe ſciebat, imperioſè, atque aſperè primùm à ſe aſpirante fortuna tractatum, & graviter etiam ſibi æmulatione gratiæ Regis offenſum, ſordida tamen, ac fœdè projecta ſemper ambitio eumdem ad Ari pedes reverentem, ac ſupplicem hominem traxit, ut triduò per eum in Palatio morandi ſpatium ſibi daretur à Rege. Ad rem adornabat grave famæ ſuæ, grave communi familiæ fore, ſi in tanto collocatus faſtigio eo præcipiti curſu aula extorris amandaretur, faciliùs, ac mitiùs profectò futurum id temporis ſupplicanti, vel prætexendæ injuriæ, vel animi confirmandi, vel componendæ rei domeſticæ cauſa permitti. At revera per hæc effugia vir eruditus, aulæque prudens factu rei duræ, ſibíque nimis acerbæ fallacia intervalla temporis connectebat, quippe quæ res improviſas, ac magnas per momenta ferè ſingula ſoleant

in

in mundum, qui ex volutatione perpetua dicitur Orbis, inducere. Rex in Ari petentis gratiam eam triduo in Regia manendi Olivario dilationem indulſit, ſimul & publicis intereſſe conſiliis, & quod regiæ ſummæ clementiæ argumentum inſigne fuit arcanos etiam, quos ipſe vellet in regio ſcrinio ponere codicillos, alios pro arbitrio comburere. Plurima idcircò regnandi artificia, & Principum ſacramenta, quæ fas non erat lucem aſpicere, ignis abſumpſit. Conclavis ſecreti poſtremò clavem, extremæ fiduciæ ſcilicet pignus, cùm tradere juſſus eſſet, eam ille per Arum reddidit Regi. Poſtridiè colloquium à Rege petiit; quo non ſeoſum, ut requiſierat, ſed coram arbitris dato, prima ab Olivario prolata Regi, verecundia, ac modeſtia compoſita verba fuere, gratias nempè Principi agentis, quod ille exoratus annuerit, effœtam denique ætatem fragilémque habitudinem corporis in longè ſibi expetitam, ac neceſſariam ſecedere quietem; eáque & ſimilia quæ vel obſequio exprimendo, vel ejectionis ejus ab aula tegendo dedecori congruebant ſerena fronte, vultúque placido percepit Rex, cùm verò ad ejuſdem officia, & longa merita recenſeuda inflata quadam oratione flexiſſet, adeò elatè, ac ſuperbè, & exprobrantis potiùs, quàm more obſequentis, ac celeriter verba volvens locutus eſt, ut horrida, ac plena jactantiæ verba valdè pertæſi faſtiditíque Regis clara in ore, & oculis ſigna, ac turbidas notas circunſtantes deprehenderint. Ex his viſis, compertíſque fama protinùs aulam implevit, & inde foràs ſe ſubitò effudit, jam cecidiſſe Olivarium. Porrò incredibilis paſſim lætitia, & publica gratulatio, nedum antiquos Olivarii obtrectatores, & æmulos, ſed promiſcuæ cujuſque ætatis, ſortis, ac ſexus etiam mortales omnes affecit, & eouſque luxuriantis communis lætitiæ ſenſus exceſſit, ut eo ipſo Olivarii caſus populariter jacti die, plures conſtiterit inſtitores non venum, ſed dono dediſſe merces, pretia quoſdam rerum venalium imminuiſſe, mutuum per alios liberaliùs conceſſum, ab aliis conflatum æs alienum extinctum eſſe, cúmque paulò poſt Regem prodire in publicum incidiſſet, tunc nimia lætitia provecta plebs inter crebros ſubſultus, & corporis jactus, plauſu, geſtibúſque ſoluta ſibila, turbas, & voces clamando miſcebat. *Vivat Rex; pereat improbus adminiſter.* Audientem hæc Olivarium, tantóque ſe hominum gaudio, univerſalique conſenſu opprimi, inſuetúmque ſimilia pati furor cum pertinacia ſubit, jam animo confirmatum per iniqua, per æqua omnia priùs experiri, ac tentare quàm Regia pulſus egrederetur, velle cum fortuna propè luctari, aut fati neceſſitatem abrumpere ambitione cæcus, & ira, atque odio corruptus, & æger animus apparebat. Redit itaque ad Arum iterùm ſupplex, & vultu animóque ſordidè abjectus, ac triſtis, varias fraudes, aſtúſque per verborum ambitum nectit. Docet nec ſibi conducere, nec ſi ei etiam permiſſum eſſet, velle diutius in Regia conſiſtere, omnia jam ibi obtinentibus æmulis; in loco per ſe præcipiti, ac lubrico multò minùs ſtabile quidquam, aut tutum afflicto, & undique circumvento reliquum eſſe poſſe. Aliquantulum moræ, ac breviora pro diſceſſu intervalla tantummodò petere ſe, ut ea per tempus deflagraret invidia; ut illæ paſſim in ipſum contumelioſè jactatæ rauceſcerent populi voces, tandem ne cum vitæ quoque diſcrimine in tanto ardore, atque impetu populi raperetur. Rogat igitur Arum, ut tridui alterius profecturo abſque ullo dubio dilatio per eumdem auctorem ſibi à Rege condonaretur. Arus autem quem priùs in aula vigentem multas per artes à gratia Regis excuſſerat, in ipſum

P 2 modò

modò verſa fortuna languentem, & fractum haud recuſabat deinceps indulgētiæ ptæbere ſpeciem; ita ſibi cōmodum eſſe ratus gerere morem ſuavi, mitíque naturæ Regis, cui ut Olivario ſolutæ per omnium inſidiarum illecebras ille totus jam imminebat, quemadmodum utile ſibi quoque, at ſaniori quidem judicio Olivarius arbitrabatur invidioſū à Regia diſceſſum uſui temporis, rerúmque volventiū vicibus objectare. Proinde ex æmuli voto Arus cum Rege interceſſit, ita tamen re comparata, ut cùm Rex ab Eſcutriali quò venatū eo tempote vergeret, his tribus dilapſis diebus regreſſurus ad Regiā eſſet, in ea Olivarium minimè offenderet. Hæc quæ à Rege pet Arū extorta protogatio tēporis fuerat, præterquam Olivario, & ejuſdē uxori, occulta cæteris erat. Inter hæc voluptatis prætexta cauſa, cùm ad Eſcurrialē ſe Rex ex compoſito contuliſſet, Mantuæ Carpetanæ Olivarius, loco ſuo quanquam præceps, ac poſtridiè ruiturus nihil tamen curis publicis intermiſſis in Senatu, in reſponſis Oratoribus dandis, in negotiis alacriter conferendis cùm eumdem habitum oris, inflationē, animíque rigorem, & faſtum omninò præferret, nec etiam in triduo priùs conſti[illegible] que omnibus noto Regia digreſſus eſſet, id adverſariis tenebrarū offudit, ut gratiæ Regis plerique eum reſtitutum eſſe cenſentes, alii diſperſi, alii ambigui, aliï ora affectúſque mutantes quo novæ volvendæ ſubinde ſcenæ inſervirent penè jam frontem, & animum præpararent. Perculſa inter alios, & conturbata Regina præſertim, cui, & acriùs ut à ſe potiſſimum agitata tanta moles inſtiterat, tum ira, metúque anxia hujuſcemodi litteras ad Regē abſentē dedit.

Periculosè, atque acerbè Regi hactenus licuiſſe exeerato in eo publicè gradu, & honore ſuſtinere Olivariū, ſed ita nunc rebus affectis, & conſtitutis abſque ſummo dedecore, atque periculo à ſe ſuſtineri minimè poſſe. Exarſuros profectò indignatione, & iracūdia magnates cum ſe artibus Olivarii, ac regia levitate niſi torpedinem dicas, deceptos eſſe cognoverint: ſimul, & novis diſſidiorum, offenſionúmque cauſis ob ejus fruſtra tentatum excidium, adjectis, & omnibus notis, illum ut prepotentem, ultorem, invincibilem admirantes, utque belluam primò irritatam, & ſuis conatibus poſteà relictam extimeſcentes, in ea ſanè poſſe conſilia ruere, quæ ipſa cogeret deſperatio. Quid non etiam inſanire, atque ardere furore plebem, & paſſim tumultuari ſi ſtetiſſet impoſterum Olivarius, viſurum Regem fuiſſe, ut vana ſpe illectam, inanique letitia irriſam? eam utique ipſam quæ more ſuo cæco rerum extrema ſoleat per avia, atque abrupta conjungere. Moleſtam rem eſſe cupere, inquietam eam expectare, turbidam autem ſpe arrepta repentè devolvi. Utilius proviſum in re tanti ponderis foret, nullam offerre mortalibus ſpem, quàm temerè oblatam ſubitò abſcindere. Ad hæc non regno deeſſe partes, nec partibus Duces, hóſque vulgò ſemel commoto, numero longè plures, quàm in quiete apparuerint, turbulentos emergere, nec porrò Caſtellam, quod ſedes, & caput Imperii ſit ab hoc crimine immunem ejus atavos comperiſſe. Hoc námque modo apud ſubditos Regem contemni tanquam rabido veneficio tabentem, ex quo læſo ipſe animo, capta mente, ſenſibus propè ſtupidis indita, & juſſa clientis invitus, aut libens accipiat; ex contemptu præterea prorumpere audaciam, ex audacia impudentiam, ex hac denique obſequii corruptelas, & fidei naſci, ſimul & cæteras regni peſtes quæ miſcent Imperia, ac poſteà funditùs tollunt. Satis igitur, & regno, & ipſe ſibi conſuleret, darétque operam, ut verè ſubditi ſe Regem habere cognoſcerent. Hæc Rex cùm legeret, intellexit ut clam prolatatæ Olivarii profectionis ignaram ejuſdem aſtutiis, ac dolis falſam uxorem eo tempore haberi: ea nihilominùs vis rationum, & cauſa ex adjunctis ab illa explicatis acerbior adeò concuſſit Regem, ut rem quam celeriter maturandam eſſe ſtatuerit. Die igitur

tur præſtituta, poſt triduum nempè delapſum, Regi, quo ſcilicet pacto ſecretò convenerat ad Palatium regredienti decem occurrunt primæ notæ magnates, qui fuſiùs, ac præter ſolitum omnia colentium, ac venerantium obſequia in ſpeciem Regi præſtantes, fidem,& operam quoque verbis ampliſſimis profitentur. Miratus rem inſolitam Rex, quid novi hoc afferret, Ferdinandum Borgiam, qui propiùs eumdem Regem comitabatur, interrogat. Tum Ferdinandus pleniora illa obſequia, reſpondit, multò ante proceres Catholico Regi ſolviſſent, is niſi fortè interpoſitus eſſet, qui corrumpere officia, & in eorumdem, qui ingenuè obtuliſſent, convertere peſtem formidaretur; Olivarium his verbis tacitè notans, quo tandem aliquando ſublato,ſubditorum benevolentia, cultúſque, ut par erat, in Principem ſtatim refloruiſſet. Cæterùm id quoque commenti ad eam rem ſolidádam aliis & multis ſapienter adjectum eſt, cùm Olivarii, uxoríſque dexteritas tum Regis ingenium verſatile, & longa utriuſque poſſeſſione comprehenſum, ac ferè medullitùs exploratum ne ſententia caderet Rex, nihil omninò in tam arduo negotio remittere paterentur. Venit ad Regiam Rex, déque Olivarii profectione valdè ſollicitus, id primùm in veſtibulo ſciſcitatur, cúmque illum nondum abiiſſe, ut termino elapſo pepigerant, dictum eſſet, improviſo cum impetu Rex, & vultu, atque ira rubentibus oculis converſus ad Arum, me ne etiam invito, inquit, & reclamantibus univerſis erit animus Olivario diutius domi meæ permanere? Nunciantur hæc ſtatim minacia Principis dicta Olivario, cúmque alia, atque alia dies, noctéſque agitanti, ordienti, & jam artificiis, jam patientia, ac temporibus uſo nihil ex ſententia procederet, omnéſque jam ſimul expreſſas,& nequicquam etiam conſumptas artes, exhauſtúmque acumen illud ingenii cerneret, ſtatuit tandem fortunæ, ac tempori cedere, ac profectionem accelerare. Verùm enim verò perinde manentem, ac abeuntem more Tyranni pericula circuibant; in Regia quippe manentem hominem ira, minæque Regis urgebant, inde porrò exeuntem metus gravior ex plebe ceperat, ne ſuo fortè illa néve alieno furens impulſu ſeſe illi per iter infeſtam injuriis, atque ludibriis opponeret. Viam igitur quam jam neceſſitas cogeret, initurus, ſic illudere plebi impendénſque periculum ſubterfugere Olivarius tandem excogitavit. Currum ejus peculiari ornamento conſpicuum, atque omnibus notum, alióſque minores, quos eſſe itineris comites apparebat, Palatii apud oſtium conſiſtere juſſit, ibíque univerſo ſpectante populo longo tempore immobiles ſtare. Cùm verò contracta vis hominum ingens, eóque majòr ſubinde confluens ſummo fragore, atque plauſu Olivarium Regia digredientem videre avidus expectabat, tunc ſuos idem famulos jubet clam illos aſcendere currus, qui erant in area oculis plebis expoſiti, ipſe verò Olivarius per ſecretum Regiæ aditum alium ingreditur currû, ſed pretio conductum, ac propè ſordidum quò eum intuentes oculorum ludibrio falleret, citatóque ille curſu Loëccium, ſed obliqua perebat via. Populus interim, qui diutiùs,& cùm maxima voluptate illorum vehiculorum aſpectu paverat oculos, ubi inſignem Olivarii currum ſimul cum aliis ſuo moveri conſpicit loco, tunc ornatus, & uſus errore captus, vehíque in illo Olivarium, id quod non erat exiſtimans, rapida ſtatim, confertáque multitudine incurrit, continuíſque probris, clamoribus, ſaxis limphato ſimilis currum perſequitur. Jamque erant velamina currus crebris ictibus ſciſſa, & rectores, vectoréſque partim livida, atque contuſa, partim ſaucia, ac dolentia ferebant membra, & ampliùs quoque inſanire, atque furere effuſæ licentiæ,

ſuóque ingenio tradita plebs videbatur, cùm tantæ ſævitiæ, tantique erroris ut averterent cauſam ii, qui jumenta citiùs agebant, inhibent currum, vela ſubducunt, patet ibi non eſſe Olivarium, coorta irarum, ſaxorúmque tempeſtas repentè ſedatur, illíque tutò viæ reliquum prætergreſſi Loëccium tandem attingunt. Hîc Olivarium inveniunt inter duos cœnobitas ſedentem, quos ad ſolatium itinetis ſibi comites ſumpſerat, & quorum nunc ore, verbíſque defixus, de fugaci potentia, de falſis opibus, de fumo, inaníque ſæculi ſtrepitu, ac faſtu vera ille ſed ſera documenta quærebat. A regimine, ac Regia per æmulorum invidiam, adverſæque fortunæ ſucceſſibus inflammatam, plúſque nervorum, & virium idcircò apud Reginam, Regémque nactam cùm ita Olivarius ejectus, ac pulſus poſtremò fuiſſet, quod in lapſu non ſua, ſed aliena poteſtate imperantium plerumque contingit, rumor ſtatim inceſſit, percrebuitque vi philtrorum addictum ſibique tandiù illigatum Regis animum Olivarium per inſidias continuiſſe; figuras idcircò veneficas, & ferales in Regem notas alias in conclavi, in Regiæ veſtibulo alias inventas eſſe, nec certè unquam, in rem addebant, uni futuram ſubdito copiam, tanto imperio, ac fiducia loro velut adſtrictum Regem ipſum circunflectendi, hic niſi altiori virtute coactus, ac diris quidem impulſus foret. Ita ſanè quo cordis contractio nimia, deſidia illa, ac puſillanimitas Regis lateret, & ex eo quoque in ſuo crimine rimam inveniret invidia, odia in miniſtrum acriora conflabant, cùm iis artibus Olivarius natura mitem, ac facilem Regem devinxerit, quas ſupra nos memoravimus.

DE BELLO LUSITANO LIBRI QUARTI

SUMMA.

*F*RANCISCUS *Luzena Bregantii adminiſter, egregiè munus ſuum obit. Ei ab Olivario tenduntur inſidiæ. Proditionis accerſitur. Inſons extremo, nimiſque feſtinato ſupplicio tollitur.. Bregantius acriora belli tractare conſilia cœpit. Arma hoſtium nedum expectat domi, ſed ultrò quoque in Caſtellam infert. Galli milites terrâ marique frequentes Uliſſiponem appellunt. Luſitaniæ vires. Armorum imperium Vaſco Maſcaregno traditur. Anceps Caſtellæ rerum conditio. Sancti Stephani Comes copiis Caſtellenſibus præeſt. Exercitus Luſitanus ducitur ad oppugnandum Valverdis oppidum, ab iiſdem aliàs incenſum, & ab Hiſpanis reſtauratum. Captum oppidum funditùs diruitur. Badajocium obſidere aggreditur Maſcaregnus. Ratus fore obſidionem diuturnam, retrò copias abducit. Exauctoratur à Bregantio, & in ejus locum ſublegitur Mathias Albuquercius. Novi Ducis initia: Alconeellum primo impetu invadit. Arcem capit, firmòque præſidio munit. Villanovam petit, & occupat. Geldrius arcis gubernator, eam per honeſtas conditiones Luſitanis concedit. Eodem tempore, eodèmque æſtu res Luſitana in ora Gallæciæ promovetur. Caſtelmeliorii Comes, jubente Bregantio, infeſtus Gallæciam intrat. Salvaterram furtim invadit, & expugnat. Rex Catholicus, ſummoto Navarræ Priore, Cardinali Spinulæ armorum regimen defert. Amiſſi nuper oppidi receptionem illi commendat. Cardinalis inglorius & inanis Compoſtellam repetit. Braccarenſis Antiſtes conjurationis in Bregantium initæ auctor, diem obit in Luſitania. Marchio Turrecuſius, à Rege Catholico, ad Luſitaniæ fines cum armorum imperio transfertur. Propè collapſam militum diſciplinam reſtituit. Dux Luſitanus urbem Albuquercium adoriri decernit. Sed re infecta diſcedit. Turrecuſio certam in hoſtem expeditionem præcipienti, petulanter obſiſtit miles. Antiſtes Badajocii Turrecuſium furibundum, & ad Aulam iter parantem, artificio deludit. Montieium vaſtat Albuquercius. Molingenius Belga, urgente Turrecuſio, conſerit cum hoſte pugnam, evaditque victor. Fractus Albuquercius redit in Luſitaniam, & falsò ſeſe victorem profitetur. Santalexium capit Molingenius. Luſitani cujuſdam militis furor. Rex Catholicus Turrecuſium, ire Elvum ad oppugnandum jubet. Franciſcus Melus Luſitanus magiſter equitum ſuperatur à Molingenio. Ad urbem Elvum cum omni obſidionali apparatu movet Turrecuſius. Terretur initio ferali omine. Locus, tempus, fortuna, cœlum ipſum illius inceptis obſtant. Famâ tandem ac viribus diminutus Badajocium redit. Se Magnatum Hiſpanorum quos* Grandes *appellant, numero adſcribi poſcit. Rex ea de re præter morem Senatum conſulit.*

conſulit. Moleſtè fert Turrecuſius hanc dignitatem non fuiſſe ſibi attributam jure ſobolis perpetuò propagandam. Militiæ miſſionem petit, & impetrat.

BELLI LUSITANI

LIBER QUARTUS.

Ducis, Comitiſque Olivarii ruinæ memoria dignum, ac triſte gratiæ Regum aucupibus documentum, trucior, & alia Uliſippone calamitas anno eodem interfluente cum Franciſco Luzena ſecuta eſt, viſúſque omnibus Olivarius quaſi jure cadendo eſt, falſi quondam impoſiti criminis meritas pœnas Luzenæ ſolviſſe. Luſitania repentè cùm defeciſſet, fortè Luzenæ tum filius adultus patris negotia apud aulam Catholicam procurabat, cúmque eodem prope tempore triſtis in aulam nuncius, & Bregantium ſublatum à populo in Regem, & ſimul ab ipſo ad ſecreta conſilii Status valida quoque gratia fuiſſe confeſtim Luzenam adſcitum afferret, gravis injecta Olivario ſuſpicio eſt, an ejus gratiæ, muneríſque amplitudo in viro illo fuiſſet arctioris fiduciæ præmium defectionis conſcientia partum, & an aliquid ipſe rimari per filium in aula poſſet, quod patrem, aut alios fortaſsè illius conjurationis affines argueret. Olivarius itaque ſtatim ſatellites miſit, qui juvenem prehenderent, ædéſque luſtrarent, ſimul codicillos, ac litteras omnes, quas apud eum inveniſſent acervatim collectas exploratum ad ſe perferrent. Quibus impigrè rebus, ſicut juſſerat, actis, ſcriptíſque cum cura, & ſtudio percurſis, nulla quæſiti veſtigia ſceleris, quæ læderent quemquam, aut quæ vel crimine quemquam aſpergerent, ſuſpicionis notæ repertæ ſunt. Ipſa Olivarius tamen cùm chartarum volumina excuteret, in alba quædam incidit folia, nomine, ac manu duntaxat ſubſcripta Luzenæ, qualia frequenter, prout res improviſa, tempúſque repoſceret ſtylo exaranda ſolent ad extremæ fiduciæ ſignum procuratoribus credi. Hæc alba ſepoſita cautè, ac latenter Olivarius aſſervat ſecum ipſe volutans illa ſi fortè quandoque corrumpi tum in Bregantii, tum in Luzenæ perniciem caſu, aut conſilio liceret. Poſt ubi plurima ſecum ea ſuper folia volventi, agitáti conſilium tandem in animo ſedit, vocat Hieronymum Maſcaregnum, ejúſque fratrem Marchionem Montalbanenſem, utrumque Luſitanum ſpectatum prudentia, genere inſignem, Regi, ſibíque per multa interjecta pignora fidum. Ab his quaſi per jocum hilariter ſciſcitatur, utiliúſne eſſet Franciſcum Luzenam perdere maleficio, an beneficio captare cùm alterutrum ſibi eligendi poteſtas in manibus foret. Militaria negotia Marchio, ſacrorum miniſteria Hieronymus exercebat, cúmque mortalium ſæpè conſilia, ſingulorum conditionis, & habitus prope tincta colore, affectúque dimanent, ad eam Hieronymus ſententiam inclinàns quam decerpere miſeratio ex mitiori ſententia poterat, officio, ac blanditiis petẽdum eſſe Luzenam conſuluit, Quippe qui omnium regni arcanorum pro ſuo munere particeps, “ ſi donis allectus, ac victus fidem “ mutando, ea fortè Olivario detegeret: quaſi robore, ac nervo rerum “ per ſecreti effuſionem inciſo, ferè “ omnes domi, militiæque in Caſtellæ “ perniciem intenti fragiles, irritíque “ Luſitani conatus forent. Multò præter ea ampliùs Rex eſſet Catholicus “ lucraturus clementia, & favore ſibi “ Luzenam conciliando, quàm per “ ejuſdem exitium amiſſurus Bregantius eſſet; nam ejus morte, & ea nefariè quoque accerſita, Bregantio “ proditio

,, proditionis per eum ſubeundæ periculum, fructus autem proditionis ſpes ,, cum ejus vita conjuncta interiret ,, Catholico Regi; Luzenæ tandem interitus, addidit, ſi cauſa privata fieret, nihil ſanè decorum, aut juſtum, ,, nil vera, & Chriſtiana virtute dignum intendi, ſin autem publica ,, hanc nullam extare cauſam, eo enim ,, per fraudem intercepto miniſtro, ,, alium ſubinde Status ſecretis ſucceſſurum in Luſitania fuiſſe, & priori ,, fortaſsè Caſtellæ rebus acriorem, infeſtiorémque. Contra Monralbanus ,, Marchio diſſeruit. Ægrè videlicet ,, virum illum prudentem, & cautum, ,, & in gradu quem exercebat honore, ,, & opibus affluentem, quacumque ,, arte, ſive illecebra laceſſitum ad eam ,, deliberationem venturum, ex qua ,, non minùs pro repetenda ſibi promiſſi fide, & alienigenæ gratia periculi, quàm in patriam commiſſa perfidia foret. Ingens profectò donum, ,, aut beneficium vim ſæpè ſæpiùs, qua ,, circunflectere poſſet animum, & conſtantiam excutere, maximam continere, modò ne gravi cum periculo ,, jungeretur, nec majora incrementa ,, labefactaret. Hìc verò, & ſi verbis ,, ſtetiſſet fides, quæ ſemper tamen in ,, incerto promiſſionis, & ſpei, exitúſque futuri pendenda eſſet, ampliora, ac certiora quidem Luzenam, ſi ,, in officio Bregantium circumveniſſet in diſcrimen conjecturum fuiſſe, ,, quàm illa, & incerta quoque æſtimanda, quæ incolumis etiam eſſet ,, in gratiam proditionis per Caſtellam ,, conſecuturus. Has inter difficultates, & incerta conſiliorum, unum ,, tantummodò tutum, ac planè utile ,, offerri, quod ſapientia, ac virtute ,, adminiſtri cùm imperii vis, atque ,, ſalus inter regiminis æſtus, jactatæque reipublicæ vortices maximè niteretur, Luzena fortè ſublaro, exe- ,, crabilem fore Caſtellæ hoſtem, ſtrenuúmque Bregantio adminiculum " defuturum, quo novum, & mobile in primis, ac fluctuans Luſitaniæ " præſertim indigeret imperium. Hæc " porrò ut feroci, cruentóque Olivarii ſimilior ingenio ſententia, primæ quæ mitior erat prælata eſt. Proinde in hunc modum Luzenæ paulò poſt Olivarius tetendit inſidias. Erat per id tempus Uliſippone nobilis quidam vir Luſitanus maximè fidus, gratúſque Catholico Regi, qui Luſitani arcana Senatus alia pecunia ſubducens, alia ſolerter explorans cautè, per litteras ſæpè ſolebat ad Olivarium tranſmittere. Hunc autem ſive occulto naturæ quodam præſagio, ſive quia nonnihil fortaſsè de ejuſdem perfidia Luzena ſuſpexerat, cùm fortè in Regia vel alibi obvium ipſe Luzena quaſi averſando refugeret hominem, ille verò malè ſibi in animo conſcius cùm etiam pejora, & inania timeret, ex eo pavidus, anxiúſque jam de voluntario exilio, atque fuga cum Olivario clam agitabat. Per hæc opportunè, ac lubenter cum Olivario accidiſſet, fraude una contorta, exploratoris, amicíque ſalutem, hoſtíſque ſimul perniciem intendere, mittit ad amicum Uliſipponem alba illa omnia quæ Luzenæ manu ſubſcripta, filióque ſubrepta folia apud aulam Catholicam fuerant. Præcipit etiam illi, ut via duplici in poſterum ſecretæ regni notitiæ tranſeant, alia nempe aſſueta, atque tuta, alia ex induſtria perículoſa, quâ eadem abdita rerum in albis Luzenæ tranſcripta Luſitanos data opera offenderent, compertæque ſuo nomine, ac manu obſignatæ proditionis indices litteræ exitium inſonti crearent cùm majeſtatis crimen affingerent. Subtiliter docet etiam quo aculeo, quo ſtylo, quo artificioſo verborum pro ſolemni figmento eſſet & rerum ambitu uſurus, unde crimini horror, metus, & ira Principi, perturbatio Judicibus, populo furor concitaretur. Alba hæc Luſitanus

ſitanus accepta folia, ſicut ipſi mandatum ab Olivario fuerat, diligenter compoſuit. Recto mox itinere tanquam ad Olivarium ſummiſſæ de more litteræ, & in cuſtodes tranſitus lapſæ, Bregantio ſtatim remiſſæ ſunt. Qui re improviſa, atrocíque valdè perculſus, & animo percitus abſque ulla mora de re ipſa conſultum intimioris fiduciæ clientes accerſit. Luzenæ ibi creditæ litteræ recitantur. Ea ſacra liquet ſupremi arcana Senatus temerata atque hoſtibus prodita eſſe, quæ, & aliis, & ipſis qui aderant quoque præter unum Luzenam eſſent muneris cauſa recondita. Viſcaris apparet captum illecebris hominem decus, fidem ac patriam, boni omnia civis, bonſque miniſtri jura, & officia venalia apud hoſtes feciſſe; manus prætereà ſubſcriptio, tempus, epiſtolarum contextus, res in ſpeciem quaſi fortuitò deprehenſa, & per errorem oblata manifeſtè Luzenam, & graviter in re graviſſima ſontem aſſimulabant. Erat Bregantius natura, uſque cunctator, ac mitis ingenio, conſiliſque vigorem, ac vim in temperantia, atque mora ponebat, premere idcircò ſilentio tantiſper cognitum ſcelus, ac ſuſpendere pœnam arbitrabatur, quoad fidos per homines ejuſdem Luzenæ convictum, actiones, loca, congreſſus accuratè explorari cum tempore licuiſſet, ut aliis innixum, explicatúmque crimen indiciis, & cauſæ gravitas prævaleret, rectè ita fieri decere pro ſummo adminiſtro ratus, cui & malevolos cumulaverat fiduciarii ipſa muneris celſitudo, ſimul etiam è dignitate uſque Principis quoque fore, quem idem ipſe extollendo, ornandóque invidiæ jaculis tanquam ſignum applicuiſſet, in eo, quo locaverat gradu, quantum ratio, & utilitas ſinerent, pro viribus ſuſtinere. Hæc meritò ſentientem, annitentémque Bregantium evicit tamen conſultorum, eorúmque Luzenæ pariter æmulorum triſtior prolata ſententia, fuſúſque in tempore livor, multum illi metus incutientium, ſi manifeſto perfidiæ ſceleris, Regíſque Philippi mercenario comperto clienti, jam cunctatiùs, ac mitiùs in crimine agendo, cùm fortè rem præſenſiſſet, elabendi dediſſet locum. Hinc enim ad regna alienigena dedecus publicum evaſurum primum ſcilicet è Status ſecretis miniſtrum jam impio facinore noteſcentem cunctatione, ac ſocordia Principis perfugæ ſimilem tandem elapſum, nec Luſitaniæ quidem fore minùs periculoſum ſi eo potiretur hoſtis, qui rationes, regni vires, conſilia Principis, etiam mentis receſſus calleat, & ea exteris nudaturus cum reipublicæ vulnere ſit. Secundum hæc dicta Luzena ſtatim comprehenſo, & in cuſtodiam impacto, res ubi illuxit, ingenti admiratione, & formidine admiſta propè attonita civitas ſtetit, hæc unde ludibria, inſperatáſque in hominem vices inconſtans, & ſæva quanquam repentè fortuna produxerit, quē paulò antè florentem, & in culmine rerum, & gratiæ ſummè felicem, omnibúſq; metuendū, ac venerandum aſpexerant, in momento velut tranſverſa incurrente fortuna, proſtratum, abjectū, ſqualore, ac ſordibus involutum, juguloque reſtim per horas timentē conſpicere. Eodem quoque tempore Luſitanus Olivarii explorator alias paginas albas, plures enim abditas ſecum habebat, & alias etiam ad reſponſionem confictas ab Olivario, quæ videbantur Luzenæ reddendæ, plenas omnes rerum novarum ſecreta maxima, quæque ſummo duntaxat patere miniſtro poterant, continentium, illa ipſa via, quia ſuſpecta, & lubrica erat, emenſo tempore, ac loco in Bregantii manus incidere procuraverat; cúmque ita omnes eodem viderentur ordine litteræ, & gravius rerum propè concentu in interitum hominis conſentire, à cenſura Status Senatus ad ſtrictiorem judicii formam Luzenæ cauſa

cauſa transfertur. Res porrò via juris agitur à Judicibus; indicia, & argumenta rractantur, quæ anteà fuerant in Senatu Polirico more diſcuſſa; Crimen atrox erat, cauſa omninò dilucidata; in ſuffragia Senatus ierat. Primò ergo colloquio vix adhibito Judices rei capitalis Luzenam propè condemnanr, & ſupplicium etiam accelerandum adjiciunt, cætera, ut conſuetudini, ac legi potiùs deſerviretur, quàm cauſæ velociter expediri. Tale enim erat fraudis compoſitæ acumen, & verſuta ſubtiliſque nocendi per epiſtolas ratio, ut rem evolventibus illam, nec reo defenſionis, nec ampliùs ſupereſſe Judicibus videretur veritaris quærendæ locus. Ad hæc majeſtatis crimen urgebat, & ira Principis, & quibus mos eſt in aula ad alieni imitarionem judicii, mancipatóque ſuperioribus ſtudio omnia laudare, aut promiſcuè reprehendere. Læſa indè graviter cauſa, perturbata inquiſitio, & arbitrium Judicibus imminutum ex feſtinato quoque ſupplicio gratiam apud Principem ſibi, pluſum fore apud populum in illo negotio cenſentibus. Luzenam igitur Judices arctiori cuſtodia, ac tetra caligine incluſum conveniunt, & ab ipſo requirunt, noſceret ne, quas iidem habebant in manibus litteras, adjectáſque litteris noras? Hic ſtarim porrectas ſumit epiſtolas, inrrepidè legit, hæret præſertim in ſubſcripti nominis ſigno, plúſque indignationis ipſe quàm merûs turbaro præferens vultu, ſubſcriptionem, reſpondit, ſuæ ſimilem apparere, litreras neque à ſe, neque ipſius juſſu ſcriptas, neque ſubſcriptas eſſe; impiâ ſe quidem, ac validâ fraude peti, eámque diſſolvere, ac prodere ſtatim in lucem ad ipſos Judices pertinere. Memoriâ effluxerant feſſo occuparionibus viro, alba quondam negotii cauſa filio commiſſa folia, vel illa fortè crediderat, quod ita occaſio tuliſſet, in aula Catholica tradita: illas idcircò fictitias notas, fraudulentum verborum tenorem, & nefarium omninò commentum exiſtimabat. Cæterùm cùm apud Judices parum valere ſoleant quæ vulgò ſontes afferunt ſui purgandi gratiâ, niſi ea ſummam cum vero habeant ſimilitudinem, eáque levis, ac frivola in ſpeciem reſponſio Judicibus videretur, cúmque ex adverſo indicia, criminíſque argumenta tum connexa inter ſe, tum in ſe valida viderentur errore humano, veríque ſimilitudine capti Judices perduellionis, ac majeſtatis reum Franciſcum Luzenam pronunciant, quem ſubinde quanquam inſontem in ipſa cura, & labore egregiè ſui muneris obeundi extremum, nimíſque feſtinatum ſupplicium ſuſtulit. Iniqua profectò, eáque vetus ſententia Principibus ſtetit in majeſtatis noxia, Statúſve, ur appellant, materie, minùs pœnam ad infligendam diſquiſitionis exigere, eóque perſæpè judicium, & cauſam præcipitare, his planè ignorantibus, aut fortè imitari dedignantibus Numen, cujus ſupplicium ſero, claudóque ſuccedere pede dicitur quò iiſdem exemplum rectæ juſtitiæ traderet.

Sublato Luzena, acriora Bregantius belli ſubinde tractare conſilia cœpit, jam animo erectus, ac fixus nedum arma hoſtium nolle domi expectare, ſed ultrò quoque in Caſtellam inferre. Moverat Principem eo tempore ſatis comperta hoſtium in hac contemptim moderanda militia quædam ſegnities, & animi torpor, ex quibus noverat alios tunc avaritia præcipites re nundinaria pro bellica uti, ſcortis, & otio alios, aut rapinis implicitos, Ducéſque quorum ea vindicare, ac revellere vitia peculiaris oneris eſſet, ſuo quoque exemplo firmare. Vetus præteteà ex ſegniori illo modo gerendi belli Bregantio ſuſpicio quotidie magis ingraveſcebat, quod Hiſpaniæ pro Luſitania recuperanda magnates ob privata

privatas ſuas rationes deficeret animus, ſive fides, ſive ipſa augendæ reipublicæ ratio; ſimul & ipſe longa experientia didicerat, multò profectò floris, ac roboris minùs Hiſpano ſubeſſe Imperio, quàm fronte, aut garrula fama, aut terrore, apparatúque minarum oſtentaviſſet. His acceſſerat argumentis nunc ſolito major exercitus copia Luſitanis, Galliſque militibus miſti, qui terra, maríque frequentes Uliſipponem eo tempore appulerant. Horum autem Gallorum militum dolum, quo hoſticum ſolum impunè pedeſtres longo ſpatio quamplures emenſi ſunt, ut ſolertia, atque audacia ſimul inſignem, inſerere placet. Rex Francorum icti federis gratiâ plures conſcriptas in regno cohortes convenire Rupellam juſſerat, ut paratis in loco navibus ſocio, & amico ſuppetias laturæ in Luſitaniam trajicerent. Verùm ut Gallica gens, bellandi, ſuâ indole, cupida eſt; nec abſterreri ſolet periculis ſoli peregrini adeundi, delectu per Regem in Gallia paſſim indicto longè plures Rupellam confluxerant milites quàm Rex deſignaverat, aut capere naves poterant. Igitur cùm à portu plenæ militibus naves ſolviſſent, vis reliqua militum ingens in eo littore deſtituta, ignara conſilii, eáque ſubtriſtis, & animo prope torpens ad arenam projecta jacebat. Conſilium deinde poſt mutuò collatas ibidem ſententias ineunt, ut cultum, & habitum mentientes Hiſpaniam pedibus ſuperarent. Placuit idcircò indumentum, ac notas ſumere eorum, qui religionis, & voti causâ ad Sanctum Jacobum peregrinantur, ſacro tanquam vinculo obſtricti, illud ritè ſolutum cum ſolito amictu pergerent Compoſtellam. Ea illi mente per diverſa, & obliqua viarum, ne multitudine proderentur, diſſociati, diſtributíque, erant enim ferè quingenti, animoſius iter arripiunt, alii Italicam, Belgicam alii linguam, & patriam, moréſque jactantes, quemadmodum oris, & corporis lineamenta, & linguæ uſum, ac ſonitum figmento congruere per ſimilitudinem apparebat. Horum nonnulli tandem Mantuam Carpetanam ingrediuntur, ſinguli publicè ſtipem peregrinorum more petentes. Hic fortè accidit, ut quidam ignobilis adoleſcens, ac penè puer cùm ab habitus ejus illuvie, motúque linguæ durum fundentis ignotis auribus ſonitum abhorreret, more puerili unum eorum intemperanter jocoſis probris, multíſque facetiis inceſſeret. Ad quæ vir militaris, & Gallus furiis, & rabie ſtatim correptus, quaſi ad ludibrium, & jocum homine Gallo Hiſpanus ſuperbus abuteretur, pugione rum, quem ſub veſte regebat, diſtricto, ruere in Hiſpanum laborabat adoleſcentem, ejúſque linguæ licentiam ſparſo cruore multare. Concurritur ſtatim à multitudine quæ in via ſive tranſitu erat; & primò impeditus eſt Gallus, ne interficeret fugientem, mox in carcerem raptus à ſatellitibus eſt. Ea re protinùs evulgata, tunc aulicorum memoriæ ſubiit non paucos hujuſmodi incedere notæ per oppidum homines viſos, narrabant, & alii, plurimos ſibi dum iter facerent, occurriſſe qui ejuſdem habitus ſpecie Hiſpaniam pervagabantur. Hinc porrò adminiſtris fraudem conjectantibus hoſtium, regium ſubinde prolatum imperium eſt, quo alienigenæ ubíque per iter cum hoc amictu, habitúque deprehenſi, & abſque litteris aſſertitiis omnes in vincula truderentur. Hoc impigrè factum eſt, Gallíque commenti hujus artifices ſupra ducentos per Hiſpaniam errantes inventi ſunt, qui ad Mantuam Carpetanam pertracti ejus carceres impleverunt; feliciùs reliqui ferè omnes ad Luſitaniam elapſi jam novæ militiæ nomina dederant. Quibus auctus Breganrius, luſtratíſque de more copiis decem ferè peditum tria equitum millia recenſuit, præter voluntarios, &

honora

honorarios commilitones per agmina paſſim effuſos. Armorum imperium Vaſco Maſcaregno Obidenſi Comiti traditur, huic auctoritate, & officio ſecundus Joannes Mendez Vaſconcellus ſummus Caſtrorum Præfectus erat. Idem Bregantius, ut fiduciam acrioréſque virtutis, & gloriæ ſtimulos propinquitate militibus adderet exercitum ipſe cum optimatibus comitatus in regni confinio ſubſtiterat. Cæterùm his belli nervis, & viribus ſi Caſtellenſes conferas, longè quidem inferior, ac plane anceps Caſtellæ rerum conditio erat. Rari enim hinc pedites, equitéſque, quorum meliorem per id temporis partem aut morbus abſumpſerat,aut fuga disjecerat, aut Catalauniæ ad ſe bellum abſtraxerat, reliquus miles otio, & laſcivia corruptus, iners, raptor ipſe prædando factus, & rapinæ proximus hoſtis. Præerat etiam hujuſmodi copiis Dux propè imbellis, imperitúſque militiæ, Garaïo enim ad Catalauniam cum armorum imperio tranſlato, ſucceſſerat optimo Duci Sancti Stephani Comes, vir ita ſane probitate, morum ſuavitate, modeſtia, aliiſque bonis artibus præditus, ut imperatoriarum valdè jejunus, & militaribus vacuus. In hoc ſtatu rerum exercitus Luſitanus ad oppugnandum Valverdem ducitur, idem ſcilicet oppidum ab iiſdem aliàs incenſum, atque vaſtatum, ſed quia propiùs objectum hoſtibus erat, & quaſi limitum propugnaculum, ideò reſici, impenſiúſque muniri Garaïus curaverat, & Luſitanus ſuas ibi vires aliàs proſperè expertus, latius nunc jacto terrore belli majora ſperabat. Valverdi ea tempeſtate tuendæ aderant legiones Italicæ duæ ſub Joannis Baptiſtæ Pignatelli, & Franciſci Caraſæ ductu; Pignatello, quia erat ſtipendiis, uſúque militiæ prior, onus tum illud defenſionis inſtiterat. Huc Maſcaregnus infeſtis cum copiis magno tumultu, ac ſtrepitu appulſus, cùm finitima quæque vaſtaſſet haud lento ſegníque obſidio, verùm impetu, ac vi quamprimùm potiri municipio conſtituit. Belli ergo tormenta diſpoſita, ac frequentius exonerata, poſtquam primam labem, inciſionémque muris indiderant, in eos conglobati tunc Luſitani ferociter irruunt. Nec ſanè minori ex hac parte conſtantia, atque virtute aggreſſores excipiuntur; vulnera paſſim, extrema pericula, cædes, & tam ſudoris quàm cruoris effuſio acerrimè utrinque intenduntur, cruentámque poſt pugnam feſſi, fractíque Luſitani recedunt, ſuperiores exitu hoſtes, at perinde debilitati. Hoc militari quidem ardore, impetúque per triduum extracta oppugnatio Valverdis eſt, ſtrenuis videlicet iteratis contra muros tenentes aſſultibus, eóſque viciſſim intermittente machinarum, exitialíque belli tormenti uſu, quò latior, ac tutior iis, qui irrumpere conabantur per ſtratas ruinas, & armorum, & hominum clades pateret acceſſio. Repentinas, ac fortes interdum incurſiones exeuntes oppido milites agitabant, quorum ſeu fortuna, ſeu virtus quanquam ſæpè ſuperior in his conflictibus extitiſſet, gravior tamen in victores, quàm victos cadebat felicitas ipſa certaminis, cum illis victoria paulatim vires imminuens,bellatorum,quâ maximè laborabant, inopiam augeret, in his infortunio, & ex bello quoque ſarciendæ jacturæ ſatis eſſet militum copia. Suſtinendi diutiùs itaque oppidi, quæ tenuis, & una reſtiterat Ducibus ſpes, externis duntaxat pendebat auxiliis. Pignatellus hæc Badacocii, ſupremus ubi Dux morabatur, enunciat, acceleratis præſertim ſe egere ſubſidiis, ne ſerò poſt miſſa, ab hoſte fortè intercepta, vel irrita forent. Audit hæc Comes, nec illi tamen conſilium, nec vis, nec animus ad maturandum negotium in re tam præcipiti,

Q &

& aſpera ſuppetebat. Itaque fruſtra conſiliis terere tempus, increpare, præcipere, vocare abſentes, novas velle conſcribere copias, ſic metu, ſegnitie, cunctatione rebus omnibus conturbatis, cujus profectò tergiverſationis & moræ Ducis arctior, ac ſolito preſſior jam municipii conditio intolerans erat; ficta ille tamen Pignatello reſpondit. Intrepidè ac ſtrenuè Valverdem tuendo ageret, plena ſe acie ſubſidio breviter affuturum. Oppugnabatur intereà pertinaciter oppidum; nam majora belli tormenta inceſſanter excuſſa per altos hiatus ruinarum acervos ingentes ex diſruptis, quaſſiſque jam mœnibus ſtatuerant; Has frequentes, & validæ ſequebantur ruinas in labiles muros Luſitanorum irruptiones, cùm in tanta affluentium multitudine militum novi, ac vegeti continuè cadentes aut laſſos per vices exciperent. In oppido contra perpetuus, multúſque labor, exiguus cædi ſuperſtes, ac ſe ipſo numero miles, ac feſſus; oppidanus à prælio averſus, & palàm aciem,& arma refugiens, munimentiſque paſſim convulſis, ac laceris, nuda, atque obvia Italorum objecta corpora, & magna ex parte vigiliis enecta, cruore ſtillantia pro acie, pro mœnibus erant. Urgebat rem etiam Bregantii propinquitas per reiteratos nuncios Valverdis excidium ſollicitantis, cui, & Maſcaregnus gerere morem, & militarem ſimul laudem captare ſummopere intentus jam indixerat Pignatello, niſi in tempore quod abſque dubio ruiturum oppidum eſſet, more militiæ traderet, afflictis poſt rebus quod nunc uſui clementiæ præreptum foret, iracundiæ ſolutum iri. Pignatellus igitur hæc poſtquam audit, & pariter videt majorem militum partem continua propè clade conſumptum, nulla, aut ſaltem intempeſtiva ad extremum calamitatis adſtrictis ſociorum futura ſubſidia, hoſtem magnæ ſpei plenum, & virium audaciter inſultantem, aſſiduáque fractorum murorum labe plures per ruinas apertos irrūpentibus aditus eſſe, nec porrò aliud ex ea pertinaci, cóploratáque defenſione,quàm fœdiora ſervitutis ludibria,aut interitū rem prolatando quæri,duodecimo ab obſidionis initio die pactus eſt cum Luſitano; cum cladis ipſe reliquiis, & armis in Luſitaniam contēderet moram in eo loco facturus, donec æſtas dilapſa eſſet, vita oppidani, atque opibus integri, quocumque vellent egreſſi, ibi figerent domicilium. Utrinque conſtitit fides, oppidúmque victor Luſitanus ingreſſus, ne rūrſus fortaſsè, ut priùs contigerat, inſtauratum fines ejus urgeret, illud funditùs diruit.

Valverde ita capta, ac ſtatim everſa, ad famam quæ falsò tunc diſcurrebat hoſtilis exercitus adventantis cupidus Maſcaregnus certaminis aleam experiendi eò movit cum omnibus copiis. Vano ſubinde rumore comperto, hoſtémque copiis animóque imminutum, ac trepidū,nec manus propterea conſerere audentem murorum ambitu, & clauſtris protegere ſe, tum vel ob hoſtium contemptum, vel inanem illam jactantiam majus, quàm pro viribus certè poterat ſuſcipere facinus viſus eſt, ſcilicet Badacocium opulentam, & magnam urbem illius regionis caput, ſedémque belli circunſidere. Eo porrò improviſus evectus extra tormenti bellici jactum milite diſtributo, cingit undique urbem,vias intercludit commeatibus pervias, loco opportuno collocat equites, alias ſolutas, & vagas militum turmas ad fortuita deſignat, ingenti tumultu, inani fragore, affectatiſque minis latè erant omnia, bellique aſpectu horribili circunfuſa. Urbanus interim miles pro mœnibus ſtabat, nec loco abſcedere certus, nec cum hoſte confligere, niſi quantum urbis cuſtodia, murorúmque tutela ſineret; propugnacula quippe urbis, circuitúſque murorum, copiarum quibus

bus intus egebant, ſupplemento Caſtellenſibus erant, ſimul re ipſa minores, quibus aliter ſuperabant, Luſitanorum vires ac nervos efficiebant. Idipſum cùm animo volveret Dux Luſitanus vel ira ſuccenſum, & ſæpiùs injuriis extimulatum, ac laceſſitum, ab urbe detractum elicere ad pugnam nititur hoſtem, ac ſi res proceſſiſſet, tunc murorum ab aliqua parte defenſionem extenuare. Concurſatio inde paſſim, rapinæ, vaſtitas, cædes agreſtium, propinquorum agrorum, atque villarum incendia, omnia hæc miſeranda, atque trucia ad iras exacuendas, frangendámque conſtantiam oculis hoſtium ſubjiciuntur. Propiùs deinde equeſtribus turmis immiſſis tum armis, tum contumeliis, & probris petulanter ingeſtis, dum muro aſſideret, Luſitanus provocat hoſtem; ſæpè etiam eò confidenter, & laxiùs Luſitani equites curſitando provecti ſunt, unde, ſi erumpere fortè Caſtellenſes conſtituiſſent, neque opis habendæ ſpes, neque regreſſui locus propè jam circumventis apparuiſſet; nihil tamen eorum cum Caſtellenſibus valuit, ut improvidè iraſci, aut loco ipſi moveri, aut quidquam incertæ vellent fortunæ committere. Seſe vincebant, ut vincerent hoſtes. Tandem ubi Dux Luſitanus animadvertit cunctis injuriis, conviciiſque jactatis, omníque malorum irritamento perculſis, ne prælio decernerent, ſeu irruptionem è mœnibus facerent abundè patientiam ſufficere Caſtellenſibus, diuturnam fore præteteà illius urbis obſidionem, & cùm adhuc integra ſtaret, univerſæ Caſtellæ opes ad ejus ſubſidia concitaturam rem in ſe duram, ſpe duriorem; longo, inaníque labore occupatum, aut animo conſternari, aut effluere, aut militem laſcivire, hoc ille metu concuſſus, & ab urbis obſidione retractus, paucis hinc, inde pilarum ictibus cæſis retrò copias abduxit. Cæterùm fama ipſa conſtat ſi aliquot ultra dies Maſcaregnus eo armorum objectu circunſtrepere civitatem, obſtringere obſidionem, atque interſeptas tenere commeatibus vias inſtitiſſet, præclarum fortaſsè facinus editurum fuiſſe. Tanta ex alimentis in urbe, re ipſa improviſa, atque imperitia cognita Ducis undique pertubatio, atque confuſio erat. Hoc paulò poſt intellecto Bregantius, cui ſemper nobilium, quippè qui, & invidere ſueverant, & fallere quoque fidem cum magna mercede poterant cùm proditio, tum ambitio ſuſpecta erat, eóſq; propterea in magiſtratibus honoribúſque mãdandis haud ſecus admittere, quàm præterire periculoſum exiſtimabat, cauſam ſive cauſæ prætextum libenter amplexus Obidenſem Comitem Maſcaregnum ſtatim exauctoravit, ſublegítque in ejus muneris locum Matthiam Alburquercium, qui egregii primò Ducis, tunc honorarii militis partes in eodem exercitu agebat. Feralia verò ſtrenui, novíque hujus Ducis initia populationes fuere, ac villarum, caſarúmque ruinæ longe, latéque per Caſtellæ campos, agróſque productæ, poſtque multos exciſos, uſtóſque vicos, & pagos, & prædarum, rapinarúmque coacervatarum undique ſatis abſtractum Alconcellum Alburquercius cum eodẽ exercitu invadit. Oppidum, ſitu cùm eſſet, & munimentis infirmũ primo impetu capitur. Supererat arx, quæ arduo, atque abſciſſo ſuperpoſita loco, aggere quoque vallata, & militum ſatis munita præſidio, aſperos, ac ferè inanes hoſtis aſſultus, longiorémque, ſi ultra is inſtitiſſet, futuram obſidionem præ ſe ferebat. Tumulus arci oppoſitus eminebat. Huc Alburquercii juſſu majora ſubvecta tormenta ſupra trecentos emiſerant ictus, at ſolo congeſto, mollique incidentes irritæ pilæ torpebant, aut falſiùs illiſæ, atque eluſæ ceciderant. Rei igitur difficultate

tate perſpecta, cæpere tunc inter ſe verſare conſilia Duces, omitterént-ne inceptum, quia id nimis difficile videbatur, an hoſtium debilitati, bellíque propitiæ, quæ per id temporis aſpirabat, fortunæ confiſi, in rem aſperam ampliùs intenderent? Pleriſque ibi cenſentibus Ducum, ut opus laborioſum, tractatu ne dum exitu durum, & quod non niſi belli munitionem, ſociorum ſanguinem, tempúſque vanè contereret videbatur quàm celerrimè prætermitterent, majori animo, quàm ex re ipſa concepta fiducia diſſenſus eſt Alburquercius. Etenim ſive metu, ſive viribus fractis, & ſuis munimentis paſſim incluſis, & circunſeſſis ab hoſtibus cùm nullæ tunc, aut longinquæ, aut inanes ſperari pro arce venturæ ſuppetiæ poſſent, occaſioni, ac fortunæ incumbendum eſſe decrevit; multa, quæ aſpera inceptu ab initio comperta eſſent, ſecundarum ſæpè rerum auferre curſum, alia unde teri minimè poteras in hoc ludo fortunæ feliciter expediri. Erat arcis Præfectus capti nuper ejuſdem oppidi Dominus Franciſcus Sotomaior, cui tanquam omninò rudi ineptóque militiæ, cùm minitabundus, nec certè quò tenderet, exploratus per ea loca diſcurreret hoſtis, impoſuerat Sancti Stephani Comes Legionis quemdam Inſtructorem, fortem eumdem, ac veterem militem, qui illius inertiam, atque imperitiam in molienda defenſione ſuppleret. Arx quoque abundabat rerum, & hominum copia, interitus, ſcilicet, fugæ raptarúmque per agros ab hoſte prædarum referta reliquiis, tum alimentis, tum belli munitione, ita ut nihil ejus juſtæ, tutæque defenſioni eo tempore poſſet, niſi propugnatorum conſtantia, animúſque deſiderari. In arcis igitur vallum, ut præceperat Dux, Luſitani ferociter impetum faciunt, ídque ſubruere, ac lacerare omni induſtria, atque vi connituntur. At incumbentium deſuper virtus, & pugnæ, locíque iniquitas eos deterrebat, & maximè fatigabat. Dum enim ab arcis cacumine favillarum, pilarum, ſaxorum tempeſtas continenter emittitur partim ferro, aliis igne hauſtis, compluribus ſauciis, ambuſtíſque, varia hic pereuntium, debilium, membríſque captorum forma, totiúſque negotii miſerabilis facies erat; qui verò ſub arce pro vallo pugnantes ſtabant, ſuperiùs à ſociis adjuti, atque animo aucti commodiùs, & acriùs certamen miſcebant. Biduo obſtinato in hoc certamine abſumpto, vicit poſtremò Luſitana pertinax virtus, ibíque inter cumulos aliorum ſuper alios cadentium, atque ſpirantium cùm largius infecta redundaret ſanguine humus, proditur vallum; qui illud tenebant paucis eorum ab hoſte intercluſis, aut cæſis, reliquis fuga dilapſis. Ita occupato, & undique inſeſſo ab hoſtibus vallo, nova rurſus occurrit laborum, ac periculi ſpecies, altitudo videlicet arcis, ſitus etiam, in quo jacebat, confragoſus, abruptus, aſcenſu nedum ipſe oppugnatu difficilis. Ducere idcircò cuniculos placuit, at his ægrè ſuffoſſis, & minori ſubinde pernicie quàm fragore, eò, quod eſſent loci caures perviæ, ſcindentibus ſe, propugnaculi tantum extrema pars, & ea quoque exigua diſſiluit. Ita porrò cibaria, miles, natura ſitus cùm ſatis ſupérque firmarent arcem, quòd Præſidem tamen ejus ignavum, armorúmque objecto quoque fulgore, ne dum acumine trepidum noverat Alburquercius, ſimulato terrore, atque inanibus minis, quem ferro, quem flamma nequierat huc uſque proſternere tum demum feliciùs aggreditur. Denunciat itaque obſeſſis niſi arcem, corpora, & copias in illa congeſtas tridui intervallo traderent, cùm Luſitanis omninò, ut ſatis tunc promittebat, fortuna faviſſet, fore, ut intet corporis cruciatus, & contumelias

tumelias omnia illi fœda, ac teterrima paſſi pertinaciæ pœnas exolverent. Ad hunc ventoſum minarum ſtrepitũ cum formidine propè torpidus arcis Præfectus obriguiſſet, dum opportunè acceſſura ſibi ſubſidia deſperat, ſimul etiam pericula, minas incuſſas hoſtis, nequaquam re ipſa, ſed ab impreſſo in animo metu, inaníque ac fallaci Luſitani jactatione propoſita pendit, poſtquam multas ſecum evolvit, ac fingit terroris imagines, ſpe omninò tandem animóque dejectus, ac fractus dedere hoſtibus aciem inſtituit. Idne modò committeret crimen, néve ſe, famam, & arcem, cauſámque Regis perditum iret, monendo, increpando, vehementer orando Legionis Inſtructor pro viribus obſtitit, intepeſtivam illam deditionem, turpem, execrabilem eſſe clamitans; ex ea tamen parte, quæ in regimine prævalebat, cùm reſpublica claudicaret, hic ne impedimento dedecori eſſet, fœdè intra arcem commilitonum manu, ſceleri cauſam præbente Præſide, occiditur. Quo nefariè ſublato viro, arx raptim, miles bonorum omnium congeries in hoſtis arbitrium, ditionémque conceſſit; & planè ut hujuſmodi infidis, aut ignavis fortaſsè militibus dignum erat, omnes inermes, ac propè nudos, viſu deformes, omnibúſque militiæ ignominiis affectos juſſit Dux Alburquercius in Luſitaniam tranſire, ibíque uſque ad anni labentis exitum commorari. Arcem autem ut ſatis validam, Luſitanóque propinquam regno retentam firmo præſidio munivit. Hujus arcis, oppidíque jactura Igueram etiam, Cheleſium haud ſanè imbecillia, ſed Alconcello finitima loca Caſtellenſibus abſtulit. Hoſtium quippe cruore Luſitanus ſatis aſperſus, & ſecundis inſuper rebus inflatus alia urens, alia raptans, proſternénſque obviam illi nemine eunte, ſtrage, ac terrore cuncta compleverat, ablatæque paulò ante vicinitas arcis, circumviventes municipes, agreſtéſque potentiori, ac propinquo niſi ſe dediſſent omnia invia, atque infeſta illis factura fuiſſet.

Poſt hæc Alburquercius Villanovam, quæ Freſini dicitur cum exercitu petit. Frequens tunc erat habitatoribus oppidum, muróque duplici communitum, cum quadruplici quoque murorum ambitu arce, totidémque turribus ſepta, atque in edito ſita loco. Præſidebat arci, atque oppido Franciſcus Geldrius Tribunus militum, clarus idem, vetúſque miles, ſecundo quem loco, & cum altera legione adjuvabat Franciſcus Aguerus item Tribunus. Cohortes etiam ibidem admiſtæ multíque honorarii milites verſabantur, huic enim oppido ex ſcientia, & conjectura militiæ jurè modò timeri debebat. Etenim Luſitanus, aut ſubigere Villanovam, aut quæ recenter circum habebat ingenti ſudore, ac ſanguine parta relinquere cogebatur. Rectus quippe oræ tractus ab Olivença ductus, & qui à Luſitano nuper ablata complectitur oppida ad Villanovam excurrit. Hanc toti regioni imminentem, continentémque fuſus ab Arca diſterminat rivus. Proinde ea niſi victa, ſubjectíſque locis adjecta, nec certa, nec ſtabilis hoſti, quidquid oppidi agríque circumjaceret, poſſeſſio acquiſita fuiſſet, omnia ſiquidem ipſa claudit, amníſque flexibus cingit. Huc auctis copiis, ingentíque fiducia animi ubi primùm Alburquercius appellit, quatuor ibi tormentorũ ſuggeſtus ad loci ſitum erigi jubet. Ludovicum ſubinde Silvam, & Antoniũ Saldanium Tribunos militũ binis legionibus ſumptis ire alacriter in ſuburbia, eaque omni belli terrore, atq; impetu premere juſſit. Aggeribus ſepta Villanovæ ſuburbia erãt. Hos milites Caſtellẽſes primò fortiter ſuſtentantes cùm ſitus anguſtia, debilitas valli, tum militum numerus in re ardua, atque aſpera iis porrò inæqua-

lis, difficiliſque pugnæ diſcrimen inferrent, plura paſſim excipiebant; quàm infligebant hoſtibus vulnera, poſt ubi integer ille dies acriori utróſque certamine implicitos, æſtúque feſſos, ac languidos cum multo cruore ancipiti prope marte diſtinuit, & jam ad tenebras declinabat, noctiſque cæcitas irritum oppreſſura certamen cum cæteris videretur, tunc Ludovicus Silva in ſuburbia primus irrupit. Clamor omnium repentè ortus, perterritiſque militibus, qui pro aggere paſſim pugnabant in ea perturbatione, ac tumultu ſtatim Saldanius ex altera parte pervaſit; victus pulſúſque qui ſupererat cædibus miles, ad oppidi munimenta confugit. Sic per ſtrata ſuburbia aditu mœnibus patefacto, curandiſque corporibus proxima nocte conceſſa militibus, prima luce Luſitanus alacrior in oppidi muros incurrit. Duplici, ut diximus, hi muri ambitu fundebantur, ibíque tum oppidanus, tum miles in hoſtes ſimul obverſi firmiori veſtigio, acriúſque pro mœnibus vires intenderant. Ad tormentaria fulmina redit idcircò Dux, quæ ictibus ſæpè contorta ubi latam anteriori muro impreſſionem, ac labem effecerant, crebríſque ductis inde ruinis per latera aperta fatiſcere murum, ſenſimque diſſolvi Alburquercius animadvertit, tunc dato militibus ſigno, ii celerius aſſiliunt propiúſque manus cum hoſtibus conſerunt. Cruenta erat utrinque pugna, at ipſa invadentibus difficilior: ruinarum enim interpoſiti acervi cùm duriorem aſcenſum, ac veſtigia prope lubrica facerent, & eaſdem ſuper ruinas quia contiguæ mœnibus erant cum pede ſtabili regii milites inhærerent, faciliùs impediebant ſubeuntibus aditum, ſimul etiam hoſtes, dum quidam rudera complanare, aut ſcalis admotis ex alia parte, quæ à ruinis, ubi pugna flagrabat, averſa erat, evadere in murum contendunt, alii etiam audaciores per gladios, per ignes, elidentéſque ſeſe cùm ſtrepitibus turbas in murum alterum enituntur, ferè omnes tamen, ſtrenuè tum incumbentibus Regiis ex primò, & altero muro expulſi, ejectíque & alii alios ſuo quoque præcipitio trahentes ferro, ſudibus, flamma variis artificiis effuſa ſternuntur, anteriori muro, quem plus animatus, quàm permunitus defenderat Caſtellenſis; penitùs fracto, laceratóque, ſecundo plures per rimas fiſſo, nec longè ictibus duraturo. Diurnus hoc maximè modo conſumptus militibus labor eſt, nox cùm appareret, cani Alburquercius receptui juſſit, diéque poſtera, ac ſubſequenti quiete jam feſſis permiſſa militibus, tempus ille expectabat quo majora belli tormenta, quæ perpetuò diſplodebantur, ampliori labe diſruptos jam propè laceros aperuiſſent. Geldrius intereà prior murus cùm fefelliſſet, alteri verò ut ſemilacero prorsùs diffideret, nocte, quæ inſtabat invaſioni futuræ proxima, cum viris electis ſeſe recepit in arcem, imbelli vulgo, vilique præda, quæ in oppido erant, hoſtium arbitrio relictis. Ubi illuxit, vidítque oppidum Alburquercius omni præſidio nudatum, ac deſtitutum, hoc protinùs occupat, diripítque, intacta ſacra relinquit, virorum ſaluti, fœminarum pudori parcit, eóſque fortunis belli jure tantummodo exutos inde aliò migrare coëgit. Arcis deinde quoquo modo vincendæ moles ſollicitum Alburquercium, nec deſiderio minùs quàm cura, & modo expugnandi planè æſtuantem habebat. Multum ademerant illi fiduciæ cùm robur, ac nota firmitas arcis, tum impigri Ducis hucuſque explorata conſtantia, virtúſque; at propè tantum addiderant jam compertus numerus hoſtibus imminutus, ac ſera, ſeu infirma Caſtellæ putata ſubſidia; meliori itaque ſpe, quàm formidine affectus, & quod vires deficerent per induſtriam

duſtriam ſupplere paratus vocat ab Luſitania belli machinatorem inſignem genere Gallum; multas ſimul moles obſidionales, atque ænea tormenta maxima & alia, quæ laborioſæ, ac diuturnæ obſidioni ex propinquo uſui forent advecta, quæque ipſe auteà ſecum habebat, ad arcem ſumma ope expugnandam diligentiſſimè inſtruit.

Inter hæc Badacocium allatum eſt plurima ſimul amiſſa, alia exciſa, atque exuſta Caſtellæ oppida. Super hæc interverſam Alconcelli robuſtam arcem, captam etiam Villanovam, ejúſque arcem hoſtibus circunfuſam ad extremum diſcrimen adductam labare, cúmque ita omnia, & alia poſt alia circa Principem urbem collaberentur, mœſta propterea, multúmque ſollicita civitas trepidabat, ne feſtinus, victórque fortaſsè hoſtis contra ipſam tandem belli exitium, ac peſtem verteret. Cæterùm Sancti Stephani Comes conſilia melius, quàm arma, & ſpecies rerum quàm res jam ab initio agitare cum Ducibus ſolitus, pavidè quoque tunc conſultando quærebat, utrum obviam extemplò eſſet arcis obſeſſæ periculo eundum, an cunctandum, reputandúmque potiùs, quod ſi reliquum id copiarum, & virium in conflictu fortaſsè ſuperior omninò affligeret hoſtis, ea circumpoſita regio ferro, atque flamma nullo poſteà ſubveniente corrupta, ab omni clade belliſque ruina eo uſque minimè deſtitiſſet, dum eodem etiam incendio Badacocii civitas conflagraſſet. Periculum itaque tantæ urbis cum illarum copiarum, & ita ut videbant, enervium opus tum eſſet diſcrimine jungere, atque attendere ſimul Villanovæ ne magis expediat arcis, an extremo, illa omiſſa, Badacocii periculo providere. Auctus eo tempore equitibus erat exercitus Caſtellenſis, at pedite nimis quidem attenuatus. Id cauſam Duci adornabat extrahendi, aut liberius negandi flagitatas ab arce ſuppetias, velut defectu peditis, qui fortior omninò cenſetur militiæ nervus, infirmas. Secus autem Rivenſis Marchio in eodem conſilio diſſeruit. Non vallo ſcili- “
cet Luſitanum, non aggere commu- “
nitum, inſtabilem, vagum, nimiſ- “
que ſibi fidentem, aut quaſi rem aſ- “
pernantem ducere tunc Villanovæ “
arcis obſidionem, minori idcircò “
negotio, vel quia ſecundæ perſæpè “
res ut fluxæ, ac mobiles vertunt, vel “
quia non ſemper temeritas prodeſt, “
eumdem fortunæ curſu, ac ſtrepitu “
quodam jactantiæ potiùs, quàm “
conſilio, aut viribus fretum intercipi “
poſſe. Multitudinem equitatus, quo “
ipſi tunc hoſtibus prævalerent, juſta “
acie, ac ſtatario conflictu parùm, ſed “
aggrediendo, incurſando, impetum “
faciendo, & valere ſanè quampluri- “
mùm, & minùs etiam periculi adire; “
ídque maximè convenire habitui, ac “
ſenſibus hoſtis, cujus vi vim, & fe- “
rociæ ferociam, & contemptui con- “
temptum opponere licuiſſet quem- “
admodum inſanire quandoque & ef- “
ferre quodammodo ſe ſapientem ad- “
deceat, ut alterius inſaniam obtun- “
dat; & cuinam, ille porrò incitatior “
animo addebat, & ubi hæc per ſe cer- “
tè non contemnenda reſervabitur “
acies, ſi noſtris impunè ſubjecta ocu- “
lis jaceant hominum cædes, cam- “
porum vaſtatio, agrorum exuſtio- “
nes, excidia oppidorum, & arcium, “
omnia conſtrata ruinis, incendiis ani- “
malium, & hominum ſtrage noſtris “
auxiliis deſtaudatorum? & qui priùs “
Luſitanis, exteríſque pugnando ter- “
rorem, & luctum ingerebamus per “
hanc cautionis modò, modò impo- “
tentiæ ſpeciem, belli nempe ludibria, “
& quædam profectò timoris integu- “
menta, quid inde futurum eſſe cenſe- “
bimus, ſi conſtiterit, nos nec Luſita- “
nis inferre vim, nec ab illis quidem “
illatam valere depellere, ſcilicet nec “

„ noſtra tuendi, nec aliena petendi ſa-
„ tis nobis adeſſe virium aut animi? In
„ eodem certè dedecore, ac rerum per-
„ nicie verſabimur ipſi, vel hoc alii
„ ignavia, alii virium inopia, aut cau-
„ tione, aut noſtra etiam perfidia non-
„ nulli contingere ſentiant. Res apud
„ homines ſpectatur magis, quàm cau-
„ ſa, & ſive dextera torpeat, ſive fides
„ in milite fallat, ſive infeſta fortuna
„ ſit, cùm attritæ res fuerint, pro re-
„ rum jactura nihil, pro contumelia
„ nonnihil diſcriminis habet. Ideò au-
„ dendum, atque agendum; non pa-
„ triæ tutela, non belli triumphus, aut
„ ornamenta victoriæ, nec etiam diſ-
„ ciplina militiæ ſocordia paratur, aut
„ otio, nec ad manus conſerendas ex
„ æquo ſemper metiri cum hoſte la-
„ certos oportet; ludit plerumque for-
„ tuna, ſuperat animus; interdum te-
„ meritas juvat, ut in hoſte quoque
„ perſpectum eſt. Formidine in aula,
„ inter arma ubicumque quiſque poſ-
„ ſeſſus, aut ſegnior, aut nimis agen-
„ do cautus, is ferè nunquam bonam
„ experiri fortunam poterit; adverſam
„ ut ſentiat æmuli, aut hoſtes per vim,
„ per inſidias illum urgendo adigent.
Hæc Marchio Rivenſis cùm ibi locutus ferociter eſſet ad primam temperandam ſententiam, ſeu ratio, ſeu pudor vicerit, Sancti Stephani Comitem tranſtulit. Porrò inter Duces convenit, ut Regi Catholico ſtatim reſcriberetur defectu peditum, atque pecuniæ ſuperbo, ſævóque hoſti, qui quacumque iter faceret clade oppidorum, & igni, ferróque calamitatis impreſſa veſtigia relinqueret, obviam procedi minimè poſſe, nec trahi quoque bellum, ni ſupplementa citiùs accederent, ſine majori periculo, ac nota ignominiæ poſſe. Sancti Stephani Comes exremplò Zafram, quod eſt oppidum Villanovæ propinquius, accederet, Sabaciúſque magiſter equitum cum omnibus copiis ſub hoſtis, arcíſque eo tempore laborantis aſpectu, figeret caſtra; nec ideò tamen cùm Luſitano congrederetur, niſi clariùs fortuna faviſſet, aut aliquis fortè caſus, qui aliquo pacto ſufficere videretur inopiæ illarum ſupplendæ virium, incideret. Inter hæc conſulta, & quia res cunctari prohibebat celeriter etiam acta, Matthias Alburquercius omni obſidionali inſtrumẽto munitus vehementiùs arcem diverberabat, nec minori quidem ardore animi, ac ſtudio intus incluſi tutelæ ſuſtinendæ vacabant. Interdiù, noctúque majora belli diſploſa tormẽta ex magna parte quaſſaverant muros, cùm hic verò quadruplex eſſet, & alia ſuper aliam ruina cumularetur, ſtratorúmque acervorum obverſæ crepidines ſurgerent, ipſa continuè cadentium, atque eminentium ſaxorum ſubſtrata moles plus initio implicatum, atque præciſum tranſitum hoſtibus faciebat. Intererat quoque foſſa, quàm humo advectitia, ſarmentis, & collecto undique lapide implere hoſtes conati ſunt, at ſupernè demiſſus ignis fruſtrà annitentes quoſdam avertit, alios ambuſſit, nonnullos penitùs hauſit. Noctis caligine tecti ad foſſam jungendam Luſitani pontem conſtruxerant, at idem impetus, impulſúſque ſeſe collidentium in arcto, atque in lubrico etiam errantia veſtigia loco plurimos devolverunt, alii & miſſilibus deſuper cæſi, alii per vim præcipites acti. Hoc modo prætereà & tumuli lignei, & aliæ bellicæ inductæ machinæ partim laceratæ, aut ſubverſæ, partim incenſæ ſunt. Verumtamen ea ſæpiùs, & acriùs quotidiè tormentorum incuſſa vis, impetúſque cum clade perpetua intercluſos, arcémque proſterneret, niſi citiùs ſubventum eſſet extremam, certámque perniciem jam omnia paſſis, auſiſque in illo obſidio militibus obtendebat; primus enim, & alter conquaſſati muri circuitus ruerat, ſtratámque tandem injectis arborum truncis, ac mœnium fragminibus

minibus

minibus foſſam tranſgreſſus, jam tertium, & ultimum acerrimè quoque Luſitanus pulſabat; ſuffoderat etiam cuniculos, qui cùm altiùs, latéque ducti, & à perito in primis artifice eſſent, ignis intus incluſa, ſuppreſſáque vis, complexiſque ſilicibus obluctata, ubi victrix ac rapida tandem ſuo impetu erupit, munimento partim exciſo, partim effracto, atque ultimo exitio proximo cum armorum, ſaxorum, hominúmque ruina ſtragem ingentem edunt. Ea nulla re major tot inter arctas obſidionis anguſtias, iteratáſque aſſultibus plagas perculit Geldrium, cúmque ita ſenſim omnia arcis munimenta laxari, & omninò defluere, ac mœnia cedere inciperent, eò ad ultimum devoluta circumſeſſorum conditio erat, ut non ampliùs tunc illos ambitio victoriæ ſive arcis tutela premeret, ſed ſalutis ſollicitudo. Hæc tanta ruina, hic bellicus fragor, hoc prælium internicinum Sabacii, qui caſtra proximè habebat, auribus, oculíſque propoſita erant; ipſe tamen imperii Ducis ejus ambigui, vel ita dolo compoſiti, ut pro ſucceſſibus rerum improſpera argueret, ſecunda probaret, ne infortunatus interpres eſſet, illic otioſus, ac deſes excidii ſpectator ſtabat. Itaque Geldrius poſtquam neque ultra teneri aciem, neque ſuis ita rebus ad extremum labefactatis, ſubſidia, quæ prompta jam eſſent, accurrere cernit, uno & vigeſimo poſt obſidionis die per honeſtas in primis conditiones ſemirutam prope arcem Luſitano conceſſit; mox cum reliquis ſociis & armis, omníque militari apparatu, atque pompa Sabacii ſe copiis adjunxit; & planè quanquam eouſque afflictis, ac perditis rebus, & ad omnem ſubſidii deſperationem compulſis graviores exigere Luſitano conventiones deſertis ab hoſtibus licuiſſet, inſitus tamen virtutis fulgor, & quædam abdita vis, quæ utique omnes præter privatim invidos rapit, quæque eximiè ſpectata in arcis propugnatoribus fuerat, eò ſubegit animum hoſtis, ut iræ ac vindictæ loco gratiam, & admirationem acciperet. Poſtremò Alburquercius arcem, oppidúmque refecit, militúmque præſidio firmavit.

Dum apud Vectones ſic aucta per arma res Luſitana pollebat, eodem ferè tempore eodémque æſtu rerum ſecundo in ora quoque Gallæciæ promovebatur. Huc ita jubente Bregantio Caſtelmeliorii Comes cum ſex peditum millibus, equitibus verò nongentis infeſtus intravit, cùm regni ibi tunc & armorum imperium haberet ex Ordine Melitenſi Navarræ Prior, qui ſummum poſteà ejuſdem religionis magiſterium obtinuit. Salvaterra opulentum in illo Gallæciæ tractu, & populoſum oppidum eſt, primò frequentiùs à Luſitano depopulatum, ac mœnium deinde fragilitate, ejúſque præſidii, ac munitionis inopia dimiſſum. Tunc validius hoc oppidum erat, atque arcis egregiæ præſidio ſuffultum. Nobili quoque flumine Minio quod utrumque Luſitani Gallæcíque diſtinguit, rerúmque uſu, & commercio copulat regnum, proximè alluitur. Propinquitas ipſa cùm per mutuas, & crebras incurſiones, abſtractáſque repetitis aſſultibus prædas multum negotii, ac periculi utriſque finitimis compararet, Luſitano cupidinem attulit illius oppidi potiundi. Porrò autem ipſæ præteritæ paſſim inflictæ clades, támque infeſta vicinitas incolis, atque etiam diſcrimen, in quo idem oppidum verſabatur Regem Catholicum admonuerant ita locum circumvallare, ut ſatis is poſſet ſeſe ſuſtentare, regioníque adjacentia, & contigua ſimul protegere ſpatia Quod, & celeriter mandato Regis effectum eſt, Salvaterræque præſidio Franciſcus Picona cum militibus veteranis mille, ac ducentis impoſitus. Præſto ejus erant tutelæ quoque ſi agenda fortè

res

res eſſet, inter municipum multitudinem quamplures juvenes ſtrenui, pugnæ gerendæ habiles, emeritíque milites; in ea enim regione præſertim copioſiores quàm alibi habentur pro univerſo Hiſpaniæ bello delectus. Hæc ſecum reputans ipſe Dux Luſitanus, ſimul & ſuorum militum paucitatem, quibus ſubnixus diſcrimen adibat invadere furtim Salvaterram decrevit. Nocte igitur intempeſta tranſvectas ratibus copias, & ad fluminis ripam, quæ binas diſtabat ab oppido leucas, expoſitas illuc celerrimè ducit. Paululum inde progreſſis ſtationarius miles fluminis cuſtos occurrit; Tumultuaria ibi conſeritur pugna; cedit denique Caſtellenſis ut animo, ut numero longè minor, tum re inexplorata pavidus trepidúſque illicò diſſipatus, ac fuſus exceſſit. Hinc Salvaterram citato gradu contendit hoſtis. Tum verò à monito Præſide raptim ex oppido emiſſa agmina peditum, equitúmque dum ſine imperio, atque ordine, quod brevitas temporis, ac noctis obſcuritas impediverat, incompoſita, & circunfuſa manus per iter cum hoſte conſerunt, multa poſt vulnera accepta, fuſúmque cruorem in fugam conjiciuntur. Sic patefacta mucronibus via, cruentatis jam manibus, ac ſtimulata cædibus ira Luſitani ferociores in oppidum irruunt. Franciſcus Picona, quem gravius in primis hujus defenſionis premebat onus, tunc re improviſa, ſimul fuga, ſimul cæde ſuorum, hoſtis alacritate impetúque perculſus, & animo percitus, ut pro tempore, nocturnóque tumultu potuit, in loci tutelam intendit. At Luſitanus eodem ardore provectus jam applicabat mœnibus ſcalas, projectioríſque audaciæ nonnulli inter eos jam muros aſcenderant, alii, & ægriùs in arctum enixi, & cùm progredi non daretur in lubrico hærentes pendebant in muri margine potiùs quàm ſtabant. Atrox ergo ibi certamen editur, cùm dura, atque aſpera omnia extra illum impetum animi, conflictúſque primi calorem Luſitanis objicerentur; Adeſt hortator,& cujuſcúque laudis, ac meriti teſtis,ac particeps ipſe Picona, audacia oppoſita audacia,impetus impetu,& æquis utrinque propè viribus vis ſuſtinetur,firmo ibi Caſtellēſibus pede,obvio, atque intrepido pectore, per gladios quoque per fuſtes, conſertis inrerdum lacertis pro murorum ſummitate luctantibus. Deinde cùm etiam oppidanus armarus ad murorum defenſionem confluerer; adjectóque ſubſidio Caſtellæ militibus vis, & animus augeretur, jam imparibus opibus fracta, ac retuſa tandem hoſtis ferocitas eſt; ſcalis partim ſubeuntium onere attritis, aliis à defenſore dejectis, cúmque maxima ſtrage homines, arma, & ſcalæ paſſim inciderent, & alii undique ſaucii, afflicti ſupra, vel infra mœnia fœdè conciderentur, neque illo impetu capi poſſe oppidum videretur, remittere tandem vim Luſitanus laxare paulatim pugnam, omnes poſtremò à duriori labore, ac periculo abducere, quò requies, & eſca fatigatis permiſſa militibus in majores ſubinde conatus jam concitatum & ægrè repreſſum agmen effunderet. Jamque ſtantes, armiſque ſuccincti perfunctoriè ſumpſerant cibum, & hora quies arctior conceſſa militibus erat, cùm rurſus Caſtelmeliorius tripartitò Salvaterram aggreditur, aliis ſubtuere muros,ligneas aliis agere moles, reliquis manus diverſis in locis cum hoſte conſerere juſſis. Graviùs quidem, & longè acriùs, quàm quæ exacta paulò antè fuerat, hæc nova pugna recruduit, aſſuetudine enim, audacia, cibóque refectæ vires, & ſpe firmiore concepta creverat animus Luſitanis. Vario inde genere lethi, tótque illa diviſa locis eò fœdior exarſit, ac multiplex pugna, ut miles vix unus eſſet à labore, à periculo, ab ictibus vacuus; nihil conſilio, aut ſegniter agi; trahere

trahere cuncta, & miſcere furor, ardórque belli. Tum verò Picona ad tantum effuſæ cædis, martíſque furentis horrorem, & cladem, réque jam ad extremam calamitatem adducta, quid fieri tunc opus eſſet, incertus, & anxius animo fluctuabat; nam veterani pleríque in primi conflictus ardore ceciderant; oppidanus cum nimia audacia, ac propè furore territus hoſtis, tum inſueto, gravíque labore enervatus, & laſſus è muris partim effluxerat, partim ægrè tractabat arma, præteteà cùm oppidi munimenta recenter compacta eſſent, jam levia, atque fluxa, & hiantibus undique fiſſa rimis ruinæ proxima vacillabant, & ſuper hæc temerarius, & conatibus præceps eouſque inſtabat, urgebat hoſtis, ut videretur eſſe illi victoria potior, quàm cruoris, ſpiritúſque profuſio. Dum ita igitur Luſitani certatim in cuſpides, globos, & vulnera ruunt, ſcalæque paſſim, belliquе inſtrumenta admoventur, & alii muros ſcindunt, alii munimenta revellunt cum omnia ruinarum, cedíſque plena Picona conſpiceret, nec oppidi excidium in tanta violentia prohiberi poſſe, nec prolatari, deſperata poſtremò defenſione, oppidóque deſerto cum reſiduis miliribus, municipibúſque ad arcem evaſit. Victor tunc Luſitanus Salvaterram ingreditur, prædáque ingenti ibi parta, & congeſta contentus manum à ſanguine abſtinet. Unóque die cœpta eſt, ac finita memoria, & frequentia magis, quàm munimento oppidi celebris expugnatio. Poſtridie in oppoſitam arcem Luſitanus ex compito ducit. Diriguntur belli tormenta, quæ victis victor abſtulerat hoſtis, fodi cuniculi incipiunt, ligneæ turres promoventur, obſidionalium machinarum jactatio, bellíque omnis compoſitus terror oculis, auribuſque in arce clauſorum offunditur. Cæterùm fœlicitas, virtus, celeritas illa perſpecta hoſtis formidinis tantum circumſeptis incuſſit, ut hi nihil temporis, nihil fortunæ, aut incertorum ſe perpetuò volventium in orbe caſuum experti ad primam oſtentationem terroris dedere arcem Piconam compulerint. Pactiones ergo deditionis cùm pet interjectas inducias componerentur, evenit, ut quidam miles genere Gallus, cui Violæ de Athis cognomen erat, arcis ad oſtium fortè progreſſus foramina quædam inſpiceret, unde impune ferire poterat hoſtis; ſtudio deinde rem propiùs videndi, cognoſcendíque cùm ille eò temerè accederet, hærerétque jam ſtantibus fretus induciis, tum à Gallæco gregario milite, eóque etiam rudi, ac ſtupido prope homine per eoſdem hiatus fiſtula ferrea in corde transfixus occubuit. Hæc cùm vidiſſet Luſitanus, quia facta æmulorum ſenſu rerum in deterius ſemper coacto, ut animo ſubjicit livor, calumnia traducit, & quia in gratiam quoque Gallorum, quorum plurimi in acie ſtipendia merebant, ultio ulla repoſcebatur, non errorem, non caſum, nec ſtupidi unius, hebetíſque militis ignorantiam in rei perpetratæ cauſa, ſed tanquam inſitam genti perfidiam per violatas inducias occulta fraude graſſantem exiſtimans, ubi primùm arcis aditus patuit, quibus pacto vitam conceſſerat, trucidari milites juſſit. Proinde incompoſiti, inermes, fallacíque ſubnixi fide cum arce digrediuntur oppidani ſimul, & milites gladiis, haſtíſque ſubitò excepti pauci diffugere, plures capi, plures occidi, pleríque cæſi, aut vulnere afflicti alii ſuper alios jacentes ingentem attollere ſtragem, & latè cruore diffluere, quivis ut cum hoc aſpexiſſet pecorum lanienam, non hominum pugnam ſe aſpicere arbitraretur. Sic utrinque exæquata propemodum cædes eſt, cùm multò plures anteà victores, quàm victos temerarius ille ſtraviſſet belligerendi modus. Poſtquam iram victoris tandem, falſóque

que conceptam injuriæ labem fuſus abundè Regiorum ſanguis extinxit, oppidani, qui priùs extra arcem fortè permanſerant, ſeminudis ejectis, arx, oppidúmque à Luſitano recenta ſunt, ac præſidiis munita. De hac in Gallæcia inflicta ſibi repentè clade Rex per litteras certior, ſimúlque ſollicitus, quod præ oppidi, junctæ arcis, amiſſque poſſeſſione, gradum ex quo gravior deinceps toti provinciæ immineret, in illo regno fixiſſet hoſtis, Navarræ idcircò Priore ſummoto, ad Cardinalem Spinulam Compoſtellanum eo tempore Antiſtitem armorum regimen detulit, receptionémque nuper amiſſi in Gallæcia oppidi commendavit. Erat hic illius Marchionis Spinulæ filius, cujus rerum in Belgico bello geſtarum gloria inter ſummos ejuſdem ætatis Duces effloruit. Cæterùm non ita fortuna, nec virtus in homines, ut ſæpè numero vitia, profluo genimine ſanguine transfunduntur; Cardinalis enim Compoſtellanus Antiſtes octo ferè peditum millibus, equitum verò bis millibus ad Salvaterram recuperandam aſſumpris poſt multum laboris, & ſtudii nequicquam aggrediendo, pugnando, rem omninò intendendo jactatum inglorius, ac denique inanis Compoſtellam inde repetit; Eodem quoque vertente anno Sebaſtianus Mattus Bracarenſis Antiſtes diem obiit in Luſitania, is ſcilicet, ſicut diximus, olim conſpirationis in caput Bregantii nequicquam initæ auctor, & ob ampliſſimum Sacerdotium, & infularum ſplendorem extremo ſupplicio exemptus, ac perpetuo carceri mancipatus. Ipſum autem Antiſtitem utrum natura, an veneno quæſitus languor, vel continentis horridíque carceris mœror, ſqualórque, ac ſimul tædium, ſatiáſque vitæ ad ſuprema compulerint, cùm varias in cauſa promant ſcriptores ſententias, eáſque ut partium ſtudiis affectas omninò ſuſpicioſas, nos parum hucuſque compertum habemus. Fuit ille ſanè vehemenris, acrioriſque ſpiritus vir, cuicúmque ſuſcipiendo, tractando negotio dexteritate idoneus, diſſimulatione mirabilis, animique virtute, ac robore par, ſimul ſollicitus, impiger, callidus, laboribus indefeſſus; pro ſuſtinenda verò Regis Catholici cauſa contra illecebras inflexibilis, contra minas interritus, contra ærumnas, & contumelias animo infractus, ac prope ferreus; eadem fronte, eodémque vultu, ac perpetuo tenore vitæ, in utráque fortuna uſus, ſed circa vitæ finem, ipſi niſi febriciranti, & animo tunc ſenſibúſque præmortuo vis morbi, aut delirium mentem mutaſſet, rationémque torſiſſet, viſa pleriſque vetus in illo conſtantia eſt, perſpectúſque animi nervus, extremíque cum initio in ſapienter operando connexio deſiderari; nam ſi in re quoque ſuſpecta Luſitanis credere liceat, longè diverſas à reliquo vitæ curſu cùm propè metam attingeret, fertur Antiſtes Bregantio miſiſſe preces, nimirum ſerviles, abjectas, minimè dignas, quæ à cliente Catholici Regis, & qui ſui quoque facti conſcientia, ut fieri decebat, ſeſe ſuſtentaret, effunderentur. Dicitur enim pauló poſt ſpiraturus ſubmiſsè à Bregantio precatus eſſe, ne in funereo ejus lapide pateretur querelæ notam inſculpi, quæ ipſius memoriam poſteris odioſam, ac deteſtabilem propagaret. Etenim multo in eo monito plus viſus eſt hic tribuiſſe vulgari, & erraticæ mortalium opinioni, quàm certo, ratóque conſcientiæ judicio, vel non rectè jampridem ſibi contra Bregantium feciſſe conſcius adverſus legitimum animi ſenſum rationis, & juris effractos ſtimulos hebetaſſe, vel ſaltem non ſatis ipſum intellexiſſe, viro bono, integróque nec vita functo, nec illa defuncto mali quidquam accidere poſſe, ex qua levis, aut pravi fortaſsè cognita labe judicii, ut rumor poſteà percrebuit, nec

Caſtellen

Caſtellenſium Antiſtes vitavit odia, nec Luſitani gratiam promeruit. Ita patientia intempeſtivè conſumpta, vel aliam alia ſæpè tradente ſententia, ſtulta quædam oritur pœnitentia, qua laudabiliter geſta, & bonam adeptam exiſtimationem corrumpimus, cùm ſatius profectò ſit, dum multiformi opinionum errore, ambitúque & inſcitia jactamur, quocumque te ratio, ſive caſus impulerit, modò ne veritas vincat, laudem conſtantiæ quærere.

1644. Quarto belli labente anno, intenſior, & gravior utrinque bellicus ardor efferbuit, Caſtellenſibus propè indignantibus, quod rari, paucíque hoſtes in extremis Hiſpaniæ oris incluſi fiduciæ tantum, & animorum ad confligendum afferrent, & quaſi videri pugnando vellent ſubeſſe conatibus animum pro veteri imperio ſuperbum Caſtellæ jugum imponere. Contra lætis ſucceſſibus tumidus Luſitanus per experimenta certaminis cæperat jam propè contemnere hoſtem, & quia ab Hiſpani Imperii amplitudine prima ipſi concepta terroris opinio jam inter arma fefellerat, eadémque quotidie opinio non deſiſtebat denuò collatis expertíſque viribus minui, nunc ad majora pro bello tentanda ſpes erexerat, animóſque. Accendebat hæc etiam ſtimulabátque ſuis artibus Gallus, qui Bregantium paulò ante monuerat, validioribus copiis ineunte ſe anno Catalauniam impetiturum, idipſum, & ille curaret ab Luſitaniæ parte geminatis opibus perfici quo aſperiori, ancipitique bello diſtractus, implicatúſque Catholicus Rex, aut utrique per arma ſuccumberet, aut vires ſaltem utrinque remitteret. Acciderat autem ſub idem tempus ut Gallica rates ad Hiſpanum per tempeſtatem impacta littus ob quaſdam ibidem deprehenſas epiſtolas talia hoſtium conſilia proderet. Hæc porrò cùm ſciret Catholicus Rex de utriuſque regni defenſione ſollicitus multiplici cura præcipuè, ac deliberatione ſuſpenſus hærebat, quem Luſitano pro bello Ducem eligeret tanto periculo parem, tantóque oneri ſubeundo, ſatis, & ipſe conſcius non tam copiarum inopia, quàm Ducum ſuorum ſegnitie, atque ignavia ab Luſitanis hucuſque præter omnium opinionem res Caſtellenſium acciſas. Erat per id tēporis acriori cuſtodiæ addictus egregius, magníque nominis Dux Marchio Turrecuſius Neapolitanus; nam orto inter ipſum, ſanctæque Columbæ Comitem Catalauni tunc belli Ducem diſſidio, ira cæcus, præcépſque Comes in Turrecuſii ignominiam baculum militarem percuſſuro ſimilis extulit; quod Turrecuſii filius ingentis eo tempore ſpei, florentíſque indolis adoleſcens intuitus, iræ impetu abreptus in Comitem ruit, ſolo dextera afflixit, ſtratúmque impulſibus hominem, colaphis, pugnis, conviciis ſuperincumbens exagitavit, confeciſſétque profectò jacentem eo quem eduxerat pugione, niſi à patre inhibitus foret. Hujus criminis reus, quod diſciplinæ bellicæ ratio exemplíque contagium re ipſa gravius efficiebat, ſcilicet quod cauſam dediſſet jurgio, & quod filium initio juviſſet ſupremo Duci inſultantem, in cuſtodia ea tempeſtate reſtrictus Turrecuſius attinebatur. Attamen Rex Philippus ne in tanto Luſitaniæ periculo, Ductorúmque ſimul penuria, cùm & metus ab hoſte, & militaris hominis laus obterere crimen per id temporis viderentur, in otio, & cuſtodia languentem inclytum Ducem ſineret, Marchionem Turrecuſium ad Luſitaniæ fines cum armorum dominio tranſtulit. Id itaque muneris novum Ducem ingreſſum, idque alacriter gubernantem opinione in primis aſperius offendit, vitia nimirum inter mi-

lites vellere quæ anteceſſorum ejus deſidia in belli diſciplina, atque ordine militari contraxerat. Solutus enim, molliſque miles, & à ſignis, & ordine averſus, ut ſupra ſæpè commemoravimus, non blanditiis, non imperio, non injecta formidine, aut ullo dedecoris odio ab rapina, libidine, otio, belliſque oneribus aſpernandis ſatis hucuſque coërceri, aut temperari poterat. Honores prætereà gradus, & officia militiæ non ætatis, non valetudinis, non rectè factorum, aut enitentium merito cicatricium, longiorìſve ſtipèdii gratia, ut illa impertiri conveniebat, ſed erant pleraque caſu, aut pecunia, aut magnatum favore, ac beneficio interverſa, devióque itinere parta. Novis idcircò militibus veterani, & juvenibus ſenes obediebant, & ſæpè quoque multò minor ætate ei, qui plura, quàm ille annos, ſtipendia referret, imperitabat. Corruptelæ profectò omnes, peſtéſq; reipublicæ, quæ celeriùs perdendi, aut jam propè deperditi Imperii nedum argumenta, ſed & cauſæ revera ſunt, cùm nempè divitiæ, aut fortuna, aut nudus generis ſplendor, aut gratia intercipiunt regiminis gradus, qui primo loco virtuti debentur, nec ibi ætatis, nec ratio meriti habetur. Poſtquam igitur Turrecuſius preces cujuſquam, & gratiã merito poſt habendo, ſimplicíque ornamento virtutis magna rerum converſione militiæ munia, & officia prudenter æquavit, frequentes & ſtatim ab aula redditæ ad ipſum epiſtolæ ſunt, procerũ nempè clientes ſuos commendantium eóſque ad inferiorem redactos ordinem eſſe querentium, quibus vir militaris tergiverſandi, adulandíve neſcius ingrata, & aculeis contorta reſponſa reddebat. Pro illorũ deliciis, vitęque illecebris conſervandis, quas tanti ipſi facerent, tantúmque apud aulam affluerent, in acie, in arena ſeſe quotidie laborioſam, trepidam, ſollicitudine ac ſtomacho plenam traducere vitam. Caverent idcircò ne inverſa per eos militum inſtituta, & militaris laxata licentia, & per hoc etiam laurea victoriæ porrecta hoſti hujuſmodi clades contra Imperium inveherent, quibuſcum decus, & vitam ipſe, regnum Rex, iidem corporis voluptates, & fortunæ indulgentiam, & copias ſimul amitterent. Mederi tempus multis erroribus poſſe, errorem in bello rapidum eſſe, & quem luctuoſa, atque propera ſequitur pœnitentia. In commendatitiis denique litteris urbanitati, atque gratiæ abſque alia cura magnates, utplurimùm indulgere, illas executuris fidei, atque officio ſerviendum eſſe, quæ duo ſæpè non convenirent. Hæc & alia Turrecuſius primariis aulæ Catholicæ viris reſponſa libera mittens, ubi ignaviæ, virtutiſque diſcrimen per diſtributa prudenter officia in exercitu poſuit, & ſtrenuis quoque expertiſque firmavit agmina Ducibus, & quam ſibi primùm indixerat, lege corruptos deinde hominum mores compoſuit, brevi propè collapſam militum diſciplinam reſtituit. Ad militum enim animos dedocendos, & libidines temperandas Duci potiſſimùm faciebat notior in illo religionis affectio, reſque divinæ cultus, ab omníque libidinis, atque avaritiæ ſuſpicione purus, & integer animus, quod capiti honorem, ac reverentiam, ampliorem fiduciam, & inſuper documentum militibus comparabat. Ita igitur brevi exercitu confirmato ſubinde Turrecuſio delatum eſt. Apud Campomajorem arma milites, equos, omnémque belli apparatum ſtudioſiùs, quàm anteà fecerat hoſtis, ac celeriter congregare; novi quippè Caſtellæ Ducis auſpicium, ac nomen ingentem expectatione, metúque ſollicitis curam intulerat hoſtibus, eóque proſpero ſibi curſu tandiu in bello fluxiſſe res, id præ inconſtantia, ac varietate fortunæ etiam inter animi fluctus, & æſtus pars ſuſpicionis, & metus erat. Conjecerat

cerat Turrecuſius eo, quem tunc maximè intenderant conatu belli, conſilium ſubeſſe hoſtibus, adoriri Alburquercium, ita vocatur Caſtellæ oppidum, quòd brevi hoc intervallo à Campomajori dirimitur oppidum, ibíque utplurimùm ſolent hoſtes belli armamentarium inſtruere, unde ut ex loco magis propinquo in alium commodiùs irruptionem facturi ſint, & quòd hoc ademptum Caſtellenſibus oppidum propter acres, & mutuas offenſiones quæ ſæpè hinc & inde nunc latrocinii, nunc belli more finitimis incurſantibus cum magno omnium incommodo exercebantur, ſubſidio, ac tulæ Campomajori foret. His conjecturis militiæ quas ſuggeſſerat Turrecuſius, veterum etiam, qui in conſultationem vocati erant, ſententiæ Ducum, & nuper quorumdam fortuitò captorum hoſtium conſenſerat ſermo. Imperat igitur Turrecuſius ſummi Caſtrorum Præfecti Legato Pareciæ, expeditas ut equitum turmas, ſelectáſque cohortes ille duceret Alburquercium, cùm verò, ut ea nec levis conflata ſuſpicio apparebat, adortus hoc oppidum hoſtis fuiſſet, ipſe legatus tuendum ſuſciperet oppidum. Joannem quoque Oliveram, quam Villaregiæ addictam præſidio legionem habebat, eam feſtinanter Alburquercium conducere jubet; ipſe verò Olivera municipii rebus compoſitis ſtatim inde diſcedens pergeret Badacocium hoc ſane conſilio de loco, de jure imperii quam ſæpè oriri inter Duces diſſidia ſolita antevertere Marchio ratus, quæ rurſus, & tempore adverſo, & populari cauſa abſque dubio inter milites erupiſſent, manentem ſi eo loco Tribunum in militari, & publica cura ſe Legato ſubmittere atque imperium accipere cogerent; ea porrò erat virtutis, atque induſtriæ Legati penes Ducem opinio, ut aptior, ac dignior is inter cæteros viſus eſſet, cui Alburquercii tutela, & cauſa publica mandaretur. His ita penè confectis rebus, juſſa legio Duce Olivera vix Alburquercium intraverat, cùm procul inſpecta repentè oculis, ac ſpecie quidem terribilis Luſitana ſe oſtendit acies. Veritus ergo Olivera, ne ipſe vetus fortaſsè miles, cùm præſens urgeret circunfuſo terrore hoſtis, ſubtrahere periculo ſe, ac ſubterfugere opus cum nota, ac dedecore crederetur, aut temerè potiùs juſſionem Ducis interpretatus eam ſcilicet æquum eſſe prudenter ad tempus verſari, inflectíque quod ejus laborem, & operam in tanto diſcrimine exigeret, in eodem propterea oppido quanquam injuſſus ſubſtitit. Jamque exercitus Luſitanus, Marthia Alburquercio Duce, magnis copiis, magnóque belli apparatu infeſtus, ac prædabundus ad oppidum adventabat, quo maximè tempore capitum illud contentione, ac diſcordia diviſum, ſciſſúmque in ſuam pernicem propriis viribus feſtinabat. Legatus enim Parecia ſibi jure nunc aſſerebat, ut à Duce ſupremo oppidanæ defenſionis officium, & curam injunctam. Ex adverſo Oliveram rem omninò fortuitam, atque aliò per ſe juſſa Ducis, adjecta interpretatione, trahentem objiciebat, ſimul ordinis, gradus, quo fungebatur, muneris excellentiam, morem militiæ, omnium commilitonum quærelam in alienæ conditionis exemplum minuti publicè juris, iniuſtæque Tribunis militum ignominiæ, ſi Tribunus ipſe militum ſuſtineret, & pateretur inferioris notæ miniſtro in armorum regimine ſubjici; inde inquieti, diſcordes omnes, diductíque factionibus milites, & circulos paſſim cœtúſque miſcentes cùm alterutri eorum pro ſingulorum libidine, aut ratione ſuffragarentur, ſine imperio, ſine Duce, ſine concordia ſpe undique abſciſſa in medio patebat oppidum prædæ, hoſtíſque conatibus opportunum. Cùm

hæc triſtis Legatus & anxius in animo volveret, ſimul inanes hujuſmodi lites, quæ nihil per ſe ſplendoris virtuti, ac merito adjicerent cùm indecoras, tum deteſtabiles eſſe, præcipuè cùm eò ventum foret, ut cauſa cadere miles, aut jure dominii Rex cogeretur, ille ideò altiori quo animo plus temperato, moderatóque, ultro ſuo tandem poſtpoſito jure gerere partem, ac numerum ſtatuit gregarii commilitonis, intérque honorarios jam haſtam acceperat. Quod ubi Olivera cognovit ſeu hominis comitate, ſeu vecundia compulſus, aut metu potiùs ex ſummi Ducis, qui ſecus præceperat, voluntate contracto, tum demum conſenſit, ut æquato ſimul imperio, paríque animo uterque municipii defenſionem tractaret. Pro muris ergo, pro vallo milite diſtributo, ac cæteris rebus, quæ ad pugnandum neceſſe erant, inſtructis, bina etiam tormenta belli ita ſunt per inſidias in duobus, qui adverſi erant hoſti, tumulorum verticibus collocata, ut indè commodius percuterent hoſtes, eorum verò proſpectum fallerent. Luſitanus intereà radicibus collium, qui haud procul ab oppido leni faſtigio ſurgunt, tegebat ſe, mox ingenti alacritate, ac fiducia adverſus Alburquercium oppidum tendit, tormentariíſque ex propinquo ſuggeſtibus conſtitutis, validè muros quatit. Verùm duo illa majora tormenta belli, quæ rectè librata, & ſupra tumulos eminentia latebant, repentè diſploſa, & pilis, claviſque & catenarum plena fragmentis ubi aſſiduè teterrimam peſtem ejaculantur, hominum, equorúmque & machinalium ſimul obſidionalium ſtragem ingentem edunt. Territus tunc Alburquercius Dux Luſitanus periculo ſitus, & magna cum clade repulſus, ad collium ſuffugia, atque latebras revocat milites, alio modo oppidi obſidionem inſtruere in animo habens; ſed aquarum egeſtas, ac ſiccitas ſitus, æſtúſque qui propè omnia torrebat, hoc tandem modo compulit Ducem, ut re inde infecta diſcederet. In regionis ſqualidæ tractu fons unicus erat, qui proximè aquandi militibus poteſtatem præberet; fonti verò ardua juga, & abſciſſa, quæ modicis licet inſeſſa præſidiis acceſſum ad aquam prohibere facilè poterant, impendebant. Hunc ab initio fontem, circunſeſſis pro rerum momento collibus, Caſtellenſes milites intercluſerant, ac ſupra centum huc improvidè aquarum euntes iidem ab edito loco milites majoribus ſclopis exuperant, alios etiam Luſitanos palantes, & circa fontem temerè prætervectos, turmæ, quæ paſſim equitum volitabant, confoderant, adeóque in arcto, atque aſpero ibi res Luſitana poſita erat, ut cùm in maximo æſtu, & ardore deficeret aqua extremo opus eſſet periculo vitæ redimere illam, aut ſanguinis copia. Sæpiùs idcircò Dux Alburquercius aggreſſus fuerat in collium faſtigia ſudore non minùs, quàm ſanguine humentes Luſitanos eniti milites, Regióſque ibi impunè inſidentes, eludentéſque depellere; ſed propter aſcenſus ſuperandi difficultatem omni aditu circunciſi, ac dirempti, & qui erat ſerpentibus potiùs, quàm viris incedentibus continua cæde rejectus, ac pulſus facinus intermiſerat. Ad hæc ſi rara ipſe Dux agmina duceret ad conflictum, tunc Caſtellenſis numero quanquam impar, loco tamen ſuperior, aſcenſúque difficili prævalebat, ſin autem conferta, & ea copioſa miſſurus in hoſtes fuiſſet, ſectis ex eo viribus, atque inde obſidionis laxata cuſtodia, majus & anceps utrinque ſane periculum intercurreret. His difficultatibus circunventi aquarum ab uſu Luſitani prohibiti erant. Frequentes prætereà, eæque nimis cruentæ irruptiones ab oppido agitabantur, modo vi, modo inſidiis appetere, neque diem, neque

neque noctem laboris, aut tumultus expertem pati; ſiti, pulvere, ardore ſolis, cominus, eminúſque contortis armis obſideri obſidentes, infeſtaríque. Igitur Dux Luſitanus quâ loci inſolentia, ſitíque in æſtu propè rabido ſævienti, & aquarum undique inopia, qua vi, impetúque cum meliori ſæpè fortuna ex alto irrumpentiū, atque vexantium exagitatus, ac preſſus cùm omnis extincta ſpes eſſet, & major ea quæ nunc premeret, ſi illic perſtitiſſet, futura calamitas eſſet, ſolvere tandem obſidionem decrevit, & vaſa colligere milites. Hoc viſo Olivera confeſtim ex oppido incurrens ſimul omnes emiſit equites, peditéſque in hoſtium terga pugnatum. Hos raptim, ac trepidè recedētes aſſequitur, jam accedit, jam recedit, jam tutis ictibus Caſtellenſis provocat hoſtem, cúmque ultimos ordines, ac ſimul latera carpit magna defatigatione, ac tumultu extremam aciem turbavit implicuítque, mutua nimirum formidine partes juſta ibi acie, ac totis concurrere viribus per id tempus impediente ex minori nempè militum numero Caſtellenſibus ex improſpero rerum eventu Luſitanis incuſſa. His moleſtiis Luſitanus tandem explicitus, & viam planiorem in campo natus longè latéque Caſtellæ pagos, agróſque urit, vaſtátque his incendiis, & populationibus velle modo videri viſus, aut inanis obſidionis rependere detrimenta, aut irriti incæpti delere ignominiam.

Inſuetus hæc tolerare, aut videre Dux Turrecuſius, hoſtiliſque tundendæ ferociæ maximè cupidus primarios exercitus Duces de ſumma rerum conſultum vocat, docétque Marthiam Alburquercium peritum incumbere Ducem, acerrimum hoſtem, ſuæ quoque gentis ingenio ferocem, & animo inflatum, multíſque anteà rebus in bello proſperè geſtis magis elatum, inſolentémque, nunc fruſtratæ obſidionis dolore crudelius ardere, ac furere conſpici, nec planè ipſum quieturum tandem aliquando videri niſi inſigni aliqua accepta clade omninò diſjectum, & fractum. Quemadmodum igitur ejus provinciæ calamitati, ſociorum injuriis, communíque dedecori obviam per arma procedere liceat, ibi ſententiis Duces expromerent, conferrént que. Conſilium jampridem inſederat Turrecuſio, quod nunc hoſtis ſuperbia ſollicitabat, ultrò invadere in hoſtem, ac ſi per tempora licuiſſet omni oſtentatione terroris infeſta ſigna transferre uſque ad viſcera Luſitaniæ, ex Caſtellenſium profectò ſocordia, ac negligentia militiæ ratus tantum audaciæ, tantúmque animorum ne virium quidem ſuarum, earúmque curtatum ſtatui, & ſi duplò majores eſſent convenientium, hoſtibus ſuccreviſſe; idipſum tamen quò popularius inter milites fieret, Ductorum ferè omnium ſententia approbatum deſiderabat. Perrogatis ergo ſuffragiis, ea numero pervicere, quæ hujuſmodi arbitrio, votóque Ducis diſſentientia, belli rationem, & modum ad vim hoſtium tantummodò propulſandam, tuendáque circum regni finitima contrahebant. Tum dolore, tum ira percitus Turrecuſius: Nundum horror, pavórque, inquit, " jamdudum præcordiis, & animis ve- " ſtris affixus vos quoque deſeruit mi- " litiæ Duces? atque hactenus ignora- " tis veſtra inertia, torpore veſtra, ani- " móque ſuſcepta formidine tot belli " dedecora, tot detrimenta rerum in " fortunas privatas, & publicas redun- " dantia vittute duntaxar, atque animi " audacia, quæ hucuſque defecit, cor- " rigi poſſe? an ſegetes noſtras, agróſ- " que paſſim aſpicere præſtar, quàm " hoſtium comburi, evertíque atque " in Caſtellam potiùs quàm Luſita- " niam Martis furias, facéſque com- " pelli? nunc autem, ne errore fortè "

„ labamini, id conſultando quæritur, „ utrum pernicioſiùs ſit nobis exiſti- „ mandum bellum domeſticum, an ex- „ ternum, petere domi ſuæ Luſitanum, „ an huc cruentũ, magiſque ſibi fiden- „ tem, & contemptorẽ omnium per de- „ ſidiam, & otium attrahere. Qui domi „ ſedens, & otia terens ferocem expe- „ ctat hoſtem ſuccubuit profectò ani- „ mo, illiſque eo præmiſſo timoris indi- „ cio meliorem victoriæ ſedendo pro- „ pinat ſpem, ubi enim plus audaciæ, ibi „ etiam plus fortunæ; animi robur com- „ mune cum corporis viribus eſt, nec „ corpus, ſed animu viros diſcriminat. „ Idcircò non equis nos non hominum „ numero, non pecunia, non armis, „ non jure cauſæ cum his abundantius „ inſtructi ſimus, at induſtria, ſollici- „ tudine, animorum vigore quan- „ quam numero plures, ab admodum „ paucis Luſitanis hucuſque vincimur. „ Hæc mihi ſumma conſilii eſt; torpor „ autem, & quidam otio contractus ja- „ centis, marcentiſque animi ſitus, „ quo reſolutorum more membrorum „ confractæ nunc vobis pro bello vires „ elanguent, uſu & labore conſumi „ poterit, actio ipſa, & armorum, & „ membrorum exercitatio inhærentem „ timorem excutiet, ſiquidem fortui- „ to, ignavóque eadem omninò com- „ munis natura eſt, tantúmque diſſi- „ milis quod in alio uſu, & labore ex- „ citata, in alio itidem excitanda pro- „ ponitur quemadmodum uſu militiæ „ tyro veteranum militem parit. Vos „ autem cunctamini & in eodem de- „ decore, & cauſa dedecoris metu con- „ ſeneſcere vultis, perinde timidus qua- „ ſi homo ſtrenuò fortíque diuturnior, „ vel clarior futurus in bello ſit, ne- „ que hoc ſegni, multúmque remiſ- „ ſo belli gerendi more ita nunc pro- „ ludatis, ut ſervire tandem cogami- „ ni, quibus adhuc imperaviſtis. Ite „ ergo Duces iterùm in ſuffragia, & „ quod me vobis, regio auſpicio, & inclyto nomine dignum fue- “ rit, miſſo timore, decernite. Quod “ ſi nimis hæc ardua, atque aſpera fa- “ ctu vobis, animi aciem metus caligine “ perſtringente, fortaſsè videntur, equi- “ dem ipſa imperii ſupremo jure quo “ fungor in armorũ regimine uſus, vo- “ bis etiam invitis extemplò confici “ juſſero. Poſtquam hæc Ducibus Tur- “ recuſius jam precibus, minis, repre- henſione, hortamentóque varius, & acer expoſuit, quos illius argumenta non vicerant, verecundia, metúſve fregit. Porrò concordibus ore, ut revera diſcordibus animo Ducibus, ejúſque in ſpeciem amplecti ſententiam viſis, tunc expeditio in hoſtem decreta eſt. Dimiſſo conventu, iidem, qui ſecus ſenſerant Duces, contumelioſa trucíque Marchionis oratione commoti, ſeu omninò metu nondum exuto, ſeu quia inviderent Itali gloriæ, aut imperium aſpernarentur, principium enim turbandi omnia à Ducibus ortum, jungere ſtatim turbulentos hominum cætus, concire ſeditioſos, ſtultè feroces, lingua promptos, dextera inertes faciliùs efferre; apud eos rerum ſpecies, & nomina conturbantes, quæ vera erat in illo audacia, & animi nervus, ac robur, appellabant temeritatem, ſuperbiam pro animi magnitudine, furorem pro alacritate, pro cautione fallaciam, finitima omnia virtutibus vitia cùm Ducis virtutes traducerent obtrectatorum more affingebant, ipſúmque maximè adjiciebant corruptorem juris militiæ, qui per vim, minarúmque terrorem calculos Ducum in concilio tranſverterit, ut hoſtibus aciem internecione delendam proderet. Jam anteà laſcivientem nimia licentia militem, turpíque more labefactatum ſecundum veterem diſciplinam emendaverat Turrecuſius, multóque labore dicto parentem effecerat; ſed ut facilè mores hominum in priſtinam conſuetudinem redeunt, metúque

túque compreſſum ingenium, deterius per tempus cùm evadere licet, erumpit, rum & peccantium auctoritate, afflatúque provectus fœdiùs, quàm anteà relapſus eſt miles. Etenim Turrecuſio, cùm certam in hoſtem expeditionem præciperet, petulanter effuſus obſtitit miles, reclamavítque nolle ſe in lanienam temeritate Ducis incidere. Turrecuſius, cui neque ut veteri Duci, neque ut veteri quoque militi tale quidquam eouſque videre, aut audire in militia contigerat, portenti ſimile tunc ſibi videre viſus ea incredibili petulantia, atque inſolita contumacia attonitus perculſúſque velut ſtupore, ac ſenſibus alienatus primùm obmutuit. Incipientem ſubinde loqui collidentes ſe invicem dentes, inverſáque lingua, ſpiritus ipſe reſtrictus ac fatigatus, ac totum ira concitum corpus nequaquam ſinebant ita furentem, ac prope ſpumantem diſtinguere voces, tantam enim in ſe conceperat iram, quantam nec ſpiritu effundere, nec explicare ſermone valeret. Stetit ergo paulisper ſuſpenſus, ac tacitus; denique furibundus ad aulam, inquit, protinùs advolabo, ut hujus impuræ, omnibúſque ignominiis, ac pœnis afficiendæ, notandæque militiæ accuſator, ac teſtis apud Regem inſiſtam. Hæc minarum, & iræ plenus increpitans, multum & fruſtrà cohortantibus ipſum amicis, è militum multitudine ſe proripuit, eodémque momento equum ad Regem perrecturus efflagitat, viaticúmque ſimul parari, ſéque conſequi jubet. Fortè tunc inter alios aderat ibi Epiſcopus Badacocii, homo ipſe prudens, Ducíque in primis familiaris, qui quem flectere prece non potuit, tali artificio deluſit. Ea celeritate, atque ira viam Turrecuſio capeſſituro cum curru domeſtico præſto eſt, & officii, ſtudiíque priùs ſæpè quoque perſpecti gratia in proprium currum acceptum; eóque parumper invectum, dum iniret ad Regem iter, brevi ſe belle ſpatio comitari ſimulat Ducem, inſtructúmque poſt equum, & viæ reliquum apparatum eidem vehiculo hærentem ſubſequi jubet. Ut verò illum Antiſtes habuit in poteſtate, jam frigefacto illo animi ardore, iráque ſenſim detumeſcente, placidè cæpit monere Ducem. « Nefariam, atque execrabilem quidem fuiſſe illorum militum inſolentiam, ac teterrima inter licentiæ militaris exempla prorſus abominandam; at illo inconſulto, ac præcipiti Ducis ad Catholicam aulam diſceſſu, ea neque tolli probra militiæ, neque ipſum revera plus laudis, quàm irriſionis, & notæ apud Regem, & aulicos relaturum. Multitudinem natura ſua cæcam, turbulentam eſſe, diſcordem, & ſæpè in ſuam, in alienam ſæpè perniciem improvidè concurrentem, ſed eam etiam eſſe ut rationis electioníſque adminiculis deſtitutam inſtabilem, fluidam, quæ fræno prudentiæ, quæ bono, malóve dolo tractari, inflectíque minori negotio queat, quóve ille vehementior primus impetus fuerit, eò citiùs infringi. Ex humani ingenii rádice, aut ipſo naturæ fonte neminem eſſe malum, ſed alieno inſtinctu impulſúque, aut prava inſtitutione, & exemplo ita edoctum, ita informatum, educatúmque; qui verò ita potuit ſubacta propè natura nefarias doceri artes, cur eidem non dedoceri ſpes ſit, cùm bona acceſſerit diſciplina? Sit crudelis, ſit impiùs, ſit intractabilis homo, & feris omnibus efferatior, Belluam eouſque indomitam, immanemque inter lucos, & nemora vix inveniri, quæ arte, patientia, uſu cicurari, ac miteſcere nequeat. Propterea magiſtrum, & caput omni multitudini impoſitum, cujus conſilio, directione, & imperio, ſi forte ſe illa vel ſuperbia nimis extulerit, vel ira inflammaverit, vel li-

„ bidine effuderit, vel pavore deje-
„ cerit, teneatur. Quod ſi hoc minùs
„ interdum obtinere contigerit ſeu for-
„ tuna, ſeu induſtria fallat, aut vis ra-
„ tionis in aliquo torpeat, aut quidam
„ naturæ fulgor elangueat, haud ſecùs
„ profectò tunc rectoris inſcitiam, &
„ hebetudinem, quàm hominum con-
„ tumaciam vulgaríque communíque
„ judicio reprehendi. Quid inſuper
„ inde ſi fortè cognito Luſitanus abſ-
„ que Duce, abſque legitimo imperio,
„ ſeditione turbatum, ſuíſque relictum
„ diſcordiis, & motibus agere Caſtel-
„ lenſem, hunc avulſo velut clavo flu-
„ ctuantem in alto navem, ac pene de-
„ merſam improviſo, ac feliciter petat,
„ nonne unam, eamdémque ea tem-
„ peſtate futuram omnium hominum
„ vocem, atque ſententiam, Mar-
„ chionem ſcilicet Turrecuſium dete-
„ riori malo malum corrigere quæſi-
„ viſſe, cùm enim ſupplicium commi-
„ litonibus peteret, triumphum hoſti-
„ bus ſtatuiſſe. Qui Politico, aut mi-
„ litari fungitur munere minùs quidem
„ ſui juris, ac poteſtatis eſſe, cùm ſe
„ ipſe in diſcrimen tótque ſecum ſibi
„ commiſſas præcipites animas rapiat,
„ ex quo ſua, & aliorum quoque fa-
„ cta probandi genimatum ſuccedat
„ onus, nec ideò ipſe peccare, aut ne-
„ gligere quidquam ſine publica clade,
„ & multorum exitio poſſit. Cæterùm
„ quando etiam pergat in ſuſcepta ſen-
„ tentia futere Dux, cùm dura præ-
„ tereà, atque lubrica ſit in exercitum
„ totum animadverſio, vel regio juſſu
„ ab aula ad milites rediturum, & tunc
„ irrito quidem incæpto, noxiorum
„ indemnitate neceſſaria patientia, mi-
„ nùs deinceps cum nova ſe obtulerit
„ cauſa compeſcere militem incum-
„ benti auctoritatis, ac roboris fore;
„ vel fortaſsè non rediturum, támque
„ acrem contentionem in abdicatio-
„ nem militaris imperii terminaturam
„ fuiſſe; porrò inde quem hominem

fore, qui ex eo increbeſcentes pre- “
mere vulgi rumores, & linguarum “
licentiam valeat, ultrò ſcilicet Tur- “
recuſium armorum miniſterio ceſſiſ- “
ſe, quia arma, non armatos tractare “
ſciat, aptiórque vir ille tenendo ſit “
quod viribus corporis, & ſtolida “
quadam ferocia, quàm quod ratio- “
ne & prudentia animi perpetretur, “
unde & militi impunitas, & dedecus “
ipſi, & detrimentum reipublicæ para- “
retur. Tumultuariæ poſtremò illius “
diſceſſionis conſilium, & ſi alia om- “
nia deficerent argumenta vel ſatis “
eſſe ſuſpectum, quod ab ira, animí- “
que turbatione, quæ brevis inſania “
dicitur, flueret; hujus autem inſani, “
tetríque affectus, quo lacertorum “
tantummodò intenditur vis, cum “
ardore, & impetu ruere, in præliari “
duntaxat diſcrimine, cùm calere Mars “
cœperit relinquendum militibus eſſe, “
id certè ſupremo Duci, cujus ſemper “
vigere, ac omnia regere debet con- “
ſilium, ac ſuperior affectibus mens, “
ne inter conflictus quidem incen- “
dium, cùm furit militum rabies ho- “
neſtum, aut utile fore. Familiari- “
bus, ac prudentibus hiſce monitis pla-
cidè Antiſtes in Turrecuſii pectus il-
lapſus, irarum cùm etiam per tempo-
ris moras decreſceret æſtus, ejus tan-
dem lenivit animum, flexóque à via
regia vehiculi curſu duxit illum in
quoddam cœnobium haud procul ab
urbe ſitum, fide viciſſim obſtricta, re-
ſipiſcentem quàm citò militem, ac ſce-
leris pœnitentem datum profectionis
imperium celeriùs executurum. Hoc
Antiſtes ſubinde militibus aperit, ſte-
tiſſe nimirum, ac reverſurum properè
Ducem, ea autem conditione, qua ex-
templò illi ſigna cum hoſte collatum,
aut ipſe Mantuam Carpetanam ad Re-
gem progrederetur. Duces qui tu-
multus irritamenta, & ſeditionis ubí-
que ſparſerant faces, cùm modò ſibi
timerent, ne cauſa ad Regem delata,

in ejus indignationem incurrerent, ac debitas pœnas exolverent, à militibus impetrarunt, ut eodem tempore Badacocio moveret exercitus quò Turrecuſius in urbem intravit. Qui tamen profectos ſequi milites noluit, ſeu hominum ſtudiis, ſeu malè præſertim Ductorum affecto animo, quorum utrumque rei bene agendæ impedimento maximè foret, diffiſus.

Ducebat itaque copias Magiſter equitum Molingenius genere Belga, & belli peritia, ſimpliciúmque morum candore Turrecuſio in primis acceptus. Is ad Anam progreſſus, hoſti flumine objecto circa ripam locaverat caſtra, ibíque promiſſa finitimorum auxilia, & qui dudum præceſſerant exploratorum notitias opperiebatur; quibus mox ſubſidiis adjectis, exploratóque hoſtem paulò ante capto, vaſtatóque Monticio extra idem oppidum caſtra metatum eſſe, copias tunc Molingenius amnem trajicere jubet, cùm rei gerendæ opportunitas eſſet, hoſtibus occurſurus. Ad octo millia pedites erant, equites ter circiter mille; Luſitanus equite, ac pedite in turba, ac numero longè major, Matthia Alburquercio Duce, poſt oppidi excidium in loco munito conſederat. Hæc Molingenius cùm animo volutaret, hærere, cunctari, modò ſpe, modò metu prælii conſilia dividere, circunſpicere omnia, quæ fortuna, vel arte congreſſus æquare diſcrimen, aut ſaltem minuere pericula copiis imparibus poſſent; nam præter numerum militum ampliorem, crebrioráque in illis experta argumenta virtutis, locus etiam, quem ceperant Luſitanos juvabat, erectus, preciſus, vallatus, interjectíſque vineis ex omni parte acceſſuram implicantibus aciem. His obverſis difficultatibus nihilo ſeciùs Turrecuſius urgebat ad conſerendam cum hoſte pugnam. Miſit igitur primò, qui hæc dura perferret Molingenio mandata Oliveram tribunum militum, paulò poſt Badacocii Prætorem, adeò ejuſdem præcepti formulam circunſcribens, ut tot difficultatum licet vinculis irretito, & paſſim periculis circunceſſo nihil tamen pro juſſa pugna excuſandum Molingenio relinqueret. Intererat fortè civitatis Antiſtes ferox cùm talia præciperet Turrecuſius, qui, ut temeraria, violenta, eáque nimis abrupta juſſa Ducis cùm reprehendiſſet, ſcilicet non tempus, non locum, non ſubitos belli caſus, non rerum diſcrimina ſecernentia, illi fertur Dux reſpondiſſe; *quia non minus ſollicitè mihi cum meorum militum moribus, ac peſſimo ingenio, quàm cum hoſte pugnandum eſt, hoc eis voluntario, gravique accerſito periculo, vel fide ſolutus pulchram ego Regi victoriam, vel moleſtius explicitus inutiles, ſegnes, contumacéſque milites cæde multatos dabo.* Verumtamen Molingenius nihil ideò temerè agendum ratus conſultum convocat Duces, ſibíque placere proponit conficere juſſa Ducis ea modo diſcreta, & ſalutaria ſint, quo vero ordine, quóve modo, ne improvidè, ac cæci pecorum more collapſi ad ſatietatem hoſtis trucidarentur, illa juſſa tractanda, ac temperanda forent, ſeriò viderent, conſuleréntque Terribiles Ducis minas, inflatáque verba non ad exercitus peſtem, rerúmque omnium in prælio moliendam confuſionem, atque perniciem ſe quidem interpretari, neque id ullo pacto decere, ſed ignavia, aut pavore potiùs conſternatos militum animos ad erigendos, confirmandóſque, atque idipſum ſine ulla etiam exceptione incidentium in bello rerum inculcare certamen, velle per ambages innuere, gravius eſſe lapſuros milites, ſi occaſioni, ac tempori defuiſſent. Porrò autem id attentè diſcutere propiùs ad Duces, quàm milites pertinere, cùm victores in prælio milites honorem, & gloriam ex re bene geſta ſibi ſinguli ſufferentur, in Duces jam

jam victi culpam rejiciant, & leviora quæque belli peccata promiſcuo omnium cruore, peculiari capitum ignominia plectantur. Verſatis propereà in eo conventu ſententiis, tandem ſancitum eſt. Pergere inde ſtatim ad occurrendum hoſtibus copias, at priùs inter Monticium, atque Lobonem flumen à tergo habenres, & hoſtium conſilia, motúſque obſervantes conſiſtere, ſi in planitiem fortaſsè, ut ita credere illius militaris ſuadebat ardor, quaque tumebat Luſitanus fiducia, congreſſurus deſcenderet. Quippe in ſublimi, ſatíſque munito compoſitum loco invadere Luſitanum remerarii quidem conſilii erat, nec minùs periculoſi, ſi progredi voluiſſent in terram ſe hoſtilem ſeu ferro, ſeu fame conficiendam immittere aciem. Ea mente fluvio tranſmiſſo, deſtinatum, hoſtíque proximè obverſum Caſtellenſes occupant locum, ibíque caſtra citò communiunt, deinde turmis equeſtribus curſitantes, inſultantéſque crebróſque de induſtria tormentis bellicis obſtrepentes laceſſere Luſitanum, & niſi conſilio tractum, vel iræ percitum ſtimulis ad æquiorem pro prælio deducere locum contendunt; nec ſua quidem opinione deceptos rei eventus oſtendit Duces; nam pugnæ cupidus Luſitanus vel ira commotus, vel ſicut aliqui tradunt, alimentorum, quæ omninò exhauſerat, egens, deſerere ſubitò colles, ſenſimque planitiem cum ordine petere viſus eſt. Dies erat feſta Corporis Chriſti memoria nobilis, divinóque epulo in ſacrificio Miſſæ refectus, paſtúſque miles jam alacrior ſpei humanæ cæleſtem quoque conjunxerat. Hùc Molingenii quoque, & cæterorum exercitus Ducum acceſſerant hortamenra, Hiſpani modò gloriam Imperii, modò ſplendorem, noménque gentis longè, latéque dominatricis, quæ non certaminis gloriam, ſed pœnam potiùs à perduellibus poſceret, per agmina paſſim jactantium, atque etiam adjicienrium fronrem, rictúmque Turrecuſii minacem, ac retrum, & hoſte quolibet rruciorem, ſi quiſpiam eorum fortè ſuperſtes reverſurus ad illum inultus, aut fractus eſſer. Inter hæc Alburquercius in planum abductos explicaverat ordines, eodémque propè tempore juſſerat Molingenius Pardum equitum Commiſſarium ſparſis aliquot velitum alis ire obviam, remoraríque citato curſu gradus ad pugnam addentem hoſtem, quo ipſe commodius interim aciem extenderet. Luſitanus autem hoc ordine inſtructus ad pugnam appropinquabat. In undecim agmina diſtributi pedites veniebant, pro militum copia in ſe conglobata, atque denſa; horum quinque mediam implebanr aciem, quatuor ſe in cornua extendebant; duo tandem erant in ultima acie cum turmis pluribus equitum ſubſidii more locata; equites utrumque latus, tota acies impedimenta claudebat, belli rormenta bina in quolibet cornu, duo etiam per mediam aciem comportabantur. Molingenius hoſtium numerum, atque ordinem conremplatus ſimili prope modo regias ibi copias inſtruxit, niſi quod hinc ex minori profectò numero latior, quàm plenior explicata jam àcies porrigeretur. Cornu dextrum Hiſpani; Lævum Itali habebant, huic Franciſcus Velaſcus Legatus equitum, illi præerat Molingenius; quatuor trahebant belli tormenta, nec ſarcinæ ullæ, aut militaria inrer aciem eranr impedimenta, quæ regios milites implicarent. Sic utraque à fronte, nec horrida minus aſpectu, quàm armorum fulgore, radiiſque refracta ſcintillans, ac nitida conſtitit acies, tormentiſque ſæpius hinc, inde cum magno fragore diſploſis certaminis ſignum muruò darum, acceptúmque Prælii initium, cædíſque cùm jam concurrerent acies, à ſclopetariis cæpit.

Horum

Horum impetu, ſtrepitúque lethales fiſtulæ excuſſæ, & candentes emiſſæ pilæ virorum, equorúmque virtutem, & iram ſimul accendunt, prælibatáque pari propè jactura procul viciſſim illata, atque accepta vulnera, & cædes acriorem utrinque hauriendi ſanguinis ſitim, & alteri in alterum ſæviendi cupidinem addunt. Proinde dextrum extemplò Caſtellæ cornu cum ſiniſtro Luſitano concurrit; quod tanto ardore, niſúque per gladios invectos, & haſtas impulſum, ac preſſum à Caſtellenſibus eſt, ut ala equitum Luſitana, quæ latus illud tegebat, eo impetu miſta, poſt fuſa, & uſque ad extremam rejecta aciem exceſſerit; equeſtri ſubſidio ex hac parte nudatur pedes; hic ſtatim exanimari, diffluere, ac ſenſim pedem referre. Id verò præ nimia tunc accidiſſe videtur Luſitani Ducis fiducia, qui ubi & levia antecedere prælia, nec primos Caſtellenſes credebat procurſuros ad pugnam fore, ferè tum incompoſitas, & quodammodò fluctuantes ducebat acies, tempus ſuppetere ratus, quo ſubſidia firmaret, ac meliùs agmina ſtabiliret; porrò ulteriùs illatis ſignis, propiúſque collato pede, ad gladios omninò jam venerat res, levíque perculſi lateris trepidatio, & equitum ibi peditúmque confuſio, & frontem averterat, & dextrum quoque terrore latus tumultúque miſcuerat. Ea tamen ordinum pertubatio & malè inclinata propemodus res fugæ laxioris initium nondum fecerat Luſitanis, ſed eos ut ſe illidentium, atque prementium undique impulſus, aut prælii fortuna contraxerat, jam preſſi, conſertíque, & orbes paſſim conficientes in ſe ruentium, atque pugnantium pro viribus impetum ſuſtinere, alii effuſi, diſperſique ad ultimam aciem confugere, nonnulli valentiores ad incurrentes undique cuſpides, & gladiorum rotantes acies nudata viſcera circunferre; ſimul equo vectus, & armis inſignis Alburquercius intercurſabat vehementer intentus primi agminis ſiſtere fugam, & quoſdam disjectos, ſe alios laxanres ſarcire ordines. Videt hæc Molingenius, paulúmque annitendo intercludi jam diſſipatos, implexóſque milites poſſe, proinde Tribunum militum Pignatellum Italicum cornu præſidio firmatum ita diducere jubet quemadmodum idem à ſe vidiſſet dextrum latus extendi, flectíque. Quod celeriter factum eſt, concluſique à tergo, & à fronte hoſtes, ii modo erepti cædibus ſunt, quos vel pedes tutati ſunt, vel abſtulit caſus, vel arma projicientes ſeſe captivos dedere victori. Prima hoſtium ſic acie fuſa, & alia penitùs conturbata, præcipit tunc Molingenius coïre Caſtellæ equitatum, & Luſitanum acriùs impetere, qui inſtabilis, vagus, oculíſque ſubjecta clade, & quæ omnia impleverat fuga perterritus, item auxilio peditum deſtitutus primo impetu fuſus, fugatúſque diſceſſit. Cæterùm ea præceps equitum fuga auctúſque clamore, ac ſtrage tumultus cùm ſocios etiam pro pugna ſtantes obtereret, & qui fugerant, & éos, qui reſtiterant implicaret, aciem quoque Luſitanam, quæ extrema erat, & quæ prælio intacta adhuc pene ſervaverat ordines, eodem horrore, impetúque diſſolvit, ac ſuſtulit. In tempore tunc ſpe arrecta, recentis animi, viribus integra intulit pedem extrema Caſtellæ acies, ob illam quam læta apud hoſtes cernebat animorum, ordinúmque jactationem cædi potiùs, quàm pugnæ parata. Inde horum terga, horum pectora, ac latera impunè, ac licenter haurire, integri ſauciis, ſpirantibus vivi, extinctíque permixti, alii ſuper alios incidere, cruentíque ſe volutare, ubique fuga, interitus, pavor, gemitúſque cadentium, atque ſpirantium, cúmque ultionis fiducia crudelitatem animo intenderet, & etiam laſſitudinem ſuſtentaret, totius diſſipati,

pati, everſique protſus exercitus magna pars vulnerata, pars cæſa, reliqua & major fuga dilapſa eſt, aut captiva ſtatim abſtracta. Inter hæc Alburquercius cum fœdè Luſitana agmina ſtrata, undantémque ſanguine humum, & peremptorum acervos, & reliquos fuſos, inermes, aut ſaucios quærere fuga ſalutem videt tum ſpe, tum viribus profligatus cum agmine uno, quod ejuſdem cuſtodiæ corporis deſtinaverat, è loco ſenſim receſſit. Hanc tamen victoriam, quæ planè jam Caſtellenſibus ſteterat, ad extremum infectam, & ancipitem fecit Ducum aliquot negligentia ſeu militum avaritia. Ab initio quippè certaminis cum lævo Luſitani latere fracto, pars equitatus ejus à cæteris copiis avulſa, vitabunda quæreret colles, tunc ii Caſtellenſes qui ad tormentorum cuſtodiam aſtabant, ignari, quorum fortuna eſſet, veritique ne circumvecti hoſtes ad ea prædanda reverterentur omnia belli tormenta, jumenta quoque munitione bellica onuſta ultra fluminis ripam velut tutum in locum tranſvexerant, quocirca nequaquam ad manus jumenta erant, quæ modò fugatis, ac victis belli ablata tormenta ſubducerent. Pulſo prætereà hoſte cùm jacentium ſuper corporum ſtragem exultantes, nimiſque avidi hærentes alii ſpolia cæſorum legerent, prædarúmque cupidine manus, ut ſatietate cruoris, & cædis occupatos haberent oculos, alii etiam eſſent captivorum cuſtodiis impliciti, fugientium plerique veſtigia tenerent, in hac rerum volutatione, ac tumultu jam penè deſertus, atque indefenſus jacebat, belli tormentis, quæ omiſerat hoſtis, aliíſque refertus ſarcinis militaribus campus. Hæc portò Alburquercius à colle quodam, quo ſe receperat, conſpicatus, in ſpémque ingentem adductus ob nimiam hoſtis fiduciam, ac negligentiam vel ex parte labefactari adeptam victoriam poſſe, pedites, equitéſques è fuga reverſos incolumes colligit, ſparſos, trepidóſque reducit, his applicat obvios, alios avios per ſaltus, colléſque propinquos turmatim errantes, celerius inquiri, cogíque curat, ex quibus quàm citò coëuntibus quatuor raptim agmina peditum, & binas equitum turmas conſtituit, híſque viribus ipſe fretus tepetere prælium, amiſſáque belli tormenta recipere parat. Res illa tamen haud præter Molingenii opinionem, & curam contigerat, priuſquam enim certamen iniret, multitudinem hoſtium, caſúſque belli fortuitos, & varios metuens edixerat, ne victor fortaſsè miles longiori ſpatio fugientem premeret hoſtem, neu conflictus ardore, aut nimia elatus victoriæ fiducia conſtitutos miſceret ordines, neu ita ſane vel partæ victoriæ credere vellet, ut fluere quandoque de manibus minimè poſſet; illuſerat enim his ita ſæpè fortuna, qui rem feliciter geſſerant, ut victus victori triumphales exuvias abſtraxerit. Poſteà verò cùm Molingenius jam concitatam, atque victricem tenere non poſſet aciem, imò, & ipſe ſuorum militum impetu abreptus, longiùs, quàm vellet cædendo procurreret, ejus imperium irritum fuit. Ab inſectandis denique hoſtibus eò, ubi primùm ſigna contulerant, Molingenius ipſe regreſſus cùm diſſipatarum jam copiarum delere reliquias cuperet, fortè ibi offendit ſexcentos ferè milites Luſitanos, quibus tueri ſeſe, aut elabi cum in arcto poſitis non daretur ad fraudem converſi, teſſera furtim accepta, ſub alienis ſignis fallere procurabant. At dolo ſubinde comperto admodum paucis in fugam effuſis, cæteri trucidantur. Hinc Dux Molingenius ad ſarcinas militares, quarum præſidio haſtatorum agmen conſederat, ambitúſque plauſtrorum ea impedimenta claudentium quamdam caſtrorum præbebat ſpeciem, cum expeditis cohortibus convolat,

convolat, præmittítque caduceatorem, qui afflictis jam rebus jure belli denunciet haſtatis, ut poſitis armis ſeſe, & quæ ſecum haberent, ni ultima perpeti maluiſſent, confeſtim victoribus traderent. Hoc Duci reſponſum ex propinquo expectanti Franciſcus Velaſcus Legatus equitum nunciat, conſtipatis agminibus ſuperveniſſe Alburquercium, ac vehementer inordinatos, improviſóque deprehenſos Caſtellenſes premere milites, victoriæ pleróſque fiducia, atque inſolentia palantes, iiſque illos jam tradere manus, & arma, quorum nuper terga ceciderant. Perturbatus hoc nuncio Dux Caſtellenſis & animo anxius, cruentóque erecto dextera gladio per agmina effuſa volitans Pignarellum clamando vocat, Ibarram ac reliquos Duces, eóſque citò redire, contrahere copias, atque obviam exremplo ptocedere hoſtibus jubet. Ipſe prior Molingenius proprio agmine fultus approperat, quíque jam terga dederanr volvere frontem ad hoſtem, atque in orbē redactos ſeſéque invicem protegentes inſtaurare certamen cogit. Ad hæc circuire, obſecrare, clamare, ſuo quoque periculo milites commovete, ne partam, florentémque victoriam ſummo ludibrio, atque ignominia corrumpi milites ſinerent; turpe multò minus futurum quidem fuiſſe non arripere palmam, quàm ſemel arrepram avelli è manibus ſibi, tantóque dedecore per ignaviam marceſcere pati. Itaque novus, & acer utrinque conflictus accenditur, manibúſque eodem quidem impetu animi, ſed inæquali conditione conſertis, rurſus ad Regios inclinare Mars apparebat, cùm paulò ante fugatos, ac victos agnoſcerent Caſtellenſes, confluentéſque gregarim à præda, à perſequenda fuga novo ſubſidio milites, qui numero plures erant, Caſtellenſem undique aciem cortoborarent. Cæterùm Alburquercius, quod initio ſolutis quibuſdam ſuorum militum turmis præceperat, ſcilicet prælio dum ipſe diſtrictum, averſúmque teneret hoſtem etepra tunc illi vaſa reciperent, aſportaréntque ubi ſarcinas militares, & quæ amiſſa belli tormenta fueranr in eo tumultu recepta, atque in tuto locata videt, ſignum receptus militibus dat, agmina claudit, atque equitibus firmat, explicatíſque vexillis, ordinibúſque penè complexis levia interſerens prælia ad colles paulatim ſubducit aciem. Ea videns inſtitit tunc cedentibus victor, & quanquam ſudore, pulvere, ac ſanguine aſperſus, & laſſus, & fortunæ quoque volubilitate perculſus cùm mediam cohærentem perrumpere aciem minimè poſſet, ad collium uſque radices eos à latere, à tergo infeſtando vexavit. Tumulos tandem Luſitanus obtinuit, ſed in arctum adeò compulſus poſteà pergendo ab equitibus eſt, ut paſſim ſtratum reliquerit iter, ob curſus celeritarem, ac prope fugam effluentibus ſarcinis cæſa in eo prælio hoſtium ſupra duo millia, ſaucii permulti evaſerunt, capti quoque ferè quingenti; inter quos genere clari nonnulli fuere ex Maſcaregna gente, & Comes Fliſcus natione Gallus, ſimul Octavius Piquius Hollandus Caſtrorum Præfectus, & alii etiam non conremnendæ notæ, ininus mille Caſtellenſium interiere. Redit, atque ita fractus Alburquercius in Luſitaniam; amiſſa tamen belli tormenta cùm recepiſſet, falsò ſeſe Caſtellenſium in acie victorem ptofeſſus eſt. Mendacium, quod ſua ita intereſſet libentet Bregantius arripuit, & vario etiam colore, fucóque depinxit, feſtivas, & publicas ſcilicet jubens in toto regno micare flammas, interceptæ plaudi victoriæ, honores palam militibus, & Numini gratias reddi, fœderatíſque Ptincipibus ſcribens rem geſtam magnificè ornavit, & pro adepta quaſi victoria gratulantium, fraudíque obſequentium quæſi-

S vit,

vit officia, ne ea ſcilicet opinione, ac nominis fama decideret, quæ, & falſa multoties pro Regibus valet, & quæ procul illa faciliùs, ac ſæpè numero mendax eſt, & artibus alitur. Ulisippone tamen cùm res ibi rebus non convenirent, per dolos, aſtúſque oppreſſa vel ſqualore, atque lachrimis veritas emergebat, vix ſiquidem erat in urbe domus à funere, luctu, & gemitibus vacua.

At exercitus Caſtellenſis cum longo ordine captivorum, & mancipiis ſigníſque ademptis, ad triumphi velut pompam inſtructis ad Turrecuſium reverſus eſſet, ab eodem ſatis laudatus, & gratanter acceptus eſt, & inſuper „ monitus. Omnes profectò artes uſu, „ exercitio, labore tanquam lima erudiri, & exacui; at maximè militarem, „ in qua excellere nemini quidem liceat, niſi & mortis horrorem, & vivendi dulcedinem, & periculorum „ omnium formidabilem faciem gloriæ illecebra in illo, & famæ cupiditas, & ratio publicæ utilitatis evicerit; hunc autem vitæ lucíſque inhærentem homini affectum, ac penitùs „ inſitum poſſe ad extremum periculorum, temporúmque decurſu poſt „ multa, atque varia præliorum experimenta convelli; ut animi magnitudo, ut doloris impatientia, ut fera „ quædam agreſtíſque natura ſæpè ab „ hominibus impetrat, ne vita immodicè ametur, id faciliùs utique in aliis „ diſciplinam, & conſuetudinem proximè, ac ſæpè cum morte ludentibus „ aſſequi. Hæc apud milites Turrecuſius; clam deinde Dionyſium Guſmanum tormentorum Præfectum accitum durè, & acerbè corripuit, cur enim tam citò extra flumen acta jumenta, aut non citiùs retracta cùm haud dubia ſuorum fortuna eſſet, quò ſubvecta belli tormenta hoſtium in alteram tutò ripam exponerentur? nunc verò egregiam de hoſte victoriam ejus ſocordia, & errore imminutam, ac deformatam eſſe; in eo ſe tamen ut tempori congruebat, ſatiùs, & palam tunc connivere duxiſſe, ne amarum, & triſte quid immiſceret, quod in rebus tam lætis communem gratulationem turbaret. Rex ſubinde Catholicus certior per litteras de hoc proſpero prælii exitu factus ampliſſimas Turrecuſio retulit gratias, magníſque laudibus extulit, præcepítque jure belli captivos ad arcem Granatenſem transferri. Hæc autem victoriæ ſpecies poſtquam gloriæ ſtimulis excitatum, Ducíque magis obnoxium præſtitit militem admonitus Turrecuſius hoſtium oppidum Santalexium in Caſtellæ finibus ſitum tenui, infirmóque & cuſtodiæ parum intento teneri præſidio ad illud ſubitò adoriendum Molingenium, atque Guſmanum miſit cum quatuor peditum millibus, equitibus verò octingentis. Et ea quidem pro voto, ut res Caſtellenſibus caderet ipſorum tum virtus, tum celeritas fecit. Etenim paulò ante quàm illuxiſſet, cùm Santalexium miles accederet, magna ex parte dilapſos ſtationibus hoſtes, dormientes, aut oſcitantes alios, neglectas propè cuſtodias, ſomnóque & injuria pleróſque oppidanos jacentes invenit. Dum igitur Luſitani ſeriùs omninò, quàm opus eſſet, conſpecto hoſte ad arma promiſcuè diſcurrunt, magnóque pavore, ac tumultu defenſionem oppidi parant, & alii ſoporem excutere, ægrè & alii arma capere, ac pergere compelluntur, obvias jam portas Caſtellenſis effregerat, & multi quoque oppidi muros ſubierant. Per fores ergo dejectas turmatim Caſtellæ milites irrumpentes, & ad pugnam inde ordines explicantes Luſitani præſidiarii Lunatem in arcum compoſiti, directíque ingenti ferocia, paríque animo excipiunt. Pertinaciùs utrinque ibi, acriúſque quàm

pro

pro numero militum videretur certamen exarſir, cùm ſtrenuè, & intrepidè ageret illos fiducia, hos pariter deſperatio, quæ vel iræ, vel honeſtæ mortis incitamento, vel extremi natura conatus colligere vires ſolet. Hoc ardore animorum, & robore corporum ad pugnam applicitos Luſitanos, neutro inclinante hucuſque fortuna, à tergo repentè, qui aliundè pervaſerant muros, adoriuntur. Hîc ſtrages non pugna editur, cùm integri feſſos, frequentes minores numero, atque ancipiti prælio diſtractos confoderent. Ea tamen extortæ quaſi victoriæ pars nec nimis Caſtellenſibus læta, nec etiam in gloria proſtratis hoſtibus fuit; nam Caſtellenſium fortiſſimus quiſque aut prælio ipſe cecidit, aut ſaucius inde diſceſſit. Luſitani verò pugnantes averſo, adverſóque corpore obſeſſi, impulſique ferè omnes veſtigio inhærentes ſternuntur. Inter hæc ad armorum ſtrepitum, turbarúmque clamorem, & fugam, qui ſopiti, aut cubantes oppidani jacebant, ſomno, ac torpore diſcuſſo, ad templum, quod ut propè omnia regionis hujuſce ſunt, arcis forma vallatum, ſatíſque munitum erat, confugiunt. Huc Molingenius, Luſitano cæſo præſidio, cum omnibus copiis alacriter ducit. Vallum initio propugnatores inſederant; inde lanceis, ligneis, ferreíſque inſtrumentis reſcindi cæptum eſt vallum hoſtíſque detrudi. Negotii ibi minus occurrit, nam tempore exeſum, ac fragile vallum findi paulatim, ac ruere minutim primis propè ictibus viſum ad interiora templi clauſtra refugere Luſitanos admonuit. Mutata tunc belli facie, vires armáque hoſtium eminùs conſeruntur, ex foraminibus feneſtrarum, ex altitudine tecti, quáque rima pateret ulla jacula, & pilas demittentibus Luſitanis, infra majoribus ſclopis ex adverſo incumbentibus Regiis. Sic confuſim, & vagè dimicatio protracta eſt, donec belli tormenta, quæ retrovecta agminum celeritatem, & curſum æquare nequiverant Caſtellenſibus acceſſere. Ea igitur opportuna diſpoſita loco cùm quatere muros cæpiſſent; quique ex feneſtris, ac ſupra tecta pugnabant majoribus globis excepti acervatim conciderent, cúmque planè conſtaret etiam ſe niſi obſeſſi maturè dediſſent, ferro fame, aut incendio pereũdum omnibus fore, conſultant, qui intus jacebant, quid extrema calamitate perculſis capiendum conſilii eſſet, rebúſque omnibus circunſpectis, exploratíſque in deditionem tandem ut neceſſariam conveniunt, idcircò, & pacis vexillum in templi cacumine figunt. Huic communi obſeſſorum ſententiæ, quàm neceſſitas, ratio, ultimúſque virtutis exercitus actus expreſſerat, unus tantummodò Luſitanus, & hic refractario quidem ingenio, ac ſtupido ſimilis auſus eſt refragari, laudabile, egregium vel gratis pro patria eſſe, niſi fortè inſolentia, tumórque ſuperbus victoris, ac ſervitutis parata ludibria moveant mortem oppetere dictitans. Trucem, horridámque ſententiam auctoris perſpecta levitas, animíque triſtitia, teterrimúſque genius, & contra cenſentium calculorum numerus, ſtrepitúſque facilè obruit. Verùm homo ipſe natura recondita, ac tetra, & conſilio incubans ſuo hactenus muſſitabat, inceſſu, fronte vultúque magni alicujus cogitati facinoris manifeſtus. Vicit tamen expectationem omnium. Ingredientibus enim ex pacto recluſas templi Caſtellenſibus fores, tunc velut furiis inſtincta mens Luſitani ignem tormentario pulveri injecit, cujus affatim intus copia, & cum alia ſicca, & ſulphurea, aptáque ignibus eſca conſervabatur. His itaque ſtatim correpta flamma vi ubi rapida effunditur trabes, lapides, arma, oppidanos ſimul hoſtes ſuo impetu rapit, ſurſum impellit, ac

volvit, deorſum ſubinde reflexa peſtis, & fulminum modo contorta duplicat ſtragem, quóſque enata primùm erumpens fortè flamma non læſerat, eadem ignitæ procellæ ſimilis longè, latéque jactata, ingentíque fragore ruens facularum, ſaxorúmque rotantium, atque candentiū mole, atque copia integros etiam afflixit, ac tumulavit. Erátque horribile quidem, & fœdum ubique viſu inter igneas illas ruinas, & horrida buſta cernere quoſdam illiſione ſaxorum contuſos, ac fractos, incendio pleroſque torridos, alios deformes, ſemeſos, ac mutilos, præter cæſorum, atque ſpirantium cumulos paſſim ſpectaculum cladis augentes. Ita furentis hominis ſcelere centum propè Caſtellenſes qui incautè priores ad templi januas acceſſerant, aut globis incendii, aut ardentium vi fragmentorum infra, aut ſuperius impacti conſumpti ſunt. Hoſtes ſupra mille iiſdem ignibus hauſti. Molingenius miraculo penè ſubtractus exitio eſt, cùm non pauci ejus lateri aſtantes cæſi, aut ambuſti corruerint. Tam funeſta quàm impia, qui vicerant, clade milites irritati, nullo ætatis ſexúſque diſcrimine in flammarum, cædíſque reliquias ſæviunt, ſocióſque nefariè, & indignè contra fidem peremptos acerrimè vindicant. Oppidum tandem direptum, incenſum, ac fermè dirutum eſt. Quibus ita peractis reviviſcentem virtutem militum cùm Rex Catholicus intelligeret, novíque Ducis induſtriam, aut ſortem emendatam per diſciplinam influere in animos hominum, qui ex Principis moribus rectè, aut ſecus inſtituuntur, Hiſpani quoque Senatus accedente ſententia, ire Elvum ad oppugnandum Turrecuſium Marchionem juſſit.

Eſt Elvus in Luſitania propugnaculum regni fortiſſimum, eáque arte, locíque natura conſtructum, & arcibus communitum, ut nihil ſibi metuere niſi inſidias, fraudéſque aut per longam obſidionem famis, ſitíſque, quæ ſunt malorum humanorum extrema, conatus, externo detur ab hoſte. Vergente tum etiam autumno hyems impendebat, quæ ſolo inæquali, cænoſo, paſſim itineribus invio id loci, id temporis importuni temerariam, atque projectam, ſi tentaretur, obſidionem, ne dum difficilem oſtendebat. Has interjectas difficultates poſtquam Turrecuſius reſcribens clarè ſatis expoſuit Regi, íſque nihilo ſecius Monticii duntaxat imperfecta victoria fretus, integra initio juſſa, atque in Senatu conſulta tenuit, pro virium, & hominum copia res ad rem neceſſariæ præparabantur. Evenit intereà, ut bene quædam, armíſque feliciter geſta res, ad alitet arduum illud facinus ſubeundum, & Regiis adderet animos, & Ducem quoque adhuc hærentem, ac reſtitãtem evinceret. Franciſcus Melus Luſitanus magiſter equitum vir callidus, acer avidúſque conflictus cum duobus equitum millibus, ac totidẽ ferè peditibus ab Olivença digreſſus ad dimidiam copiarum partem circa Valverdẽ anno præterito exciſam, clam inter vepres, ſaltúſq; poſuit; reliquam longiùs inde progreſſus è regione Talaveræ inſidiis appoſito loco inter latebras ſtatuit, mox quinquaginta circiter equites in propatulo emittit, qui populantium, atque aſpernantium facie diffuſi obequitando, & propinqua vaſtando iras, & odia accenderẽt hoſtis, eúmque tandem paucitatis errore deceptum ad paratas inſidias traherent. Inſolenter dum igitur illi ſub hoſtiũ ovili inſultantes, & vaſtitate, & rapinis, & ſaltatorio quodam orbe luſúque currentes, recurrentéſque ſimul terrere, ſimul ſpernere hoſtes, atque ad pugnam laceſſere jactant, indignatus Talaveræ Præfectus euſque ſeſe, ut per errorem credebat, prædatorũ, latronúmque caterva illuſum, atque contemptum eſſe quingentos circiter equites in Luſitanorum occurſum

occurſum ducit. Videt hos Luſitanus equiſque laxatis ſtatim habenis in fugam effunditur, mox inhibito curſu, ſenſimque recedens conſtitutis adhæret inſidiis, ſpeciem ibi manendi ſimulans, ut cum hoſte propinquo congrederetur. Inſtabant, urgebant intereà, ut Luſitanum aſſequerentur concitatis curſibus Regii, nec calcaria, nec lora animorum conatui ſufficiebant. Obſtitit tamen temerè euntibus viris, equiſque vetus, peritúſque militiæ Marinus Bolagni Ducis Legatus, inſidias ibi ſubeſſe clamitans, quas & temerarius nimis paucorum ad municipium acceſſus, & præceps ipſorum fuga, & ſubdola quoque in loco ſuſpecto mora videbantur arguere, ubi nimis incautum, improvidúmque ſeſe interdum præſefat hoſtis, ibi plerumque fraude graſſati. Milites verò in Luſitanorum adeò arroganter oſtentatam audaciam iræ, ultioníſque ardore provecti, ideóque monitibus ſurdi, effuſo temerè curſu in latentes inſidias incidunt; eas nihilominus tunc detexere, cùm, & ſi effugere omninò pugnam non poterant, haud facilè poterant etiam ab hoſtibus circuiri. Quippe ipſi equorum velocitate confiſi jam inire, jam declinare certamen, modò frontem pulſare, modò lateri incurrere; ſparſi, ſoluti, aliquando contracti hoſtem ſæpè petentes, ſæpè ludificantes duas circiter horas verſatile prælium ſuſtinuere. Eorum poſtremò ſociorum acceſſione, qui ab alio remoto loco latiùs Melus extendens aciem, ſimul per ordines equites diſtributos, longioríque circuitu ductos velitantes complecti, & claudere Regios præcipiens, tum demum illos circunfuſa multitudine obruit. Cæſi ad quinquaginta ſunt, octo, & quadraginta milites capti, cæteri fuga ſibi conſuluere; Nuncium priuſquam hic conflictus inciperet Marinus miſerat Turrecuſio, qui viarum, ut monitus erat, inſidias, cæcum militum impetum, cruenti fœdíque ſucceſſus omen prædiceret Turrecuſio, quàm celerrima idcircò ferenda ſubſidia peteret. Quod cùm Dux accepiſſet, majus ſtatim belli tormentum expeditionis videlicet ſignum diſplodi jubet, equo ipſe raptim aſcenſo, arreptâque manu lancea obire ſtationes hoſpitia, acuere promptos, ſegnes excire milites, denique Molingenium cum majori equitatus parte dimittit, & legionem unam Valverdem verſus progredi jubet, ut ubi res poſtularet, cum equitibus ſe conjungeret, viginti etiam explotatores equites diverſos excurrere jubet, qui hoſtis conſilium, & iter noſcerent, nunciaréntque. His rebus, ut ratio cogebat maturè provìſis, Molingenius jam de hoſtis itinere, ac loco certus eò feſtinus, & alacer ducit, illíque cum equeſtribus copiis ad Anæ ripam occurrit, ubi tunc propugnaculi ſpecie in hunc modum moletrinam occupaverat. Inſederant ejus apicem ſclopetarii, alii pedites interjecti, abſciſſa, atque edita ejuſdem ſitus naturalia munimenta tenebant, in vaſta planitie equites collocatos pugnæ apparatus inſtruxerat, ad amnis, vadique ulterioris cuſtodiam, liber ut inde ſibi tranſitus eſſet, atque hoſtibus intercluſus, ultima ſtabat acies. Hæc Molingenius cùm adveniſſet, intuitus in agmina decem ſuorum equitum turmas diſtribuit, ſex in fronte locat, cætera pro ſubſidiis. Dextrum Dux Gomezius Rocca tuebatur, Alfonſus Cabrera ſiniſtrum, ipſe mediam tenebat aciem. Porrò equeſtre ita prælium commiſſum eſt, nondum enim, quæ expectabatur, Caſtellenſis acceſſerat legio, & Luſitanus tutiorem ſe pedes in ſublimi, abruptóque moletrinæ ratus, maluit ibi diſcriminis expers, quàm in plano cum equite in laboris, periculíque ſocietate verſari, niſi veriùs ita ſe poſteà dividendo, faciliùs copias

pias afflixerit. Propitium Regiis equeſtre certamen fuit, quanquam Franciſcus Melus ubique ſollicitus, impiger mortiſque planè contemptor ubi res ſociis magis adverſa caleret, ſuis equitibus intermiſtus, dum alios hortatur, & orat, nonnullos etiam averſos ira commotus obtruncat modò cum ſuis cogeretur, modò cum hoſtibus conſerere manus. Ita equitibus profligatis, ſupererant pedites, qui moletrinæ ſaxa, jugúmque tenebant, quíque ad amnis, tranſitúſque cuſtodiam ultra ripam conſederant. Ad hos expugnandos plerique Ducum opus eſſe cenſebant ſubſidia peditum expectari, quos firma, & integra legione jam ex propinquo adventare delatum erat, inacceſſus enim, & aſper equitibus locus, ac defenſoribus opportunus, inanem, aut nimis fortaſsè cruentum Caſtellenſibus fore conflictum ſignificabat, nec illa ſanè pro legione interpoſita mora aliis crepidini hærentibus hoſtibus, aliis flumine inciſis, reliquis fugatis jam, ſive cæſis, poſſe rei ſummæ tunc videbatur officere. Cæterùm Molingenius cunctationis impatiens, & æquiora omnia fore victoribus putans, trajicere flumen milites jubet, & vadi, marginíſque cuſtodem Luſitanum invadere; tum & aliquas equitum turmas procul inde circunflectentes inſcios excipere Luſitanos, aut duplici pugna diſtractos, atque conſtrictos faciliùs atterere. Haud parum profectò laboris pro veſtigando vado conſumptum à Caſtellenſibus eſt, cùm primò plures id fruſtra tentaſſent altis gurgitibus territi, & alios audaciores iidem vortices obruiſſent. Dum ita ſimul cum hoſte, ſimul cùm fluctibus colluctantur, multóſque tranſverſos fluminis impetus agit, tortuoſis & alii per aquam flexibus revolvuntur, prior è vado tandem reperto agminis equitum Ductor emerſit Jacobus Mazacanus genere Italus, qui licet in loco pro gradu inſtabili, atque undis influentibus lubrico periculoſius propè marginem urgeretur, ſtrenuè tamen pugnando oppugnatam ripam obtinuit. Hoc viſo confeſtim Luſitani pedites conglobantur, acriuſque viribus incumbentes juxta ripam redintegrant pugnam; Mazacanus contra perpaucis protectus equitibus, & hoſtibus circunfuſus pedes diutiùs jam equo ſuffoſſo certando ſtetit, donec brachium dextrum gravi, & acerbo vulnere afflictum deſtituit pugnantem, & nihilominus exigua militum manu hinc inter undas, & armis ſupra vadum objectos, hinc marginem hoſtes fortiter obſidentes ſeveritate vultus, atque horrore quodam verborum cum dextra inutilis eſſet tantiſper ſuſtinuit quoad reliquæ copiæ ſupervenirent, captæque jam ripæ poſſeſſio Caſtellenſibus cederet. Porrò tunc Luſitani paſſim per equites circumventi alii ferro, alii gurgitibus hauriuntur, plures pedum pernicitas juvit, multis quoque inter tumultum, & fugam equorum impetu obtritis, aut trajiciendi inter fluminis moram oppreſſis. Sic igitur amnis hoſtiſque impedimento ſublato, conſtratáque cædibus via, quod denique unum ad plenæ victoriæ lauream reſtabat, ad Moletrinam Molingenius cum equitibus convolat. Nihil tum quidem opis, ſpeíque humanæ reliquum erat hoſtibus, primo equite, mox pedite pulſo, cæſóque & pedeſtre ſimul iter, amnémque cum armis, & copiis Molingenio prorſus intercludente. Miſit itáque Molingenius, qui neceſſariam, & citam illis deditionem denunciaret, niſi omnes cruciatus, & contumelias infligi pertinacibus ſolitas perpeti vellent. Illi primò feroces deditionem abnuere loci altitudine, atque inſolentia freti, qui impervius, ac durus ſolis equitibus videbatur; ſed ubi iratus Dux Caſtellenſis, quingentos in pedes deſilire equites jubet, iidémque ſclopis,

ſclopis, & majoribus haſtis quæ abſtulerant victis armati acriùs ſurſum eniti, & circuire jugum, & fragoſa, ac prærupta certatim ſubire cœperunt, Luſitanis partim humi ſubinde ſtratis, partim in præceps verſis, aut igneas per fiſtulas hauſtis, qui in verticis ſummo reſtiterant, extremo periculo, incuſſoque pavore tandem exanimati. Ducem à Molingenio, quocum dedendi ſe pacta tranſigerent, petunt. Hunc illicò impetrant, cauſa tractatur, convenítque poſtremò res, ut vita tantum incolumes Luſitani, cætera omnia hoſtis arbitrio relinquerent. Hoſtium itaque commeatus, & arma, & quæ ornatiora erant corporum indumenta Caſtellenſis adeptus obſcura capita libera mittit, Duces, & homines nobiles ſecum captivos deducit. Lætior hæc quidem victoribus res, quod præter expectationem acciderat, acrioribus quoque ſtimulis pupugit Ducis, & militum animos, ad jam decretam, ac præparatam Elvi obſidionem ſuſcipiendam; acceſſerant etiam quæ in hanc expeditionem urgebant, arctiora, atque nova Catholici Regis mandata. Igitur Turrecuſius tredecim fere peditum millia, ter mille, & quingentos equites cum omni obſidionali apparatu ad urbem Elvum infeſtus movit.

Jacet urbs edito, eoque molliter aſſurgenti conſtructa clivo, mons ſaxeus & arduus eſt, nec cuniculorum foſſuræ patiens, nec in altum trahendi onera tormentorum. Duæ, ſicut diximus, tantum huic urbi oppugnandæ patebant viæ, famis videlicet, atque ſitis; utramque itaque viam impigrè Turrecuſius pro re propoſita ingreſſus tum ambitum aggeris latiorem nutrimenta ad arcenda deſignat, tum aquæductum præcidi jubet ex quo in urbem aquæ influebant, & quarum penuria ſuffoſſis intus ciſternis cives utuntur. Cæterùm Turrecuſium obequitantem, aggeríſque latitudinem attentiſſimè præſcribentem terruit initio ferale omen, quippè quem generoſæ ſupra quem inſidebat indolis equus exanguis repentè corruens Ducem jacentem non ſine periculo effudit, nec porrò illum ſtantem, ſed cadendo pronum excuſſum, cujuſcumque momenti illa ſit, vatis, obſervatio diſtinxerat. Inceſſit idcircò ſtatim cum rumore ſuſpicio volvi fortaſsè fortunam Ducis, ſuſceptúmque temerè opus per Ducis lapſum, unde cætera pendent, funeſtum, vel ſaltem irritum fore portendi. Superſtitioſæ tamen rei Turrecuſius, aut arte ſua ancipiti minùs, ut revera decebat, obnoxius, fluentium in urbem aquarum venis abruptis, atque aggere jacto, quæ in rem opus eſſent, ſtudioſè omnia, ac ſollicitè providebat. Tempus interim decurrebat, autumnóque ferè dilapſo, cùm hyems horrida verteret, crebri effluentes de cœlo imbres recenter compactam munitionis materiem ſolvunt, inchoatúmque aggerem lacerant, neque novum etiam cohærere terræ fluxæ, atque inſtabili patiuntur. A crepidinibus quoque fuſius collatæ aquæ, perque montium prona currentes, dum in vallum, ac ſubjecta paſſim ſtativa militum irruunt, torrentis in ſpeciem inferiùs omnia disjiciunt, ac rapiunt, & hinc ſtagnantes, hinc relabentes aquæ cum munimentis commeatibus, ſarcinis jumenta, & homines propè mergunt; euſque propterea mutatis ea tempeſtate rebus, ut in ſe ipſis Regiis implicitis, & ſimul ſqualoris, metúſque plenis, nec habentibus quidquam ubi in ſicco languentia ſternerent membra pro rerum omnium naufragio, vel effugium ab ira cœli quærendum eſſet, quo quidem tempore Luſitanus ſedendo, ruináſque ſpectando hoſtilis ſeſe diſſolventis exercitus per otium poterat bellum conficere; nam præter hucuſque jactatos calamitatibus hoſtes, & arctiora quoque ex hyeme ingruente timentes, uberior

his temporibus etiam aquarum è cœlo demiſſa copia poſtquam urbis ciſternas explevit, & ſitis obſeſſis formidinem ſuſtulit, ita & ſpem etiam meliorem abjecit, hac via, quæ celerior profectò eſſet premendæ Caſtellenſibus urbis. Humiditate prætereà, ſitúque inhoſpito ſoli, & aëris quoque intemperie nunc æſtus, nunc frigora variantis, corruptis cibariis, & corporibus peſſimè affectis, latiùs vagari, intendíque in gregarios, in principes milites cæperat morbus contagio ſimilis æſtuans. Quibus quotidie ingraveſcentibus malis, illiſque avertendis cùm nec tempus omninò, nec locus eſſet, brevi enervatus, ac fractus exercitus eſt. Poſtquam ergo intelligit Turrecuſius locum, tempus, fortunam, cœlum ipſum incæptis obſtare, eóque miſeriæ ultimíque diſcriminis ad quæ eadem illum ab initio timentem vis altioris imperii compulerat, ventum eſſe, ut inde citò abeundum, aut pereundum inter paludes, & ſtagna eſſe, vigeſima ab ea infelici expugnatione luce fama tandem, ac viribus diminutus Badacocium cum reliquo exercitu rediit. Adulta poſt hyeme, quæ vacationem militiæ dabat, quod ejus jampridem infixum animo hæſerat, votum Turrecuſius expoſuit Regi, Hiſpanorum nempè magnatum quos ibi Grandes appellant, numero adſcribi, ampliſſimorum enim honorum uſu, & rerum geſtarum gloria, & claritudine generis, & ipſa promiſſione Catholici Regis id optimo jure repetere videbatur. Rex moris ſui quanquam eſſet, ad hoc culmen extollere, quos idem ſua ſponte vellet, inconſultò Status Senatu, ut ſcilicet uni tantummodò Regi maximam quiſque gratiam referret acceptam, nunc tamen, quia ingratam Turrecuſii petitionem mente perplexus admiſerat, factique invidiam, queſtúſque quos indulta, aut negata merces comparaviſſet in Conſiliarios devolvere, in animo habebat, ea de re præter morem Senatum conſuluit. Qui per Regem interrogatus hæc, & ſimilia reſpondit.

" Res humanas ex infrequentia, & raritate æſtimationis, ac pulchritudinis petere pretium; rerum copiam, & multitudinem ſibi ipſi ſemper adverſam, & contemptibilem fieri. Hinc eximiarum, hinc egregiarum, & ſingularium rerum magna nomina, ac nobiles titulos ductos eſſe, tanquam à turba, ac multitudinis numero ſegregatos. Grandis autem Hiſpaniæ ſtemma in hac provincia clariſſimum, & præmiorum ante maximum celebratum paucis quidem abhinc annis, quod ſolito plures vel fraude, vel merito, vel jactatione obſoletarum, & in obſcuro jacentium imaginum eò dignitatis obrepſerint, gloriæ non parum, priſtinique amiſiſſe ſplendoris. Inde quoque ſenſim Imperium ab eo amplitudinis gradu, quo ornatiora priùs terrarum Orbi oſtentare ſublimia regni capita conſueverat, deceſſiſſe; Regémque prætereà ob primas honorum in regno vulgatas tum auctoritate, tum ſuis rationibus minui, nobilitatis quippe ornamentis abjectis, atque profuſis, facultatem ſibi prorſus abſcindi, ſi in aliquo fortè occurrerit eximium aliquod meritum compenſandi. Huic planè rei eſſe ante oculos documento tam multa Marchionum, Principum, Ducum paſſim Neapoli jacta, & promiſcuè diffuſa nomina, adeò obſcura nunc ipſa, & gregaria, ut in immenſum propemodùm gliſcerent, ſi pari numero emptores accederent. At quî ſi nobilem modò civem qui bene meritus eſſet, pulcherrimo Rex ibi vellit afficere præmio, cùm proceres urbis ea quæ jam numero ſordent,

ac

„ ac vilia ſunt munera dedignentur, pe-
„ cuniaria quidem mercede cogi ærariū
„ exinanire. Inde & majora quoque,
„ cùm pecunia Rex egeat, emergere ve-
„ ctigalia, notas profectò regnorū cla-
„ des, popularium faces tumultuum, re-
„ giminis peſtes, & quod peſſimum eſt
„ in republica malum, decus, quod vir-
„ tute paratur, pecunia ſæpè repenſum
„ quodammodò pollui. Purpuratorum
„ duntaxat Romæ Senatui aliquo pacto
„ videri multitudinem non officere, vel
„ quia Principum numerus circumſcrip-
„ tus etiam cum miſterio conveniat, vel
„ quia ſinguli eorum fulgore, gradúque
„ purpuræ immineant tiaræ ſpei maxi-
„ mæ habendæ. Iri tamen inficias mini-
„ mè poſſe, ſi quos ex ſacro eo Collegio
„ ſubduxeris, plus quidē exiſtimationis,
„ & gratiæ Auguſtis Patribus acceſſurū,
„ ut ex arctiori, certóque numero anteà
„ magnificè Gallia primates, patricios
„ ſuos, quos Pares nuncupat, efferebat.
„ Hoc utique oriri ex mortalium opi-
„ nione, cujus ex rationis menſura con-
„ tingat, hujuſmodi honores, ambitio-
„ nis colores, & fucos, ac titulorum fig-
„ menta in ſua exiſtimatione, atque ho-
„ minū luce jam explicari, jam cōtrahi,
„ reíque hujus ſedere Magiſtrum in ter-
„ ris, & Judicem populū, qui ſeu recto,
„ ſeu pravo judicio ſtatuit in hujuſmo-
„ di rebus paucitatem, & raritudinē co-
„ lere abundātiam deſpicere. Regis au-
„ tem quem conformare, ac flectere ſe
„ ad populi genium maximè juvat, ideò
„ plurimū intereſſe, ut ſeveriùs, ac par-
„ ciùs illa munera tribuat, quorum am-
„ plitudo dignitatíſque ſpecies in ſola
„ opinione, aut errore verſatur, quæ uſu
„ crebrò vilentia ſplendores, & præmia
„ virtutis obumbrant, quæ ſuperiorum,
„ inferiorúmq; diſcrimina ſtatuūt, quæ
„ cumulatius effuſa copia, ſe ipſa, & re-
„ giam poſtremò beneficentiam exhau-
„ riunt. Cùm Rex prætereà Turrecuſii
„ poſtulatis indulgeat, cui dubium eſſe,
„ innumeras propè Hiſpaniæ familias,

eáſque opibus, merito, fama lōgè præ- "
ſtantiores, id ipſum quod externo tam "
citò remiſſum eſſet, poſtulātes conſur- "
recturas? ii ſi repulſi, inanéſq; diſceſ- "
ſerint, uni tantum collatā gratiam in- "
vidiæ permultis, & querelarum irrita- "
mento futuram, ſin voti cōpotes fue- "
rint, ea quaſi turba adventitia, & cu- "
mulo honorum magnos inclytos op- "
preſſuros, & ipſos quoque gratiam ſi- "
bimet populariter imminutā, ac penè "
frivolam accepturos fuiſſe. Cæterùm "
hæc in communi pro ſupremæ digni- "
tatis ſplendore cultúque tuendo com- "
memorata. Eſſe inſuper aliquid pro- "
priū, quod in Turrecuſii perſona rei- "
publicæ utilitatem, & arcana præcipuè "
regiminis ſpectet, externū eſſe ſcilicet "
illum, & maximè Italum, eáque ortum "
in regione, quæ armorū olim terrore "
ſuppreſſa, ac ſera catena reſtricta, ea, "
quæ ipſa dederat quondam Hiſpanis, "
nunc jura ab illis accipiat. Convenire "
propterea bello devictos, externíſque "
per arma parere coactos, præſertim, ſi "
erectioris illi virtutis, & animi, ut Itali, "
ſint, & gloriam imperii cum ſervitute "
mutaſſent, non ſtudio, nec illecebra "
beneficii, ſed vinculo metus, viſque "
illis applicitæ clavis, tum etiam indu- "
ſtria, omniúmque artium propè acu- "
mine emuncto coërceri, affectámque "
colere fidem ſubigi; ubi cum opibus "
quemquam, clariſque titulis nimis or- "
naveris, in elato eodem homine Du- "
cem, & velut populo caput indigitari, "
cui ſit omninò ſe commiſſura acriùs "
interdū alieno jugo reluctans, & mo- "
tibus cōcita multitudo. Veram idcir- "
cò rationē videri alienigenis, ſubactíſ- "
que nationibus dominandi non armis "
eas exercere, nec bellica diſciplina, ſed "
otii dulcedine, & voluptatis, inſidio- "
ſæq; pacis amore pellicere, iras, diſcor- "
dias, lites clariores inter familias ſere- "
re; ſcindere mutuis inter ſe odiis nobi- "
litatē, & plebē, in eodem regno, ſi fieri "
poſſet, civitatē cum, civitate, cū nobili "
nobilem,

„ nobilem, & plebẽ cum plebe cõmit„ tere; ex concordia enim domeſtica „ otium inquietum, & pro viribus con„ tumaciam in Principem alienigenam; „ ex diſcordia autem diffidentiam, ne „ coëant, æquales utrinque metus, ut „ trahere ſinguli in partes Principẽ ſtu„ deãt, fractas invicem opes, ne in Prin„ cipem vertãt, oriri. At verò hoc ſuper „ omnia expedire, ſedulò æquare ſcili„ cet, & quantum per rationes Imperii „ liceat ſubmittere proceres, eorũ clien„ telas, divitias, immodicas opes, popu„ li amores, & plauſus paulatim, & cau„ tè tanquam aliud agendo ſubduce„ re. Gratiæ in hunc modum, & poten„ tiæ nervis inciſis, factione convulſa, & „ ſuperbiæ quoque fomentis oblatis, de „ futuras profectò turbationibus cauſas, „ & moliminibus Duces, quæ in alieni„ geno dominatu, nec unquam eodem „ ſyncera benevolentia retento jugiter „ ſerpunt, & ad tempus, & locum erep„ tura coquuntur. Nihil planè tunc „ opus eſſe aliquid ſimile ſuſpicari de „ Turrecuſii ſpectata jam fide, ac vir„ tute; at ſalutaria, diuturnóque „ probata præcepta Politica uſu, quæ „ generatim in medio, excepto nemi„ ne conſulunt, reſcindere modò velle, „ hoc odioſũ maximè Hiſpanis, & pla„ gam in cauſa externorum inflictã ra„ tioni regiminis fore, præſertim cùm „ hominum mores, modò tempus, mo„ dò fortuna, fortuitus interdum animi, „ aut corporis morbus, quod etiam in „ Turrecuſio, ut in quolibet homine „ accidere poſſet, invertat, conſtantes „ verò, ac providæ leges rerum, ac tem„ porum omnium diſcrimina comple„ ctantur. Porrò autem non adeò rara, „ atque egregia Turrecuſii in bello fa„ cta extitiſſe, quæ mercedem illi impa„ rem mererentur pleriſque gravẽ, cun„ ctis periculoſam. Eſſe eumdem bella„ torem omninò ferocem, & impigrũ; „ at non æquè Ducem prudentem, & „ cautũ, nec imperatoriis æquè artibus, ac militaribus cultũ, cujus temerarios “ inter arma conatus, & impetus ſæpè “ fortuna correxerit. In Luſitano verò “ ab eodẽ hucuſque peracta bello nihil “ oſtendere amplũ, nihil profectò exu- “ perãti munere dignum. Ambiguã ni- “ mirũ Monticii victoriam, & tormen- “ torũ amiſſione fœdatã. Elvi obſidio- “ nem illuſam, & exitu vacuam; Levia, “ & inania cætera prælia, incurſúſque “ cenſeri, quæ nec Caſtellenſiũ auxerint “ opes, nec hoſtium effregerint. Pro his “ aliiſque dimicando proſperè geſtis, ſa- “ tis adhuc homini pretii, ſatis honoris “ ſolutum eſſe; ſi quid fortè novi meriti “ acceſſerit, parem, ac ſimplicem, non “ ancipitẽ, atque gravem ſuperadden- “ dam mercedem eſſe. Hiſpanorũ po- “ ſtremò, magnatum auctoritatem, lau- “ tiúſq; hujus Ordinis ornamentũ vul- “ gare, promiſcuum facere, & per exter- “ norum colluvionem ejus prorſus di- “ gnitatis culmen atterere; neque Regi, “ neque ipſi etiã Turrecuſio cõducere. “

Hoc ſcriptum Senatus conſultum ad Regem delatũ eſt. Rex verò quominùs Ducem eximium in rerum magnarum curſu, & honore cum majori expectatione florentem offenderet, ita Senatus emẽdavit ſententiã, ſcilicet non illi perpetuam Hiſpanorum dignitatẽ magnatum, & jure ſobolis propagandam attribuens, ſed ipſius Turrecuſii perſona, ejuſque primò tantum ſuſceptæ prolis limite definitam. Quod ægrè, nimíſque moleſtè ſuſtulit Turrecuſius nequaquã eo munere ſibi pro merito ſatisfactum, imò verò contemptum ſe putans æmulorúmque maleficio, ac livore dejectũ; miſſionem ergo militiæ à Rege ſubito petiit, impetravítque. Inde Neapolim rediens in ipſo fortunæ proſpero curſu, benéque plaudentis honoris, & famæ ſtrepitu raptus eſt, poſtquam Coſſam in Etruria obſidione Gallorum exemerat, illóque extremo, inſigníque virtutis opere elicito ſui quoque funeris gloriam auxit.

DE
BELLO LUSITANO
LIBRI QUINTI

SUMMA.

TURRECUSIUM, ad armorum imperium in Luſitania ſequitur Marchio Leganeſius. Prævalidum propugnaculum, pontémque inter Elvum & Olivençam, expugnat & excindit. Luſitanorum duo peditum millia, ac totidem fermè equites, partim cædit, partim fugat. Monroium Iurumeniam mittit, ſed prædâ ineſcatus miles frangitur ab oppidanis, & præceps abſcedit. Leganeſius ad prædas agrorum, exuſtiones villarum, & vicorum excidia convertitur. Villavitioſam cæpit ac diripit. Alburquercium in fugam vertit. Orta Romæ contentio inter Oratorem Hiſpanum Zirolæ Comitem, & Zedofreite Priorem, Luſitanæ cauſam Eccleſiæ agentem, univerſam propemodum Curiam permiſcet. Invadunt Hiſpani milites Priorem, è famulis unum confodiunt, alium lethaliter vulnerant. Innocentius, urbanum Prætorem jubet via juris de crimine inquirere. Ex ſententia Purpuratorum, manet Orator congreſſu Pontificis interdictus donec Sicarios traderet. In Aula Catholica Apoſtolicus Nuncius petit ut evocetur Comes Zirolenſis, quem Rex Legati munere exutum Roma diſcedere jubet. Mediolani, auro corruptæ Germanorum cuſtodiæ, Odoardum Bregantii fratrem ab arce dimittere promittunt. Crimini datur Odoardo, quòd fratri, Regis nomen impoſuiſſet. Iudices delegantur à Rege Catholico qui in ea cauſa ex Majeſtatis lege procedant. Mærori ſuccumbens Odoardus lethali morbo corripitur, & judicum ſententiam antevertit. Molingenius, ob præclarè geſta, Marchionis titulo inſignitus, militiæ præfecturam adminiſtrat. Telenæ propugnaculum à Leganeſio extructum, per turpem deditionem Alburquercio traditur. Molingenius hanc infamiam diluturus, Luſitanum ad Anæ tranſitum cadit, propugnaculúmque reſtaurat. Remiſſi, aut intermiſſi potiùs in Luſitania belli, multiplex cauſa. Carolus Padillia in Regem conjurat. Per inſidias & dolos captat Ari benevolentiam. Lutetiam mittitur ut pacis inter Gallos & Hiſpanos negotium urgeat. Rodericus Sylva Dux Ixarenſis, acres cum Aro gerit ſimultates. Per venenum, Bregantium de medio tollendum, Regi proponit Dux. Facinus averſatur Rex. Padillia, ſuum de conjuratione conſilium aperit Ixarenſi. Hic fidem Carolo obſtringit, ſéque conjurationis principem fore profitetur. In partes adſciſcitur Petrus Sylva Vegenſis. Series conjurationis. Ioannes Padillia Caroli frater, Vercellenſis civitatis Præfectus renunciatur. Carolus fratrem in ſceleris ſocietatem adducturus, ſcribit ei litteras, quæ ad Arum Mantuam Carpetanam remittuntur. Compinguntur in vincula Conjurati. In eos ut reos Majeſtatis capitale ſupplicium ſancitur. Animo interritus jugulatur

jugulatur Carolus. Regis Catholici pietas. Ixaræ Ducis cauſa à Iudicibus verſatur. Decernitur, ut veritas, per cruciatus exquiratur. Dux ad tormenta ſuſtinenda mirè compoſitus pergit. Prætoris & tortorum ſævitia, & Ducis conſtantia. Lex, vetúſque Caſtellæ uſus, ut reis inconfeſſis pro vita indemnitas præſtetur. Ixarenſis perpetuò carceri mancipatur, & in arce Legionis occluſus, multo ibi poſt tempore ſenio, ac valetudine reſolutus, interiit. Ioannes Padillia, dum Mediolano, Mantuam Carpetanam adducitur, voluntaria per iter inedia, judicium prævertit.

BELLI LUSITANI

LIBER QUINTUS.

MARCHIONEM Turrecuſium ad armorum imperium in Luſitania Marchio Leganſius ſecutus eſt, miles idem, ac Dux egregius, multíſque fortibus factis illuſtre militaris gloriæ nomen adeptus. Huic miles à Molingenio traditur optima Turrecuſii exercitus diſciplina, & curæ tum, oneríſque ab initio non parum ex reſtituta militum diſciplina Leganeſio detractum eſt, cùm reliquos Duces, ut ſuprà commemoravimus, non minùs vitiorum, & morum in exercitu illuvies, quæ ut contages milites ceperat, quàmvis hoſtilis ſollicitos habuiſſet. Principium autem militaris facinoris in novo, & recentis animi, veteríſque meriti Duce hujuſmodi fuit. Præclarus juxta Olivençam vetúſque pons erat, ambitioſæ Romanorum magnificentiæ, ſuperbæque memoriæ veſtigium inſigne. Stabat haud inde procul prævalidum prognaculum, cum Luſitano ſimul præſidio hujus cuſtodiæ pontis impoſitum, quæ duo jam quaſi meatus, ac nexus erant, quibus Elvus, & Olivença miſſis utrinque ſubſidiis, atque in mutua tutela, cùm res ita poſceret, juvarentur. Propugnaculum hoc expugnare, pontémque ſimul excindere Leganeſius in primis intentus cum quinque peditum millibus, equitibus verò bis mille Badacocio digreditur, & primò integram fermè noctem colli, qui propugnaculo oppoſitus erat cum militibus ſuperando, ſubvehendíſque belli tormentis inſumit, poſt ubi illuxit, tormentarius mira ſuper jugo diſpoſitus arte ſuggeſtus majores repentè cœpit cum fragore, & ruinis emittere pilas. Locus ille ſublimis erat, & pilarum jactibus opportunus, infra contrà patentes corporibus defenſores, & volitantibus undique globis ad miſerrimam cædem expoſiti, cúmque ex eo militum ſimul altámque lapidum ſtragem diſploſa tormenta congeminarent per laceras tandem murorum compages, hominúmque fœdè cadentium acervos aperuere Caſtellenſibus viam, qua propiùs impetum facerent. Sic propugnaculo circunfuſi, dum pugna clamore, minis, multíſque adhærentibus ſcalis ad oculorum etiam ludibrium objectis Luſitanos exterrent, premúntque tanta illi demum confuſione, ac tumultu malóque improviſo attonitis, metúque torpentibus ſimiles, ſexcenti fermè erant milites ſtationarii circa ſolis occaſum, cùm non adhuc matura res eſſet, turpem deditionem fecerunt; traditis tamen armis ob Ducis benignitatem omnes incolumes dimittuntur. Poſtridiè nocturno jam otio præ diurno labore militibus dato caduceator à Leganeſio his, qui pontem inſederant ubi & aliud in ſitus cuſtodiam propugnaculum aderat, miſſus, qui diceret Luſitanis, experta jam Ducis in deditios clementia ne in eodem ipſi diſcrimine conſtituti ad proprium exitium abuterentur. Luſitani ex adverſo cùm hæc audiſſent, æquiores quanquam in ſpeciem illis

oblatas

oblatas reſpuere conditiones, nimium feroces confidere ſibi, minas etiam, & probra jacere, tanquam paulò ante, fœdéque præſtitæ à ſociis deditionis re aliqua inſigniter geſta infamiam delere quærentes. Afflaverat illis eo tempore ſpes, animóſque cibariorum, atque militũ copia munimentíque robur, ac vis, vētura quoque maturè ſibi obnixi pauliſper hoſtibus eſſent, ex propinquo ſibi ſubſidia, vel ſi citiùs res inclinaſſet, ad deditionē per vim ſine dedecore cogi, quàm turpiter illam ex tempore amplecti malebant. Porrò hinc, & inde à Leganeſio cohortibus diſtributis, ac bellatore ſclopis, undique haſtis, bellíque tormētis per vada, per latera, eminus, comminúſq; tum ponti, tum munimento ſimul tuēdo præſidiarios milites occupatos urgēte, dum feſſos novi, ac recētes Caſtellenſes excipiunt, hoſtéſq; numero longè minores, languentes, laſſi à Caſtellenſibus nimis adſtricti ſine requie, ſine ſubſidio unà cum animo vires remittunt, aſſiduo tandem iidem impetu preſſi, fractíque cuncta Marchionis arbitrio produnt; quos etiam ut ſociis nuper acciderat, relictis tantummodò armis, abire ſoſpites juſſit. Duo itaque raptim propugnacula capta dirui, ſolóque ſtatim æquari præcipit Leganeſius, pontémque diſrumpi. Et ea munimenra quidem quia nova, recentíque fabrefacta materia erant, parvo negotio disjecta ſunt, pons verò quia veteri, ac ſolida erat ſtructura duratus, & firmior, ac ferreis idcircò ictibus inconcuſſus, poſtquam inani, aſperóque labore dies ſeptem implicitos milites tenuit, ductis poſtremò cuniculis ſciſſus eſt. Inter hæc Leganeſio nunciant exploratores tabellarium à Bregantio Uliſippone miſſum contendere Elvum, & poſſe facilè, quas ferebat, intercipi litteras, quod laxiori tectus ipſe cuſtodia lubricum iter pergeret. Dux in ejus occurſum continuò equitum alam mittit, qui Luſitanis per iter partim fugatis, partímque cæſis, captivis paucis abſtractis, tabellarium, & litteras capiunt. Redduntur hæ litteræ Leganeſio, intellectóque per eas, duo peditum millia, ac totidem fermè equites, ſera jam victis ſubſidia militibus, quæ tunc Ebora moverant, adventare, dimidiam peditum partem, & univerſum pene equitatum ire hoſtibus obviam jubet. Quadrato itaque agmine, incitatóque curſu Caſtellenſis evecta acies apud Villavitioſam Luſitanam aſſequitur. Adverſis hîc frontibus, atque iniqua ſtatim conſeritur pugna. Luſitanus enim tam ipſo hoſtili perculſus impetu, quàm rei improviſæ terrore jactatus, nec modò ſatis per tempus ad pugnam inſtructus, ubi hæſitat etiam, infeſtæ ne omnes adeſſent copiæ, cùm pars expotrecti, qui intererat collis proſpectum adimeret, & ideò congreſſus, an fuga periculi minus afferret ut in re dubia, & ad ſalurem potiùs naturæ vi propendente cùm vinceret metus effuſo poſt modum curſu dilabitur eques, ſolos pedites deſtitutos, & mucronibus proditos, & jam in irritatorum equorum ungulas, jam in adverſas cuſpides irruentes, mox hoſtium multitudine circumventos exiguo numero fuga ſubduxit, reliquos ferè omnes ferrum hoſtile hauſit; inter quos Legatus equitum Luſitanus fortiter pugnans, & alius agminum Ductor confoditur; hoſtes ad mille, & ſeptingentos cæſi, capti propè triginta ſunt; ſigna militaria quatuor adempta; cruore modico ea res Caſtellenſibus ceſſit. Poſt hæc Leganeſius, cùm ex ſucceſſu mirè animoſum, & alacrem aſpiceret Caſtellenſem, ut eo opportuno uteretur ardore militum, juſſit, Monroïum Tribunum militum unà cum legione ſub noctis caligine Jurumeniam, tunc munimento fere nudatum oppidum ingredi, ubi quiete, ac ſilentio ſubſiſteret, donec totius exercitus robur cum ipſo Duce ſupervenirer, poſſe, ita fretus, aut furto intercipere arcem,

aut ingentem abſtrahere ex opulento congeſtam oppido prædam. Monroïus ex Ducis præſcripto tenebris tectus in oppidum intrat; at nimiùm rapinæ prædæque avidus, inquietúſque ejus in primis miles offendit. Ea quippe ineſcatus, captúſque immodicè miles, errabundus, curſúque ſolutus, & vagus protinùs cæpit incautus & ipſe per municipii ſemitas agi; ſimul impedimentis, & rerum, quas abſtulerat hoſtibus, ſarcinis componendis, involvendíſque diſtrictus, occupatúſque dedit municipibus locum ad arcem propinquam confugiendi, illúcque aſportandi fortunas ſuas, prædarū, quæ erāt collectarum ab hoſte reſidua. Hinc quoque majora ſtatim excuſſa tormenta latrocinii cupidine improvidum, faſcibúſque rerum trahendis implicitum Caſtellenſem eouſque fregerunt, ac perturbarunt, ut Monroïus ſigno receptui confeſtim dato, inde præceps abſceſſerit, cæde, & cruore ſatis ſoluta, quam oppidanis ſuſtulerat, præda. Pulſus vix oppido miles exceſſerat, cùm ſicut anteà convenerat, acceſſere cæteræ copiæ, quas Leganeſius ipſe ducebat. Is ubi ditiorem, quàm ornatiorem militem videt ob infortunium fruſtratæ rei, objurgatione adeò acerba avaritiam militum caſtigavit, ut graviori propè triſtitiæ illis turbulenta Ducis oratio fuerit, quàm voluptati congeſta præda. Aſſumptis deinde, quas ipſe reprehenderat, copiis, ac reliquis copulatis, ad circumjacentium prædas agrorum, exuſtiones villarum, & vicorum propinquorum excidia converſus eſt, ita ratus vel contumelia, ac detrimento irritatum elicere tandem ad pugnam hoſtem, vel in anguſto, víxque ſibi ad neceſſaria alimenta ſufficienti regno, eóque ut aliunde vectentur curſu maritimo difficilia, labefactatum relinquere hoſtem. Omnia igitur obvia circum infeſtis obtinentibus armis, & Villavitioſa vetus Breganții ſedes, quod ſanè majus tumultuario, ac fortuito illo procurſu fuit, eodem militum impetu capta, direptáque eſt, oppidanis cùm jam hoſtis irrueret, inter fugam, atque tumultum aliorum aliò tendentium, paucis admodum interclusis, pleriſque in arcem elapſis. Molienti hæc impigrè Leganeſio defertur, ex præſidiis, hominibus ruſticis, & voluntario quoque milite Luſitanum expletis copiis prohibiturum, ac ſimul ulturum agrorum, ac ſegetis vaſtitatem magno animo, ac numero infeſtum, juſtóque decernere prælio paratum appropinquare. Illuc igitur certaminis cupidus Dux Caſtellenſis inſtauratos raptim ordines movet, & hinc Leganeſius, hinc Alburquercius, acer uterque Dux, circa Villavitioſam prælium inituri conſiſtunt. Utrinque prior equitatus ad conflictum emiſſus eſt, ſpectante quaſi, nondum enim frequens ille convenerat, nec planè explicaverat ordines, equeſtrem pedite pugnam. Quod errore ſententiæ lapſum utrique fefelliſſe Alburquercium oſtendit. Etenim ejus equi cum uſu, numero, genere longè inferiores Caſtellenſibus eſſent, per eam imminutam, ac flaveſcentem exercitus partem viſus eſt inconſultò primam jeciſſe certaminis aleam, quæ facilè ſibi ſimilem eſſet totius negotii exitum contractura. Proinde Luſitano equitatu primò impetu perturbato, fuſóque, ejuſq; fuga, ac tumultu, quæ retro non longè ſubſtiterant, turmis quoque peditum implicatis, metúque perculſis, jam debilitata, ac propè inclinata res Luſitana erat cùm ad pedites perveniſſet. Tunc Alburquercius, ne cornua jam fluctuantia, & equitibus deſtituta, ut videbatur ex copia militum eſſe facturus, circuiret fortaſsè hoſtis patefacta latiùs acie, cornibúſque porrectis, ac ſubſidio firmatis, in fronte ipſe pugnabat, nec aliquid omittebat, quod cohortandis, juvandis, animandíſque militibus in arctiori diſcrimine, & cura profuturum eſſe cenſebat; Verumtamen non pes

pediti

pediti par numero erat, non ſpe, non animo, non fiducia, non viribus comparatis, alterius jam fuſo ante oculos equitatu, hiſque viribus nunc imminuti, reciprocantémque in ſe modò fortunæ timentis æſtum; integro alterius equite, integro pedite, majori idcircò numero, & animo, equeſtríſque recentis alacritate victoriæ in conflictum ferociter incumbentis. Ergo ad primam Caſtellenſis impreſſionem ordinibus diſſolutus, ac penè viribus fractus, cùm nihil arte, nihil labore proficere poſſe cerneret ſe ſe tandem colligere Luſitanus, retrahere paulatim gradus ad montes, qui à tergo imminebant, ac remiſſius cedendo per intervalla pugnare, mox acriùs impulſus, & in fugam tandem averſus, per collium avia, & obliqua & proximos ſaltus disjectus eſt. Hinc Leganeſius Badacocium victrices copias reduxit, & poſtquam ſtrenuum circa Telenam propugnaculum excitavit, pro ſui nominis monumento Leganeſium appellatum, idem ad Catalauniam, ubi acriùs tunc bellum recrudeſcebat, cum armorum præfectura tranſlatus eſt, ibíque ampliorem illi materiem, & gloriæ ſegetem fortuna, virtúſque ſuppeditarunt.

Sub idem ferè tempus acris, & vario ſermone ſtylóque jactata Romæ contentio Zirolæ Comitem Oratorem Hiſpanum, & Zedofeite Priorem Luſitanæ cauſam Eccleſiæ ibidem agentem commiſit. Ex quo rurſus erecta Romæ, incenſáque ſtudia partium, & in clariores familias ſciſſa univerſam propemodum Curiam, eámque novis præſertim ſuopte ingenio ſtudentem rebus permiſcuere. Rex Catholicus (ſeu verius miniſtri ejus, quorum omninò circumactus impulſu, nutúque ſolo nomine, ac nuda majeſtatis ſpecie regnabat) tacita ex longo intervallo cura remorſus, quòd Marchio Velezius ejuſdem item Orator tumultuariis in urbe Romana armis cum Lameci Antiſtite Luſitano congreſſus, hinc quondam perculſus, abjectus, & cum ludibrio victus exceſſerat, avidúſque propereà hujus palam inflictæ ſibi delendæ Romæ ignominiæ, arcana inter monita dederat Zirolenſi, diligenter curarer ſimili inuſta publicè contumelia vicem reddere Luſitano, & in omnium conſpectu notam antiquam diluere; ita tamen, ut incruentus eſſet aſſultus, eáque ingenii dexteritate compoſitus, quâ Luſitanus, & aula ſupplicii auctorem mente conjicerent, verbis, & ſtrepitu aſſerere minimè poſſent. Satis ita piaculi ex accepta publicè injuria, & quidquid ex contumelia Velezii nationi, Regíque notæ, ac dedecoris acceſſiſſet, fore ſumptum arbitrabantur Hiſpani, nec per eam tam ſolerter, tam cautè agitatam injuriam, & per caliginem penè miſſam graviùs lædendum, aut irritandum eſſe cenſebant novum Pontificem Innocentium quem tunc Hiſpani malis edocti, quæ Urbani nuper extincti in ſe acerba contulerant odia, vehementer benevolum exoptabant. Res tantummodò fallere Oratoris periculo poterat; tortuoſo enim, atque ita dubio Regis mandato, quo ſibi ipſe in quocumque eventu ſatis caveret Philippus, eò plus implicari, abjiciſque periculo videbatur Orator; nam provocata ex compoſito rixa inter incertos certaminis caſus, & lubricos manibus enſes Luſitano inferenda citra ſanguinem erat injuria; hæc ita quoque præcepto Regis tractari debebat, ut eam Innocentius acerrimi, & valdè ſagacis ingenii Princeps vel non intelligeret, vel intellectam diſſimularet, atque ita res tota flueret, ut contumelia ſine querela eſſet, injuria ſine ultione, & hoſtis hoſti gratis remitteret noxam, & moroſus, acérque Pontifex conniveret; quæ copulatio profectò rerum intellectu difficilis, re difficilior, cùm in conſilium vocaret caſus, nec eſſet in homi-

nis poteſtate res tam diverſas, tam fortuitas, tam ambiguas ſimul componere inter eas tricas Politicas hominem volutabat, quarum noverat etiam nec impunè ſi hoc improſperè cecidiſſet, nec facilè, ſi retexere telam vellet, eſſe ſe exitum inventurum. Cùm tamen urgeret Regis imperium, quod gravioribus quidem laqueis fortaſsè abnuentem obvolveret, proruptæ quoſdam audaciæ cognitos milites rei perpetrandæ à Mediolano cauſa Romam accerſit. Hos, qui domi adhuc ſuæ latitaverant, via publica euntem in Luſitanum invadere juſſit, eúmque extremo, atque inani metu mortis incuſſo cædere manu, jactare conviciis, verbera, & fuſtes famulis ejus impingere, ab omnium ſanguine tamen, ut Rex præceperat, abſtinere. Ab æde Sanctæ Mariæ de populo, Romæ ſic nuncupata Zedofeitæ Prior Luſitanus egreſſus, via celebri, curru vectus abibat, cùm Hiſpani milites circunfuſi, vultúque aliquid magnum, & atrox auſuros ſe præferentes, repentè illum aggrediuntur. Flagris in primis auriga vexato, inhibent currum; inde minaciùs, quàm re ipſa facturi erant, in Luſitanum inſiliunt, brevíque fiſtula ferri pectori ejus admota, quia ea vacua, & ad terrorem, atque ludibrium duntaxat parata erat, circa ultimum orificium nitrato ſuſcepta ex pulvere flamma tenui ſibilo inanis efflavit. Tunc Luſitanus aut ita ſibi ob turbatæ mentis caliginem viſo extremo ictu mortis exterritus, aut in ſemet irruentium, atque jactantium impetu tractus ex curru moribundo ſimilis cecidit. Hæc Luſitani ubi famuli vident tum ultionis, tum heri propriæque jam diſcrimen conjectæ ſalutis ſolliciti, trepidíque ſtrictis pugionibus advolant. Idem faciunt Hiſpani milites, fit pugna inter partes, clamor undique hominum concurſúſque Hiſpani, quanquam, ne data frangerent juſſa, innoxios mucrones illibatúmque in certamine ſanguinem vellent, cùm jam paſſim emicantibus gladiis, & in turba, ac tumultu ſeſe hominibus collidentibus, ita res caluiſſet, ut dare, aut accipere in illo articulo necem neceſſitas cogeret, tunc variato metu mortis imperio, Luſitanũ quemdam infeſta cuſpide venientem confodiunt, currus rectorem lethaliter vulnerant, temerè alius ad ſedandum tumultum in medium illatus caſu ictus occubuit; latiúſque profectò eo irarum ardore, atque impetu effuſa cædes illa manaſſet, niſi obvii, & quos tumultuatio, clamórque longè, latéque collegerat, interpoſiti fortè cives acriùs certamen trahentes majori vi, atque numero diremiſſent. Jacentem humi Zedofeitæ Priorem, colore exanguem, mente, ac ſenſibus deſtitutum, conſertis famuli brachiis, in domum ſuam referunt. Hiſpani ad Oratoris ædes confugiunt; Inde Neapolim verſus quàm citò fugam arripiunt. Erat ea tempeſtate paulò antè renunciatus ſummus Pontifex Innocentius hoc nomine Decimus, vir idem juſtus, & aſper ingenio ſuíque propoſiti tenax mirificè ſenex, cujus prætereà ingenii altitudinem, conſiliíque retruſas latebras introſpicere ne facilè quidem intimis ejus familiaribus erat. Is tunc acerbiſſimè ſenſit ea manifeſta, graviíque Hiſpanorum offenſione turbari Pontificatus ejus initia, quippè quæ ex aliis ad alia, niſi per metum iretur celeriter obviam, ac nova ſemper ſpectaret reipublicæ turbamenta; & quæ ejuſdem probandæ quoque conſtantiæ, atque ad res temperandas ignoti adhuc animi experimento, multis, qui curioſiùs ingenium, & mores novi Principis explorarent, futura erat. Si fluida prætereà, ſi timida, hæc primò orientis Principatus ejus exordia, ſi torpore, aut ignavia ſoluta, caſúque labentia

perſpecta

perſpecta fuiſſent, cùm mortalium per tempus plerumque laſſari, ac remitti natura ſoleat, quæ media deinde, quæ imperii ejus extrema putanda eſſent? Suas igitur cogitationes, & curas omnes in eo fixerat Innocentius, quod nempè ſeveriùs, aut quod diſſolutiùs in hac cauſa conſtituenda deliberaſſet, reliquarum deinde actionum imaginem, & tamquam omen futuri regiminis, vel ad metum, vel ad contemptum hominibus expreſſurum. Ad hæc cùm ad ſummi honoris faſtigium Hiſpanorum præcipuè afflatu provectus eſſet, jure ex eo quoque Pontifex verebatur, ne hujus Hiſpanus ſuperbus exactor officii velut lege ſolutionis ea tanquam debita ab illo ſibi repeteret, quæ ipſi Pontifici dedecus, majora Hiſpano publica odia, & merito gratiæ turpitudinem peperiſſent; & alieno tandem violentóque cogeretur arbitrio res Eccleſiaſticas moderari. Acceſſerat etiam,quod Innocentius anteà, & poſtquam fuerat ſummus Eccleſiæ Princeps inauguratus, clam fidem obſtrinxerat ipſe Catholico Regi, ſe pro pace, & concordia inter Hiſpanos, Gallóſque diuturno bello defeſſos cùm per Auguſtæ dignitatis apicem licuiſſet, conſtanter, ac ſtatim interceſſurum. At meliùs tanti poſteà perpenſa momenti re, ſeu Hiſpano jam nihil indigens Innocentius, ſeu potiùs ne ſimul poſt conſpirantium, & opima pace florentium viribus Regum, ipſe magis deinceps adigeretur amborum imperio ſubjici, alienáque e pro pace ineunda pericula,& turbas domum accire, ſuffragia, & colores cautè requirere videbatur, quibus fidem exuere honeſto quoquo nomine poſſet. Hæc & ſimilia ex parte Hiſpanorum producta argumenta ad moroſiùs, ac duriùs in cauſa propoſita ſtatuendum Pontificem ſtimulabant. Nec levis quidem ponderis erant, quæ ex Luſitani, Gallíque parte ad ultionem cauſæ Pontificem commovebant, nimirum paſtoralis negotii munus, decúſque, oſtentatio æqualitatis, neutróque inclinantis animi, & à partium contagionibus incorrupti, ſimul juſtitiæ ſtudium, tum vincula, carceres, laquei, ſecures, rotæ, & cætera ſceleſtorum ſupplicia ſecundum leges, ſubſidia nempè regiminis, quæ ubi ratio, tempúſque poſtulat, nequaquam omitti abſque reipublicæ interitu poſſunt. His ancipitibus curis ſollicitus Innocentius primò urbanum Prætorem juſſit via juris de crimine inquirere, fama communi præſertim innixum, qua ſicarios domo Hiſpani Oratoris egreſſos, eóque perpetrato flagitio regreſſos eſſe conſtabat. Albernozio deinde, & Cuevæ ſimul Purpuratis Hiſpanis, qui Romæ eo tempore agebant, per Segnium ſecretum ejus cubicularium denunciavit. Satis ſibi cognitum eſſe per quos, & quomodo, & cujus mandato, impulſúque in hominem Luſitanum ſacra in eo loco procuratione, fungentem, & fide publica commorantem palam, turpitérque commiſſus ſicariorum aſſultus fuerit, ex quo ipſe, ut in ſublimi dignitatis gradu locatus, nec majori injuriæ publicæ parte, nec peculiari ſenſu doloris carere poterat. Dolere ſe tamen & gravius, quod ea nempe ipſe ab amicis, ſibíque per plura amicitiæ pignora obnoxiis relata videret, & pateretur, quæ perlæta, & utilia communibus æmulis forent, ipſum enim inultum ludibria in ſe ipſum, & nova fomenta ſcelerum in Chriſtianam rempublicam collaturum; ultum verò, ideóque offenſum Hiſpanis, & odio habitum, novos clientes, novos eo turbulento tempore, & loco quærere amicos, & partes cogi, ne ab utriſque fortè conjunctis, & inviſus utriſque deſtitutus tandem, & ſolus opprimeretur. Adeò inſcienter, ac ſtultè Oratorem ingratum, ſuíque debiti prorſus immemorem rectè conſultum cauſæ Regis exiſtimaſſe, dum ultionis

in Luſitanum, & ſtimulus odii in ejus levi judicio potior, quàm pondus extiterit Pontificis gratiæ. Cardinales autem Hiſpani, quos rei ordo, & arcanum, & cauſa ejus occulta revera latebat, cùm hæc à Segnio audiviſſent, rem verbis acriter inſectantur, inſcios ſe penitùs quoque & auctoris, & cauſæ ſceleriſque profeſſi, doloris ardorem, ſenſúmque teſtantur quem ob crimen, & mœrorem ex eo Pontifici incuſſum conceperant; denique adjiciunt, in eadem ſanè triſtitia, animique moleſtia, cùm id accepiſſet, Regem futurum eſſe, tum maximè, ſi ille forſitan comperiſſet, ad quemquam miniſtrorum ſuorum conſcientiam ſceleris pertinere. Hæc Innocentio per Segnium Cardinales Hiſpani reſpondent, & ipſi quidem perſpectæ tunc diffidentiæ, eorúmque ſpretæ in illo negotio operæ tacito quodam aculeo in animo perciti, refrictíque quoniam Orator, quem abſque dubio facti artificem reputabant, his omninò inconſultis, ac neſciis tantū Romæ facinus ſuſcepiſſet. Quod planè Oratori haud mediocriter nocuit, illi enim ſecreti fide, & officio ſoluti ſegniùs idcircò cauſam communem agebant; unde ſæpiùs ſocietas conſilii in conſcientiæ contagium, aut periculi, aut excuſationis effugium, quàm in rei diſciplinam aſſumitur. Sic Hiſpanis Cardinalibus monitis, eodem Segnio internuntio ſubinde Pontifex uſus Zirolenſis Comiti expoſuit, inter illos ſicarios, qui contra jus gentium, Sanctæque Sedis auctoritatem in Luſitanum nuper irruerant, viſos domeſticos ejus miniſtros ſceleris affuiſſe. Ea ſe porrò indignatione, animíque mœrore concuſſum, quæ eidem conflare ſummè debebant, & criminis fœditas, & neceſſitas ſibi ultionis impoſita, & ſui quoque neglecta muneris amplitudo. Cæterùm ille intelligeret Romanum Pontificem, quocumque reſpectu, aut quæſitæ colore cauſæ, nihil profectò unquam de integritate juſtitiæ, de jure Apoſtolicæ majeſtatis, & boni regiminis legibus detracturum fuiſſe, proinde graviter ferre, turpem in hunc modum eſſe amicitiam ab eo violatam, beneficiorum memoriam ſpretam, ſuam manſuetudinem laceſſitam. Turbas quærere Zirolenſem, at etiam ille videret, quonam modo, ab his quæ ipſe in domo aliena excitaſſet ad ultimum eſſet turbis, & fluctibus emerſurus. Ad ea Hiſpanus vertere omnia, & fallacias undique ordiri ad rem eludendam intentus, Audito ſe Luſitani infortunio, reſpondit Segnio, pari quoque dolore affectum ut Pontificiæ cauſæ, animíque moleſtiæ conjuncto. Pro regiminis, civiliſque diſciplinæ inſtituto omninò neſcire ſe, quid propter ſe inflectendum, corrigendúmve, aut quid ſecum deinceps Papæ cavendum, aut providendum fuiſſet, multóque magis unde, quóve pergeret ille in ſe temerè fuſus inanis minarum ſtrepitus, miniméque decere Pontificem maximum vana rumoris aura, vulgaríque opinionis errore pertrahi. Cæterùm quo fictæ minùs ſuſpiciones, & æmulorum calumniæ præterita inter ipſos officia, & merita eximia labefactarent, ſeſe conſtanter, & candidè profiteri, hujus participem criminis, quod tot in urbe fabulas excitaſſet famulorum ſuorum neminem extitiſſe. Cúmque his ab Hiſpano dictis adderet Segnius, Contra Innocentio à Romano Prætore relatum eſſe, tunc colore, vultúque varius & plus quidem pallore ſuffuſus Hiſpanus Orator adjecit. Id certè ſe ut nequaquā lutulentis moribus ejus, ac reliquo impuro vitæ inſtituto diſſimile de Prætore facillimè credere. Miſerā planè Oratorum conditionē tribunali, foro, juriſque ditione æneo illo ſub cœlo carentium, cùm eorum, ac ſimul Principum decus & fides alieno, ancipitíque judicio inter nundinas jurium, & teſtes, Judicéſque venales periclitetur. Vehementer

menter tandem orare, atque obſecrare ſe, ut unam tantummodò ſibi Innocentius ſeponeret aurem ab æmulorum inſectationibus incorruptam. Refert hæc ſtatim Pontifici Segnius, qui nec ideò ſententiam Pontifex torſit, nec iram abundè collectam imminuit, ut erat enim per longiorem in loco moram Hiſpanæ aulæ moris, cultúſque peritus, ubi ambiguus, nec illatæ cuiquã manifeſtus auctor injuriæ, cùm palam, ac firmiter factam injuriam negat, eradere notam omninò putantur, & contumeliæ avellere aculeum, vel quia ita prudentiam ſimultatibus inimicam amplecti, quod cautè, honeſtéque offenſionum ſcaturiginem tollat æquo animo deceat, vel quia ſatis credatur pœnarum ab illo ſumptum, cui ſuſtentare, quod fecerit ratio, vel animus minimè ſuppetat, idcircò Innocentius contorta Oratoris prætestibus verba neglexit, eam ipſe quoque excuſationem, ut commentitiam, & futilem Luſitanos, Gallóſque dedignaturos exiſtimans, néve etiam ea tolerantia quidam quaſi permiſſus inſidioſus Romæ pateret Oratoribus aditus, quo armorum inter licentiam, ratáſque criminum latebras iras, & odia coram Pontifice ſatiarent. Itaque fixus in primò ſuſcepta ſententia Pontifex omninò ad vindictam flagrabat. Cæterùm Hiſpanus Orator poſtquam ſe ipſe intellexit, ut admiſſi adverſus Luſitanum facinoris conſcium per convivia, per circulos paſſim, per ora vulgi, Curiæque primorum, conſtanti, latóque rumore ferri, partiúmque querelas in ipſum acerbas, & minas tumidas fundi, metum ut abderet, ſparſóſque ſimul rumores eluderet, ſolito magis in illis diebus Cardinales publicè inviſere, obire vias urbis frequentiores, amœniora aliquando diverticula quærere: ab omni ſe cura ſolutum, & animo vacuum conſultò jactabat, tanquam inſontem, nihilque ſibi ex conſcii judicii ſcrupulo metuentem; neque aucto etiam per hoc famulitio, neque extraneis ad corporis cuſtodiam, aut ædium limites acceſſitis. Biduò antè tamen, quàm aſſueto Oratori cum Papa colloquio præſtituta rediret dies, cùm vereretur Hiſpanus, ne ab Innocentio rejiceretur, & præoccupare propterea vellet præcluſi fortaſsè aditus ignominiam, domi ſe tenui corporis ægritudinem ſimulans, miſitque ie conſtituta ad Pontificem maximum Hiſpanum quemdam Regis procuratorem, qui, & ejus abſentiam morbi impedimento excuſaret, & qui primus quoque iræ, miníſque calentis Pontificis impetum frangeret. Verùm neque à Pontifice, neque à Cardinali etiam Pamphilio, & ſi per triduum enixiùs urgeret, ille impetrare aditum potuit. Falsò tunc arbitratus Orator levem auctorem à Pontifice ſperni, néve ille fortaſsè crederet, ipſum ut ſontem facti pudore, ſtimulíſque conſcientiæ retractum ſacro ſua ſponte carere Palatio velle, & Pontificium aſpectum fugere, coram, & ipſe tandem audiri à Pontifice poſtulat; at planè rejicitur, inſuper tunc intellecto novas irarum immiſſas Pontificio pectori flammas, quia Romanus quidam delator, cujus generis hominum affluit ſemper in urbe numerus, in Oratoris domus veſtibulo à famulis ejus deprehenſus ſaucius ab illis, multíſque verberibus ictus exceſſerit, inde aliud ex alio quaſi perpetuò ſcelus innecti Innocentium acerrimè queſtum, & ſe implacabilem oſtẽtare. Movit ea res audita Comitem Zitolenſem per Cardinalem Albernozium ſecretò monere Pontificem, quod notus ille explorator, triplici, ac vario unà ipſa die mentitus perſonam habitu, dum impudentiùs ſecreta domeſtica rimaretur à famulis ejus inſpectus eſſet. Attamen ita cognitum, ita notatum ſtantem ad oſtium humaniter primò dimiſſum eſſe, hunc procaciter obſtitiſſe, iterùm monitum, ut abiret, ro-

gatum iterum eſſe; ut precibus, ita minis exploratorem obduruiſſe; pertinaciùs denique hærentem, levius quidem quàm meritus eſſet, percuſſum fuiſſe: ab ipſo Comite tamen in eumdem qui adeò protervum cciderat hominem, famulum, quanquam & meritò videretur ab injuria prohibenda commotus, ut hoc darer Pontificis gratiæ, ſeveriſſimè animadverſum. Idipſum Orator Cardinali Pamphilio per ſecretos codicillos ſignificat, addens præterea ſemel ab ipſo Oratore patruum ejus rogatum eſſe, ut tot inter invidos, & fallaces obtrectatores puram, & integram ſibi alteram tantum ſervaret aurem, nunc idem ſe rurſus, & cum majori fiducia orare, ut tantæ auctoritaris, & gratiæ apud Pontificem uſum deprecatore. Pamphilius has litteras accipit, lectas communicat patruo, & ab eodem edoctus nec voce, nec ſcripto Oratori quidquam reſpondet, illas ut vanas, ex mente patrui, artibúſque confictas à pleno rimarum homine aſpernens. Itaque Hiſpanus recentis cùm iræ vim tempore eſſe frangendam, & leniendam etiam illecebris duceret, breves negotio inrerponit inducias, póſtque dies aliquos interjectos iterum facultatem expoſcit Pontificem adeundi, multa per id temporis, atque gravia ex dilato colloquio intermiſſa, alia implicata, alia omninò corrupta Regis negoria cauſatus, queſtúſque. Sed quàvis id iterum, atque iterum ardenter urgendo repeteret, prætextis, fictíſque quibuſdam primò reſponſis Oraror eluditur, palam deinde, atque planè, detracta larva, à Pontificio limine arcetur. His ita rebus utrinque per artes aulicas conſtitutis, cùm ſatis jam Innocentius exulcerati per animi, & iram altius condẽtis indicia inhiare ſupplicio oſtẽdiſſet, nec prodeſſe ullo pacto Oratori quos cavillorum ipſe circuitus, inventionéſque, ur reſiliret crimen, aggeſſerat, ſimul cùm ejus tumorem, & faſtum quâ ejuſdem precum ludibrio, quâ minarum contemptu, aut inde orto pudore, aut timore, aut errore noro fiduciæ, ſenſiſque haud minùs acerbo nequaquam ex voto ſucceſſæ rei aliquomodo contuſum, atque compreſſum arbitrarerur, premere tunc aptiùs in cauſa Pontifex ratus, eidem Hiſpano Oratori per Segnium iterùm miſſum indici jubet. Jactari paſſim in urbe voces, & populariter credi, contumeliam nempè, & injuriam contra jus gentium Luſitano publicè inflictam Oratoris mandato conflatam eſſe. Nolle ſe tamen & ſi ſecus plurimi dicerent, argueréntque cauſam prolixiùs excutere, imò verò de tantæ prudentiæ, religioníſque viro malle mitiùs quàm ſecùs quod in dubium, ſuſpicionémque cadere poſſet interpretari, quod unum tantummodò jure ſibi propè imminuro reſpectui Regis, gratiæ Legati, ſuæ quoque erga Hiſpanos benevolentiæ concedere licuiſſet. Cæterùm cùm rata, atque certa Prætoris inquiſitione conſtiterit, ab ædibus ejus erupiſſe ſicarios, eóque è veſtigio confecta cæde reverſos eſſe, culpæ duntaxat reos manifeſtos, eóſque nefarios homines, totiúſque reipublicæ peſtes ad eorum ſcelera punienda ſibi, ut legitimo vindici ab ipſo tradi petebat. Hic ſenſit Hiſpanus ſuis ipſum artibus à Pontifice peti, ille ſiquidem ſpecie indulgentiæ, collatæque nomine gratiæ velle ab Hiſpano id videbatur exigere, quo nihil aſperiùs, ac duriùs, quanquam vi, & impetu uſurus fuiſſet, à ſoluto jam legibus Oratore unquam elicere potuiſſet. Hic tamen arte compoſitus ictus cùm Oratori haud repentinus incideret, hoc meditato reſponſo occurrit. Non minùs quidem ad propriam exiſtimationem, & officii ac nominis majeſtatem, quàm ad Regis, ejúſque Legati gratiam pertinuiſſe, quod in Luſitani caſus judicio, diſſipatóque latiùs rumore, minimè fuerit, ut decuit,

cuit,

cuit, Pontifex vulgus errore, ac levitate lapſus. Veriſimile porrò eſſe aut Hiſpanos, aut cujuſque generis homines, omnium velut aſylo cùm Oratorum limina pateant, dirempto cum Luſitano jurgio domum ſuam convolaſſe, atque inde protinùs aufugiſſe, jurè præſentientes, ut Innocentio flagitii turpitudine inviſos eoſdem in domo Oratoris neque diu, neque impunè futuros fuiſſe, ut Pontifici tamen obſequeretur, accuratè, ſtatímque ſe ſi qua fortè domi ſuæ reorum veſtigia eſſent exploraturum, & rationem ſubinde Pontifici redditurum. His ab Hiſpano dictis addidit Segnius;ſe quoque à Pontifice juſſum ut certiorem Zirolenſem Comitē faceret,ne dum illi interclusum ſed deſperatum etiam omninò fore ad eumdem Pontificem aditum; niſi priùs criminoſos homines dederet. Tunc Hiſpanus improviſo eo jaculo ictus, quod tanta fiducia, oríſque libertate contortum ob jactationem, ac ſtrepitum Hiſpanorū in Urbe opum re vera non expectabat primùm hærere, rubere, torquere ſe ægrè, quæ in ore, oculíſque eminebat, & ſi vellet, irarum cùm ſupprimere flammam poſſet, ſpiritu tandem, ac voce recepta; Diſtorta quidem hæc, inquit, & præpoſtera modò argumentatio eſt,me ipſum enim in Luſitanum commiſſo ſceleri affinem ante comperiat oportet Pontifex, quàm hujuſmodi minitari, aut repetere pœnas liceat. Atqui in facinore etiam deprehenſum reſperſáque ſanguine manu, ſtratúmque ſuper hominem inſultantem quid ultra furere Pontifex in Catholici Regis Legatum valeat? Duorum nihilominus mandatorum alteri ſtatim obediam, alterum non curabo. Hoc cum reſponſo Segnio dimiſſo, magnóque ſubinde in ſpeciem tumultu, ſonitúque luſtrata domo, poſtquam Orator Cardinales Hiſpanos conſuluit, de eorum quoque ſententia in hunc modum reſcripſit Segnio. Ædes ſuas circunſpectas, famulos omnes ſevero examine excuſſos, loca omnia reviſa, ac penitus explorata, nec ullum ibi apparere latentium reorum indicium. Avere prætereà ſe, ſuíque arbitrii, juríſque fore ad rem oculis explorandam eaſdem in ædes Romanos milites introducere. Hoc autem ut grave, & immunitati Regis adverſum, ejúſque jus majeſtatis imminuens annuere fas ipſi non eſſe, niſi omnibus anteà conſultis, concordibúſque, qui Italiæ rebus præeſſent, Hiſpanicis adminiſtris. Orare ſe tandem, & obſecrare Pontificem ne ſuetos diutiùs cum ipſo prolatando congreſſus Regis negotia,quæ magni momenti pendebant, omninò labefactaret. Hujus ſententiæ juſſu Oratoris traditas litteras noluit accipere Segnius, eo ſe prorſus defunctum officio dictitans, cùm eumdem jam Pontifex in ſacri Palatii œconomum provexiſſet. Sed re vera ab Innocentio prohibitus cauſam fortè, aut ex compoſito oblatam ad conſilium inflexit, quod aliis quoque diſtrictè imperatum aulicis fuerat,ut quoquo pacto ſeu voce, ſeu ſcripto, per ſe, vel per alios acceſſus, & uſus ad Papam Hiſpano præcluderetur. Orator Hiſpanus à Segnio rejectus, Cardinalem Panzirolum, tunc Pontificia gratia florentem, adit, rogat illum, ut ore Innocentio eam litterarum ſententiam, quam Segnio reddiderat, promat; minas, queſtúſque miſcet, quod de falsò crimine interrogatus, aggravatúſque cùm immeritò eſſet, & ideò purgare ſe tetendiſſet, nihil ſibi à Pontifice, niſi iracundè, reſpondeatur. Panzirolus eodem etiam præcepto, ne ſe cum Pontifice pro Hiſpano Oratore interponeret, irretitus ab eo ſtatim explicat ſe, nihil ſibi, reſpondens, talis negotii, cujus moles maxima eſſet, à Pontifice injunctum. Clanculùm tamen Cardinales Hiſpanos Panzirolus admonuit, quod fruſtra ſe ac cæteros ambiendo, fatigan

fatigandóque Hiſpanus Orator in Luſitani cauſa ſuffugia, ambigiúmque adminicula quæreret; res, & non verba Innocentium deſiderare, in cujus ſe animo penitùs fixerat, nec tanquam amico, nec tanquam regio Oratore Zirolenſi Comite uti, niſi priùs maleficii compertos homines reſtitueret.

His rebus ita confectis, electum deinde Purpuratorum Senatum Pontifex vocat, illum videlicet, qui à partibus ſegregatus, & integer de gravioribus Eccleſiæ Catholicæ rebus ſolet rogatus ſententiam dicere. Ibi primò Innocentius contra Luſitanum Romæ fide publica agentem ſceleris turpitudinem, execrabile exemplum, conculcatam ſummi Pontificis dignitatem, populi offenſiones, externorum ludibria, contentiones, æmulationes, diſcordias ubíque, iras, & odia civilia, promptum, & ſtrenuum niſi ſtatim remedium adhibeatur, perpetuò in urbem ebullitura, acriùs in cauſam invectus amplificat; narrat deinde Hiſpano ſe Regi per litteras inculcaſſe, is niſi hoc nomine ab Roma protinùs revocatum arrogantem Oratorem exigeret, ibi forſitan permanſurum, ſed à Pontificio colloquio ſemper excluſum, ante oculos æmulorum abjectum, otióque marcentem, & ignominia. Poſt hæc redditas ſibi à Neapolitano Prorege litteras verecundas, officioſas, obſequio plenas, & pondere, quibus conſtanter profitebatur conſcientiæ in Luſitanum admiſſi criminis, nec ullo pacto eſſe Regem, nec ejus Oratorem obnoxium, reíque hujuſmodi fidem, onúſque teſtationis aſſumptum jure jurando quoque cùm id Pontifici placuiſſet, ſancire Proregem paratum eſſe. Cùm igitur propter audientiæ dilationem acerbè queratur, ac doleat Hiſpanus, in communem nempe perniciem jactari quoque negotia Regis, hinc & temerè exactum à miniſtro ſupplicium in caput etiam telabi ejuſdem Regis innoxii, cúmque ſpectatæ ſimul virtutis, gradúſque ampliſſimi Prorex, & locuples ipſe teſtis, ad veritatis lucem juramenti religione velle in cauſa intercedere ſpondeat, ſciſcitari modò Pontificem, an priſtinæ gratiæ, & ſplendori per hæc illata, utcumque ſint argumenta, ſuſpenſóſque jam Legationis officio Zirolenſem reddere Comitem deceat. Non erat profectò animus Innocentio ób Cardinalium ſuffragia, ea de ſententia, quæ ipſi jampridem mente conſederat, demere quidquam, vel addere, at hæſitantis in ſpeciem pertentare Senatum, ut ita exploraret, quæ ſingulis mens, quæ vis ingenii, quæ præcipua inclinatio in illo negotio eſſet, & quis eorum Pontificio decori potiùs, & gratiæ quàm propriæ utilitati ſerviret, ſi verò etiam conſenſus Purpuratorum procerum acceſſiſſet, eò popularibus ratam cohoneſtare ſententiam poſſe. Hujuſmodi mente conſulti Patres, cùm urgeret præſentia Principis, quæ ſæpè tranſverſos calculos agit, illóſque, ne ſuſpicacis, ac rigidi ſenis in ſe fortaſsè volverent iras, ejus arbitrio potiùs quàm cauſæ & officio ſtudendi cùm ſollicitior pungeret cura, ſententiam tandem tulerunt, ut, etiam Proregis teſtimonio neglecto, maneret Orator congreſſu Pontificis interdictus, donec ſicarios traderet. Unus tantummodò Panzirolus ſeu Hiſpanorum promiſſis inflatus, ſeu Pontificiæ gratiæ firmitudine fretus, his fundamentis innixus communi Cardinalium decreto obſtitit. (Oratorem Hiſpanum in graviori negotio, quod ratione hucuſque diſcuſſum fuiſſet, æmulorum duntaxat morſibus, vulgíque rumoribus peti, quorum lubrica fide, impetúque viros Principes raptos momēti quidquam ſtatuere tum iniquū, tum indecorum videri, ac reipublicæ diſſentaneum; Eò quoque profectò majorem hîc habere commune vim argumentum, quod varia ſemper

,, per, incertáque fama virum nunc
,, Principem læderet, nec ſui quidem
,, juris,nec Pontificis etiam cùm à Rege
,, planè dependeat, ad quem jure pre-
,, mendum in cauſa nervoſas ſanè pro-
,, bationes, & clariora undique indicia
,, requiri, quæ hucuſque in judicio
,, non occurrebant, cùm Prætor Ro-
,, manus nihil aliud in præſcripta pau-
,, lò ante acta retulerit, quàm peractâ
,, cæde ſicarios redeuntes, à teſtibus
,, multis in Oratoris ædes conſpectos
,, eſſe, quod planè cur evenire non po-
,, tuiſſet ad aſylum, tutúmque recep-
,, tum more ſuo nefariis hominibus
,, properantibus, ut in templum, ut lo-
,, ca immunia, ut in latebras alias quas
,, vitæ diſcrimen, & fuga ſupplicii no-
,, centibus ſubjicit; nonnulla his addi
,, ex adjunctis deducta argumenta,quæ
,, Hiſpani Oratoris defenſionem, &
,, cauſam aliquo modo debilitent, non
,, autem omninò frangant; & ſeriùs
,, poſtremò his actis judiciariis excuſſis,
,, adhuc in obſcuro,magnarúmque dif-
,, ficultatum æſtu verſari, quod modo
,, quæritur, crimen; cætera aut paſſim
,, ex triviis collecta eſſe, aut inſerere
,, ſtultos, aut inimicos affingere. Præ-
,, tereà, & ſi magis, quàm per ſe valeat
,, nunc exorta ſuſpicio urgeat, quid ju-
,, ris gentium, quid publicæ fidei vio-
,, lationem in hoc propoſito crimine
,, obtendi, cùm ea pro Luſitaniæ Re-
,, ge, qui hactenus Romæ non extat,
,, rejecta ſit; ratio verò Luſitanarum
,, Eccleſiarum, quam hic in Curia tra-
,, ctare dicitur,jure quoque procurato-
,, rio ſoli Pontifici addicta ſit? Ad hæc
,, quanquam re ipſa ſceleri obnoxius
,, Hiſpanus, & publicæ fidei corruptor
,, fuerit, id tamen patere primò liqui-
,, diùs, prudenter deinde, ſatíſque cau-
,, tè opus eſſe Judicibus de inferenda
,, Oratori pœna ſtatuere, ut in crimine,
,, & cauſa cum potentiſſimo Rege,qui,
,, & Judicium, & Judices ſimul,& acta,
,, legéſque raptare, ac pervertere poſſit,

conjuncta. Quod ſi denique oblata “
à Neapolitano Prorege jure jurandi “
pro ſcelere cautio, & pondere aſſer- “
tionis, & Principis dignitate, atque “
amplitudine expenſa de induſtria, “
aut ſimpliciter acceptetur, profectò “
quidquid auctoritati Pontificis notæ, “
quidquid irarum Luſitanis, Galliſque “
triſtis ille conferre ſucceſſus quoquo “
modo propoſitus valuiſſet, expia- “
tum, eraſum, omninò extinctum exi- “
ſtimandum eſſe, haud ſecus ac planè “
laudandum, & extollendum, quod “
partium concordia, regiminis decus, “
turbarum omnium oppreſſio ex pru- “
denti, mitíque remedio fuerint per “
ſummum Pontificem conſtituta. Hæc “
Panzirolus Cardinalis locutus, eorum,
qui contra ſenſerant, quod illi invide-
rent Pontificis gratiam, & eam per oc-
caſionem minuere deſiderarent, cor-
roboratis denuò ſententiis, ea copia
verborum, & vi argumentorum obrui-
tur, ut inconcuſſa, atque ſtabilis quæ
ab Oratorio munere, Pontificíſque
colloquio ſecluſum teneri Romæ Ziro-
lenſem decreverat, quoad ipſe ſica-
rios, aut Rex Catholicus per epiſto-
las monitus reſponſum Pontifici red-
didiſſet.

Hæc in aula Romana, in aula verò Catholica Apoſtolicus Nuntius Pontificiis mandatis acceptis protinùs Regem adit; Luſitano, ipſiſque Pontifici potiùs inuſtam per Oratorem injuriam exponit; acta ſimul exhibet Regi, quæ Romæ Prætor à Pontifice juſſus confecerat, crimen & plus quàm ſuſpectum auctorem criminis aggravantia; Innocentii prætereà litteras, quæ optionis genere quodam adſtrictum premebant Regem, vel ultro ipſe ſcilicet Roma avocatum Comitem Zirolenſem, vel ibi vacuum officio, torpentem otio, nec ſine nota, ac dedecore vellet, & alio ſe Romæ, vel nullo Oratore Hiſpanico uſurum; mediam viam nullam eſſe. His planiùs ore etiam Nuntius

juſſu

juſſu Pontificis addidit, in illo cum Rege vertente negotio, prout ſatisfieri ſibi petebat, cùm Principis jus ſuſtinentis, tum elegantis amici perſonam ſummum Pontificem gerere; niſi enim latenter, & cautè cum ipſo Rege Innocentius amicitiæ coleret leges, eamdem & ipſi fortaſsè moleſtam Regi, inutilem certè futuram fuiſſe. Proinde vulgatam ubique ſibi, & Gallis, & Luſitanis publicè inflictam per Oratorem injuriam, ſi gratiâ Hiſpanorum deſtitiſſet Pontifex perſequi, c m proniorem ex inde in illos animum declaraſſet, indormientes eo tempore fortè rei hujus inſcitiæ partes ad alia ipſa luce molimina excitaturum fuiſſe, eáque utilia maximè Hiſpanis conſilia diſſipaturum, quæ ſimulatione interpoſitâ ſtare Regi Catholico poſſent, eadem ſublata ruere; quò enim graviori plerúmque officere detrimento inimicus oc cultus valet, pari etiam emolumento inter partium litigia proficere velatum amicum poſſe. In hunc modum callidus ſenex præfervidam ultionem à Regis commodo mutuatur. Rex verò, ut moris ſui erat, cum incerto reſponſo, Apoſtolico Nuntio dimiſſo, integram rem ad Statûs Senatum refert. Tres, & diverſæ ea ibi de cauſa prolatæ ſententiæ ſunt. Prima de ſuo munere, & loco, quem tunc obtinebat, Oratore non exturbando, quod enim ille ſeveriùs in Luſitanum apud aulam Romanam egiſſet, ab eodem primò Senatu conſultum eſſe aſſerebat, à Rege poſteà decretum, & Oratori imperatum; Regis autem fide, & juſtitia, illiúſque ſplendore, ac dignitate conſeſſus indignum profectò videri, miniſtrum ſolvere pœnas, quia Regi paruerit, quia rebellem multaverit, quia ſuo tandem functus officio fuerit, quod perinde fuiſſet, ac hoſtium arbitrio, & libidini prodere amici, benéque de Rege meriti hominis innocentiam, ac ſegniores etiam impoſterum alios in ſuo munere proceres reddere, ubi odium pro gratia, ſupplicium pro præmio tribuitur. Ab hoc abhorrere quoque conſilio tum æquitatem, & vinculum fidei, tum vetus Hiſpaniæ inſtitutum, quod ut ſapientiſſimè conſtitutum in tam optima cauſa reſcindi non oportere. Uſu enim percrebuiſſe ad gentis, Regíſque ſimul exiſtimationem, decúſque palam tuendum, cùm in gente dominatrice unius etiam hominis odio propter invidia 1, & Princeps, & natio tota à maledi is laceretur, ſæpè tegere, ſæpè lenire in miniſterio ſublime poſiti prava quoque miniſtri facta, ne dum ea, qualia tunc Zirolenſis eſſent, rectè facta defendere, atque obedientiæ ſtudio conjuncta. Nihil novi prætereà in conſilium afferre ingentem illam effuſam, ac notiorem Pontificis iram, priuſquam enim hæc Romæ impoſita contumelia ab ipſo Senatu in Luſitanum decerneretur, jam ex inde Innocentii indignatione, miníſque prævifis, & conſilio quoque diſcuſſis, id nihilominus fieri conſultoribus viſum eſſe, quia pe duellis contuſio, & exemplum ſupplicii, & majeſtas Imperii in hac cauſa præponderaret. Altera media ſententia fuit, videlicet non tam citò, nec à Rege decretæ caſtigationis in ſpeciem ab urbe Roma Oratorem abducere, ſed cum aliqua mora, opportuníque temporis intervallo, per quæſitam, ſive oblatam fortaſsè cauſam, vel tanquam Pontificiæ ad faſtidium contractæ frontis Orator Hiſpanus, rictúſque moleſti ſenis ulterius impatiens ſua ipſe ſponte petierit commeatum à Rege. Ita enim & juſta Zirolenſis indemnitate propoſita ſatis Regi ſatis Pontifici factum iri, nec in dubium, quibus Hiſpana præcipuè ſuſpecta ſint artificia, vocatum iri, an miniſtrum iniquè primùm ad facinus actum, iniquiùs poſt Princeps in facinore implicitum deſeruerit. Tertia verò ſententia, quæ à Curia Romana Oratorem ſtatim pellendum in gratiam Pontificis

Pontificis eſſe cenſuerat, èvicit. Magna quippe Catholicum Regem tenebat ſpes, deſiderata cum Gallo concordia, quam ab initio Eccleſiæ regimine ſedulò procurare promiſerat Innocentius, multis jam cladibus feſſum, inteſtiniſque defectionibus fractum ſe tandem Imperium reparaturum. Pontifice verò ab Hiſpanis propter injuriæ ſatisfactionem averſo, Galliſque ſimul præ ea nimia indulgentia, & in publica injuria tranquillitate, ac modeſtia vehementer ſuſpicioſo, niſi palam pœna procederet, quæ mollire Pontificem poſſet, fallere Gallos, omninò Rex ſibi fore credebat pacis expectationem extinctam. Inveteravit etiam apud Hiſpanos utilis magis quàm per ſe honeſta, & ſecreta quædam opinio, ne dum reipublicæ utilitati, ſed decori, & commodo quoque peculiaris perſonæ, Regiæ eſſe opibus, famâ, & cruore etiã, ſi ita opus eſſet, bono miniſtro, clientíque litandum, eáque ex longo intervallo jam in Hiſpania ſuſceptâ lege, ſæpè etiam tractata, nec credita ab iis juri prorſus oppoſita, eo tempore adſtrictum teneri Comitem Zirolenſem. Ad hæc aſſultum, & contumeliam in Luſitanum incruentam, & admodum cautamâ Rege juſſam, ſanguine tamen pollutã, atque adeò improvidè conſtitutam fuiſſe, ut locum Prætori Romano dederit, Oratoris Hiſpani nomen, prævalida indicia, confeſſiones teſtium in acta publica referendi, in quo videri bis Comitem lapſum, & quod imperii formulam prætererit, & quod turbulenter rem ordinaverit. Utcumque tandem ea res cecidiſſet; fortuna, ſeu error judicii in re dubia, aut non dubia miniſtrum excipiat, non Regem, cujus quidem in manu eſſet, quæ pro eo quiſque paſſus aſperrimè foret, rependere cumulatiùs, & arere cujuſquam, dum vellet, aut refloreſcere ſortem, præcipuè, ſi aliquid quiſquam ſuo juri, & commodo ademptum in uſum Principis contuliſſet. Convenit itaque tandem Hiſpanus Senatus, & ſubinde Rex juſſit, Comitẽ Zirolenſem, ut vulgò jactati facinoris ſontem, quia ita Pontifici cordi eſſet, Legati munere exutũ confeſtim Roma decedere. Regias prætereà hujus mandati litteras tradi Apoſtolico Nuntio, ut eas curaret ad Pontificẽ mitti; ſimul Innocẽtio reſcribi, quãto in dolore Rex ipſe fuiſſet, cùm ejus audiſſet miniſtri licentiam, vel iniquam potiùs fortunam, quæ inſontibus etiam, & frequenter pericula, & crimina fingeret, Pontificiſque triſtitiam, teſtémque ibi incluſam ipſique Oratori reddendam ſtatim epiſtolam dari, qua cum in prima ſententia ſtetiſſet, Pontifici liberum foret Oratorem ab Urbe dimittere. Porrò autem inſontem, ut Innocentio placeret, ſontem jure punitum Zirolẽſem Comitem velle Regem. Hos codicillos ubi Innocentius accepit, regiam ſtatim Oratori obſignatam mittit epiſtolam, nihil rei novæ verbis adjiciens per eam ab Hiſpania ſibi compertæ. Cæterùm ſuſpectum illud ſilentium, & nova, atque ea obliqua reddendi ſibi litteras via citò perculit Oratorem, ratúſque id quod erat, antequam litteras ſolveret, vicit, inquit inanis, contortáque ratio impetrandi juſtitiam, & fidem. Equidem, ſi id ipſum quò hanc contumeliæ modò, ac dedecoris notam ſubeo, non præſtitiſſem, jam contumaciæ, ac perfidiæ crimine laborarem, ſic reluctari, vel exequi Regis imperium, prout vaga, & incerta fortuna luſerit, ſceleris modò, modò virtutis nomine fingi; lectis deinde Philippi litteris, iiſque orationis omnis contextu velut dubio implicatis oraculo, tunc magis ipſe ſuccenſus, fallacéſque Principum circuitiones, & verborum execratus ambages, quàm citiſſimè potuit, profectionem ab Urbe inſtituit, præclarum ibi certè relinquens miniſtris Principum argumentum, ſcilicet periculoſa, aut iniquè data ſibi præcepta, vel non accipere, vel caſu, aut

V ægrè

ægrè fortaſsè accepta diutius eadem extracta per induſtriam, & moras, aut ſimulationum anfractus eludere.

1646. Nunc verò Odoardi Portugallii Bregantii germani fratris interitum, qui & rigidæ illum cuſtodiæ, ac penè rato, quod imminebat, extremo ſupplicio eripuit, ſervato temporum ordine tradam. Bregantius, cùm alia omnia præterquam libertatem in quo tantum ſibi cavebat, læta fratri, ac proſpera cuperet, magnam ad illum pecuniæ tranſmittere vim Mediolanum per mercatores ſolebat, unde gulæ, luxúſque & aliarum rerum illecebris diuturna cuſtodia afflictum ille animum allevaret. Porrò jam auro, gemmíſque affluenti ex copia, & rerum ſimul anguſtiis Luſitano venit in mentem, ſi fortè pecunia libertatem redimere potuiſſet. Nihil tam arduum & permunitum eſſe putabat quod non frangere poſſet aurum; illi cumulus hujus erat; cuſtos miles externus, ac mercenarius, cui plenior quidem, minúſque turpis proditionis merces futura eſſet. Præfectus arcis, qua Luſitanus continebatur non minùs cuſtodum tunc videbatur officio, quàm altæ mutorum cuſtodiæ fidere. Ea res igitur Taurini primò nec inſcio Duce Sabaudiæ agitata, poſt Mediolani tractata, & recepta eouſque tandem plurium hominum interventu provecta eſt, ut auro corruptæ Germanorum excubiæ promiſerint nocte intempeſta Odoardum ab arce dimittere. Cæterùm rei dum agendæ opportunitas circunſpicitur, fortè accidit, ut cuidam Germano militi jam temulento, ac ſine mente loquaci inter vinum, & epulas ſecretum efflueret. Re illicò divulgata, intenditur acriùs Odoardo cuſtodia, multiplicantur excubiæ, eædémque impoſterum oculatæ, & variæ per vices applicitæ circunſiſtunt; ſimul quia ſecretæ Odoardi pietatis miniſtrum talis negotii pro fuga artificem perhibebant, ideò ille jubetur antiquum dimittere, & alium ſtatim admittere conſcientiæ miniſtrum electum, qui ſubditus eſſet Catholici Regis, arcis Præfecti judicio probatus, & ſingulis etiam, quæ ſacræ pœnitentiæ vir exolviſſet, piaculis commutandus. Alia omnia tolerabilia, ſeu minùs ſaltem acerba, ſacri excepta miniſtri cauſa, inter illas anguſtias viſa ſunt Odoardo. Hic enim, vel quia illo ſublato omnem ſibi ſpem libertatis abſciſſam, vel quod ita crederet potiùs per ſacrorum contemptionem ſuæ quoque inferri conſcientiæ vim adeò exarſit dolore, ſimul, & ira, ut mirificè huc uſque ab eodem ſervatis temperantiæ, ac modeſtiæ frænis abruptis fronte ipſe torvus, & ore, oculíſque inflammatus ad hæc mandata ferentem converſus reſponderit. Pater meus “inter Mauros, cùm duos circiter annos captivus in Africa moraretur, nec ei irrerire conſcientiam, nec tam ſqualida & miſera fatigare cuſtodia barbarorum ſuſtinuit animus. Equidem fœdiùs in hoc carcere volutatus, afflictus deterrima quæque à Chriſtum profitenribus patior, & paſſurus libenter ſum Regis fratris amore, familiæ & patriæ quoque decore regio, ſiquidē alia omnis præcluditur jam Caſtellēſibus via fratrē Regem infeſtandi, hæc niſi innoxia per viſcera ſævietibus.” Incautè utpotè furor, & quæ animi agitatio maxima expreſſerat, hæc Luſitano prolapſa dicta, cùm ad arcis Præfectū relata eſſent, ipſum hominem pemmoverūt, ut ea criminosè protinùs inquiſita ad Judiciū deferret, quod ſcilicet dirum, & tunc execrabile Hiſpanis Bregantiæ Duci Odoardus Regis nomen impoſuiſſet. Erat per id temporis mirè quoque ſollicitus Præſes de incerta, ac fallaci tanti viri & auro, & inſidiis oppugnata paſſim cuſtodia, appetebátq; tot moleſtas, gravéſq; ſuóque impendētes capiti curas cū ægrè alia

res

res efficere poſſet, vel Odoardi ſupplicium abſumere. Tres igitur quæſitores, hominéſque ſeveros in cauſa conſtituit. Illi acta de more conficiunt, omnia rimantur, explorant, teſtes, quibus Odoardus familiariter utebatur, apponunt, & inter alia comperiunt Odoardum lautè cœnantem, cùm pocula in orbem more Germanico ducerentur, ſtreperétque ex largiori cibo potúque ſublatus convivantium clamor, plauſúſque frequentiùs Regi, Luſitanæque Reginæ ſalutem propinaviſſe. Aliàs, & ſæpè dixiſſe, meliùs futurũ ſibi fuiſſe Scithæ, vel Turcæ mereri ſtipendia, quàm Cæſaris, non enim apud illam Barbariem tam nefariè, tam impiè jus gentium, & fides protereretur. Ad hæc attrectatam carceris fugam, communicata cum hoſte conſilia, cuſtodes, arcíſque milites donis, & auro ſollicitatos, atque corruptos eſſe, ex quo ſecretæ pietatis miniſter exactus ſit, de conſciis ſupplicium ſumptum. Acta in hunc modum Mediolani compoſita idem arcis Præfectus ad Catholicum Regem mittit. Quibus ab Hiſpano Senatu cognitis, probatíſque, tres inde alios Rex, eóſque altioris notæ Judices delegavit, qui Mediolani in Luſitani cauſa ex majeſtatis lege procederent. Citatur itaque reus, crimina proponuntur, quæ jampridem relata in acta publica fuerant. Incumbunt in cauſam Judices, ut à Rege delecti, qui eidem Catholico Regi læſum privatim, & publicè jus reſtituerent. Hîc omnia Odoardus quantum per vera, & veriſſimilia, & per ambages, & acta potuit, aut minuendo, aut aliò flectendo, aut purgando de linguæ crimine requiſitus deterere ſtatuit; alia iræ impetu, quædam leporis, ac ſalium ſimplicitate, nonnulla convivarum inter licentiam, atque lætitiam temerè effuſa reſpondens, à Germania præſertim traducto more ubi circumgeſta, & rorantia quæque inter pocula jacta verba tegit oblivio. Sciſcitatus etiam à Judice Luſitanus de meditata carceris fuga, neſcire hoc omninò reſpondet. Cæterùm, ſi fortè clam attentati hujuſce negotii re, ſive interjecta ſuſpicione aliquid interluceat, id ipſum exterioribus eſſe potiùs Bregantii fratris conatibus imputandum, juſtóque ex fratris miſeria dolori aliquo pacto parcendo eſſe. Ruſus interrogatus de Luſitaniæ defectione, an ipſe fuerit eo ſcelere aſperſus? an aliquando conſcius? an judicio ei aliquid veſtigatum? an conjectura ſubolitum, quo circa arma Catholica vitabundus, ad ſigna aliena, atque Cæſarea ſe recepiſſet, de Luſitaniæ infortunio negat ſe quidquam ſcire, aut unquam ſciviſſe Odoardus, militiæ ſe verò, ſubdit, ingenii ſui ſtudio, & animi quodam impetu addictum: at ſigna Cæſaris elegiſſe, quo minus arbitrio, nutúque penderet Comitis, Ducíſque Olivarii, quem ut Brigantiæ familiæ Luſitan'que nomini ſemper adverſum, eumdem idcircò ſuarum gerendarum in bello rerum iniquum; & invidum apud Regem interpretem metuebat. His verbis in acta relatis, cùm ferè incredibile Judicibus videretur tantæ in Luſitaniam tempeſtatis immiſſæ, tot civium ſtudiis, tot annorum labore collectæ manentem in eodem regno Odoardum, ad quem nec parum utilitas exitus pertineret, ne conjectura quidem, aut per ipſa eadem in domo defectionis negotia tractantium veſtigia odorari aliquid potuiſſe, inſidiis propterea circumvenire facilis, candidæque naturæ perſpectum hominem ſtatuunt. Perdifficilè quidem factu vel prudentiſſimo viro eſt, ſi de re quam occulere velit, & juvet longiorem ipſe ſermonem protrahat, colore vel nutu, & flexiloquo quoquam verbo ſecreti aliquid non excidere. Hac affecta Judicees mente paucos poſt dies Odoardum conveniunt, falsò ſcilicet vultu, quæ-

 ſitíſque

ſtiſque blanditiis, non juris rigore, aut Judicum ſupercilio, ſed tanquam illum amicè, & familiariter alloquentes. Seria primò jocoſis admiſcent, ex longo deinde rerum verborúmque circuitu, & ambage ad res Luſitanas, ejuſque regni defectionem, & quo pacto deſciverit, flectunt. Hîc homo ingenuus, & animo ſimplex & candidus, & qui ex ejus indole cæteros fingeret, inſidiis facilè captus offendit. Dixit enim incautè, priuſquam ipſe relinqueret Luſitaniam, incertum quoddam de futura regni defectione ad ejus aures perveniſſe ſuſurrum; ſimul ipſe ad Germaniam cùm iter inſtrueret, à quodam cœnobita ſecretò monitum eſſe, ne id temporis, ne id floris ætatis Luſitania cedere vellet, quippe qui egregio ibi quamprimùm maturando facinore aut particeps idem eſſet, ſi reſtitiſſet, aut fortè Princeps uſurus: Tunc fronte contracta Judices, & prætoriam gravitatem & habitum induentes, utrum ea nota jam ſibi, & ſceleſta perduellium conſilia Regi, ut decebat, enuntiaſſet, Odoardum interrogant. Nequaquam, in ſe reverſus, atque imprudentia lapſum illicò ſe recognoſcens retulit Odoardus, ea eſſe arbitratus ſæpiùs irriſa Sebaſtianiſtarum ſomnia, & vulgatas in regno ineptias. Ea res tamen altius Judices penetravit, & privatam, ac fraude ſimul confeſſionem extortam actis publicis inſerentes, jam conſtituta cauſa deliberaverant primo quoque tempore reum majeſtatis, & mortis Odoardum pronunciare. At ille ſeriùs omninò ſuo errore, dolóque intellecto, & dolore propterea cordis ingraveſcente, ac perpetuò animi cruciatu, quod ſcilicet eſſet deceptus, quod nimia fiducia peccaſſet, quod ſe ipſe afflixiſſet, inter hos animi æſtus mœrori tandem ſuccumbens, lethali morbo correptus eſt, ex quo paulò poſt tum cuſtodiæ tum corporis vinculis exolutus antevertit ſententiam Judicum. Hic nonnulli rerum ſcriptores, qui in factorum Principum intellectu, non ex eo quod cuique eorum magis expediat, quæ regula certior eſt, at ex vulgi rumore, fabuliſque de induſtria confictis ratiocinando calculos ducunt, haud ſanè corporis ægritudine narrant, ſed clam Luſitanum infuſo veneno peremptum eſſe; ne deſit prætereà mendacio fucus, affingunt, ex animi anguſtia leviter ægrotanti, ac ſibimet diſplicenti, colore in cauſam aſſumpto, acceleratam infecto poculo mortem. Quod ſuper ea, quæ aliter nos à dignis fide viris accepimus, ratione quoque rejicere expeditum, ac planè facilè puro cuicumque ſolidóque judicio fuerit. In regni namque poſſeſſione, atrocíque pro ea quoque implicito bello adhuc hærente Bregantio quidni intereſſet Catholici Regis habere in cuſtodia tanquam obſidem Odoardũ, & per eumdem germano fratri tam moleſtiæ, quàm ignominiæ cauſam futuris caſibus integram reſervare? quàm certè illata fortaſsè veneno mors exhauſiſſet; ſi verò pax aliquando inter eos conveniſſet, ad pactiones pro ea componendas, promovendáſque magni quidem pro Rege momẽti futura Bregantii fratris libertatis acceſſio eſſet. Neque Hiſpanæ profectò cunctationi, ſolertiæque conſentaneũ eſt credere tantum in pace, bellóque pignus inſcitia, odio, vel ira Hiſpanis eſſe interceptum. Nobis prætereà liquet impulſum Regem Philippum à ſuis conſultoribus per id temporis eſſe, ut capitis jam Odoardo damnato ſubdole Cæſar ſubmitteretur, qui vitam non libertatem Luſitani damnati peteret, ita enim & exoleſcere illi conflata quondam ex cliente per injuriam hoſtibus prodito videretur invidia, & Rex velut Cæſari gratificatus honeſtiori impoſterum nomine, & cum oſtentata clementiæ ſpecie Odoardum in arctiori cuſtodia retinuiſſet. Quæ omnia

omnia ab animi angore vehementíque triſtitia ſuſceptus interitus viri artificioſa Hiſpanorum conſilia ſuſtulit. Sic obiit Odoardus Portugallius Ducis Bregantii frater paulò virilem ſuper ætatem, multíſque circa finem Chriſtianæ religionis, atque pietatis editis argumentis continuò quaſi virtutum tenore vitæ curriculum clauſit. Fuit illi ſublime, ac literis cultum ingenium, erectus, celſúſque animus, gloriæ cupido ingens, profuſa magis, quàm temperata munificentia cum morum candore, gratia, natura amabili, ac docili, ac regia indole digna. Stimulos gloriæ, & induſtriæ in illo virtutibus dediti, lenitatem vitiis addicti reperiere, æquales officia, majores obſequia, minores humanitatem, atque modeſtiam, miſeri opem, amici fidem, æmuli temperantiam. Erat prætereà uſu jucundus, affabilis, cum exteris ſtudioſus, cum hoſtibus mitis, cum domeſticis popularis; floruit in pace, emicuit in bello, dúmque otium per arma quæreret, utrumque ſimul amiſit. Ea tamen his acceſſere bonis dotibus vitia, quæ animum generoſum, ac ſimplicem utplurimùm conſequuntur, nimia nempè crudelitas, atque facilitas, crebra ſententiæ mutatio, vel aſpernari pericula, vel ea non rectè diſcernere, cuncta ingenii ſui integritate, ac morum dulcedine commetiri, ex quo demum errori, fraudibúſque opportunus, & facilis in illas miſerias incidit, quas intellectus mediocriter ſagax, & aulicis artibus eruditus declinare haud difficilè potuiſſet.

In Luſitania verò cum Molingenius Marchio hoc titulo à Rege præclarè, atque egregiè in eo bello factorum præmio inſignitus militiæ præfecturam adminiſtraret; Alburquercius Dux Luſitanus contra Telenæ propugnaculum, quod Leganeſii mandato, & ejuſdem nomine impoſito nuper extructum fuerat, movit exercitum. Ea erant in acie ad novem peditum millia, duo millia equitum, ſex belli tormenta, & militaris omnis copia apparatus. Hiſque viribus fretus Dux Luſitanus Telenam, illíque proximum propugnaculum capere ſumma vi, atque impetu aggreditur. Præerat huic valido munimento Alfonſus Angulus, is plane rudis, ingenio pavidus homo, imperitúſque militiæ tum gratia, & favore nequaquam merito, quos quidem errores privata libidine ortos ſæpè reſpublica luit, ad hoc, atque alia militaria provectus officia. Hic ubi repentè ſe circunſeſſum ab hoſtibus videt, id Molingenio confeſtim nunciat, ac celeria ſubſidia poſcit, premere, urgere iteratis aſſultibus hoſtem, periturum cum oppidò munimentum, niſi properè ſubveniſſet. Molingenius, qui Ducis inertiam, & imbecillum ſatis animum noverat, & qui ampliora cunctando comparare præſidia poterat, qui venerat, nuncium interrogat, quo tum in ſtatu propugnaculi aggreſſio eſſet. Ille verò, nihil, inquit, hucuſque gravius ex conatibus hoſtiū, aut munimento, aut oppido contigiſſe, aſſiduis quidem tormẽtorum ictibus verberatos nondum ruinas oſtendere muros, & milites fermè mille incumbere acriùs in munimenti defenſionem, idcircò optimum factū videri ſibi, præmittere ſtatim paucas equitum turmas, quæ ſociorum, & hoſtium objectæ oculis hos metu, ſpe illos afficerent venturi proximè auxilii, pleniores deinde collectas copias ad ſolvendam obſidionem adducere. Sicut iſte cenſuerat, ita fieri Molingenius præcepit. Itaque Pardus equitum Commiſſarius cum dimidia equitum parte primò mane quàm celeriter proficiſcitur, meridianam circiter horam cum reliquis auctis properè copiis ſequitur Molingenius: extrema peditum acies à tormentorum Præfecto Alfonſo de Avila

ducta quod gravior tractis ſecum militaribus ſarcinis eſſet, lenta pergebat. Et Pardus quidem quàm citiſſimè evectus colles è regione Telenæ ſitos hoſtibus propior cum equite inſederat. At Molingenius mediam ipſe regendo aciem ad leucæ ferè dimidium propugnaculo aberat, cùm mente propè attonitus hærens, & mali, quod jam eveniſſet cogitatione ſuſpenſus, atque confuſus animadvertit, fragorem illum tormentorum ingentem, qui auditui ejus horribilis hactenus obſtrepuerat repentè ceſſare, tum & reflexas eo ſtrepitu valles jam dudum refractum, ut anteà, non reddere ſonitum. Id quod utique erat planè ſibi ſuadere minimè poterat, non enim adeò in arcto, extremóque periculo ſitas obſeſſis res eſſe dixerat nuncius. Breve ex prima notitia erat, quod temporis interfluxerat, propugnaculum ſatis munitum; nec erat etiam Præſidi locus de ſubſidiis ſibi proximis ambigendi. Dux tamen ea anxiori ſuſpicione perculſus, quam & abjectior ante concepta de Præſide opinio tunc intendebat binas equitum turmas torto per Anam itinere jubet, quid novæ rei eſſet ire cominus exploratum; qui paulò poſt redeuntes, quemadmodum ex propinquo ipſi viderant, & clariùs quoque à transfuga quodam milite acceperant, nunciant, cum ſumma ignominia, ac dedecore militum factam munimenti deditionem, cùm multis enim adhuc ictibus inconcuſſa murorum lorica ſtaret, & ſatis tutelæ miles, ſatis munitio foret niſi Præſidi animus defuiſſet, & juga etiam, quæ proxima cæperat cum equitibus Pardus illis certè pollicerentur copioſas ſuppetias breviter affuturas, Alfonſum tamen Angulum aut proditione fortaſsè tactum, aut vili pavore dejectum in fœdas, turpéſque veniſſe cum hoſtibus pactiones, ſcilicet, ut propugnaculo tradito Caſtellæ milites omnes inermes, ac propè nudi, ac contumelia deformiores ad Luſitaniam tranſirent. Hæc cum acri, ut par erat, ſenſu doloris ſimul, ac comperit Molingenius Præſidi Angulo maximè iratus, quod in perfidiæ ſpeciem Leganeſium munimen deſtituiſſet, & quod inſignis etiam ejus dedecoris pars ipſum ut ſummum armorum Ducem, arctiúſque fortunæ publicæ colligatũ ex opinione quoque hominum aſperſiſſet, communem diluturus infamiam cohortatur alacriter milites, eóſque celeriùs ad hoſtes ducit. Septem peditum millibus, equitibus verò ter mille conſtitutus erat exercitus, belli tormenta quatuor trahebat, parum ſarcinæ militaris ob Badacocii propinquitatem, ac tumultuarium fermè diſceſſum. Inter hæc ad conſilium de re vocatos Alburquercius intertogat Duces, dirui ne Leganeſium, an præſidio potiùs teneri ea tempeſtate præſtaret. Huic retinendo propugnaculo obſtabat vicinitas Badacocii, quæ belli ſedes erat, hoſtiliſque ſemper infeſta præſidio, & multo ibi ſanguine, multo quidem labore, & exigua vel nulla ſpe inter perpetuas hoſtium excurſiones, importandique victus certamina permanſuro; propugnaculum autem exciſum Anæ ripam munimento Caſtellenſibus nudaturum, Luſitaniſque vadum, liberáſque per agros vagationes conceſſurum fuiſſet. Prolatis in medio ſententiis, illa denique vicit, quæ ſolo æquari propugnaculum contendebat, ac ſtatim deinde ſublata opportunitate certaminis hoſti victrices, & integras copias Olivençam reduci. Cùm igitur dirui, ut convenerant, propugnaculum occæpiſſet, Alburquercius inter Anæ vadum, & Leganeſium hinc vallibus, & vinearum offendiculis, atque flexibus, hinc curribus, & militaribus ſarcinis communita caſtra compoſuit; poſt ubi intelligit jam paratos, ignique ſuſcipiendo ad propugnaculum

lum evertendum cuniculos eſſe proximos, trajectis tormentis ad ripam alteram amnis paulatim receſſum inſtituebat, id tantum trajectui moræ interponens quod iis, qui in cuniculos laborabant, rei perpetrandæ ſpatium tribueret. Molingenius verò de hoſtis conſilio certus quàm citiſſimè poteſt univerſi equitatus robur in illum impellit, ſi eo fortè contingeret amne diviſum, eóque plus enervatum Luſitanum excipere, quò loci, quem animo deſtinaverat cùm ipſe tandem appulſus eſſet, ſitum cum milite occupat, quem paulò ante reverſionem adornans Luſitanus reliquerat. Pauliſper ibi cunctatus, ut ipſe conſilium ex hoſtis conſilio caperet, ubi primam hoſtilem peditum aciem jam Anam tranſgreſſam videt, ſimul Telenæ equitatum hoſtis hærentem cohortiúmque manibus fultum inſtructis ordinibus ſtare certamini intentum, tunc binas in hoſtes turmas equitum agit; totidem ferè contra Caſtellenſibus occurſuras turmas equitum Luſitanus immittit; leve, & equeſtre intermedium certamen ineunt; funditur Luſitanus, & retrò ad integram aciem magna cùm cæde compellitur. Ita rem Molingenio feliciter auſpicato major ſubinde ſpes, atque cupido ſubiit vehementiùs perſequi Luſitanum. Hoc animo, hac mente dum progreditur Dux monet ipſum Luſitanus quidam captivus, ut averteret inde greſſus; nam ſuffoſſi ad evertendum Leganeſium cuniculi propè jam erant, ut conceptum ignem effunderent, quia tamen Luſitanos hic delatores ſæpè infidos, ſæpè fallaces noverat, ſpreto periculo eodem tramite in hoſtes ducit, ſed modico gradu, per intervalla ſimul, & moras flumine fretus, quod viam, atque fugam Luſitanis intercludebat, & pedites interim opus erat, belliſque tormenta expectare quæ retrò aliquantulum vectus Avila conducebat. Cæterùm Alburquercius, cui nec amnem omninò trajicere tutum erat, ne ſcilicet ſectis in tranſitu viribus inſtante, propinquo, occaſioníque per momenta ſtudente premeretur ab hoſte, nec qui alteram quoque fluminis ripam jam attigerat pediti, ut à reliquo robore ſeparato ſine periculo locus erat, redire tunc pedites jubet, turſúſque flumen tranſgreſſos, cæteris copiis, quæ in oppoſito margine hærebant, adjungi; ibíque celeriùs ordinibus confirmatis, tormentariam quoque ſedem extollit, quæ Caſtellenſes aſſiduè pulſabat, & ſimul horum acceſſum impediebat. Interim Molingenius, qui prolatare tantiſper conflictum, ut diximus, conſtituerat, quoad peditatus acceſſione majores ad pugnam colligeret vires, ire circum obliquus, & vitabundus, reprehendere modò per nuncios Avilæ tarditatem, modò aggreſſum aſſimulare, modò fugam oſtendere hoſtibus; omnia vi, & artificio tentabat, quæ conducere poſſent, ut æquo ipſe denique marte cum hoſte confligeret, aut eumdem circumveniret in trajectu fluminis imminutum. Alburquercius verò, qui prorſus effugere pugnam decreverat, & ſubinde fore ſperabat fractis cuniculis propugnaculum diſcerpendum, poſtquam ſecum ipſe conſiderat vel abnuere, vel dare certamen vellet, ſerò ſibi, vel citò utcumque ſe res habuiſſet, eſſe flumen trajiciendum, tempúſque quod pericula ſuis oneraſſet, aucturum per morulas hoſtibus copias fuiſſe, tranſmittere tandem ſtatuit, ſed pro tranſitu fluminis cautior, ac ſollicitior. Ejus igitur juſſu confertis agminibus eques, pedéſque campum, qui amnem à Telena diſterminat, occupat; hanc ipſam poſt aciem belli tormenta locantur, quæ globis frequenter excuſſis, dum irruentes percuterent, arceréntque, abeuntium terga munirent. His ita compoſitis; Luſitana confeſtim per partes, & vices avulſa

contendere acies ad Anam cœpit. Quod ſimul ac conſpicit Molingenius, quo tempore fortè nonnullis erat peditum turmis quæ ſocias præceſſerant, auctus, eas, totúmque equitatum igneos per globos continuè pluentes averſum in hoſtem, amnémque petentem incitat. Luſitanus, qui pars ſuperaverat amnem, pars ripam trajecturus habebat, tunc ſe ipſo implicatus, ac debilis, atque etiam animo conſternatus inter crepidines, agitatóſque fluctus cum magna trepidatione, ac tumultu prælium inire cogitur, nec alia potior ſalutis ſpes, paucos cùm caperet, multíque quærerent vadum, hæſitatione, duro labore, metúque languentibus erat, quam præceps arrepta per Anæ vortices fuga. Intereà totus acceſſit Caſtellenſibus peditatus ab Avila ductus, qui à Molingenio extemplò diviſus, iis partim jubetur, eſſe ſubſidio, qui in margine ripæ pugnabant, partim propugnaculum advolare, ut in ejus ruinam intentos opifices impediret, ac cæderet. Omnia impigrè facta ſunt. Hi enim laceros quoſdam offendunt cuniculos, majores alios, ignique vomendo proximos antevertunt, qui opere ibi, aut cuſtodia diſtricti erant, artifices, militéſque confodiunt. Pedites autem quos equitatus latera circuire, ſparſóſque, ac palantes in trajectu premere hoſtes juſſerat Molingenius, quamplurimos Luſitanos vado interceptos, & errabundos, aut gurgitibus emergentes, alios aquis, & armis, gradúque incerto ſimul implicitos, alios trepidos, atque incompoſitos intercunctationem, & moram amnem ingrediendi juxta ripam ſternebant. Latè cædes cruentaverat amnem, ſtragíſque & interitus finis per tumultum, & fugam altera capta fluminis ripa fuit. Ibidem ut flumen quiſque tranſierat, in ordinem milites diſtributi, ac latiùs acies extenta obſederat ripam, ipſo etiam hortante, ac præſidente Alburquercio; fluvio interruptus Caſtellenſis ſubſtitit miles, quanquam enim omninò victor, tranſitu tamen abſtinuit, ne eadem ratione, qua vicerat, vinceretur. Luſitani ad octingentos in hoc certamine cæſi ſunt, ſauciorum par fermè numerus, parvulo impendio laurea ex patrocinio loci Caſtellenſibus ſtetit. Poſt hæc Alburquercius fractum ad Elvum militem ducit; integris ferè copiis Badacocium revertitur Molingenius, ſarciríque ſubinde jubet, quas Leganeſio ruinas diſruptis cuniculis fecerat hoſtis, quod cùm ei citò ſubventum eſſet, propugnaculum brevi, ac facilè reſtauratum. Hujuſmodi pugna Luſitani belli annus ſextus exceſſit.

Tavaræ Marchio deinde obſcuro nomine tamen, & quaſi per otium iiſdem militibus in Luſitaniæ finibus præfuit. Huic poſt Ilerdanam obſidionem præclara adverſus Gallos fama in Catalaunia ſolutam, rurſus altioríque expectatione Marchio Leganeſius ſuffectus eſt; feſellit tamen egregium Ducem, déque eodem ubique ex recenti fama, plauſúque conceptam ſpem tum pecuniæ, tum commeatus & rerum omnium inopia, ut fame perire niſi milites vellent, rapina, vel furto vivendum eſſet, & ſæpè etiam quod virium, ac vitæ inædia, ſitúſque reliquum fecerat, id hoſtico ferro reddere cogerentur. His accedebat quod in dies ſeneſcenti, & aliò ſæpè terrarum, & alia etiam ad bella magna ex parte diſtracto militi, nec ulla reliquias ſervandi exercitus cura, nec ſupplementum adhiberetur. Ita porrò uſque ad Ducis Bregantii mortem frequentes excurſiones, tumultus, & latrocinia potiùs, quàm juſtas acies hoſtiles utrinque conatus, & vires exercuere. Id potiſſimùm accidit, quod ea tempeſtate, cùm graviùs flagraret in Catalaunia bellum, uſu, & labore compertum eſſet haud integrum utique fore Catholico Regi atrocia duo bella ſimul

Hiſpana

Hiſpana inter viſcera ſuſtentare, cùm iſta præſertim, quæ tam intimè ſerperent, carperéntque Hiſpanorum fortunis, & capitibus imminerent. Ad hæc per id tempus populares turbationes, nobiliúmque adverſus plebem diſſidia urbem, & regnum Neapolis convellebant, quod præcipuum Catholico Regi mœrorem, & metum incuſſit de ſumma rerum, ſiquidem tot inter afflicti propè ruinas Imperii, nunc ferè ejuſdem Imperii columen excidio finitimum cernebatur, eóque ſi cecidiſſet, proventu, atque copia defraudabatur ærarium, unde in alias egentes Imperii partes opulentiſſimè influit. Præterea in Belgio, in Inſubria antiquum illud, & ingens adeò nunc ſolito majus exarſerat bellum, ut nulla propemodum eſſet imperii pars, quæ à conſuetis cladibus belli, & ruinarum ſucceſſione, ampliorique terrore vacaret. Hæc eſt planè cauſa tandiù remiſſi, aut intermiſſi potiùs in Luſitania belli. Brегantius autem, cui ſatis, & ſuper id, quod expectare poterat, erat, ſe paci ſtudentem imperturbato regno potiri, eo rerum habitu lætabatur, & quia ipſi à vulneribus belli, æraríſque perfracti ſumptibus reſpiranti hoc modò liceret per otium futuro pro bello reſumere vires.

1648. Annum verò currentis ſeculi octavum, & quadrageſimum magna conjurationis in Catholicum Regem moles ſecuta eſt, quæ ſine cauſa quidem exorta, ſtolida quoque mente ſuſcepta, ac deterius exagitata paulò poſt facilè corruens in rerum ſuarum initiis temerè conſpirantes oppreſſit. Princeps hujus conjurationis artifex extitit Carolus Padillia genere Toletanus, cui, etſi nulla tanti obeundi facinoris ratio, aut injuriæ ſtimulus eſſet quo perſonam læderet Regis, eas tamen iniquas ille ipſe cauſas, cùm aliunde non eſſet locus ab ingenio ejus præcipiti, ac turbido mutuatur. Familia ipſius inter primas Caſtellæ nobilis veteris multum hucuſque ſplendoris, nominiſque remiſit; nam ut præ illuſtribus quibuſdam familiis virtutes quædam aut vitia congenita ſunt, fluxúque ſanguinis propagata, hæc ipſa velut indolis turbulentæ, maximéque ſeditioſæ, & in ſuam regnique perniciem ſæpè numero ſe convertentis, ſemel, & iterùm ab Hiſpanis Regibus eſt dignitate, atque opibus imminuta ſive juſti ſupplicii, ſive tumoris purgandi cauſa. Evenit præſertim atavo Caroli, quâ tempeſtate in Hiſpania Carolus Quintus Cæſar imperabat, vel quod illius ab initio Caſtella dominium ut alienigenæ ſperneret, vel quod aliis, multíſque belli, pacíſque negotiis procul implicitus, ab Hiſpania diutiùs quàm gentis à Principis ore propè pendentis natura, ſeu mos pateretur abeſſet, vel ex utroque ſimul, cùm variis tunc temporis eſſet Caſtella commiſſa diſcordiis, ut quia ille præcipuè ſe turbis immiſcuiſſet, paterna Toleti diruta domo ignominia publica notaretur. Vitam tamen cultúmque morum ſeu ingenii temperamento, ſeu hominis diſciplina domeſticæ labi longè diſſimilem ſumpſit Franciſcus Padillia hujuſce Caroli Pater. Pluribus enim egregiè confectis in bello rebus, tum fide, morúmque ſuorum integritate Mediolanenſis arcis Præfecturam à Rege promeruit. Hîc porrò natus eſt Carolus, qui ubi primùm adolevit pravis moribus, ætaríſque primitiis à ſanis abhorrentibus inſtitutis plurima ſigna, atque infauſta præſagia prodidit ſibi quandoque impendentis exitii, ſcilicet diſcors, inquietum, ambitioſum ingenium, idem facundè vel fallaciter vellet, vel facetè, vel modeſtè, vel procaciter loqui, circuire, moliri per æqua, & iniqua deſtinata perficere, ſimul trucia conſilia, projectam audaciam, ſimulando, diſſimulandóque aptitudinem in illa ætate ferè incredibilem, cujus juvenis indolem in illo

jam

jam ætatis pene flore marcentem cùm pavidus animo, ſollicitúſque pater aſpiceret, ſi quoquo modo inſtitutio, doctrina, vel conſuetudo fortaſsè corrigere, aut flectere contumaciam naturæ poſſet, filium optaſſe dicitur ad mitiora traducere ſtudia; at ille ingenii ſui ardore, atque impetu abreptus, ſtatim, ac per ætatem licuit, ad aciem, & arma ſe contulit. Itaque in Belgio primùm pedeſtris, equeſtriſque decora, ac diuturna ſtipendia Ducis explevit; inde ad Hiſpaniam poſteà profectus, cùm generis ſplendor, ac ſimulatio virtutis, quæ in illo maxima fuit, contracta ſimul in bello merita afflarent, ſumma cum laude, plauſúque in legati equitum munus Catalauno pro bello promotus eſt. Ibidem ergo merenti, priuſquam prope Ilerdam arma conferrent Hiſpani, Gallique copiæ, Carolo fortè accidit ut Hiſpani exercitus Dux Andreas Cantelmus imponeret, ire explotatum hoſtium adventum, cúmque accederet hoſtis, parte equitatus quam ille ducebat in ejus latus tranverſum incurrere. Quod ſpreto Ducis imperio, & futilia, & inania quædam cauſatus cùm efficere Carolus noluiſſet, ejus ſcelere Hiſpanus magna ſubinde clade pertractus, & fuſus, aut captivus abſtractus fœdum in modum in illa pugna ſuccubuit, Cantelmúſque vertenti ſe denique ut ſolet, adverſæque belli fortunæ ferendæ inſuetus, ſqualore, & triſtitia ex ſucceſſu illo infelici confectam paulò poſt vitam miſerè clauſit. At planè conſtabat, non ignavia, non metu aut defectu judicii vim præcepti non capientis, aut cauſæ imperium interpellantis tantum à Carolo nefas admiſſum eſſe. Curioſè verò inquirentibus cauſam, cùm nova, & occulta, ignaris, quæ ille conſilia in animo coqueret, nulla ſubjiceretur, trito, & vulgari pleriſque ſermone deceptis ſola tum occurrebat invidia, qua videlicet ictus Hiſpanus vel ſuo crimine, ac malo publico voluiſſet victoriæ, laudiſque palmam Italico Duci interverſam. Poſteà verò compertum eſt, impia illa proditione Carolum ſibi, hoſtibúſque ſceleris gratiam feciſſe, in eóque nefariè ex tunc proluſiſſe, quodquod ægro, & affecto animo volutabat. Hoc tantum viri flagitium, graviúſque inflictum reipublicæ vulnus, ſeu multis per injuriam in Cantelmum congectis inſectationibus obrutum, ſeu malè omninò diſſimulatum, cùm impunitatis illecebra ſtatet, pravo ſubinde ingenio nequitiam, vires audaciæ, ambitioni flammas adjecit. Proinde militiæ curis plus in quibus periculi, minùs adeſſet emolumenti prorſus abjectis, auliciſque, ubi fraude graſſari potiſſimùm juvat, aſſumptis, ſtruere, moliri, ac dici meditata, mentéque diſcuſſa per artes componere, atque ad exitum ducere cæpit. Primaria per ipſum hujus machinæ jacta fundamenta fuere, Ludovici Ari primi Regis miniſtri per inſidias, & dolos captare benevolentiam, atque ad arcana expiſcanda regiminis, ac ſi longiùs fortuna faviſſet, ad publicarum quoque curarum partem ſuſcipiendam in intimam ejus familiaritatem, atque fiduciam obrepere. Ea itaque mente Carolus aſſentantium, ac ſervientium gregibus miſtus Ari frequenter adite domum, foribus ejus aſſiſtere, eum abeuntem, eum revertentem turpe uſque ad obſequium ſuóque genere indignum proſequi, & ut plurimùm verecundus, ac tacitus, neque dare, neque reddere verba ſolitus, niſi urbanitas illa, ſive neceſſitas expreſſiſſet; præterea quicquam prorſus ab Aro à quo omnes omnia petebant ipſe minimè petere, ut ita elegantius videretur obſequium, & abſque ulla commodi cura gratius. Aro cùm viri nobilitatem, tum inſignem belli virtutem noſſet, ea ficta quoque modeſtia, & venerationis cultúſque dulcedine

capto

capto illabi paulatim, & creſcere poſteà cœpit in animo exorta erga Carolum inclinatio, quæ gradatim, ut fieri natura, & conſuetudine ſolet, intenſa eouſque poſteà recaluit, ut illum jam Arus inter amicos, & maximè fidos complecteretur. Ita igitur Carolo in Ari nunc ſinum immiſſo cùm majores patientia, & induſtria difficultates abſorbuiſſet, planiora quæque deinceps ad rem propoſitam patuere, nimirum adeò partam augere benevolentiam, intendere officia, explicatis propiùs animi dotibus exiſtimationem apud illum, & fidem magis quotidie producere, ut ardno, & fiduciario cuique obeundo negotio ipſum omninò Arus ingenii ſolertia, atque animi magnitudine parem cenſeret. Sub idem ferè tempus evenit, ut clam de pace cum Gallo ageretur in cujus habendæ confictam ſubdolè ſpem ex longo intervallo Pontifex Innocentius Hiſpanos, ut his humanioribus uteretur adduxerat. Tum verò cum impigro, erudito, ſagaci opus eſſet ad rem peragendam miniſtro, inter multos qui illam navare operam poſtulabant, Carolum Padillium, Lutetiam, ut aptiorem officio, mittendum elegit Arus, ut apud Cardinalem Mazarinum, qui rerum arbiter erat, ope, & conſilio Legato Pontificis præſto eſſet, & hic aulæ Catholicæ, ille verò Pontificiæ auctoritate, atque gratia vehementius uterque pacis negotium urgerent. Cæterùm ſpe vana pacis Hiſpanos cùm paſceret Innocentius, Gallus cum Papa colluderet, nimis urgere concordiam vereretur Hiſpanus, ne interiores fortaſsè plagas ut imbecillior, pacíſque indigus enudaret, diutiùs extracta, atque eluſa poſt tandem everſa res eſt. Intereà ſecretò cùm hoc Lutetiæ negotium, ſpéſque pacis incerta penderet facta Carolo copia eſt, ea ipſa quam prætextu non cauſa adornabat Ari mandato in Galliam profectione plura tanquam fido explorandi, & quæ occulto cenſebat opportuna conſilio ex voto ordiendi, machinandíque. Roderico Silva Duce Ixarenſi uno omnium familiariſſimè eo tempore Carolus utebatur. Erat ille Hiſpaniæ magnatum nemini propè ſecundus tum clientelis, & copiis in Aragonia, in Caſtella, in Luſitania longè latæque diffuſis maximè potens, tum etiam occultas, & acres cum Aro ſimultates gerebat, quod ipſum fraude, & invidia retractum à gratia, atque aſſuetudine Regis quanquam genere, atque virtutibus animi, quemadmodum ipſe dicebat, credíſque de ſe volebat, cuivis muneri ſuffecturum, torpere otio, nihilque reipublicæ Arus pateretur attingere; malè animatus, atque intimè offenſus præterea Catholico Regi peculiari, abditáque de cauſa idem erat Dux Rodericus; nam cùm ſemel Regi propoſuiſſet, Habere ſe nempè domi famulum quemdam origine Luſitanum rapidi, aut lenti cujuſcumque veneni conficiendi artificem admirabilem, eumdémque promptum ingenio, verſutum, & agilem hominem, Bregantióque de medio tollendo maximè aptum; porrò autem à ſe donis iſtum illectum, uberioribúſque promiſſis inflatum rem capeſſere ſpopondiſſe, Regíſque ſi id probaretur, eumdem, ut promiſiſſet, fideliter præſtiturum, tunc averſatus facinus Rex, vultúque rubeſcens, ac torvus alium alio interjecto ſermonem abrupit. Quam ſanè rem Ixarenſis non inſitæ Regi clementiæ non morum ejus integritati, at diffidentiæ potiùs, clauſóque ingrato homini pectori haud recto quidem judicio, ſed livore quodam animi attribuit, in eo ipſo tum falsò ratus contraria, ac ſecum pugnantia oſtendere Regem, quem ſcilicet perduellem notaſſet, aliéníque regni raptorem, & Hiſpaniæ facem, ac peſtem comploraviſſet, jam minimè eumdem exiſtimare omni genere exitii, omnium

nium ſuppliciorum,& cruciatuum horrore dignum. Intellexerat etiam pro ſui ingenii duntaxat indole Dux Regem nullum in terra eſſe, qui fas, & conſcientiæ pondus, & fidem præ imperii rationibus duceret, aut qui non fraude, & inſidiis quando rectà non poſſet in re perutili graſſaretur. Quid rei illi porrò tentandæ ſaltem obſtabat? num Bregantii periculum? num ſceleris turpido? num ſi res bene Tyranni, ſi ſecus ea cecidiſſet, vili jactura corporis? an non ad regni teceptionem tantum, quod nunc in bello Hiſpanæ ſternirur pubis, tantúmque ſanguinis profluit, unius ejúſque nefarii, contumacíſque clientis redimere interitu ſatius fuerit? vel in his fortaſsè ſcrupulis modò hæſitat Rex, cùm alia monſtra, alios ſcopulos intrepidus voret, ac tranſeat? Illud nimirum in cauſa fuiſſe, quod ex longo intervallo proviſum Ari artibus fuerit, ut regii jam animi affectione corrupta, haud hærere conſilium poſſet, cùm ſuſpecta fides accederet. Hiſce moleſtiis, atque edacibus animi curis quas nimia de ſe exiſtimatio, ac dolor injuriæ opinione longè minoris accenderat, Ixarenſis ſuprà modum exacerbatus Padilliæ perſæpè, ut intimo imprimis amico mœrorem ſuū impertiri ſolebat,cum eo fundere queſtus, aggerete minas velut omnia hoſtilia, atque in Regem infeſta, ſi occaſio quandóque daretur auſurus. Hoc animo imbutum, tanta fiducia ſibi devinctum, adeóque in rem ſua ſponte incitatum, ac pronum cùm videret Carolus Ixarenſem, & neceſſarium prætereà duceret,è magnatum numero aliquem intereſſe, qui auctoritate, ſplendore, & copiis conjurationis ſpem, atque vim ſuſtineret, illi tandem conſilium aperuit, ejúſque ſententiam,& opem efflagitavit. Dux nihil facinoris novitate commotus, aut fœda tunc primùm ejus propoſita oculis ſceleris imagine territus, tum fronte, tum animo inverecundus, ac mirè lætus profeſſus eſt ſtatim, & fidem Carolo obſtrinxit, conjurationis ſe Principem fore, in eámque totis ſe viribus, atque opibus enixurum. In partes ſubinde, & perfacilè utroque hortatore adſcitus eſt Petrus Silva Vegenſis & ipſe Marchio Padilliæ pet amicitiam, Duci verò Ixarenſi per neceſſitudinem junctus, & hic quidem non tam nequitia, & morum ejus improbitate, quàm animi levitate, ac vecordia provectus inſtar eorum, qui moribus fluxi, enerves, ac faciles, perinde ad honeſta, atque inhoneſta trahi ſociorum impetu patiuntur, ac diſpari ſorte cùm malè res accidiſſet promiſcua ſibi pericula, ac detrimenta faciunt, cùm autem proſperè, inæqualem fructum periculorum. Series conjurationis hujuſmodi fuit. Hiſpaniæ ſibi regna dividerent, quarum pars, ſcilicet Catalaunia, & Navarra in ditionem Galliæ Regis accederet, ſiquidem is jam Catalauniæ poſſeſſionem, & jus in Navarram obtenderet. Sciſſa in hunc modum prætereà ſuíſque diſtracta, atque imminuta regnis Hiſpania, majori quidem deinceps felicitate, ſublata jam æmula, Galliæ conatus, & vires auxiſſet. Aragoniam arriperet ſibi Dux Ixarenſis ubi opes, & illuſtris erat illi familiæ nomen & decora quoque cognatio, regnúmque, cui & priſci, unicíque majeſtas,& gloria Regis nóndum memoria deciderat, nec omninò friguerat amor, rebus fortaſsè novis non diſſenſurum. In Caſtellam Bregantius ſtatim invaderet, útque juris aliqua ſpecies odium Tyranni, atque execrabile nomen velleret, tum vi, ſive dolo Rex Philippus occideretur, rapta ſubinde Maria Tereſa regia illa, ac nobilis Virgo transferretur in Luſitaniam, ibíque Alfonſo Bregantii maximo natu filio nuberet, cúmque parente Rege ſine maſcula prole cæſo, eo tempore ad ipſam profectò Tereſiam

reſiam Caſtellæ hæredirars pertineret, duo ita jure connexa regna ad ſummam Bregantii familiæ amplitudinem, & imperii ſecuritatem eo devolvenda conſilio erant. Hæc inter eos ut erant ſecreto collata ſeſe obtulit Carolus ad Mazarinum per velamen tractandæ cum illo pacis in Galliam deferre, quò erat,ut ipſe falsò credebat,celeriter profecturus, re poſteà confecta, eumdem cum armis ad Aragoniam venturum, atróxque inde bellum pro pace laturum, eo ipſo inter acies, & arma ſeu Duce uti Galli, ſeu milite vellent. Intereà Dux Ixarenſis in Aragonia gentiles ſuos teneat, clientes veteres foveat, novos, quos poſſet, acquirat, donis, promiſſis rerúmque novarum illecebris cautè ſollicitet hominum fidem, omnia ſic ibi conſtituat, ut conſerendæ cùm manus eſſent non minùs ab exteris Aragonia, quàm domeſticis hoſtibus oppugnetur. Ex parte verò Gallorum, illi minimè videbantur rem propoſitam neglecturi, cùm mos antiquus Principibus ſit ne dum alienorum conſpiratorum promiſſa recipere, ſed legere quoque veſtigia, & placidas etiam ipſos à longè turbare aquas, ut inter exteras turbas alicujus ſemper utilitatis participes,omninò periculi exortes, externíſque diſcordiis tum regnorum ſuorum pacem, tum incrementa domeſtica metientes. Hæc etiam naturæ vitio communia Principibus ſtudia intendere Gallis præſertim innatam in operando celeritatem, & vim illam igneam ingenii tam in copia, quàm rerum inopia, tam in bello, quàm otio impatienter ſemper ebullientem. Auxerat inſuper conjuratis rei agendæ alacritatem, & ſpem, à prole virili regia tunc inſpecta Philippi domus, quæ Imperio ſuccederet, vacua. Ideò enim & ſubditos quaſi Regis ludibrium, & ſpes novæ, ac rerum novarum cupido, & qui futurum ſibi quærebant, aut divinabant Regem ſollicitudo perinde inquietos, ut quietos cœperat homines, eóque tandem ambitionis ille furor prolapſus eſt, ut tantæ rerum converſionis, quæ nulla ſanè abſque populi afflatu, aut ſummè pernicioſa ejus auctoribus extitiſſet, jacerent tunc fundamenta in actione minimè populari, qualis profectò fuiſſet pii, inſontis, adamatíque maximè Regis immanis, & barbara facta cædes, nec ſatis quoque nervorum eſſet, unde metus incuſſus explere cætera poſſet; ſiquidem Ixaræ Ducis non eæ clientelæ, atque opes in Aragonia florebant, quæ tantæ ſuſtinendæ moli ſufficere viderentur, pertenues undique vires erant, numerus hominum imminutus, nec minus ad opus lacerti, quàm hominum capita flacceſcebant. Ex compoſito tamen ſic inſtitutus conjurationis ordo pergebat. Erat Lutetiæ Pariſiorum Gallus quidam Mazarino familiaris, inter quem, & Carolum Padilliam vetus in Belgio, & caſu contracta interceſſerat amicitia, Carolus enim Gallum jure belli captivum cùm ſecum benignè tractatum haberet, egregia tandem munificentia, & comitatis illecebris captum clam ſine pretio dimiſit. Hunc cautè nunc admonere per litteras placuit ea ipſe de re ut ſcilicet orta, ut conſulta, ut artificio compoſita erat, quò ſtatim Lutetiæ Cardinalem Mazarinum inſtrueret, ac ſi aliquo fortè ante Caroli ad Galliam profectionem ibi conſulto, aut matutato opus eſſet, ille ſatis edoctus in tempore præveniret. In Luſitaniam deinde ubi ſumma negotii, amplióрque ſpes erat, & ubi præſertim communes ob rationes, propenſionéſque conſpirantium amor, ardórque calebat, conſilia converſa ſunt. Hunc igitur Carolus pro Bregantio apud Arum dolum intendit. Bregantii ſpeculator quidam occultus in aula Catholica verſabatur genere Luſitanus,cui Dominico Capralio nomen

men erat, & cui etiam intimè Carolum & diutina conſuetudo, & nefaria conſilia, & morum ſimilitudo contraxerat. Hunc hominem Aro Carolus appoſuerat rerum in Luſitania accidentium adulterinum exploratorem, cùm verus eſſet Bregantii, íſque dum per ambages verſipellis in morem ludificat Arum, in illius quoque familiaritatem per occaſionem intruſus, & majora quotidie ſcrutatus arcana, omnia ad Bregarium ſecretas per epiſtolas tranſmittebat. Ita ſenſim componi, ducíque cùm ſubtilis cæpiſſet dolus, fingit, eodem Carolo aſſentiente, Capralius, quòd certior ipſe paulò ante factus ab Luſitania eſſet, moliri, multáque ſtruere Breganrium, ut ſurriperet Gades inſidiis, eſſéque intus rei conſcios externos quoſdam negotiatores auro à Breganrio corruptos, brevíque hoc conſilio acceſſuros ad urbem hoſtes, ac ſi minùs procederet dolus, vi quoque eum adjuvare paratos. Præoccupanda eſſe quidem impia, & fallacia conſilia Tyranni ne alia ex alia petatur ruina, cladéſque & ſemel exortum in novo Caſtellæ angulo incendium, propinqua, & remota ſerpendo ſimul exhauriat. Hæc audita repentè res Aro ingentem curam incuſſit, cùm Gades ſint in Hiſpania celebre rerum venalium emporium, totiúſque Europæ, atque Aſiæ maritimus aditus, tum ex advenarum ibi colluvione pecuniam duntaxat, lucrúmque quærentium proditionis auro petitæ facilitas videretur affictam ſuſpicionem intendere. Re itaque ſæpè cum Carolo tanquam ex animo amico longa, ac ſecreta oratione jactata, & pro afferendo quoque remedio diligenter excuſſa, Ludovicus denique Arus, ut idem ſenſerat Carolus, mittere Gades Capralium decrevit, ut ibi pecuniis, regiiſque mandatis, quibus ſatis eſſet expletus, proſpiceret, caverétque ne nobilis urbs, atque portus per hoſtium inſidias collaberetur. Cæterùm hujus tota negotii captioſo quodam ambitu, & ordine machina verſabatur, ex quo Capralius, Carolúſque Padillia fraudulenter Bregantium introducere Gades quærebāt, Arúſque fallaci errore deceptus, ſe ipſe inſcienter præbebat alienæ perfidiæ miniſtrum. Jámque Capralius cum hoc temerè ſibi commiſſo munere Gades pervenerat, ibíque pecuniam, quam ad fraudem cavendam acceperat, ad eam per cuniculos inferendam effuderat. Libratis itaque rebus, cùm ſcilicet Carolus apud Mazarinum Lutetiæ, & per Capralium in Luſitania, atque Gadibus conjurationis ſecreta negotia proveheret, moras tamen rei ad ultimum perducendæ nectebat graviſſima difficultas, ſpes nempè tunc agitatæ cum Gallo pacis ambigua, ſeu longiùs fortaſsè, quàm ſtructarum clam rerum contexus in animo cupido pateretur extracta, quapropter cùm ferè inextricabilis Aro illius tractationis exitus videretur, ideóque Caroli ad Galliam diſceſſus inutilis, acciderat etiam, ut fundamento, quo niterentur, everſo in irritum omnia partium conamina ruerent. Proinde aut rerum exitum expectare oportebat, aut alio modo conjurationem ordiri. His curis ſollicitis, incertíſque quid per id tempus conſilii potiſſimùm caperent, fortè contigit, ut Joannes Padillia Caroli frater, qui Mediolani ea tempeſtate degebat, à Catholico Rege tunc civitatis Vercellenſis Præfectus renunciaretur. Summa hoc lætitia conjuratos affecit perutile ſibi fore cenſentes ſi in tenues, & imbecilles quas modo partes habebant, tranſiret vir militaris, ingenio, manúque promptus, & genere clarus, quíque pignus habebat in ſubalpinis, quo allicere ſpe, metúque tenere Sabaudiæ Ducem, & per eum ipſi fœdere annexum Galliæ Regem inflectere potuiſſet. Arbitrio enim, & robore Galli vim omnem, & pondus præſertim conjurationis innixū eſſe putabant, idcircò

maximè

maximè laborabãt,& ſeipſo,& Sabaudii quoque ſtimulis incitatum in illam vehementius incumbere Gallum. Anxius itaque Carolus, cupidúſque in ſceleris ſocietatem, bellíque quod parabatur ſubſidium,ac robur Joannem etiam fratrem addendi, utque ſimul ex variis Imperii partibus, diverſiſque in illam conſiliis incluſis,miſtíſque Principibus conſtituta coaleſceret conſpiratio,dum Comes Aſſentarius Mantua Carpetana belli cauſa Mediolanum tranſiturus excederet, clauſas ipſi Comiti litteras, Joanníque Padilliæ fratri Mediolani reddendas dedit,quarum ſententia, ad morum & animi ejus effigiem in hunc modum deſcripta erat. *Primùm turbulentorum hominum vitio inverſa, triſtia, ruinoſa & perdita paſſim omnia ingenii ſui fuligine contuentium, aut ita contortè credi volentium deflebat Hiſpani Imperii calamitates, at fœdiores ſubinde malorum clades, & peſtes, is niſi ærumnarum aliquo pacto curſus inhiberetur, eſſe abſque dubio idipſum funditus everſuras comminabatur, séque in primis idcircò ſollicitum, & cum eodem velut complexum Imperio, quando hujus modò labentis virium omnium conatu ſuccurrere excidio minimè poſſet, ejuſdem ruinæ ſeſe tandem comitem præbiturum. Neque tantum profectò oneris ſe per levitatem ingenii, aut ambitionis, aut divitiarum acquirendarum illecebras ſuſcepiſſe, nec quia vir ipſe genere, belli decore clarus, emeritaque militiæ à præmiis ab honoribus pulſus cum egeſtate, ac pene dedecore hinc vitam afflictam duceret, verum ad patriæ communis ſalutem; Hiſpaníque tuendi nominis dignitatem, quæ longè deterrimi in illa ætate miniſtri intoleranda ſuperbia, inexplebili avaritia, omníque criminis genere interitum, aut ſervitutem præmolientes Imperio truculentiſſimè lacerarent. Summo ergo labore, atque induſtria, ut nonnihil effugii, velut æquè ſibi, ac reipublicæ providus à malis impendentibus quæreret, cum Luſitano, Gallóque idoneos per viros eo tempore trahere ſe clandeſtina conſilia, ea ſingulis pollicentem quæ propter cum omnium ingeniis, & ſtudiis accommodata promiſſorum eſca munerum ſit, tota ſingulis ſuſtinenda conjuratio propoſita videatur. Neque ex eo porrò,quod ita contrahere, aut in partes ſuccidere videretur Imperium, minùs ſe illi, ac nomini Hiſpano, quàm ſi in eodem, quo tum ſic fluctuaret, ſtatu relinqueret, profuturum; utilius enim, atque optatiùs utique eſſe, imminutum, ſed diuturnum, ac ſtabile Imperium,quàm vaſtum habere, ſed caducum, & imbecillum, & ſua quoque vaſtitate laborans, ſimul etiam ægram, ac propè depoſitam reipublicæ avellere partem, quàm ſuis ulceribus derelictam, ſanie, tabóque influenti corrumpendam omninò ſinere. Ad hæc cum ea rerum, & in pejus certè mutatio inevitabilis tandem reipublicæ ſit, præſtare quoque eas in tempore commoveri, iiſque fluctibus immiſceri æquè periculi, ac præmii participem, quàm otio, & inertia ſopitum ab aliorum arbitrio, & fortunæ quoque ludibrio ſuſpenſas rationes habere, ac pejora quotidie metuere. Pro his rebus conficiendis adeſſe in partibus ſibi graviſſimum virum origine,fama, copiis, incorrupto judicio excellentem Ixaræ nempè Ducem, cohærere illi quoque Marchionem Vegenſem, & Dominicum Caprælium Luſitanum, qui multa in eo regno ſua auctoritate, atque gratia, majora in Caſtella ſuo ingenio, & artibus volveret. Tempore autem appoſito, cùm factio, Dux factionis, tumultus, & cauſa tumultus, ſpes, réſque novæ, & turbidæ omnia manifeſtentur, magnam profectò, & meliorum hominum vim confluxuram, qui tunc hærentes, & alius alium expectantes, non otii, aut officii gratia, ſed infelicis duntaxat exitus metu à libertate recuperanda deterrerentur; eò enim uſque in Caſtella exceſſiſſe procerum inter ſe ſimultates, adminiſtrorum diſſidia, magiſtratuum rapacitatem, fœnerantium ingluviem, ſimul oppreſſi, jacentis, afflicti populi lachrimas, ac lamentabiles voces, ut odio, atque horrore præſentium, nemo ſit qui rebus aliquando commotis ex hoc tacito domi bello aut impura quadam tranquillitate, ubi la-*

trones pinguent, ubi imperāt ſtulti, ubi tumēt ambitioſi, omnia in melius mutatū iri minimè ſperet. Cæterùm magni quidē momenti id ſibi facinoris capeſsētibus fore, ſi ipſorū fortaſsè conjuratorum arbitrio Pedemontanæ urbis, cujus nuper ad Ioannem tranſlatum eſſet à Rege Philippo regimen, acceſſiſſet, ſiquidem certior per ipſam Gallis inhiantibus præda, & tenacia atque ſolida hoc negotiū ingredientibus praberentur initia. Daret operam ergo Ioannes irrepere ſenſim in animos militum, eos obſequentes, & pronos reddere ſibi, ita capere blandimentis, & laqueis munerum irretire, ut cùm res poſtularet tutò urbem ipſorum nutu liceret Sabaudio, vel Gallo prodere. Levia quidem pericula eſſe, ſpes amplas, ingentia præmia conſpirantibus poſita, & ſuper hæc nationis, patriæque labantis ſtudium, & coactam quamvis feram ipſam medelam acriùs debere nobilium animos inflammare. Hæc Caroli ad fratrem longioris epiſtolæ ſumma erat. Porrò autem in eo litterarum excurſu, adeò implicatus, & varius ſibi ipſe repugnans & jam ſe felicem, jam infelicem oſtendens metus, ſpes, mœrorem, lætitiam, quæſtus, & vota miſcebat Carolus, ut exagitatæ planè conſcientiæ tumultum, & altius hærentia in pectore vulnera denudaret, & tragicum etiam illo auctore, illo Duce, eo litterarum exemplo colligeretur malè, ac ſtultè ſuſcepti talis operis vaticinium. Has Carolus litteras, ut Joanni Padilliæ fratri redderet Mediolani, ſummo ſtudio commendaverat Aſſentario. Duplici autem errore hîc obcæcata ſcelere mente lapſus eſt Carolus, primo quia non obſcuris, & falſis, ut fieri etiam in rebus minus gravibus ſolet, characteribus uſus ſcripſit epiſtolam, altero, quia latori ad fratrem Mediolani reddendam adeò illam, & ſæpè, & acriter inculcavit jam officium in cauſa, jam fidem ab ipſo repoſcens, ut ex eo præſertim, quod ita ille premeret, quid tanti momenti in his litteris latuiſſet, explorandi mentem, & curam Aſſentario ſimul injecerit. Ipſe mox Aſſentarius Mantua Carpetana profectus Alicantem, expeditæ ubi naves propitios ad Italiam afflatus, quibus vela citò committerent, expectantes in ancoris erant, inde protinus tranſmiſſurus acceſſit. Cæterùm, ut ex connexis, ac ſuperiùs præcedentibus cauſis ſemel proviſum fuerat, ſerus ejuſdem Comitis ad Alicantem adventus ſolviſſe jam naves eo tempore offendit. Solitudinis igitur illi in ora ferè deſerta, atque otii levamenta quærenti, dum cunctatur, ac moras ducit novi nempè itineris inſtruendi, pro tempore contigit, ut olim ex litteris, & quo ſibi conatu commiſſæ fuerant mente perceptam, cùm vacaret jam animo, ſuſpicionē excurere vellet. Solvit itaque litteras, propè attonitus legit, ſuis vix ipſe credens verſiculos ſingulos repetentibus oculis, & ſimul admiratione, ſimul horrore perfuſum cùm affluentes animi curæ ancipitem hominem traherent, utrum virulentas ſcinderet litteras, an præmium inſigne ex delato confeſtim ſcelere peteret, utilius tandem, honeſtiúſque idem conſilium hominē vicit, eáſq; ira ſolutas epiſtolas Aſſentarius ſtatim ad Arum Mantuam Carpetanam remiſit. Hæc ubi comperit Arus dolens, freménſque & Carolo, & ſibi maximè iratus, quod ſe nimis fidentē, & facilem dolo circumveniri nefario ab homine paſſus eſſet, ultione flagrabat; tamen cùm Ixaræ Dux eo quoque crimine teneretur, ſibíque moleſtiæ, & oneri pariter tum caſtigatio, tum optimatis impunitas eſſet, nihil ipſe inciperet voluit; priuſquam conſuleret Regem. Hoc itaque ſtatim convento, apertíſque conjurationis indiciis, & manifeſtis per litteras notis, Rex obortis præ amaritudine lachrimis, fertur dixiſſe: Quid porrò tam ego iniquè, tam inſolenter de Duce Ixarenſi meritus ſum, ut contra me ſponte vellet tantum flagitium admittere. Statuis deinde Senatus judicio ob plurimos, qui reo ibi Duci aſſidebant, jure

jure cognationis obſtrictos, ſuſpecto Catholico Regi, idem è ſinu ſuo atroci eadē recōſulturos acceſſit Ludovicum Arum, Comitem Caſtrilliū, atque è ſecretis Conſilii Status Ferdinandū Conteram. Hos ſimul cùm interceptæ epiſtolæ capita excurrerēt, eorúmque momenta librarent, gravior propterea ſollicitudo perculerat, ne altiores fortaſsè, quàm præ ſe ferret, ea conjuratio radices fixerit. Nam prope incredibile exiſtimabant Ixaræ Ducem nobilitate ſpectatum, uberem copiis, ætate vergentem, incorrupto judicio, mente integra voluiſſe pericula, ſpes ſuas, rationes, ac ſuæ dignitatis ſplendorem cum paucorum inopia, ac ſordibus commiſcere. Plus autem Luſitani ab inſidiis, quàm ab opibus Galli his, qui trepidè modò rem conſultabant, metus inceſſerat. Gallus enim longinquitate ſitus, perpetua utriuſque gentis animorum contentione, arte bellíque fortuna ſæpiùs expertis, eas eſſet Hiſpanis vires, & nervos oppoſiturus quas aliàs frangere Hiſpanus, aliàs æquare mutuis cladibus conſueviſſet. Atqui Bregantius ſuo ipſe auſpicio, ac nomine Hiſpanus, intra viſcera hoſtis, & dolis non minùs, quàm armis infeſtus, tum ſanguine gentilitio multis, clariſque Caſtellæ familiis immiſtus, ſi invaleſceret conjuratio, acriùs bellum ut inteſtinum quo quidem celeriùs regna concuſſa labuntur, excitare facilè potuiſſet. Bregantius præterea ſpe, at ſumptibus major Gallus in cauſam applicuiſſet; hunc animorū vim oporteret, illum corporum expugnare; Gallo etiam bona qualis inter exteros lubrica, firmior, conſtantiórque Bregantio, eáque melior ſuos inter Hiſpanos fortuna accidiſſet. His, & ſimilibus rebus longa conſultatione diſcuſſis, inter omnes tandem convenit, conjurationis modò compertos per interceptas litteras homines rapi confeſtim in vincula, ex quorum poſteà confeſſione per vim tormentorum expreſſa, quæ prudentiùs deinceps agenda eſſent, rationem, ac tempus admoniturū. At Dux Ixarenſis non ſtatim cum aliis comprehenderetur, ſed relicto viro Principi ſpatio aut fuga, aut tempeſtiva confeſſione, aut aliquo alio, ultro ſi vellet, de ſe ſtatuendi, inter hæc animi fortè conſcii, patente jam ſcelere, impulſus, & impetus experiri. Verùm enim verò ſua ipſe ſponte ſi longè exulatum elapſus eſſet, jam per ejus abſentiā Hiſpaniam exoneraſſet, à fuga verò retractus per clariora deprehenſa veſtigia ſceleris, popularius, ut palam, & graviter ſonti conſtitueret ſibi ſupplicium, voluntariè tandem crimen confeſſus, Regíque ſupplex per pœnitentiæ ſuffugium addictus, ſeu clementiæ, ſeu terroris exemplo cùm eo uti idem Rex voluiſſet, jam ſuæ vitæ, neciſque arbitrium in ejus manibus collocaſſet. Decere propterea, accelerato in alios abjectioris quidem notæ judicio, cunctatiùs primario cum viro procedi, ſive id decori perſonæ regiæ, ſive familiæ in qua reus emineret, concederetur, vel ſaltem, ut planè conſtet, quantum Rex animo ſubſit à cædibus caſto, & à magnatum præcipuè fundendo ſanguine averſo; præſertim quando hæc mora aliunde non ſit obnoxia, & aliter quoque juvet, ne aliorum reorum videretur cum Ixarenſi conjuncta cauſa (quæ ratio maximè vicit) vinculorum disjunctione, ac temporis intervallo omnia ſecreta rimantis, odorantiſque judicio plebis illudere. Secundum hanc ſententiam Carolus Padillia, Vegæque Comes, qui Mantuæ Carpetanæ tunc habitabant ſtatim comprehenſi, & in vincula impacti ſunt; ſevera quoque, & celeria Regis mandata Mediolanū, Gadéſque tranſmiſſa, ut hîc Capralius, illic Joannes Padillia, uterque comprehenſus Mantuā Carpetanam aſportaretur. Triduò poſt ex metu conſcientiæ, & conſciorum inſpecta calamitate cùm nihil ipſe moviſſet Dux Ixaræ captus, atque in arce Santurcaſſenſi, quæ haud

procul ab aula jacet, graviori cuſtodia reſtrictus eſt. Et quidem initio hujus rei cauſam neſcientibus aulicis varios rei novitas vultus, variósque paſſim rumores, & in areis, ac triviis hominum circulos peperit. Repentè tamen in arctam tacita cauſa cuſtodiã Principem virum injectum eſſe conſiderantes, atrocem ſubeſſe rem plerique conjiciebant. Cauſa igitur conſtituta, tres è Caſtellæ Senatu integritate, ac doctrina egregii ſelecti Judices, dum acta conficere, vel ipſa confecta diſcutere curant per editos teſtes, & codicillos qui in domeſticis Caroli ſcriniis conſervabantur, accipiunt, frequenter conſultos à Carolo mathematicos eſſe de Imperii mutatione, de vita Regis, de ipſius Padilliæ fortunæ converſione, & temeraria quadam fœlicitate an meditata ex voto ejus ceſſura fuiſſent, ſcilicet aliis hominibus ſceptra dare, aliis auferre, pro ſua libidine, ac nutu figere poſſe in Hiſpania, ac refigere leges, hos elevare, hos deprimere, hos perdere proceres, totum Hiſpanum vertere Imperium, & his, qui in ejus eſſent partibus nundinari, & alias hujuſmodi ineptias, ac nugas propè puerorũ, quas venales, ſtultique Aſtrologi per aulæ perniciem, ac peſtẽ, artíſque ſublimis injuriam ſordidè nutriunt. Ad hæc alba quædam manu Regis ſubſcripta, quæ ob pacis in Gallia conferenda negotia Carolo ab Aro folia cõmiſſa fuerant, illum nefariè, & impiè conſtituiſſe, ea ipſa falſis corrupta notis ad oppidorum, & arcium in Gallæcia Gubernatores ſummittere, ut illa interciperet Luſitanus, qua tempeſtate apud Gades Capralius proditionem maritimi ſinus pro Bregantio ſollicitabat, atque ita hinc fraudibus ſtrato per Gallæciam acceſſu, hinc opportuno ſubjecto portu, terra, maríque tutò Bregantius in Caſtellam irrumperet. Conſtitit etiam Judicibus ex lege rem inquirentibus, multis ante diebus, quàm in vincula Carolus raperetur, præcepiſſe cuidam ex fidis, ac veteribus famulis, ac ſæpè inculcaſſe, ſi eumdem fortaſsè aliquando vidiſſet carcere, aut fuga, aut interitu, aut quavis alia calamitate ſublatum, ut illas ſtatim combureret litteras, quod intus revera tumultuantis, ſuóque ſcelere tactæ, agitatæque conſcientiæ manifeſta, atque certa exptomebat indicia. Hæc omnia, quo ordine illuxerant, cùm in acta relata eſſent, citatur illicò reus, & plana, atque ſimplex tormentorum terrore ſecluſo prima de more interrogatio procedit. Is tum à ſe non negavit ad fratrem, quæ jam paterent, conſcriptas epiſtolas eſſe; eas tamen fictas, & commentitias, & ingenii ardore conflatas, ut ab infructuoſa, gravíque militia aſtu vel utili abduceret fratrem, aſſeruit. Simulata quoque proditionis conſilia ſeſe de induſtria Capralio jactaſſe, quò illo fidem hominis artificio, quam eſſe ancipitem ſuſpectabat, probatam haberet, nihil enim magis appoſitum explorandæ fidei hominum eſſe, quàm ingenuæ opponere fictam, & vera mendaciis eruere. Ducem verò Ixarenſem non ſeriò, non ſtudioſè, at riſus profectò luſúſque gratia Aragoniæ perſæpè Regem perfunctoriè prolatum eſſe, quemadmodum enim Arus quidam velut Rex aſcititius totius Hiſpaniæ gubernacula prehenderat, ſic Aragoniæ partẽ aſſumptam addicere ſibi Ixaræ Dux potuiſſet. Verùm cùm teſtimonia deinde, & aliæ collatæ litteræ, atque indicia & cauſæ argumenta compararentur, non rectè cohærere confeſſio, nec ejus ratio, aut oratio ſatis conſtare Judicibus videbatur. Admoventur ergo tormenta, quibus cùm crudeliùs Carolus urgeretur, & cùm retorquerent incuſſi mẽbra funiculi, & intus equulei cuſpis affixa profluenti ſanguine coxas, & cruta, pedéſque compleret, nec longè inde poſitus torreret inſuper ignis, doloris acerbitate, & plagarum ardore coactus planè tandem confeſſus eſt in Regem intentam necem, & regiæ virginis raptum, &

per

per eum Ixarenſem ad Aragoniæ invaſionem impulſum; clandeſtina quoque conſilia, & nefaria admodum tentamēta cum Luſitano, cum Gallo, in Imperii perniciem ſuſcepta. Quæ præbereà flagitiosè, quæ impiè, quæ ſpurcè ipſe in toto vitæ curriculo egiſſet vi tormentorum etiam elicita promit. Hoc quoque faſſi inter tormenta ſunt Marchio Vegenſis, atque Capralius, qui Gadibus vinctus Mantuam Carpetanam adductus fuerat, & poſt cruciatus ratū etiam de more habuere. Sic explicata penitùs cauſa, ac de jure confecta in omnes ut reos majeſtatis capitale ſupplicium ſancitum eſt. Ea porrò ſententia Carolo declarata, & quàm citò exigenda cum pœna propoſita eſſet, horribili facie quanquam homini mors impenderet, ac propè hæreret jugulo cultrum, formidine tamen intactus, atque integri ſpiritus nullum turbati, aut abjecti, aut quoquomodo mutati animi ſignum eo tempore protulit. Inde cùm ad ſupplicii locum deductus eſſet, eodē utique vultu, animíque rigore, atque habitu corporis quàm in æqua fortuna geſſerat, ferale pegma, tanquam ſcenam ludicram ſubit. Ibi pauliſper funereo cum habitu ſtans, nec ore, nec geſtu, nec anhelitu quoque pavidè, aut mœſtè quidquam oſtendens, poſtquam ad immiſſam, quæ ſpectaculo aderat, hominum multitudinem, ſerenos, & graves circumtulit oculos, placidè ſe compoſuit extremo carnificis ictui, atque animo tandem interritus jugulatur. Pari deinde ſupplicio, ſed non eodem vigore, animíque conſtantia Petrus Silva Marchio Vegenſis extinguitur. Dominici Capralii Luſitani, quia jam fato in cuſtodia, corporis, animíque ægritudine fractus conceſſerat, memoria, atque imago publicæ ignominiæ, ac perpetuæ contumeliæ dānata eſt. Hic autem Catholici Regis memorabile quidem pietatis exemplum non prætermiſerim, priuſquam enim in reos confeſſos ſceleríſque convictos ſententia Judicum emanaret, ipſius ad eoſdem Judices manu exaratos miſit Rex codicillos imperiosè rogās, ac ſuppliciter jubens, ut cunctatiùs, & æquiùs in iſta quàm in alia ulla cauſa hominum crimina tractarentur, ne aſſentatio fortaſsè, néve nimia populi affectio, rumórque diffuſus, neu quia pars ut læſa majeſtas deſcenderet in judicium, reos hoc obrueret, aut aliquo pacto præſidio legitimo juris officeret. Seſe quidem ut hominem parcere ſontibus conſtantiſſima voluntate, de Rege, & quod ad cauſam publicam ſpectaviſſet ipſi incorruptè, & attentiſſimè judicarent. Juſſit inſuper Rex Catholicus magnam pecuniæ vim viris, fœminíſque religioſis per municipii templa diſtribui, ut ii afflatum, ac mentem à Deo pro Judicibus, qui propediem laturi ſententiam erant, orarent, judicio integerrimo dignam; exacto verò ſupplicio pro eorum animarum ſuffragio ampliora quidem largitus eſt.

His rebus ita confectis ſtudioſius deinde Ixaræ Ducis cauſa verſari Judicibus cæpta eſt; moles quippe cognitionis propinquos Ducis tangebat, & Hiſpaniæ magnates reliquos non minùs ingenio, quàm opibus tumidos, ad quorum ampliſſimum ordinem erat, & Dux inter primos adſcriptus, éſtque præthereà in more jampridem magnatibus poſitum, ut quos ambitus paſſim, Regis quæſita gratia, & ſua cuique utilitas diſtrahit, eoſdem illata uni eorum injuria ad ultionem copulet, illigétque. Itaque Dux requiſitus cùm à Judicibus eſſet de interceptis epiſtolis, de damnatorum confeſſione, atque aliis indiciis quæ ex cauſæ agitatione profluxerant, ſe quidem, inquit ingenuè cum Gallis pro pace ineunda ſenſiſſe, & cum Capralio quoque pro Gadibus quam urbem, & portum appetere inſidiis Bregantium pro certo conſtabat, tuendis. Carolum verò Padilliam ea occaſione, eo apto reipublicæ tempore in ejuſdem

familiaritatem illapſum, ut talia Regis negotia Ari mandato curantem, ſeque ideò facillimè potuiſſe eodē, quo Arus, errore per verſipellis malitiam decipi. Simpliciùs ſe tamen fateri, ſemel ſe tantum, & caſu ex ore Caroli audiſſe conflatas in caput Regis inſidias, ſed auctore ſublato. Cæterùm nec terū unquam ordinem comperiſſe, nec auctorem eſſe Carolum ſuſpectaſſe, cùm ne homini quidem in ore rubor ad tam atrocia, & ſceleris plena verba ſuffunderetur. Hoc colloquio dirempto cùm anxiùs animo volutaret, liceret propterea ſibi necne hujuſmodi indicium & indicis nomen Judicio denunciare quandoquidē levis, aut fallax cùm id temerè detuliſſet, ſuſpectus cū ſiluiſſet, videri fortaſsè Judicibus poterat;ideóq; ſive rem tegeret,ſive detegeret ancipiti ſenſu, metúque periculi afflictum, in diverſúmque trahentibus hominem curis omninò jactatum, ſpectabilis vitæ & quæ fanaticum, reíque futuræ providum habere ſpiritum dicebatur, monialem tādem conſuluiſſe, & fœminam reſpondiſſe,is ſiquidem fidei obligandæ pignus in tanti ponderis cauſa nullum haberet, & rem illam propterea eſſet aut temerè delaturus,aut cum periculo taciturus, in eo rerum diſcrimine implicito, & curis utrinque propè æqualibus torto ſatius fore videri, nihil humanitus providentem ſeſe,ac totam penitus cauſam ſoli Numini addicere. De reorum conſciorúmque teſtatione quæ ipſum intra, & extra tormenta initæ in Regem conjurationis crimine afflaverat, præter turpitudinem vitæ ac lutulentam natalium,& morum conditionem cum æterna, ac publica infamia conjunctam quæ illorum per ſe teſtimoniū omninò debilitarent, veteres etiam, & graviores quæ intererant ſibi cum illis,interpoſitas ſimultates adjecit, ita, ut teſtium aliquo pacto labare fides, & nequaquam hærere crimen in cauſa aliquibus videretur. Hac porrò ſuſcepta Ducis confeſſione,atque ad altius rejecta Judicium quod duorū quoque procerum interventu Rex Catholicus conſtituerat, duobus denique tota in ſe ipſa reſtricta capiribus cauſa eſt, quod teſtium, ſcriptorum, indiciorum conſenſu nexúſque Ixarenſis crimen vehementer urgerent, & quod ſua ipſe ſponte profeſſus eſſet, relatam ab alio conſpirationem adverſus Regem tacitè præteriſſe. Subeſſe quippe etiam ſilentio ſcelus, ajebant, cum regno,Regive tendendas, aut tentas à quoquam inſidias ſupprimere quiſquam vellet. Hujus rei uſum, qui in cæteris ſæpè rebus,ut levitas, ut credulitas, ut nimia facilitas animi arguitur, ad Principis cauſam translatum, ubi tenuis quæcumque ſuſpicio valet, atque ipſa ſpeciē immutat, omiſſum, aut ſpretum intendere crimē. Hoc leges jubere, hoc jura Politica edicere, hoc ipſum quoque per jus naturæ competere Regi, quippe, quæ ſollicitiùs caveri,attendíque Politici corporis capiti, ſummæ regiminis menti,cohærentíſque Imperii vinculo jubeat. Decretum eſt igitur omnium delegatorum ſententia, ut rei veritas acriùs ab eodem Ixaræ Duce per cruciatus exquireretur. Hoc mandatum accipit Prætor, ac diem quo infligendum Duci tormentum præparabatur, ne eum cibi copia minùs fortaſsè torturæ potentem, aut aliquid veneficii clam eſculentis infuſum, ut aliis ſæpè contingit, alienatum ſenſibus redderet,omninò jejunum extrahere juſſit. Cùm verò tunc Ixarenſis crebrius ex more prandium repeteret, idque varia, ac planè frigida prætexendo, diutiùs quàm anteà ſolebat, prolataretur,ſuſpicatus id, quod erat, ſe ipſe tandem collegit,& plus inediæ penè moleſtia,quàm tormentorum horrore perculſus funeſtam horam tacitus expectabat. Nocte intempeſta cum binis acceſſit tortoribus Prætor,quo tempore Ducem à Santurcaſſi arce Mantuam Carpetanam revectum, quia promiſcuus reorum carcer virum Principem dedecebat, in alterius

terius Prætoris ſepoſita domo cuſtodia tenebat, ingentémque ſatellitum turbam ædes prætorias juſſit, & circumjectos proximè calles circunſidere, ſpecie quidem, ne fortè reo vi torſionis effuſas curioſus quiſquam exciperet voces; at revera quia excruciati hujuſce viri nobilitatis exemplum cùm eſſet in aula novum, réſque novæ, & majoris qualis hæc eſſet momenti maximè arrectos, & animo pavidos Regis miniſtros haberet, gravior Prætorem angebat cura, ne homines turbulenti ſuo, aut aliorum impulſu, fortè, aut conſilio ex re inuſitata rerum commotiones, ac turbas per noctis caliginem quærerent. Ducis deinde cuſtodiam ingreditur, eíque ſubeundi tormenti neceſſitatem ex Delegatorum ſententia denunciat. Audit hæc Ixarenſis, ut prævifa non mirabundus, ut in fortem cadentia virum non animo perturbatus. Iraque non colore, non fronte verſus, non queſtus, aut ulla timoris elapſa voce, at conſtanti ſilentio, vultu, inceſſu, geſtúque mirè compoſitus ad tormenta ſuſtinenda perrexit. Ubi in equuleum imponitur, aſtántque tortores, ac Prætor qui horum ſævitiam acueret, membra ejus circumplicata primò funiculis, poſt arctiùs expreſſa, contuſa, ſæpiúſque retorta crudelius, quàm juſſum erat, carnifices lacerant, tanquam aliquid magnum audere, ac proprias abſtergere ſordes in optimatis ſanguine crederent. Jámque tum intumeſcens reiteratis nexuum ictibus corpus propè diſſolverat artus, & magna ex parte nudaverat oſſa, ſimul etiam acumine equulei viſceribus inhærente cum magno dolore, crepitúque plagarum miſtus ſudore ſanguis copioſiſſimè diffluebat. Dux tamen inter inſita hucuſque vincula, inter tortores, totiúſque corporis laniatus, & ictus, cum prominente cruciatibus animo, carere omni ſenſu doloris ſilici ſimilis videretur, tunc præfervidus ira Prætor, quod non illam conſtantiam, & animi æqualitatem ad ejus virtutem, qui torquebatur, & intimos pectoris nervos, ſed ad tortorum ſegnitiem, tormentíque remiſſionem referret, cæpit conviviis, & probris in eoſdem carnifices debacchari, ut vel pudore compulſi omnis ſævitiæ vim, & furoris acerbitatem effunderent. Unum præcipuũ eorum tunc Ducis brachiũ loro aſtringentem dum Prætor objurgat, *Cur inquit non preſſius lorum adducis? Quia latera, & vis, ſi minùs animus deficit*, Prætori tortor reſpondit. Sub hæc verba Ixarenſis torvo aſpectu carnificem intuens, *plus tu, inquit, ſi vis, premere potes improbum caput.* Ira idcircò, atque ingenita feritate concitus tortor, fremitúque concuſſus, ſummámque proinde ſuarum ad tormenta colligens virium adeò reſtem volvendo torſit, ut reſtis ſimul, & Ducis brachium in fruſtra diſſecta conciderent. Ea conſtantia mirabili, ſeu potiùs animi, corporíſque ſtupore ſimul attonitus, ſimul territus Prætor, ubi fruſtra etiam videt, ſeſe tortoréſque cruciatibus incumbendo laſſari, nec minùs corpus, quàm animum Ducis ad tormentorum ſatietatem obduruiſſe, aliena quoque patientia victus equuleo Ixarenſem auferri denique jubet. Quæ poſtquam ad concilium inſignis, & rara quæſtio relata eſt, & molliora omnia atque inania cruciatuum experimenta ad ſuperandam Ducis conſtantiam, & magnitudinem animi ſatis comperta ſunt, cùm lex, vetúſque Caſtellæ uſus obtinuiſſet, ut reis inconfeſſis pro vita indemnitas præſtaretur, vitam Dux Ixarenſis judiciaria ſententia tenuit, ſuo tamen jure imminutam, & perpetuo carcere circunſcriptam. Itaque in arce Legionis, juſſu Regis, occluſus, multo ibi poſt tempore ſenio, ac valetudine reſolutus interiit. Cæterùm cùm ſibi inſtare vitæ finem agnoſceret, ſuam ipſe innocentiam, aut

aut innocentiæ imaginem Regi, ac mundo declaraturus epiſtolam ſcripſit ad Regem, cujus exemplar apponitur. *In extremo vitæ articulo conſtitutus quemadmodum mihi, & poſterorum memoriæ licet, ac meis gentilibus ſatisfacere, quippe cujus nullum humanæ, aut divinæ in hoc læſæ majeſtatis veſtigium, aut ſcrupuli ſpecies innoxium, & purum afficit animum, nec profectò aliunde aliud vel per ſeveras illas, ac truces quæſtiones innotuit, citra venerationis debitæ notam, ego te Rex ante Dei tribunal ſiſtendum cito; quò me falſo crimine circumventum, veritati, perſonæ, generiſque decori, ac publicæ famæ reſtituas. Secus autem hoc ſuo Numen ordine efficiat, ut æternus veritatis aſſertor, ſcelerum vindex, ac fidei redditæ cuſtos.*

Has Ixarenſis, quas ſecretæ pietatis miniſtro obſignatas tradiderat litteras, poſt ejus mortem piùs idem miniſter in aula vulgavit, aliáſque ipſe ad Regem conſcripſit litteras, velut defuncti confeſſionem ſibi ipſi commiſſam jam præſtita fide teſtantes; quæ cum Ludovico Oyangurenio è ſecretis Conſilii Status ut eas Regi porrigeret, exhiberentur, is, ne per eas refricando dolorem, memoriæ vulnus accenderet, novámque moleſtiam faceſſeret Regi, periculum ſubterfugit; ídque tum ejus loco propter-eà ſuſcipere cùm aulicorum nullus auderet, eædem vario, inaníque duntaxat rumore circumlatæ per aulam demortui litteræ ſunt. Verùm enim verò utrum ad Regem ita Dux Ixaræ ſcripſerit, ut incorruptę, limpidæque conſcientiæ, an mortalium opinioni, meritóque familiæ hoc artificio conſultum vellet, præſertim cùm illa cauſa ex defectu confeſſionis rei nequaquam eſſet penitus abſoluta, atque in incerto judicii tota adhuc res verſaretur, nos ſuperiùs cõmemorata ad hiſtoriæ fidem integra habentes, cætera prudentium, ac Theologorum maximè arbitrio relinquimus. Hæc quidem nos de Ixaræ Duce comperimus. Joannes alter Padillia dum Mediolano ad cauſam dicendam vinctus Mantuam Carpetanorum adducitur, voluntaria per iter cibi abſtinentia, & mœrore conſumptus judicium prævertit. Hunc exitum habuit Caroli Padilliæ in Regem Catholicum conjuratio, quam peſtifera, ac vetus Principatus ambitio peperit, eámque ſicuti ferè ſemper, ne omnia ſcilicet verteret, miſcerétque, ut ſapienter Numen providit, in ſuis ipſa conatibus cæca, præcépſque diſſolvit.

DE BELLO LUSITANO LIBRI SEXTI

SUMMA.

BREGANTIUS lethali morbo correptus, adminiſtros, regnique Principes convocat, déque fide ſervanda monet, vi apoplectica tortus occumbit. Ejus mores. Imperii juri, opibuſque paternis, Alphonſus maximus natu filius, regnique tutelæ ex vi teſtamenti ſuccedit Aloiſia Guſmana, Bregantii uxor. Hæc Laurentianum Comitem qui regni confinio cum milite præerat, Barcarotæ arcem petere jubet. Franciſcus Tuttavilla Sangermanenſis Dux, armorum pro Caſtella Præfectus. Quibus moliebatur inſidiis Luſitanus capere, capitur. Rex Catholicus, ad acriùs quàm antè, Luſitaniæ bellum redintegrandum permovetur. Status Senatu coacto; Dux Medinæ cenſet, non incumbendum receptioni Luſitani regni, niſi poſt ſtabilitam cum Gallo pacem. Ejus Oratio. Contra ſentit Belvaſius Spinula. Ejus argumenta. Ardet Arus cladium quas Olivarii inſolentia pepererat, reſtaurator dici. Sangermanenſis milites contra Olivençam ducit. Laurentianus Badajocium contendit, ut ab Olivença obſidione Caſtellenſes abſtrahat. Ibi accepta clade ab urbe obſidenda deterretur. Valentiam irrito conatu aggreditur. Olivença honeſtis conditionibus Caſtellenſi traditur. Saldanius quòd nec pro fide, nec pro viribus Olivençam deffendiſſet, perpetuo exilio multatur. Aloiſia, fœdere cum Gallis & Anglis ſancito, ultra fines Caſtellæ arma tranſlatura exercitum cogit, cui præficitur Ioannes Mendus Vaſconcellus. Is ad Badajocii obſidionem ſe applicat. Frangitur primus Luſitanorum impetus ad propugnaculum Sancti Chriſtophori. Caſtellenſium equitum duo millia cæduntur. Pugna memorabilis inter Venti, & Majæ colles. Civitatis obſeſſæ nuncio perturbatur Aula Catholica, & belli expeditionem ſuſcipere cogitur Arus. Luſitanus Badajocii ſolvit obſidionem. Triumphantis in modum urbem Arus ingreditur. Villabuim diripit. Elvum obſidet. Subſidia magno ſtrepitu Uliſippone comparantur. Cantagnedæ Comes ſummus exercitus Luſitani Dux, Elvum liberaturus pergit. Prænunciat Aro per litteras, qua ipſe die, qua hora, quibus copiis, qua parte ſubſidio ſociis venturus ſit. Inito certamine, Sangermanenſis in capite ſauciatur, unde proſternitur Caſtellenſium acies. Elvus obſidioni eximitur. Arus ad Aulam revocatus, in eodem gratiæ loco, quo anteà retinetur. Studioſiùs cum Gallo pacem tractat, ut univerſas imperii vires in Luſitaniam convertat. Conſulitur quiſnam ex Europæ Principibus inter utrumque Regem, diſcordiarum arbiter, melior æſtimaretur. Summus Pontifex, Cæſar, Veneti ſuſpecti. Maturandæ pacis negotia Mazarino & Aro commendantur. Congreſſus inter eos apud Irunem utriuſque regni confinium, condicitur.

Anglus Legatus, Galli, Hiſpánique auxilia pro reducendo ſuo Rege, implorat. Summa utriuſque partis contentione, Luſitaniæ articulus agitatur. Capitum ſumma inter Hiſpanum, Gallúmque ad Pyrenæos compoſitæ pacis. Quæ Mariæ Thereſiæ cum Gallo, nuptiis firmatur.

BELLI LUSITANI

LIBER SEXTUS.

1651. SExto, & quinquageſimo labentis ſeculi anno Bregantius, qui Luſitaniæ quondam Rex acclamatus à partibus fuerat, quinquagenario major Uliſippone lethali morbo correptus eſt. Proinde adminiſtris, regníque Principibus convocatis, ubi eos fidei, juſtitiæ, integritatis, religionis ſervandæ monuit, veniam ſibi tandem concedi petiit, ſi re aliquid fortè, non animo quidem in temperando regimine deliquiſſet, teſtatus propterea cives, cunctantem, ac nimiùm de ſe diffidentem laboris ſe tantum, & oneris ſuſcepiſſe, & maximè, quia juris humani, divinique conſulti ſæpiùs inſtiterant reluctanti, ne eo turbulento reipublicæ tempore non eam neceſſariam, ſed fortè liberam duceret ſibi Luſitani invaſionem imperii, quod etiam ad ipſum clariora extra juris ſuffragia naturæ tunc lege ſpectabat, aut capeſſendum enim imperium eſſet, aut ſuus etiam ipſi cum reipublicæ ſpiritu dimittendus parceret patriæ, ni ſibi parcere vellet, aut ſaltem incertam, ac trepidam ſibi æmulorum invidia, dolóque vitam reipublicæ uſus abſumeret; inde morbo, & anhelitu fatigatus, & paulò poſt vi apopletica magis adſtrictus, ac tortus occubuit. Ad ſextum decimum annum Luſitaniæ à ſe partum regnum obtinuit, & clientium profectò in ſe magis benevolentia, illorúmque præduro in Caſtellenſes odio, quàm propriis ingenii, aut regni viribus fultus. In ſtatu privato religione, æquitate floruit, comitate, modeſtia; animum habuit ſua indole erectum, & amplum, ac niſi aliud res ſua poſtularet apertum, & ſimplicem, tum naturali quadam virtute manſuetudini gravitatem, parſimoniæ iracundiæ, libidinibus modum, clementiæ ſeveritatem admiſcuit, nec mores illi mutavit imperium, niſi quod ipſi aliquando tenaciuś in animo inhærens injectæ ſemel ſuſpicionis aculeus eumdem in quoſdam, qui æmuli eſſent, immitem, inſita verò ingenio ejus cunctatio, labendíque in operando formido minùs à ſuo, quàm alieno arbitrio, & conſilio pendentem effecerant, quanquam, & mens erat illi excitatior, ac vigens, & quæ ſuo acumine quondam ipſum Ducem, Comitémque Olivarium qui ſolertiſſimus habebatur, in ſuis artibus circumvenerat. Porrò ea ſive innata, ſive tempore, & uſu comparata calliditas, contracto quæ ab animo fluit, & ipſum pariter contrahit, cum nimia rerum providentia conjuncta adeò ejus abjecerat ſpiritum, & animi vires effregerat, & placidæ vitæ potiùs, quàm perturbato moderando regimini idoneas, ut ſi res hominum actione, & conſilio magis in ſpeciem, quàm caſu, & fortuna agerentur. Theodoſio hujus Bregantii patri multò plus congruiſſe videretur imperium, quàm ejus filio Joanni, cùm ab illo omni ſtudio, & induſtria regium diadema quærente hoc propè fugere viſum eſſet, hunc illud & perſequi tanquam invitum, & reluctantem. Erepto Joanne Bregantiæ Duce Luſitaniæ Rege acclamato, ac regio funere condito imperii juri, opibúſque paternis Alfonſus maximus natu filius, regníque tutelæ ex vi teſtamenti ſucceſſit Aloiſia Guſmana, Bregantii

gantii quæ fuerat uxor, magni quidem animi, ampliorîſque capax imperii fœmina. Hæc itaque novi cōmiſſi auctoritate regiminis, ſuopte elato, atq; impigro ingenio, & ne ab hoſtibus forſitan crederetur unà cum viro imperii mens, aut ratio regiminis immutata, ſeu fortè vis imminuta, vere primo ineunte jubet Comitem Laurentianum, qui regni confinio cum milite præerat, Barcarotæ arcem, quod eam præſenſiſſet infirmo teneri præſidio, petere. Putabátque majori fama, atque ſtrepitu, quàm ſumptu aut labore poſſe validam hoſtium arcem, & Olivencæ propinquam improviſo impetu excipi. Erat id temporis, atque loci armorum pro Caſtella Præfectus Franciſcus Tuttavilla Sangermanenſis Dux natione Italus ſtrenuus, prudens vetúſque miles, cui in eodem certaminis campo majora ſubinde virtus gloriæ decora peperit. Hic hoſtis conſilium per ſecretos exploratores edoctus quingentis, lectíſque militibus Barcarotæ ſtationem firmavit, intenſiùs præterea juſſit, eos vigilare, excubare, ſollicitos eſſe, ut, quibus moliebatur inſidiis hoſtis capere, caperetur. Ubi igitur ſuboſcura, atque incerta adhuc luce temerè ſiſus accedit Luſitanus ad arcem, erumpunt ſubitò Caſtellenſes, qui cùm integri adverſus itinere feſſos, paratíque contra imparatos, nec tale quidquam timentes ruerent, cæſi quamplures eorum captíque ſunt, in proximos ſaltus, & colles fuga reliqui diſſipati. Intempeſtiva, & quaſi acerba hæc multos poſt quietis utrinque annos, & otii Luſitana expeditio, non enim veriſimile erat ex recenti Bregantii funere, ex novo, fluctuantíque & orbo capite imperio ampliores aſſumere opes, aut efferre Luſitanos animos potuiſſe, imò veriùs oſtentare vanè fiduciam, ac tegere inopiam affectata jactantia velle, permovit Catholicum Regem ad actiùs, quàm anteà fecerat, Luſitaniæ bellum redintegrandum, nihil agere tamen inconſulto Status Senatu ſolitus, iſtum ex more de bello conſuluit. Quo tunc frequenti ut de re graviſſima acturo, Regis imperio coacto; Medinæ Dux Turrianæ in hunc ferè modum diſſeruit.

„ Luſitani regni receptionem ne dum amplam, decoram, nobíſque utilem eſſe cenſeo, verùm etiam ſi hæc dari poſſet electio, quamlibet ego extra Hiſpaniam Imperii partem avellerem, ut ejus loco infererem Luſitaniam. Latus urget hoſtis in pace ſemper inſidiis, in bello ſuis conatibus metuendus; fato prætereà quodam eſt finitimis conſtitutum, temporarias imperii inter ſe, ac ſervitutis perſæpè dividere vices. Senus eſt tamen in hoc virorum conſeſſu deliberandum bellum, an quies cum Luſitania nobis hac tempeſtate conveniat, ne fortè dum extra tempus, ac ſupra vires plura atque incerta molienda complectimur, certarum jactura rerum nos ſerò tandem pœniteat ſuſcepti temerè belli, & quibus modò quaſi inexperti terrori ſumus poſt vehementiùs, & fruſtra fortè conniſi eorum ludibrio, ac dedecori pateamus. Credidimus ſanè anteà belli finem Catalauni felix futurum initium, & omen quo Luſitaniam tandem ſubigeremus; cruenta tamen, ultimóque conatu cùm hæc victoria Hiſpaniæ quaſi præda, ac vaſtitate deſierit, adeò ut nihil nobis ſupra victos addiderit præter famam, vaníque fulgorem nominis, effætas, laſſáſque Hiſpanicas vires eadem, & opes miſſura victoria fuiſſet ad novum tam citò, magnúmque bellum redintegrãdum. Cauſa impotentiæ nobis egeſtas ærarii potiſſima eſt. Etenim Rex circũſcriptas, non infinitas divitiarum radices poſſidet, pravo etiam more Hiſpanus exercitus

„ inſtitutus cùm plus pecuniæ, tum cō-
„ meatus,quàm externa quæcumq; mi-
„ litia, ex quo jam ſumptus regios exu-
„ perant cenſus, proventuum idcircò
„ radicibus alienatis, ac propè vulſis à
„ Rege, is uſu pauper eſt, dum fœnore
„ creditor regia alia bona conſumit,alia
„ ſēſim decerpit,alia propè jā abſtractu-
„ rus irretorto aſpicit oculo. Hoc autē
„ fenebre malum, ſi latiùs quàm modò
„ paret,per novum decretū bellum au-
„ geſcat, quæ opes, quíve regii the-
„ ſauri valeant hoc monſtrum, hoc
„ funus, hunc profundum reipublicæ
„ hiatum explere? nam ubi tantam
„ ærario cladem, voracémque vim cre-
„ ditorum reipublicæ invexit ſera illa,
„ & funeſta Catalauniæ recuperatio,
„ nec minùs hoc tempore premat Im-
„ perium fera, & crudelis armorum in
„ Belgio, in Inſubria jactatio, unde
„ ex ære niſi alieno, niſi ex fœnore im-
„ modicè aucto, modo velint fœne-
„ ratores penè decocto credere Regi,
„ pro Luſitano terra maríque ferendo
„ bello emungi pecunia poterit? num
„ per violentas numorum expreſſiones?
„ num per cumulos tributorum, ac do-
„ meſtica exitia, ac per ea quaſi rurſus
„ plebe conſciſſa fas, ſive utilitas ulla
„ fuerit hæc nova parare arma? peſſi-
„ mum quidem initium,& omen infau-
„ ſtum populi ſqualor,& luctus, paupe-
„ rum lachrimæ & ſanguis, ſudórque
„ miſtus populo ereptus,& in arma non
„ neceſſaria collatus bello iſti gerendo
„ dederint, ſucceſſúque martis more
„ ſuo incerto,planè certius hoc tam ini-
„ què bellum ineuntibus non acciderit,
„ Caſtellam vexando perdere, quàm
„ recipere Luſitaniam. Porrò autem,
„ quod urget etiam in cauſa, non ſo-
„ lum hîc Luſitanis de bello inferendo
„ agitur, ſed Gallis etiam Angliſque.
„ Hos omnes nunc contra Hiſpaniam
„ contracti jus fœderis copulat, quanti
„ verò nobis periculi, quantæ molis fu-
„ turum cenſendum erit, hinc rurſus in-

flato claſſico belli trahere in Caſtellā "
tot alienigenas hoſtes, ac barbaros, "
quos uberrimè poſſunt hæ populoſæ "
nationes effūdere,& quos minori qui- "
dē negotio paſcere poterit Luſitanus "
jam tot annorū à bello vacatione ve- "
lut longis recreatus induciis,falſúſque "
qui paſſim ubique volitat rumor, nos "
divites eſſe, noſtris tanquam opibus "
ſaginandos per rapinas, & turbas in "
Hiſpaniam influere ſtimulat? Sci- "
mus etiam à Gallo Bregantium "
alias promiſſis, ac blandimentis ille- "
ctum, ut arma repeteret, aliàs for- "
midine impulſum, rerum ſuarum tu- "
telæ tantummodò intentum con- "
ſtanti adhuc animo recuſaſſe. Quid "
ita porrò, ſi idem Catholicus Rex "
illum etiam nolentem ad arma rur- "
ſus tractanda cum fœderatis indu- "
xerit, jam ideò Gallorum, Anglo- "
rúmque miniſter cupidinis factus, ad- "
jutórque conſiliorum, dum morem "
hoſtibus gerit, dum Bregantio ne- "
gotium per arma faceſſit, nonne pa- "
riter ipſe ſuum ob enerves, diſtractas, "
& fuſas undique vires in Itália,in Bel- "
gio, in Hiſpania corrumpet? vel ex "
hac parte tandem, ſi bellum conve- "
nerit, noſtra conſilia deſipient,quod, "
ſicut poſtulat res, ne dum ea non op- "
pugnent, ſed etiā juvent foveántque "
conſilia hoſtium. Cur Catalauniam "
recepimus? quia omiſimus Luſita- "
niam, quia ſimul collectæ, conſtipa- "
tæque Hiſpaniæ vires in rem fortiùs "
incubuerunt; ſi Mediolanum idcir- "
cò, ſi Belgium tenere cupimus, Luſi- "
tania ad tempus linquenda eſt, alio- "
quin terrarum ubique noſtra retuſa "
flacceſcent arma, totóque Imperio "
ſine tutela concuſſo, alia aliam rui- "
nam contrahet. Recto præthereà ſe- "
quendi more conſilii antequam "
fugiant properè bona, cum exami- "
ne, & mora, ne fallant dubia am- "
plectenda, mala, ne officiant ex- "
templò repudianda, cùm verò in ſe "
bellum

„ bellum teterrimum ſit, & gurges, fo-
„ meſque malorum omnium, ubi rerum
„ varietas, ubi inſidiæ, ubi fortunæ lu-
„ dus, ubi exitus anceps, aut luctuoſus,
„ quod unum etiam in Orbis exitium,
„ ſcelerúmque vindictam exceptum iræ
„ divinæ telum ne explorata quidem di-
„ luere ſatis neceſſitas ſubeuntibus ultrò
„ poſſet, niſi Deus mentis aciem in
„ mortalium ſupplicium præſtringeret,
„ ne ejus fœditatem agnoſcerent, eſt
„ utique rudis, juveniſque conſiliarii
„ idipſum libenter, aut citò, nec ſine
„ extrema neceſſitate complecti, præ-
„ ſertim, cùm is, qui de bello delibe-
„ rat, ut in hoc ſtatu nobis contingit,
„ majora, quàm hoſtis, per arma cum
„ illo conſerta in diſcrimen adduceret:
„ major enim majori ſuſtentandæ po-
„ tentiæ requiritur cautio, labórque ut
„ mole ſua laboranti, ut magis ab invi-
„ dis impetitæ, & quia ſi incautè expe-
„ riri fortunam libeat, neque lucrum
„ jactura rependi, neque ſpes periculo
„ poteſt. Verùm hæc potiùs ad belli
„ fortunam utriſque communem per-
„ tinent: quid ſi ab omni parte cauſa
„ perſpecta omninò conſilium, & ra-
„ tio huic capeſſendo bello repugnant?
„ Dixi jam de militari apparatu, atque
„ copia, tum amicis, tum pecunia Bre-
„ gantium, ut otio diuturno refectum,
„ & fœderatorum opibus nixum præ
„ nobis affluere; miles cum milite mo-
„ dò comparandus ad bellum erit, ſi
„ aliquid fortè ſpei bonæ nobis in re ſa-
„ tis aſpera adjecerit bellatorum expor-
„ ta virtus, robúrque. Quæ porrò nunc
„ Luſitanos circa fines verſantur raræ
„ ipſæ militum, imminutæque cohortes
„ libidine, ac rapto hucuſque vivere
„ conſuetæ, oneri nobis potiùs, quàm
„ uſui ad firmandum exercitum erunt.
„ Veteres Italiæ, Hiſpaniæque militum
„ legiones, ſi ex Belgio, atque Inſubria
„ deducere ſtatuerimus, pro dura, ni-
„ míſque ut videtur ambigua, Luſita-
„ niæ receptione ad certam, & ob-

viam illorum regnorum direptio- "
nem, & prædam iucitaturi nos hoſtes "
erimus. Deeſt veteranus omninò "
miles; torpet ille, qui adhuc ſuper- "
eſt in finibus Luſitaniæ, aliunde aſ- "
portari, niſi nudare placeat melio- "
rem partem Imperii, nec modus, nec "
ratio ſuppetit; ex tyronum ergo col- "
luvie, ex purgamentis Provinciarum "
hic novus conflandus exercitus fue- "
rit, qui arrogantiæ, atque perfidiæ "
plenos, ac turgidos animos Luſita- "
nos, gentique congenitam pertina- "
ciam obtundat, ſimul vetus, ac ſex- "
decim circiter annos cum bello, tum "
arte pet otium exercitus, duraruſque "
laboribus miles cum Caſtellenſi no- "
vitio, imbellíque congredietur. Hinc "
nobis eſt ſpes, hinc ſatis oppoſitus "
hoſtibus terror, hinc tot per annos "
fruſtra petitam in Luſitaniam, quas "
fundimus minas, circunferuntur. At "
qui veterani re vera milites audacia, "
animi robore, ac virium ſic mihi vi- "
dentur in armis ſupra tyrones aſſur- "
gere, ut ipſi pugna commiſſi viro- "
rum ſimiles ſint cum fœminis con- "
currentium. Hac, & non alia qui- "
dem de cauſa ſcilicet non hominum "
copia, non ampliori virtute Ducis, "
atque peritia belli Pompeianum Cæ- "
ſareus exercitus vicit, cùm diſcipli- "
na, uſúque militiæ, rerum geſtarum "
gloria, triumphis, & militum nume- "
ro tunc longè Pompeius excelleret, "
at novus objectus militi veterano "
unà cum magno Duce, Orbis Im- "
perio, & Romana libertate ſuccu- "
buit. In Luſitania verò nunc per "
ætatem vix reperitur bello gerendo "
idoneus, qui ſollicitudine, ac ſtudio "
quoque militiæ belli imperitus omni- "
nò ſit, ſicut enim ſuperfluarum re- "
rum luxuria modò, inaníſque fiducia "
virium jacere nos pigros, ac deſides "
facit, ita egeſtas, ac nota debilitas "
illos parvas intendere vires, inge- "
nium acuere docet, quæ ſæpè res, "

„ ſcilicet aut negligente ſe copia, aut „ per induſtriam ſe inopia intendente, majorem minori ſubdidit, & humile ſuſtulit, & altius quodcumque „ proſtravit Imperium. At ſaltem, inquies, in Luſitanos exercitus apparetur, quem alere poſſet ærarium, „ nec regias alias, quæ extra Hiſpaniam confligunt, detereret copias. „ Ita ſanè hoc inutili, inerti, ac languido bello multò magis exercitos „ nos Luſitanos efficiamus, callentéſque militiam, noſtráque inſcitia, „ torpore noſtro illis gladios peracuamus, quos in noſtris viſceribus figerent. Nullus quidem vel magnus „ eſt contra Luſitanos exercitus admovendus, ſimul error præteritus „ corrigendus, lento dum bello Luſitanos ſubigere ſiſi illos ereximus, auximus, uſum in nos, ac diſciplinam „ militiæ dedimus. Cæterùm ſive remiſsè, ſive fortiter hoc ineundum „ nobis proponitur bellum, cujus tandem expectationis futurum exiſtimatis, ſi neque idonei militis, neque pecuniæ, neque cæteri belli apparatus „ ſatis habemus, ſi ratio quoque, ſi tempus, ſi experta hucuſque fortuna belli „ noſtris conatibus obſtaut? Et dum „ quaſi aliena inconſultò pergimus oppugnatum, ruinis, rapinis, hoſtium „ incendiis reliqua expoſita deſeramus neceſſe eſt? Hûc quoque maximè accedit tam proximè hanc aulam, Imperiíque ſedem hoc ſtrepere „ bellum, ut ſi aliquid triſtius, quemadmodum plus unde metuere, quàm „ ſperare ſuccurrit nobis, acciderit, „ eas fortè res novas allaturum reipublicæ ſit, quas occaſioni jam imminentes conquirunt ambitioſi, ſollicitant inopes, turbulento, ac leviſſimo ingenio vulgus ſemper obſecundatur, eóſque diſſidiis, ac turbis „ ſuo inſito vitio omnes ſimul conſentientes, conſpirantéſque facilè „ colligaverit tam propè, tam infeſtè ſævire fortuna viſa præſertim ſi non " penitùs ſene, at fracta quidem valetudine Rege. Nobis propterea ſolitum acceptas procul in bello clades " celare ſilentio, vel artificio, fucóque " minuere. At verò in Caſtella hujus " ferè ſub oculis aulæ, inter noſtra propè veſtigia, ſi infeliciter, hoc Deus " avertat, pugnatum fuerit, noſtra & ſi " melior in jure cauſa cum tyronum lacertis, inexpertíſque viribus defendatur, & eorum pleróſque ad bellum " Mantua Carpetana dimiſerit, quis tot " orbos ſenes, tot fœminas viduas, tot liberos orphanos, tot domos funeſtas à " luctu coërcere poterit, aut ſermonibus " fallere? aut quiſnam vectigalibus jam " expilato, ac ſatis afflicto ſatisfacere populo, cùm publicæ cladi domeſtico " etiã vulnere adjuncto peculio ſimul, " & cordibus crucietur? Equidem non " ex vanis ingeniis, ac longè diſtantibus cauſis hæc colligo. Nihil miſerius " eſt omnibus bello, nihil eodem egentibus ſtultius; nos egemus, languemus, adverſa fortuna pugnamus; ſi " reſides ſumus, interitus; ſi aliud bellum decernimus, clades; ſi pacem, decus inſtat. Porrò una tantummodò " mihi in re tam ancipiti ſpes ſupereſſe " videtur jus vindicandi, decúſq; tuendi, quam, & frangere quoque poſſunt " temerè modò reſumpta in Luſitanos " arma, ſcilicet pax, ſi ea per filiæ regiæ " cõnubium, quod nunc agitatur, cum " Gallo Rege convenerit: quippe cùm " Gallus fortaſsè viderit à perduellibus " etiam opes, viréſque noſtras intra ipſam Caſtellam labefactatas, in deteriori noſtra cõditione aut paci diſſentiet, aut tam iniquam ille ſubjiciet, " quàm nos recipere non expediat. Igitur quoniam Hiſpani tanti Regis, regníque intereſt, vel ſerò tãdem receptam, vel ſaltem exciſam, & cinere " comminutam habere Luſitaniam in " poteſtate, poſt ſtabilitas cum Gallo " nuptias, & certam utrinque, ratámque " pacem,

„ pacem, univerſis Hiſpaniæ collectis „ viribus in Luſitaniam recuperandam „ incumbi cenſeo.

Hæc Medinæ Ducem locutum contrà in hunc ferè modum Marchio Belvaſius Spinula excepit.

„ Cùm rectè, & appoſitè Medinæ „ Dux diſſeruerit quantopere profit „ Imperio Luſitaniæ redintegratio, ab „ eo duntaxat mihi nunc circa tempus „ diſſentienti, hoc in præſens probandum „ ſupereſt, ſcilicet nullum interfluo „ commodius, & aptius excurrere „ tempus aliquo modo poſſe ad regnum „ amiſſum recipiendum. Sunt „ quippe res novæ in Imperiis magnis „ conatibus opportunæ, nec regno ulli „ graviot intercurrere novitas poteſt, „ quàm capitis commutatio, præſertim „ ſi ſcelere partum imperium ſuis etiam „ opibus conſtitutíque forma regiminis „ fluctuet; qualis eſſe nunc mihi „ Luſitania videtur extincto Bregantiæ „ Duce; ſive enim Principis fatum ex „ cauſarum cõnexione imperii ſui quoque „ populares attingit, ſive proclivior „ ejúſque ingenio inflammatior „ ad altercandum, diſſidendúmque natura, „ quas quærit perpetuò anſas venientes „ avidè ſuſcipit, quàm ſæpè „ compertum eſt regna cum Regibus „ immutari, niſi huic à Tyranno per „ vim, & injuriam extorto regno, ſimul „ iniquo, exiguo, intercluſo ampliora „ divina, ſeu humana expectare præſidia „ liceat. An ita fortaſsè compoſitas, „ vigentéſque, cùm interiret Bregantius, „ res Luſitaniæ reliquit, ut nihil „ inde fomenti, ſcintillæ nihil appareat, „ quod tempus, fortuna, aut rerum „ viciſſitudo per Imperii tranſlati „ cauſam latiùs turbare, atque incendere „ queat? In Aloiſia Guſmana fœmina „ vidua ob filii Alfonſi pueritiam „ novi jam regni regiminis nititur „ onus, ea ipſa ortu, & genere Caſtellenſi, „ cúmque alia diſtracta ſeditionibus „ regna, alia prorſus averſa ob externæ dominationis invidiam, alia, eáque multa muliebre ob imperium " exagitata, atque afflicta memoriæ proditum " ſit, in Luſitania ubi id temporis " ſimul conſpirant, urgéntque res " novæ, imbecillitas ſexus, inviſæ nationis " dominium, num ideò tranquillæ? " num tutæ, atque omninò pacatæ " res erunt? At enim mulier alta quadam " mente prædita eſt, celſioríque faſtigio " digna: nunquid ingenio, atque " animo fortè ſuperior Reginæ Galliæ " Catharinæ Mediceæ fuerit? Hæc tamen " quod alienigena, & mulier, & " miniſtra regiminis eſſet; Gallia tam " fœdè proſtrata, & civili, cruento, ac " diuturno implicita bello jacuit; an " Margaritæ Mantuanæ Duci, quæ ampliſſimæ " Gubernatricis auctoritati " Sabaudiæ, Auſtriacæque in ſe gentis " præclara decora conjunxerat? nihilominus " ipſa contumelioſè ibidem habita, " ſpreta nec claritudine, nec prudentia, " quæ in illa maxima fuit, nec " avertere ſtudio, vel fide potuit ejuſdem " Luſitani regni ruinam, & cladem. " In hac ergo æſtuoſa rerum mutatione, " in hoc turbido curſu rerum " adeſt-ne, qui factu difficilè putet " quod foris per arma Luſitanis oſtenſa, " ſerpentes nunc intus diſcordiæ " quas vel inverſio, vel rerum omnium " excidium ubique ſequatur neceſſe " eſt, nedum in hoc regno, quod jure, " nervis, & capite labat, celeriùs irrumpant? " Bregantius prætereà duos " virilis ſexus filios reliquit Alfonſum, " & Petrum; primus Alfonſus ad imperii " ſpem, & apicem natus cum indole " ferox, cultu horridus, moribus " aſper, tum mente, & corpore affectus " quàm multa demonſtrat crudelitatis " indicia, eóque inviſus eſt Luſitanis. " Mirior ingenio Petrus, ac docilis quo " diſſimilior eſt fratris, eò plus acceptus, " & carus ſuis civibus eſt plúſque mereri " videtur imperium. Ex eo ibi virorum " altercationes inſurgunt, & "

„ coëuntium ſemina partium, in regni
„ nempè ſucceſſione naturæ an virtuti
„ ratio potior habenda eſſet, cùm vir-
„ tus in mente, mentíſque regere ſit,
„ eáque ut imperio, ac lege ſolutas ab
„ hominibus belluas ſecernat. His ad-
„ de antiquas fratrum diſſenſiones, &
„ acriora pro regno certamina, ſimul
„ in novo, imbecilli, ac lubrico impe-
„ rio multo magis periculoſa, quæ fun-
„ di, ampliari, ac decoqui citò pote-
„ runt, quo tempore Alfonſus acriùs
„ armis extrà concuſſus, ac preſſus in
„ amittendi regni diſcrimine verſare-
„ tur, ſicut in rebus plerumque fractis,
„ aut dubiis veteres valent, novi ſe ſuſ-
„ citant inimici, ruentem omnes im-
„ pellunt, atque alia ex alia ac ſæpè im-
„ proviſa calamitas oritur. Quando er-
„ go ſic ibi capita committuntur, ſanio-
„ ra ne reliqua membra erunt? Circun-
„ ſpice totas Luſitanæ reipublicæ partes,
„ alios ibi reperies, qui affectum, & fi-
„ dē occultè in Catholicum Regem co-
„ lunt, alios etiam ante regni defectio-
„ nem à Bregantii fortuna nutúque
„ pendentes, quod eos fefelliſſent ex-
„ pectata ſceleris præmia præſenti re-
„ rum ſtatui non acquieſcere, quoſdam
„ invenies, qui defuncti Ducis gratia
„ floruerint, eóque favente ad prima
„ evecti reipublicæ munera fuerint,
„ jam vehementer animo angi ut di-
„ miſſos, atque neglectos à fœmina am-
„ bitioſa ſuo, aut paucorum intimo-
„ rum arbitrio jura, legéſque trahente;
„ quàm plures in concertantium fra-
„ trum obſequium diviſos utrinque
„ proceres, eos inſtigando, acuendó-
„ que ne alter alteri fidat, in magnum
„ poſteà erupturos incendium turba-
„ mentorum igniculos ſpargere. Diſſi-
„ det etiam ibi nobilitas, oppreſſus quæ-
„ ritur populus, eget ærarium, torpet
„ ſuis magis anxius, quàm alienis in-
„ tentus periculis miles, ſqualent per-
„ petuis delectibus oppida, mulier im-
„ perat, Princeps ludit, pugnant mini-
ſtri, omnia ibi permiſta, omnia fœ- "
da, & ubique proſtrata jacent. Cùm "
ergo dominii mutatio, & Tyrannis, "
& factio, & magiſtratuum, proce- "
rúmque diſſenſio, & partibus aula, "
civitáſque diſciſſa, & omnia regimi- "
nis vitia, labéſque nunc Luſitaniam "
divexent, ac lacerent, nos modò no- "
ſtra movere cunctabimur arma, quæ "
corrobotent, incitent ſpes, animóſ- "
que ſeditionibus præparatos, ut per "
ſua tandem vulnera, laboréſque Ty- "
rannum, quem Luſitani poſuerant, "
exterminent? Volve itaque tempora, "
coge fata, ſubſterne fortunam ſi po- "
tes, & videas, ſi meliorem occaſio- "
nem, tempúſque opportunius finge- "
re tibi, aut invenire quandóque va- "
leas huic novo bello ſuſcipiendo. "
Quid igitur contra? Prima quidem "
ſententia dum hoſtium res elevans, "
noſtras imminuens, arma, viros, pe- "
cuniam, Principes fœderaros, belli- "
cam diſciplinam pro Luſitano com- "
memoravit, terribili quodam, horri- "
dóque apparatu ne dum menti, ſed "
omnium propemodum oculis viſa eſt "
pavoris tenebras offudiſſe; juvat ta- "
men ſingula circuire, ne per calli- "
dam eloquentiam recto ſemper con- "
ſilio, totíque reipublicæ interdum ſuis "
anfractibus noxiam perperam con- "
ſulamus. Anglicana ſanè reſpublica "
in eos quos priſtini Regis amor, quos "
odium, quos novæ libertatis dulce- "
do tenet, quos etiam ejus ſatietas, ac "
tædium confuſa, penitúſque diſtracta "
vix ſibi modò ſatis auxilio, ne dum "
alienis præſtādo eſt. Non ibo quidem "
inficias, quod multis nunc lenociniis, "
& artibus à Bregantio extorquere ni- "
titur Gallus, is in Caſtellam ut reparet "
bellum, ſurdæ tamen ejuſdem ad om- "
nia Galli hortamenta, & illecebras "
aures Gallo, ſibi, regnóque plane "
diffidere ſatis oſtendunt, quorum "
utrumque armorum à nobis propoſi- "
tæ cauſæ favet. At etiam in primis "
Hiſpaniæ

„ Hiſpaniæ utilis quæ per connubium
„ id tempus tractatur cum Gallo pax, à
„ tot videlicet ſumptibus, à tot cladibus
„ reſpiratio, quā diſſolvere potuiſſet re-
„ cens aliquod belli vulnus à Luſitanis
„ nobis inflictū. Veneti viri æquè pru-
„ dentes, ac diſciplinæ felicitate præſtā-
„ tes cùm attriti, feſſique bello ad con-
„ cordiæ, paciſque ſubſidia confugiunt,
„ tum acriori conatu proprio, ac ſo-
„ ciorum comparatis auxiliis omnia
„ ubique miſcentes revolventéſque ve-
„ hementiùs premere ſolent hoſtes, quo
„ æquior ex bello ſuccedat pax. Ita ni-
„ mirum, ubi cum Gallo de pace agi-
„ tur, fortiori nos impetu, & per ſoler-
„ tiam oportet arma, & aciem hoſtibus
„ oſtentare, cautiùs autem prælii fortu-
„ nam ſubire, quò virium noſtrarum
„ opinio creſcat, aperta pericula abſint,
„ magiſque in ſpeciē honeſta, quàm ne-
„ ceſſaria quæratur pax. Sed ubi miles?
„ ubi pecunia, dixeris? Nonnullæ vete-
„ res ſunt ex Catalaunia traducēdæ co-
„ hortes: ſervat adhuc integras alias ve-
„ tus Luſitaniæ militia, quibus per no-
„ vos delectus militibus aliis præſertim
„ emeritis, qui per Hiſpaniam collige-
„ rentur, adjunctis, coaleſcere poteſt
„ exercitus, qui copia, & robore firmior
„ hoſtili oppoſitus valeat. De pecunia
„ verò in hoc minùs profectò, quàm
„ in alio quocumque bello laboran-
„ dum ærario eſt; non enim ſicut lon-
„ ginquis aliis in bellis, ubi argentum,
„ & aurum cum fœnore affluere neceſ-
„ ſarios ad ſumptus neceſſe eſt; at ære
„ Caſtellæ viliſſimo Regiſque ad nutū
„ mutabili etiam verſuræ parcendo hîc
„ commeatus parare liceat. Non tam
„ igitur alta, nec aſpera nobis, de
„ qua diſputatur, futura ſubjicitur belli
„ conditio, quæ ſtudio, labore, conſi-
„ lio, ſpeique nunc arridentis illecebris
„ rectè conſtitui minimè poſſit. Quin
„ imò ſi in novo, ac volubili Luſitano-
„ rum imperio occultis inſidiis, dome-
„ ſticiſque diſcordiis, quarum ſatis jam
intus ebulliunt initia, quaſi armorum “
partito officio, exercitus noſter ac- “
ceſſerit, alieno ſanguine, aut parvulo “
impendio facilè nos extorturi inſig- “
nem victoriæ lauream videmur. Po- “
ſtremò ſi valet in bello certaminis “
cauſa, nulla ea unquam apparet ju- “
ſtior, qua oppugnatur Tyrannus, ſi “
celeritas, hîc maximè juvat Luſitanæ “
perfidiæ nervos, plus & ante quàm “
tempore confirmentur, incidere; ſi “
tempus, ſi occaſio, hujuſmodi eſt in “
præſenti, qua excogitari, vel appeti “
major nequaquam poteſt, totius ſcili- “
cet regni Luſitani confuſio, ac regi- “
minis perturbatio. Super hæc quàm “
citiſſimè Italiæ, atque Belgii ſubtra- “
here oculis hoc exemplum libertatis “
oportet, quod Luſitania rebellis cum “
Rege indigena jactat, imò reliqua “
regna diſcant in nullo rerum ordine “
Regem injuriæ opportunum, aut “
contumeliæ projectum eſſe, nec ul- “
lum unquam impunè à Rege Catholi- “
co defeciſſe. “

Poſtquam Belvaſius finem dicendi fecit, eorum collatis, diſcuſſiſque in Status Senatu ſententiis; ſuſpecta nonnullis Ducis Medinæ ſententia erat, quod præclaræ familiæ nomine, ac ſanguine ſimul cum Aloiſia Guſmana conjuncto minùs eidem videretur ineſſe cauſæ, cur illius ipſi felicitas diſpliceret, quippe qui privatæ familiæ incremento levaret jacturam publicam. Nec etiam carebat ſuſpicione Belvaſius, cùm enim ex intimis Ari clientibus eſſet, aderat dubitatio, utrum ab illo ſubmiſſus, an ut illi quaſi ſponte cenſendo, ita gereret morem Belvaſius ab ingenua ſententia deflexerit. Ardebat enim, & palam animo Arus profligatæ jam Catalauniæ triumpho properè victam ſuper addere Luſitaniam, ut omnium ruinarum, & cladium, quas adverſa Hiſpano Imperio fortuna, aut Olivarii inſolentia pepererat, felix, & integer ipſe reſtaurator commendaretur. His etiam

acceſſerat, quod quia apertè huic bello gerendo totis lateribus fuerat Medinæ Dux refragatus, quem ut vererem Olivarii clientem, ſibíque æmulatione gratiæ Regis obtrectatorem & invidum metuebat, & oderat Arus, ad renovandum idcircò bellum acriora in ipſum congeſta incitamenta ſunt. Cùm autem omnium raptare ſententias, Senatúſque prolata conſulta ſua auctoritate, nutúque, ſibíque addicto Regis arbitrio, quando ita vellet ille reſcindere poſſet, tamen quia animo temperatus, ac lenis cautione, ac patientia meliùs inter aulicos opes, quàm libera vi, ſeu gratiæ nimis explicitæ pompa ſtabiliri rectè putabat, variatis conſultorum ſententiis, & adhuc belli decreto incerto, callidè ſtatuit ut de bello conſultum ad aulam Franciſcus Tuttavilla veniret, qui uſu armorum provinciæ, hoſtiſque peritus probabiliùs coram Rege de bello ſententiam diceret. Hic igitur juſſu Regis Mantuam Carpetanam evectus, ſeu belli hujus gerendi cupidine gloriæ, ſive Aro, à quo omnia triſtia vel læta pendebant, obtemperandi cauſa, vel quia, ita fortè conducere ſentiebat, poſtquam bellum faciendum conſuluit, hoc ſtatim à Rege per Arum decretum eſt. Itaque bello renunciato militares paſſim haberi delectus cœpti, arma, commeatus, pecunia, & quod uſui difficili bello foret, ſumma celeritate convectum, ita ut brevi temporis intervallo ſupra tredecim millia peditum, quatuor equitum millia, tormenta belli viginti exercitus contineret. Hiſce copiis ſub veris initium cùm jam reverſus eſſet ab aula Sangermanenſis inſtructus, hæſit pauliſper animo incertus, ac dubius prius Olivençam, an Elvum, quod liberum ipſi de re utraque judicium Rex Catholicus permiſiſſet, adoriretur. Ad Elvum quidem in primus velut famæ majoris ac molis inceptum impulſibus gloriæ ſuóque vivido ingenio Dux ferebatur. Olivençam autem ipſi ante omnia oppugnandam ſuadebant propinquioris opportunitas ſitus, vehementes, crebræque hoſtium excurſiones omnia ex propinquo explorantium, omnia circa vaſtantium, ac rapientium, tutúmque ac vicinum Latronibus receptaculum rapinis non minùs, quàm cædibus ſævientibus tollere; ſimul Anæ fluminis dominatio, cujus, ſi fortuna aſpiraſſet, ea parte tranſitus poterat cum Olivencæ poſſeſſione præcludi; idem amnis præstereà cùm primo vere, ſoluta glacie, turgidus flueret, trajectúque difficilis eſſet, ſi tunc Elvus appeteretur, eodem per amnem tranſmittenda ſubſidia vel diſtuliſſet, vel periculis objectaſſet. Ingredienti ſibi denique Luſitaniam cùm primùm, & validum ſeſe opponeret oppidum Olivença, hujus excidio neceſſe erat ſibi ſternere viam ad rerum ſummam conficiendam. Proinde cohortatus milites Dux alacres omnes contra Olivençam ducit. In plano ſitum hoc oppidum & fermè unam diſtans ab Ana leucam ſparſis, diſſitíſque atque ita erectis hinc, inde cingitur collibus ut aptè in illud collineare belli tormenta queat. Specie quoque magnifica, artíſque recentioris ejus munimenta conſtructa propugnacula novem habebant, arces binas, binóſque ſemilunares orbes, unáque Elvo tantummodo excepta, eo nullum valentius, & firmius nunc Luſitania celebrat oppidum. Húc cum exercitu Sangermanenſis appulſus, cùm adeò munitum adverſus oppidum longa, aut inanis adhibita vis, impetúſque, quique inter vulnera, & cædes omninò exhaurire valeret acies, Ducibus videretur, lentiori obſidioni ſollicitus, intentúſque ſepem ex aggere militari circunduci lariſſimè jubet, eámque continuò, & obliquo valli circuitu interjectos etiam tranſcēdere tumulos, ne ab hoſtibus fortè occupati

fraudi

fraudi & moleſtiæ obſidentibus eſſent, quam ſumma poſtea celeritate, atque artificio abſolutam una, & viginti munitiones, & quatuor ſtativa interpoſita militum roborabant. Ita porrò ab externis auxiliis, & commeatibus latioris per aggeris ambitum hoſtibus interclufis, experiri prætetea Italo Duci placuit, ſi fortè oppidani plùs pavore quàm impetu fracti unà cum animo vires remitterent, & quæ aſſidua quoque & in longum licet leniùs protracta vis ſolidiſſima quæque proſterneret. Igitur quatuot ſuggeſtis tormentariis extructis totidem illis Tribuni militum imponuntur. Crebris, & validis, opera illorum, verberationibus muris incuſſis, cædi propugnatores, ruere paulatim extrema murorum, latera findi cæperunt; at rimas illas, labéſque murorum, cùm exteriores initio partes ob muniminis firmitatem attingerent ictus, facile poſt explebant inſtaurabántque nocturno tempore hoſtes. Graviorem deinde municipibus ſtragem cladémque afferebat, erecta quædam intra Divi Franciſci cœnobium, quod opportuno extra oppidum ſtabat loco tormenti bellici ſedes, nam aptitudine ſitus nedum interiores oppidi muros latè comminuebat, ſed intra oppidum quoque majores immiſſæ pilæ promiſcuos mulieribus viros; puéróſque ſemitas fortè perambulantes cumulatim ferè ſternebant: perſtititque fæda atque acerba illa hominum internecio ad incolarum donec tegenda corpora tormentario illi ſuggeſtui oppoſitus novus, firmúſque ſublatus eſt à militibus agger. Inter hæc haud minori quidem ardore per obſidionales ductos acceſſus in propugnaculi latera certabatur; frequentes fiebant in muros, atque extra muros excurſiones, illos loci ſublimitas adjuvabat, hos audacia, atque impetus ille flagrantis animi, qui ad pericula cæcus eſt; inde repulſi Caſtellæ milites ſunt, diſturbati artifices operum, ſæpiùs excepti, qui temerè pedem intulerant, dum alii ambire, alii propiùs hærere, alii ſurſum eniti ad munimenta quærebant, in diverſas interitus ſpecies compoſito igni, præ fervido humore, liquida pice, ſaxis præterea, omníque miſſilium genere in ſubeuntium, inſtantium, atque ambientium ora, atque terga conjectis. Sangermaneſi s ubi expugnari Olivençam difficilè videt, nam ardore impetúque ſi vellet uti, perire velociter copias, ſi obſidionem nimis extraheret cunctatione, ac patientia paulatim attritas ſeneſcere, ac fluere, permiſtam artibus vim, temperatóſque conatibus dolos, quando cætera ſeriùs, àut cum nimio periculo forent, in illam incumbere ſtatuit. Plurium idcircò dierum permiſſo militibus otio tanquam animo conſediſſet, non armis, ſed fame tem totam conficere, nocte improviſa tandem cum omnibus copiis majoris propugnaculi muros aggreſſus eſt. Jamque paucis, qui primi occurrerant, pulſis, ſegniúſque ut ſine cura inſidentibus aliis, Caſtellenſes foſſam tranſierant, ſcaláſque muris admoverant. Mox omnibus excitatis, prælium ibi conſeritur atrox, cùm utrique calentes, recentéſque concurrerent viribus, & hinc loco, hinc multitudine, & quaſi furto milites freti. Diù pertinaciùs pugnatum eſt, ſed cùm repentinus impetus Luſitanis ex præparato moliri nihil dediſſet, ſimul noctis caligo formidine quoque cæcos præſidiarios milites implicaret, tum Caſtellenſium ubique certantium, urgentiúmque vociferatio, vis, numerúſque obrueret quodammodo Luſitanos, qui ne diſpicere quidem poterant ubi opus ſubſidio eſſet, & quæ pars munimenti maximè laboraret, ſic perturbatos, inſtabiles, anxios loco denique motos, ac pene delectos omnino vigor, atque animus dejeciſſet, interceptúmque illa nocte primum, & majus propugnaculum

eſſet,

eſſet, niſi præſtò ſubſidiis fuiſſet Emanuel Saldanius ejuſdem oppidi Gubernator, atque militiæ Dux. Is enim oppidanos, ac cæteros milites raptim collectos ad loca opportuna diſtribuit, hunc hortatur, hunc excitat, illum exemplo acuit, hunc revocat fugientem, ſimul clamore, verberibus, minis, incitamentis omnibus trepidos, languentéſque confirmans conflictus tandem fortunam vertit. At milites Caſtellenſes, qui ereptum jam munimentum, ac diſſipatos propemodum hoſtes exiſtimabant, mox ſeſe acriùs à paulò ante cedentibus dum fugari, pellíque vident cæci, ac furentibus ſimiles in hoſtium cuſpides invehuntur; porrò in hunc modum incautè dum multi muris ſuccedunt, cæſi aut præcipites veſtigio fallente, cadunt, haſtis prælongis quidam affixi, alii umbonibus pulſi volvuntur in præceps, nec plerique tamen inulti, cum pereuntibus integros alios ſuper alios è pinnis murorum extremo conatu trahentibus truculentiſſimo ludo vincentes, victóſque fortuna miſceret. Confuſio, fremitus, clamor paſſim inſtantium, atque ruentium tumultibus omnia miſcuerat, vix miſſile uno eos inter hominum æſtus, & collidentes ſe pulſibus turbas abſque vulnere intercidente. Et quidem utrique jam cumulis corporum, armorúmque pene compleverant foſſam, cùm demum Sangermanenſis, adhuc ſolido munimento, affluente propugnatore, locíque inſolentia eum adjuvante, lanienam eſſe illam, non pugnam ſuorum militum arbitratus, cani receptui juſſit. Ad caſtra ſubinde revertitur, luſtrat ex clade recepta copias, cúmque multo minus quàm pertimuerat, videret ſociorum deſiderari, major eſt illi ſpes ex majori ſollicitudine orta, quod ſuorum videlicet temeritas militum, iniquitas loci, inanis, ac ſtolida virium jactatio parùm pro prælio hoſtibus contuliſſet. Viginti poſt lapſis ab oppido obſeſſo diebus ſuppetias laturus exercitus Luſitanus apparuit. Erant in eo duodecim ferè peditum millia, tria millia & quingenti circiter equites ab impigro Duce Laurentiano Comite ducta; qui longiori, ne impediretur ab hoſte, circuitu, Anam flumen tranſgreſſus juxta ejus marginem caſtra poſuit, eo tempore ſane paratus totis confligere viribus, fractámque per aggetis ſepem, apertámque mucronibus viam ad oppidum penetrare. Quatriduò poſt Dux idem è caſtris ad hoſtem leniter movens editum quemdam occupat locum, unde ſeptem locatis belli tormentis qua Oſſunenſis ſtativa paterent, aſſiduè aggerem verberabat; ſed cùm torpentes, ac propè frigidæ pilæ reſuper flaccida caderent, tutúſque inhæreret quaſi tectus teſtudine miles, tormentorum refracta vis, irritúſque oppugnantibus labor acciderat. Sangermanenſis præthereà, ne quid prætermiſſum accuratiori tutelæ ſineret, novo tormentorum ſuggeſtu, quo inde aptiùs objectum ab hoſte pulſabat, erecto, inſtabiles, vagos, nudatóſque tegimine hoſtes, magna cum ſtrage, ab eo, quem nuper inſederant, loco ſummovit; alium exteriorem denique aggerem properè jaci ſub hoſtium oculis juſſit, quo Luſitanum ea parte fortaſſe impetentem duplicis ſepti obſtaculum moraretur. Quæ poſtquam vidit Laurentianus, aucta ſcilicet munimenta, aggeríſque majoris ambitum inconcuſſum, ac planè firmum, nec ulla ex parte facilè rumpi, oppugnaríve poſſe; Super hæc arma, milites, commeatus induſtriam abundè ſufficere hoſti, diffiſus propterea ſibi, atque animo pavidus, neve ambiguo uni prælio totam regni fortunam committeret, retrò ad caſtra, quæ propius Iuremeniam habebat, regreſſus eſt. Triduo ibi concluſus, ac deſes cùm inſtitiſſet, poſt caſtra mutat Laurentianus, atque ea propiora Olivencæ

vencæ, nec procul ab Ana conſtituit inde cauſam exploraturus, qua obſeſſis præſtare opem cum minori forte periculo poſſet, vel ſi ea non adeſſet, qui intra Olivençam erant metu, & labore obſidionis attriti externis ſaltem inſpectis copiis, proximóque ſubſidio credito, dum vires pugnæ ſuppeterent, ſpes, & animos ſuſtentarent, alios idcircò, alióſque ſubinde ad Saldanium Dux Luſitanus mittebat nuncios per fallacia promiſſa inanem illi proximæ opis fiduciam inflantes, quorum aliqui elapſi, alii in ungues collapſi hoſtium cum ea, quæ afferrent dicere cogerentur, inter verbera, & cruciatus ſilentii fidem conſtantiſſimè tenuerunt. Denique Luſitano cùm omnino ſibi interſeptam, ac ſummè arduam inferendis Olivencæ ſubſidiis medios per hoſtes aſpiceret viam, ad ultimum niſi diſcrimen cùm totius periculo regni projectum exercitum vellet, multa, & varia in animo ſecum volventi, repentíque pro extremo remedio ſuccurrit, ſi alio fortaſſe, eo armorum retorto curſu, qui Olivençam premebat, inde liceret avertere hoſtem. Igitur Badacocium contendere ſtatuit, ita ratus, quamvis frequentem repentino fortaſſe impetu capere poſſe urbem, vel ſi hoc fefelliſſet, hujus, quæ pluris intererat, urbis obſeſſæ periculum ab Olivençæ obſidione Caſtellæ milites abſtracturum, vel ultro, citróque diſpertiendo copias utrinque eoſdem imminuturum. Eo propoſito ſibi conſilio Comes Laurentianus, caſtra celeriter movet, & primùm tria fere millia ſelecta peditum, equites circiter mille Badacocium ad urbem præmittit, qui dubia adhuc luce pervenientes, quà in Marinenſem ducitur portam, furto urbem aggrediuntur. Et priùs hæc hoſtilis objecta fraus; primi enim, qui noctu acceſſerant inſidioſa ferentes Caſtellæ ſigna, hoſtiúmque ſermonem, & habitum mentientes, à communi tanquam ſummiſſi Duce amicè introduci poſcebant, mox, ubi falſitas patuit, atque in eoſdem qui fruſtra tetenderant, hoſtes cæde, & cruore converſa eſt, palam tunc agere Luſitanus, admovere mænibus ſcalas, pyloclaſtris appetere portas, alii arma, alii machinas expedire, ſi effringere fores, aut fortè evadere in murum antea vis, & celeritas tribuiſſet, quàm ea, quæ propinqua ſubſidia erant, ſtationariis militibus acceſſiſſent. At verò, qui vigilias obibant milites gradu ſtabili, pectore obverſo, interrito animo tanta conſtantia, atque virtute Luſitanis urgentibus reſtitere, ut ſtrepitu campanarum, tubarum, armorúmque fragore ſubinde experrectis, concitatíſque ſatis temporis ſociis, ſimúlque civibus datum, ruere gregatim, citóque ferre militibus opem. Porrò majori tunc, & recentium, ſeſéque inferentium militum numero impulſus partim cæſus, partim ſaucius, partim, qui muros tenuerat, actus in præceps è mænibus eſt, undique diſſipatur, ac funditur Luſitanus. Inſidias ſollicitudo, impetum virtus, jus defenſionis injuriam vicit; cladéſque illa tumultuoſa longè plus dignitate fecit, quàm cæſorum multitudine nobilis; tres quippe ibi tunc cæcidere Tribuni militum, duo Legionis Inſtructores, multi Centuriones, ac milites honorarii, inter quos alter Oviedi Comitis, alter filius Comitis Caſtelmeliorii in eodem certamine cæſi; promiſcui vulgus ad tringentos interiere. Reliquos Luſitanos, qui in tempore ſe receperant, aut hoſtis impetum ſubterfugerant, effusè cedentes, ac pavidos Petrus Diarius ab urbe cum ſeptingentis egreſſus equitibus in tergum, & latera carpit, multis curſim ibi confoſſis, aut ſauciis, aliis captivis ad urbem deductis. Caſu vel fuga ſuperſtites cæteri exer

exercitum aſſequuntur, qui caſtra apud Mori vadum extra tormenti bellici jactum procul ab urbe ſitum habebat. Civitatis ſervatæ laus ad Simonem Caſtagnam præcipuè defertur, quippe qui prior Luſitanam fraudem deprehendit, & animoſius in primis obſtitit hoſti, mox juventutem urbanam, & cœnobitas & Clericos quoque frequenter coactos per arma miſceri militibus compulit, nec priùs ab agendo, cohortando, acritérque pugnando armis inſignis, & corpore deſtitit, quàm nobilem urbem & populi copia, & præſidiorum inopia periclitantem ab hoſtium inſidiis, atque impetu vindicaret.

Hujus porrò facinoris vanitas ac præter opinionem accepta clades Laurentianum ab urbis obſidione deterruit. Igitur triduo poſt motis à Mori vado copiis populabundus, & ruinis, flammíſque infeſtus excurrit ſemitas Alburquercii, cùm conſilium ex rerum anguſtia cepiſſet Dux, adverſus agros, ac ſegetes furere, & direptione, atque incendio exhaurite regionem illam impunè velle, aut avocare ex Olivença hoſtem, ut teterrimæ vaſtitati, & ruſticorum fugæ atque cædi, & gravidæ meſſis corruptelæ ſuccurreret. Cæterùm cùm hæc omnia negligeret Caſtellenſis, imò inde hoſtis infirmitatem, & vaga, & incerta conſilia ejus agnoſceret, ſimul cùm aſtrictior quotidie per hoſtem, multóque preſſiot Olivençæ nūnciaretut obſidio, tunc Comes Laurentianus ad præſtandas municipio ſuppetias perinde animo, ac viribus fractior, magíſque propterea, quàm antea diffiſus aſperiorem jam factu rem perpetrare, adhuc etiam armorum diverticula quærens, Valentiam tandem adoritur locum natura, & opere ſtrenuum, juríque Alcantaræ Ordinis priſca munificentia, ac pietate Regum addictum. Hic itaque Dux accelerandum ratus, quo minus Sangermanenſis ſi priùs Olivença ruiſſet, cum victricibus copiis ipſum fruſtra ibi conantem & inhærentem circumveniret, belli confeſtim tormenta diſponit, bellatores diſtribuit, deſilire equites jubet, tum ne defeſſi, laboribúſque conſtricti murorum propugnatores reſpirandi à certamine ſpatium ullum haberent, præcepit etiam Laurentianus, ut quinque peditum millia alia aliis ſuccedentia ſtatim per vices, & prælia nunquam intermittentia ſimul allaborarent, adeo, ut ne hora ulla quidem ſive diei ſive noctis effluxerit à pugna, à clamore, à fuſione ſanguinis vacua. Ira, & celeritas, & major alio ex hoſte longinquo metus animos ſtimulabat. Hujus enim oppidi excidium ante oculos erat velut amiſſæ propè Olivencæ ſolatium, & quaſi interitus impendentis effugium, ibíque fortiter ideo prementes cum victoriæ ſpe cadere, quàm deſperata victoria obrui ab hoſtibus citò victoribus qui ſublata Olivença adveniſſent, malebant. Cæterùm oppidani, & milites Caſtellenſes haud minori quidem alacritate, animíque ferocia, dum hoſtes irruerent, excipiebant, alii hoſtibus occurſare, alii muros reficere, jacula, ignes, ſaxa, granorum quoque candentium acervos, & quidquid eſſet ad manus materiæ torridæ & concretæ ſimul, & fluidæ certatim è muris projicientes. Par erat utriſque ferocitas animi, impar profectò locus, propè æqualis militum diſciplina. Sangermanenſis enim qui ab hoſtium paulò antè captis exploratoribus nonnihil eorum conſiliū per vim tormentorum excuſſerat, impenſius idcircò loca ſuſpecta muniri juſſerat. Valentiæ præſertim, cui plus adjecta ſuſpicione metuerat, tuendæ Sebaſtianum Granerum impoſuit, fortem ipſum, ac veterem Ducem, cujus virtute, & induſtria ea tunc egregiè oppidana defenſio invaluit. Septem omnino dies Valentiam

irritus

irritus oppugnando Luſitanus abſumpſerat, cùm ſemilunare poſtremò munimen, quod cœnobium quoddam claudebat ſub nomine Divæ Claræ, paſſuſque circiter octoginta procul erat ab oppido, & anteà inconſultò à tergo reliquerat hoſtis, aggreditur; eò namque ſi potiretur, ſperabat Dux Luſitanus nudata ſubtrahere ſuorum miſſilium ictibus corpora, ſimul ibi tormentariam erigere ſedem, ex qua impunè, vel cum minori periculo offendere poſſet hoſtem. Sed ea res fruſtra fuit, quatuor enim anguſta, ſed altiora, atque ſolida circumpoſita propugnacula, quæ hoc curruum munimen, cœnobiúmque tegebant, cùm igneas glandes ſæpiſſimè pluerent, ſtragem hoſtium ingentem edebant; nihilominus Luſitani dum nec gravi periculo territi, nec aſſiduo labore defatigati cum loco ſatis iniquo, cum hoſte ſuperiori, cum multiplici morte inter acervos cadentium, ſpirantiúmque aſperiora omnia auſi, paſſique ferocius colluctarentur, eò prætervecta cædes, atque obſtinatio militum eſt, ut eos non niſi poſt ſexcentos ferè interfectos, ac totidem vulneratos à temerario illo incepto, in quo plùs furor, ardórque ſpiritus, quàm vera virtus agebat, interjectæ noctis caligo retraxerit. Interea Sangermanenſis Olivençam acerrimè confligabat. Exteriora enim oppidi munimenta alia concuſſa, alia penitùs ſciſſa, alia ſimul hiantia, & quàm cito lapſura erant, foſſa quæ murorum ambitum circuibat materie congeſtitia repleta jam propè ſolum æquabat, & quod plane ruinoſa inter tot detrimenta, cladéſque exanimavit Saldanium Gubernatorem, majus oppidi propugnaculum paulò ante ſuffoſſis, incenſiſque cuniculis ruptum immani ruina, atque cæde repentè disjectum eſt. Intus præterea per crebras actas irruptiones æquè improſpera, ac felix quamplures milites ſtationarios belli fortuna conſumpſerat, cùm ipſa victoria vincentes quoque deterreret, leviſque jactura quæcumque militum gravior in minori numero cenſeretur. Harum difficultatum aculeis, arctiorique præterea quàm egregium decebat, Ducem ſuomet ipſe animo percitus, perculsúſque Saldanius, ubi ſollicitus reputat ſancti Laurentii Comitem ſociis opem conferre diffiſum, ſua in extrema calamitate deſertum, aliena fruſtrà oppugnatum, arma ad ludibrium circunferentem temerè divertiſſe, ſimul inter eam dubitationem, ſuccurrendíque ferè perditis moram tantum adimi ſibi virium, & animi, quantum creſceret hoſtibus, obſidioniſque intendendæ ſollicitudinis, vel quia potiùs Saldanius hujus obſidii inſuperabilem molem crederet, nec in tanto quoque diſcrimine ſecùs eſſe videri non feſtinata, quàm deſperata omnino ſubſidia, ipſe denique per inducias cum Italo Duce pepigit, ut niſi tempore conſtituto Olivençæ ſubventum eſſet, eam honeſtis conditionibus traderet. Hæc ad ſancti Laurentii Comitem impigram tunc adverſus Valentiam, at inanem navantem operam allata cùm ſtatim eſſent, graviter hominem perculere; velle enim ita is per ea diverticula videbatur non armis conditione aliqua poſitis, at extrema laſſitudine ablatis, aut in communem perniciem corruptis invadere tandem in oppidum hoſtes. Itaque vaſis continuò collectis, Valentiæque obſidione ſoluta primò Portalegrem, inde ad Jurumeniam exercitum ducit. In hoc propiori hoſtibus loco cùm caſtra metatus eſſet aſperis litteris Olivençæ Gubernatorem increpuit. *Ne per flagitium, & ignominiam*

vitæ ac libertatis uſuram quæreret; fideli integróque convenire clienti extremum uſque ad anhelitum, ultimámque ſanguinis guttam in fide, atque officio perſtare; bonum verò commilitonem contemnere vitam, quam manus, & arma minimè texerint. Nefarias profectò ſpurcas ſceleris plenas atque in ejus, qui pactus eſt, caput abſque dubio ruituras conditiones cum hoſte compoſitas eſſe. Atqui minus malitia fortaſſe, quàm ignavia, & formidine erranti adhuc integrum fore, cùm vellet, infamem, ac turpem retractare ſententiam, factiſque abſtergere ſordes, quas iniqua pactione contraxeras, ſatius, non erraſſe profectò eſſe, at ſemel prolapſo ad æquiorem per conſilii mutationem redire viam, laudabile quoque eſſe; ſe ſe planè cum majoribus copiis, quas ex finitimis paſſim, & citò coire mandaverat locis ſubſidio celeriter affuturum. Sin autem diutiùs fortaſſe morari pro militari delectu contigerit, nihil ille propterea aut ſe, aut patria, aut Luſitano nomine indignum committeret. Hujus ſententiæ poſtquam Saldanio redditæ litteræ ſunt, tam procul fuere, ut à propoſito virum dejicerent, ut conſtantiùs eumdem in ſuſcepto quoque deditionis conſilio firmaverint. Oppido namque aut hoſtium impreſſione, aut belli mox jure per pacta cadenti, ſubſidia, quæ niſi vana, & fallacia momento advolare oportebat, ipſius Ducis confeſſione jam nulla, vel ſera, vel captioſa fore conſtabat. Quapropter Saldanius intelligebat, aulico ſecum potiùs loquendi more, quàm candido, & ſerio in Litterarum contextu Laurentianum Comitem uſum, aut ipſum illudere per fugacia promiſſa velle, ut alieno capite ſibi caveret, & fortunæ quoque ludibria cognoſceret, exultationémque ſibi inpoſterum reſervaret, quod ſi ipſe auditus à Saldanio fuiſſet, adhuc oppidum ſtaret. Unde enim recentem erueret militem binos per menſes illum minimè nactus, & quas junxerat copias jam inanes per ambitus imminutus? Quod ſi ita munito, ita copiis inſtructo haud ſatis nervorum in animo ſit dirigere aciem in hoſtes, & obſidionis clauſtra perrumpere, plus illi probro, ac dedecori fuerit vel annorum fortunam in ſubſidium non tentaviſſe, quàm ſubſidio ſe deſtitutum fortunæ ſuccubuiſſe. Præſtituto itaque tempore lapſo, quemadmodùm pacto ſancitum cum Caſtellenſibus fuerat prima illa die Luſitanus binas oppidi portas hoſtibus, ac bina propugnacula tradidit; omnia poſtridiè victori permiſit. Poſt Emanuel Saldanius cum duobus millibus, quingentiſque ferè peditibus, equitibus verò propè ſexcentis armis omnino inſtructis, explicatíſque vexillis egreditur oppido. Conſequitur ipſum deinde è ſedibus omnis ſuíſque ſarcinis gravis oppidanorum effuſa turba, eo ſanè concurſu & animorum ardore, ut nemo tot municipum unus, manendi quanquam ex pactis facultas omnibus eſſet, extiterit, cui non plus odioſum Caſtellæ jugum, quàm patriæ ſolum jucundum fuiſſet. Bellicæ munitionis, & commeatus ſatis relictum in oppido eſt. Ea ſicut ita profectò fuiſſe videtur, intempeſtiva deditio, cùm aliquot ultra dies ſuſtineri defenſio oppidi potuiſſet, cauſam deinde rumoribus præbuit vel Saldanii proditione, vel militari fraude illud magni momenti oppidum tam citò interverſum apud ſocios, apud hoſtes eſſe jactantibus; increbuítque, ſed mendax hæc fama vulgatior, dolo, & errore, ſcilicet per confictam à Sangermanenſi Laurentiani nomine epiſtolam, in qua deſperatis oppidi auxiliis, ut æquiores ab hoſte conditiones

immatura deditione redimeret, juſſum erat, circumventum eſſe Saldanium. Verùm hoc idem ſponte cùm Saldanius animo volutaret, ſibíque per eas rationes,quas ementita de more formido ſubjiciebat, deformiora oppidi omnia, & plus quam reipſa labefactata jacebant,affingeret,à nemine quidem,niſi proprii metus caligine impulſus,& intimè captus extemporaneam,ac turpem deditionem tranſegit. In veras propterea gravéſque ſubinde Saldanius criminationes incurrit, nec pro viribus, nec pro fide, nec pro honore veteris Ducis ab ipſo fuiſſe Olivençæ defenſionem tractatam,Ulisipponémque ſtatim accitus cauſam è vinculis dicere cogitur; qua,nimis etiam premente facti recentis invidia,neve in ſe ipſum fortaſſe recideret,eam onerante Laurentiano,malè ille per ſe purgatus perpetuo exilio multatus eſt. Olivença ita recepta, mæniúmque ruinis, ac celeriter munimentis priſtino robori reſtitutis, ac novo præſidio firmatis, Sangermanenſis quia ex voto prima proceſſerant, nunc dimicandi cum hoſte cupidus inter elvum & Campomajorem exercitum poſuit.Hinc per partes alacriter concurſare,ſpargere paſſim incendia, repetere cædes, cumulare rapinas, fœdiora quoque minari, ſi ita fortaſſe invitum, ac reluctantem verecundiæ, vel iræ ſtimulis incitatum, aut vaſtitatis coërcendæ cauſa commotum trahere Luſitanum ad æquum certamen poſſet. Laurentianum verò, propè Jurumeniam locatis caſtris, vel quia ſua ita intereſſet, vel quia nondum ab Olivençæ ruina conceptum excuſſerat metum, nec indignatio, nec pudor, nec ploratus aggreſtium, ignîſque fumantium paſſim tectorum, nec quingentorum etiam acceſſio, qui ſerò Ulisippone venerant militum deſerere caſtra movebant, aut conferre cum hoſte ſigna. Ubi ergo videt Sangermanenſis neque induſtria, neque vi, neque irarum aculeis ad pugnam Luſitanum elici poſſe, in ejus conſpectu Moronem cum omnibus copiis aggreditur, ita facilè ratus, vel oppido mox ſubventuro ſine mora cum hoſte congredi, vel ſubſidiis hoc deſtitutum parvo negotio in poteſtatem redigere. Jacet oppidum circa marginem Anæ ſitum, & tum amnis trajectui, tum Olivençæ retinendę opportunum. Structura murorum ejus ad coagmentationis antiquæ genus magna ex parte interlita luto erat; ſolidiores alibi lateres duratíque temporibus; fortior ei arx aſſidebat. Strenuè imperíque hoc maximè adorſus Sangermanenſis, belli tormenta, quorum plurima ſecum habebat, confeſtim aptari juſſit, hiſque inceſſanter quatere oppidi mænia juſſit. At municipes, militéſque præſidiarii, quibus exciſæ paulò ante Olivençæ ante oculos terror, ac ſpecies obverſabatur, & qui in majori negotio vicerant, eos minus eſſe celeriùs executuros arbitrabantur, paris ſubeundæ fortunæ pavore dejecti, nullo præmiſſo virtutis indicio, ideóque Morone ſtatim deſerto, ad arcem, quæ prævalida erat, confugiunt. Ea ipſa re lætus Sangermanenſis, qui tam citò ſine impendio, ſine cruore haud contemnendum oppidum occupaſſet, cùm utilius ſibi eſſe cenſeret, antequam prælii cum hoſte diſcrimen adiret, vincere arcem, & Moronem in tuto ponere, nunc ipſe pugnam, quia verſa res erat, detrectans contra arcem enixiùs allaborabat. Intereà Comes Laurentianus, & ſi paulò ante vanam ob gloriam,& cum certo regni diſcrimine ſigna cum hoſte conferre metuerat, jam ex rerum eventu murato conſilio utcumque anhelabat vehementer adſtrictæ, & quàm celerrimè perituræ ſine ſubſidio arci extremas ferre ſuppetias, ne eo parvo

ſcilicet intervallo alia ſuper aliam adjecta clades ſine obice paſſim, oppidatímque ſerpendo totius regni tandem exitio deſineret. Res tamen aſpera erat. Nam inter arcem & Luſitanas copias inflatus amnis intercurrebat, plenus alveus, & vorticoſus, vada incerta, atque lubrica, hinc ideo errantia, inde abrepta vi aquarū veſtigia ingredientibus erant, ſimul eques pedéſque Sangermanenſis imperio, quà intererat vadum, longè, latéque circunſederat ripam, tranſitúmque intercluſerat; levia prætereа prælia, quæ vadando vel circa ripam caſu, aut periculo virium, aut conviciorum irritamento conſerebantur, ut plurimùm luctuoſa, nimíſque cruenta Luſitanis inciderant. Itaque ſuper trajectionis difficultatem, & inæqualem omnino cum hoſte, cum fluctibus pugnā ex triſtibus etiam armorum jactis fortuito proludiis totius certaminis omen, & aleam Dux Luſitanus horrebat. Quæ ubi Ioannes Ferreira, qui cuſtos erat arcis agnovit, ſéque igni, ferróque ſimul, & fame peti; omnia eſſe circum hoſtilia, obſeſſíſque maximè infeſta, & cum tempore, & mora magis quoque futura minacia, ſocios præterea, qui fruſtra, & ſæpè ſubſidia inferenda tentarant, rejectos, & pavidos fugam ſpectare potiùs, quàm arce concluſos, & eſurie ferróque preſſos periculo eximere; undecima tandem ab oppido obſeſſo die, arcis deditionem, & liberam ſibi, militibus, incolis diſceſſionem cum hoſte pactus, vacuo relicto habitatoribus oppido in Luſitaniā receſſit. His rebus ita confectis victor Sangermanenſis Badacocium cum exercitu redit. Iurumeniam deinde ſtatim oppugnaturus ad rem neceſſaria parabat. At ſumma cùm æſtas flueret, ac ſolito magis ardore flagraret, æſtúque prope incredibili, ac ſiccitate loci, unde plurimę per id tēpus corporis ægritudines ſcatent, illius oræ tractus areſcat, & ſole ardeat, prudentius hoc facinus diſtulit. Tunc Luſitanus, qui aliquot ante diebus arcem Olivæ fortuitò ceperat, atque munierat, poſtquam Olivençæ ruinam cernit, ſimul hanc arcem illi propinquam, in hoſtico ſolā acceſſu nedum tutela difficilem, ne ea aliquando potiri liceret hoſti ipſam demoliri conſtituit, qua per cuniculos tandem disjecta certi laboris fructus, & gloria prærepta hoſti, munimenti commoditas Luſitanis ablata eſt.

Cæterùm Olivençæ jactura Aloiſiam Guſmanam, quæ Luſitaniam adminiſtrabat, ſupra modum animo afflixit cùm alta ſpe decidentem, qua truces inferendas Caſtellæ clades, vanè, ac ſuperbè conceperat animo, tum maximè veritam ipſam, ne ſuæ fortaſſe novíque regiminis culpæ ſucceſſum verteret populus, quàm fortuna ſuſtinuiſſet. Satis illa præterea ſciebat, & animo recurſabat, novum præcipuè regnorum regimen, bona ubi opinio nondum invaluit, à fortuitorum momento pendentes ſuas rationes, & fidem habere; ſimul caſus non rationes caſuum, & cauſas inſulsè, aut malignè attendere populum, ejúſque mordaces in miniſtros latratus, & quæſtus effuſos reflectere tandem in Principis morſum. Vehementer igitur perturbata, & in ſe anxia mulier ambitioſa, quo deprimere modo elatos ſucceſſibus hoſtes poſſet, ſuóſque trepidos querulóſque feliciori quoque conatu ad vires, ac ſpes reſumendas arrigere, ſtatuit ultra fines Caſtellæ transferre arma, ibíque oppugnare præclaram aliquam urbem, quo ex virium ſuarum animíque oſtentatione Caſtellenſibus creſceret terror, atque in medio tunc ſita Olivença, Caſtellæque circumciſa ſubſidiis faciliùs relaberetur. Hoc quidem conſilio mulier fœdere rurſus cum Gallis, Angliſque & Luſitaniæ noviſſimo Rege ſanciro, multóque inde per pecuniam conducto milite, juſſit ſexdecim 1658.

pedi

peditum millia, equitum verò quatuor circirer millia properè cogi; iiſque copiis moderandis, ſenatu annuente, præfecit Joannem Mendum Vaſconcellum, veterem ipſum Ducem, & qui ſub Regis Catholici auſpiciis meruerat quondam in Belgio. Poſt hæc Srarus Senatus de ratione belli gerendi Ulifippone conſulitur, íſque frequens cum illis copiis ex mente Aloiſiæ Badacocium petendum cenſuir. Res ipſa plauſibilis erat; plus famæ quidem quàm oneris, ſive periculi in ea ſuſcipienda proponebatur; pompa, & copiarum quædam jactantia magis, quàm vis, aur rerum diſcrimen novo regimini, anguſto regno conveniebat. Ad hæc ſi illa urbs cecidiſſet, Olivençæ etiam excidium ratione ſitus præcluſæ tractura erat. Er porrò jam priùs Aloiſiam, quæ ſola plus poterat, aperuiſſe ſententiam ſuam, in re etiam ancipiti calculorum omnium ad ſe contractio, ſive corruptio fuiſſet. Inter hæc præparanda Sangermanenſis, qui eo tempore Badacocii cum diminuto præſidio commorabatur, tanti apparatus fama, ſtrepitúque commotus, ſollicitúſque monet Arum primum miniſtrum Catholici Regis, exiguo Badacocium præſidio militum, alimentorum inopia, fluxis jam, ac vetuſtatis labe corroſis, mænibúſque prope caducis in ſummo periculo verti, eo, ſibi namque per fidos exploratores compertum fuerat hoſtilem, qui adeo latè obſtrepebar, conarum, & impetum evaſurum. Audir hæc Arus; verùm ur Hiſpana cunctatio, quæ in rebus plurimis ſæpè ſapit, incredulitatis interdum, & cujuſdam quaſi pigritiæ deſipir vitio, & ſeri ſubſidii, conſiliíve ſprevit tunc Arus, ur nimis creduli monita Ducis, incredibilia ſibi narrari purans, quos ſcilicer propriæ tuendæ cura ſalutis vix in ſuo regno ſatis habebar rotis viribus occupatos, iis hoſte valentiſſimo provocaro, gloriæ arque imperii amplificandi libidinem inceſſiſſe; reſponſum idcircò dedir Sangermanenſi. Proſpiceret quidem ne infidis, aut levibus ipſe exploratoribus urererur. Durius enim ſibi videri, velle inconſulro Caſtellam appetere hoſtes de Luſirano etiam regno adhuc improſperè lirigantes. Ea de re tamen jam certior factus Sangermanenſis ex locis propinquis cibaria, bellíque munirionem, & militare præſidium, quantum pro rempore, & viribus licuit in urbem contraxir, ita ur urbanæ tutelæ promptos eo tempore in armis enumeraret equites ferè bis mille, quingentos quoque ſupra ryrones vereres milites, & plurimos cives ingenio, ac robore ætatis prælio gerendo idoneos. Paucis interjectis diebus, Badacocio adverſæ, infeſtæque cum magno terrore civium appropinquanres Luſitanorum copiæ conſpectæ ſunt. Anæ circa ripam oppoſita ea frequens ac celebris jacet urbs. Latus magis quàm alrus ab illa parte decurrens funditur amnis, íſque vado per reliquum anni turgentibus aquis impervius, cùm per id temporis veris extremum protereret æſtas, multis in locis, nudatis ea parte vadis, tranſirum exhibebat. Pons lapideus, & nobilis flumini impoſitus ripas urbémque committit. Hæc ipſa partim in plano, pars in deflexo cujuſdam ſubſtrata clivi inæquali, ac ſinuoſo porrigitur ſolo, muros circumpoſitos habet, ſed veteri, fragilíque ſtructura, & rimis quoque interpoſitis labiles, arcem in ejuſdem, quo ſedet, collis acumine ſitam, atque ex alrera fluminis ripa validum propugnaculum, cui S. Chriſtophori nomen adjectum. Tum vero Sangermanenſis propiùs, ac ciriùs, quàm anrea credebar, exercitum Luſitanum intuitus, quia tempore adhuc egebar, quo urbem penirùs communiret, plures immiſit equitū turmas,

quæ approperantem aciem remorarentur. Cæterùm Dux Luſitanus, qui meliori ſane conſilio pro peritorum judicio auſpicari facinus potuiſſet, temerè initio verſus contra Sancti Chriſtophori propugnaculum, ibi ut armorum primum impetum fregit, nervóſque recentes debilitavit, ita minùs deinde ad belli ſummam conficiendam, quæ propugnacula, & arces trahebat, armorum, & virium attulit. Hoc propugnaculum ultra fluminis ripam, & collis in vertice poſitum, ad teli propè jactum ab arce urbis, & flumine diſtans eminet, cingitur foſſa, aliíſque majoribus munimentis, quæ ars nova, & ipſa eleganrior militiæ commenta eſt. Bonaventura Tarracona tormentorum Præfectus, & propugnaculi cuſtos, cùm tentamenta proſpiceret hoſtium alia adjecerat munimenta, ac bina præcipuè roſtra, quæ ad triginta paſſus extendebantur. Tumuli quidam editiores patenti campo interjecti, atque eidem propugnaculo oppoſiti prominebant. Hos occupat Luſitanus, ibíque tormentis majoribus conſtitutis aſſiduè, ac vehementer propugnaculum verberabat. Poſtridiè alium & eo, quem antea occupaverat aptiorem arripit locum ut propugnaculo magis propinquum, atque inde perpetuo candentium globorum jactu illud acerrimè urget, mox aggerem jacit, obſidionaléſque aperit vias ad milites foſſoréſque tegendos; fervet, ardétque certatim militum labor, & copia, ut ardentius homines ſolent rerum omnium capeſſere initia. Inter hæc Caſtellenſes, frequenter in hoſtes interdiù noctúque irruptionibus factis, artifices, militéſque cædebant, & eorum opera lacerabant modò flammis conjectis, modò armis, lapidibus contis in operarios, & opera impactis; eorum tamen ardore, impetúque ſubinde reſtincto, cæpta jam opera diligentiùs repetebantur. Semel præſertim cùm enixiùs, ac propiùs propugnaculi roſtra Luſitanus impeteret, ibíque novo tum milite fortè auctus aſtaret Tarracona Præfectus, ampliori numero, atque fiducia, hortamentóque, qui aderat, conciti Ducis Caſtellæ milites irruentes, cruentum, ſævúmque certamen circa opera contrahunt. Cernit hoc Vaſconcellus, ſuóſque ferociùs impulſos concidere alios, dare alios prementibus terga; ſimul labores operum intermiſſos, ac planè labefactatos pérque ſuorum tumultum, & fugam alacriores hoſtes ulteriùs inferre gradum, mandátque ut Turrii, ſanctíque Joannis Comites, iíque Tribuni militum binis legionibus ſumptis ferrent properè auxilia cedentibus ſociis, aut ſaltem certamen æquarent. Juſſi ſubitò Duces recenti cum milite accurrunt, & quanquam prælio partim defeſſos, partim metu dilapſos, aut fugam eo tempore ſocios circunſpectantes offendunt, contrahere ſe tamen, colligere ſpiritus, atque inſtaurare certamen milites cogunt. Sed cùm nihilominus ſuper adjecta ſubſidia Caſtellenſis urgeret; & ipſe jam animoſius Luſitano rorantia cruore tractaret arma, alacriúſque pedem ſuper cæſorum corporum ſtragem efferret, ſimul cùm ſegnior ad pugnam paulò antè fugatus, ac pulſus rediret miles, novíque qui ſubſidiis acceſſerat, inter horum ſegnitiem, & moram calor, & impectus refrigeret: tunc, & qui prior dimicaverat Luſitanus, & ſubſidiarius quoque miles obteritur, totáque acies penitus diſſipata, atque in fugam converſa eſt: fugientes non ſequitur victor, at ibi conſiſtens, obſidionalia ubi opera erant, poſt hæc lacera, attrita penitúſque convulſa, paucis amiſſis, in propugnaculum ſe recepit.

Cæte

Cæterùm quod egregiè inter arma pepererat Caſtellenſibus virtus, dolus ſubinde pro Luſitanis æquavit. Fallacem enim per emiſſarium Sangermanenſis admonitus tria nempè peditum millia in hoſtilis exercitus ſupplementum cum commeatus copia Uliſippone profecta Badacocium appropinquare præcepit Ferdinando Caravagalio, ut duobus equitum millibus, aliiſque lectis cohortibus ſumptis, priùs in hoſtis occurſum tenderet, quàm reliquis ille copiis, quæ propugnaculum oppugnabant, aggregaretur. Caravagalius accelerato curſu in via circa Elvum aſſequitur hoſtem. Utrique ibi ſe pugnæ comparant, alacres animo Caſtellenſes, quod loco opportuno, numero impares, & quaſi repentè interceptos per errorem crederent hoſtes, at hoſtes alacriores, quod utique ſcirent jam delatoris perfidia falſos, omni receptu prorſus ſecluſo, internecione delendos Caſtellæ milites trahi, idem enim emiſſarius, qui novum Uliſippone militem acceſſurum detulerat Vaſconcello, ab eodem extemplo ad Sangermani Ducem remiſſus fraudi materiem fallendo præbuit, ut quos hoſtibus obviam miſſurus erat Sangermanenſis, iis Luſitanus, trifariam diviſis copiis per vim, per inſidias intercluderet iter. Vix dum igitur hoſtis facies, & fulgor armorum, & clamor ſolito major elatus, & nimia in hoſte fiducia ex propinquo conſpecta ſunt, cùm ſtatim ſenſit ſe Caſtellenſis ſine ope, ſine ſpe opis paſſim hoſtibus circunfuſum, ad cædem fraude projectum, & undique inſidiis, ac ferro clauſum, & quod ægrè ſe quoque primo certamine elapſum, in ſtrenuiores alias ſubinde hoſtium, quæ aliunde tranſitum intercluſerant, incidere copias neceſſe erat. Itaque haud robore minùs, quàm animo deſtitutus, & perturbatus, & formidine propè torpens, vix primò libatis viribus, pedes propemodum totus fœde humi conciſus jacuit, celeritate adjutus equorum in avia diffugit eques. Tres Duces capti; Ferdinandus Caravagalius egregiè dimicans cecidit. Hoc ſucceſſu, & quod ejus aſtu potiſſimùm contigiſſet, Vaſconcellus mirificè elatus, quaſdam impellit equitum turmas, habitum urbis, & ſitum proximè contemplatum, ſimul eorum, qui in urbis erant cuſtodia, ut pro rei ſumma vires, & animi nervos experirentur. Properat eques, accedit ad pontem, alacer ſubit, at in limine ſtatim offendit, prævalida nempè manu, qui eum circunſederat locum obſeptus. Ibi ergo ſtrenuè ſurſum, deorſum inferendo, aut vim repellendo, cùm utrique ſe acerrimè impellerent, tetra luctatio committitur, ſed explicare ſe equitem, intendere vim, utique impetu equorum cùm prohiberet anguſtia loci, atque ex adverſo pedeſtris impulſus, ut in arcto collectior, vegetiórque vehementiùs incumberet, Luſitani partim ferro, partim labendo gurgitibus hauſti, nonnulli protriti in faucibus pontis ſunt, pleríque rejecti, atque expulſi confugiunt ad aciem, quæ ſupra fluminis ripam, ne in ſitus ſe anguſtiis elideret militum multitudo conſederat. Inter hæc Sancti Chriſtophori propugnaculum omni arte, conatúque militiæ impenſiùs oppugnabatur, crebræque ex eodem munimine obſeſſorum irruptiones, ac levia interdum exercita prælia ejuſdem loci propugnatores, ut ſæpè victos, ut ſæpè victores penè confecerant. Idipſum Sangermanenſis intelligens, & providere quoque deſiderans, duas, quæ tunc in Bætica verſabantur, quàm citò in urbis ſubſidium legiones venire juſſit. Legio una erat ex Hiſpanis, veteraníſque conſtituta militibus, cui præerat Marchio Lanzerottus, ex Hibernenſibus

altera fortiſſimi Ducis Gualterii Ungani pariter Hibernenſis fidei, atque officio commiſſa. Binæ hujuſmodi legiones itinetibus magnis emenſis noctis ſilentio Badacocium ingrediuntur, & quia de via feſſis, æſtivóque ardore ſolutis cibus, & quies neceſſaria militibus erant, curare tunc corpora juſſit Sangermanenſis. Inde conſultū primarios Duce saccerſit, ibíq; dum ſpes, dum metus, dum diſcrimina rerum, improviſique fortunæ caſus quaſi in libram conjecta penduntur, ferè nemine diſcrepanre conveniunt, ut cum his legionibus ſtatim, quâcumque pateret enitentibus aditus per ſummum quoque diſcrimen munimento labanti ſubveniretur. Verumtamen Luſitanus, qui paulò poſt intellexerat nova hoſti ſubſidia ſuperveniſſe, in rei conjecturam adductus quàm per illa ſpectaret hoſtis, & planè impedire paratus, cum perpetua quadam ruina, & ſaxorum, & hominum ſtrage, alternante fortuna vices, munimenta revellerentur, inſuper ſex elegit ex acie tota militum millia qui ſtrenuiorem impreſſionem intenderent. Continuus etiam agger à capite pontis, qui urbem conjungit, ad propugnaculum ferebatur, quâ ultrò, citróque Caſtellenſium ſubſidia meabant, rerúmque internuncii. Hunc magno cúm impetu, & numero aggreſſus, eóque perfracto, ac reſciſſo trucíque pugna potitus hoſtis, jam propugnaculi, & urbis communionem abſtulerat, & nunc idem erat impedimento, quo cohortes illæ ſubſidiariæ præcluſo inde per vulſionem aggeris tranſitu nonniſi extremis jactatæ periculis poſſent ad propugnaculum pervenire. Ad hæc majori quidem fiducia, & multitudine Luſitani munimentum prementēs, jam roſtra propugnaculi ceperant, ruináſque intermedias tranſierant, ſimul bomborum fragor, labéſque murorum & hinc militum clamor, & concurſatio, hinc concitatio, impetúſque inſtantium cedentiúmque, & quædam velut injecta militibus rabies, cùm pleráque ſtrata jacerent, & teliqua paſſim ruerent, irreparabile quàm primùm excidium propugnaculo minitabantur. Rurſus igitur inter Duces qui cura, metúque ſuſpenſi in pontis limine ſtabant, quibúſque diſtrictè mandatum fuerat per cæca, & obverſa quæque pericula cum illis copiis ſuccurrere propugnaculo, conſultum ibidem eſt, utrum aggere nuper amiſſo, intercluſa militibus via, omnia obtinente furore hoſtium, qui audacia, numero, loco ſuperiores omninò erant, dare tunc expediret ſociis laborantibus opem, cùm variata maximè ratio, in quam ceciderat ſummi Ducis imperium, eſſet, deſperata propè munimenti defenſio, ac periturum certè ſubſidium eò uſque afflictis, ac perditis rebus nova quaſi clades adjecta Ducibus videretur. Tenuit inter illos difficultatis inexplicabiles æſtus perlongum militaris induſtria cōſilium; tandem in Marchionis Lanzerotti, Tribuníque ſententiam itum, qui cenſuit, quoniam prorſus omitti rem illam non oportebat, conſiliúmque eo tempore à caſu, & fortuna, quæ non ſemel temeritatem adjuverat, non à ratione, & judicio petendum in tanto diſcrimine eſſet, ut ejuſdem Legionis Inſtructor, duo fortiores quoque Centuriones cum lectiſſimis centum ſexaginta militibus obviam progredientes tentarent, ſi fortè poſſent, hoſtium perrumpere cuneos, & per invia, cruenta cuſpidibus ſibi viam ad propugnaculum aperire; Res ita per Duces decreta pari ſubinde virtute confecta eſt. Fuitque hic inſignis legionis Inſtructor Lucas Segura, Centuriones verò Joannes Villafanga, & Antonius Panetaqua adoleſcens Tribuni filius, quibus etiam binæ in ſubſidium turmæ equitum

equitum acceſſere. Hos impavidè, properéque in ſe milites adventantes cùm Luſitanus aſpiceret, quatuor equitum agmina, peditéſque ſupra trecentos in illos ſtatim infeſtos egit, ita porrò facilè factu ratus projectioris audaciæ, paucóſque admodum hoſtes ſuperiori illo numero confeſtim obrutum iri. Atqui non ad calculos numeróſque belli fortuna victoriam vocat; virtus, & fortuitæ perſæpè cauſæ totius certaminis exitum contrahunt. Primò enim congreſſus eques cum equite funditur Caſtellenſis; effuſa, præcépſque hujus equitis fuga in eoſdem cùm pugnæ propè jam inhærerent, Caſtellenſes pedites verſa ingenti omnes tumultu, impetúque conturbat, ac miſcet. Res Caſtellenſis afflicta, pœnas dediſſe temeritas videbatur. Villaſanga quoque Centurione per equi furentis ictum haud leviter ſaucio. Cæterùm dum Luſitani equitatus ira plus, quàm conſilio provectus hoſtilem rapidè fugientem perſequitur, & inde expeditum, & vacuum relinquit qui ibi reſtiterant hoſtibus locum, tunc pedites Caſtellenſes, qui alas pandendo viam tranſeuntibus fecerant, in ſe iterùm clauſi, ſuíſque ordinibus reſtituti ſimul metu, ſimul obice liberati alacriùs progrediuntur, ac per mediam & impigrè dimicantem illam peditum aciem, quæ ſeſe objecerat venientibus obviam invecti uſque ad propugnaculi ſummitatem magnis animis, lacertíſque redundantem cruore ſibi curſum, & aditum patefaciunt, uno duntaxat pro multis hoſtium confoſſis honorario milite amiſſo. Tum verò Bonaventura propugnaculi Præſes recentes ſtatim, ac ſubſidiarios milites ipſos invadere in hoſtes, qui murorum ſuper ruinas, captáque nuper roſtra ſeſe firmiter communiverant, jubet. Hoc temerarium, & nimis profectò audax Seguræ viſum Ducis imperium eſt, quod exiguam nempè militum manum millibus pene hoſtibus, acritérque in eo loco munitis opponeret, ne precariam tamen hucuſque inter acies, & arma traductam vitam, & minori fortaſsè de cauſa propediem interituram ignaviæ, aut contumaciæ crimine aſpergeret, ferox, incautus, ſuóque irritatus ipſe periculo cum paucis militibus turbini ſimilis movens primùm quoddam munimentum aggreditur, quòd brevi intervallo cùm à majori propugnaculo abeſſet, hoc acerrimè quatiebat, ubi aliis cæde conſtratis, aliis ſummotis primo impetu Luſitanis ea victrix acies deſertum munimen occupat, ſtabilítque, eodem ſubinde ardore, animóque admodum paucis adjunctis propugnaculi roſtra petit, ſed cùm longè inæqualis, & iniqua profectò pugna inter partes pari ferocia, nervis imparibus incumbentes committeretur, ibidem Segura Dux hoſtium numero circumventus, prior ubi excuſſa ſclop
orum tempeſtas eſt, binis adactis per viſcera pilis moribundus procubuit, Antonius Panetaqua Centurio brachio glande confixus, plures ignobiles cæſi, cladis reliquiæ, quod nuper ipſæ per vim receperant, ad munimentum confugiunt, quibus Bonaventura centum ſclopetariis in ſubſidium adjectis, illius quanquam omninò aſperam loci tutelam ſuſtinuit. His rebus tumultuosè, & prœliari impetu potiùs, quàm ſpe, aut diſciplina militiæ peractis, quia nox appetebat, miſit Bonaventura, qui Sangermanenſi renunciaret, ne unius quidem intervallo diei ampliùs defendi propugnaculum poſſe, niſi ab ejuſdem roſtris, contiguíſque ruinis, unde infeſtiſſimus prominebat hoſtis repelleretur. Validis itaque auxiliis, iiſque celeribus opus eſſe ne tantum effuſi laboris, & ſanguinis brevis propugnaculi caſus abſorbeat. Ad ea Sangermanenſis

manenſis confeſtim Marchionem Lanzerottum cum octingentis veteranis militibus, aliiſque Ducibus, ac bellatoribus honorariis qui præclari cujuſque facinoris gloriam per laceſſita quoque pericula reperebant, jubet propugnaculo præſto eſſe, & quanquam per medios euntibus hoſtes ea luctuoſa, ac propè inexplicabilis ſemita videretur, prioris tamen exemplum tranſvecti tutò ſubſidii ſpeciem periculi minuebat. Hæc igitur prima luce per pontem egreſſa acies, initio detruſis, qui aggerem proximum defendebant, eóque perfunctoriè diſciſſo, ſatis hoſtium cruore reſperſa, ferociùs propugnaculi roſtra, ubi dudum inſederat Luſitanus, adoritur. Porrò tunc undique Luſitani in loci retenri defenſionem magno numero confluentes pugnam atrocem ineunt, hinc virtus, & copia, hinc minorum numero audacia, furórque militum mori in veſtigio nitenrium cùm utrinque fortunæ ſucceſſum, ac penè vires librarent. Dum verò alii ita urgent, alii cedunt, alii rejecti rurſus incurrunr, complures ſaucii, cæſique cadunt circuncurſans tum ibi clamore, & exemplo, gravioribúſque volutatus ipſe periculis aderat omnibus Marchio; hoſtis tamen cùm à fronte, & à tergo numero afflueret, cæſique agminum Duces commilitonum quoque ſtragem contraherent, ferreæ tandem fiſtulæ pila tranſverberatus, & gladio ictus, hactenus ſpirans cecidit; ex vulnere porrò ſæpiùs in pedes erigere ſe Lanzerottum vires defecere conantem, poplitibus denique nixus trepido gladio, & ſanguine paſſim oppletus cùm ſocios hortatur, & convicio, manúque provocat hoſtes, eo metum, & iram ſpectaculo ſuſpendente ſtupentibus ſimiles hoſtes, utrinque conſtiterant. Ad Antonium interim Panetaquam vulnerati Marchionis filium fama, quæ aliquid ferè ſemper affingit, perlata eſt, patrem pugnantem occubuiſſe. Is igitur ultionis impetu præceps, raptim, qui juxta ſe erant, militibus ſumptis, per confertiſſimos hoſtes invectus ad alterum propugnaculi roſtrum irrumpit, patrémque ibi offendit adhuc ſpirantem, & loquelæ, mentíſque compotem. Mœſtus pauliſper, ac tacitus ſiſtit, plorans ſubinde patrem amplectitur, cúmque ad commune ſolatium in ejus complexu, & oſculo moraretur, collectis ab animo viribus durè increpatur à patre. Arctioris officii filium obſtringere curam adeò inſultantem, & more ſuo vaneſcentem contundere hoſtem, ac ſe præbentem arripere palmam, quàm inerti jam luctu, fletúque propè muliebri tandiu inhærere cadaveri, ita ſibi juſta perſolvi, ita magnificè parentari, ſi occiſus ipſe, non acie victus interjiſſet. Quæ extremos inter anhelitus miſſa verba, cùm vigorem, ac ſtimulos ultrò jam concitatis militibus addidiſſent, eos tum pudore commotos, tum ira, ac vindicta calentes in denſatos hoſtium ordines rapiunt. Inſtauratur itaque pugna, ſed multò quàm anteà trucior, nulla arte, nullo ordine, nullo imperio prout ſua quemque ſors, impetúſque provexerat, aut ſeſe collidentium hominum æſtus impulerat. Jámque tum propugnaculi roſtra, quæ occupaverat hoſtis, à Caſtellenſibus pulſabantur, eáque plures ſubierant, alii ſubſiliebant, aut hærentes in margine ſtabant, cúmque anguſtia, ſitúſque lubricum minimè pateretur, qui jam roſtra tenebant, extendere ſe, vel in orbem redigere milites, hinc integri ſauciis, & victi victoribus miſti, nonnulli poſitis armis manu, & lacertis urgebant, alii colluctantibus ſimiles cum hoſte complexi ſeſe unà deorſum præcipites dabant; undique fremitus, volutatio, reciproca cædes rerum omnium confuſio, ac perturbatio erat.

Iſque

Iſque pertinax extitit Caſtellenſium pugnantium ardor, atque ea animorum, corporúmque jactatio, ut fuſi tandem, pulſique hoſtes cruenta veſtigiis propugnaculi roſtra, & murorum quoque ruinas cæſorum cumulis aucta deſererent, quos in fugam cæde, à terrore Caſtellenſis averſos uſque ad caſtrorum receptum in terga pugnando ſectatur. Paulò poſt Luſitanus ſe ubi fractus recepit, metúmque diſcuſſit, cùm mirabundus animo volvit, parva ſe militum manu deluſum magis, quàm victum turpem fugam arripuiſſe, quâ delendæ ignominiæ cauſa, quâ victoriæ, quàm proniorem arbitrabatur, excitatus illecebris iterùm, atque iterùm vehementem impetum fecit in propugnaculi roſtra. Verùm ne dum bis fractus, & profligatus inde receſſit, ſed cùm ſpe etiam omninò abſciſſa propugnaculi potiundi. Igitur Vaſconcellus cum infructuoſo, vanóque integri menſis labore, tantóque profuſo nequicquam ſanguine, ac cæde de propugnaculo deſperaret, opinione jam ipſe defectus, ac viribus mutilatus ad urbis ſe tandem obſidionem applicuit. Jam anteà per otium & quaſdam ſolutas militum turmas, cùm propugnaculum peteret, ſuccíſivo ille tempore cæperat Badacocium circumvallare, nunc verò propugnaculo prorſus omiſſo, eò univerſos belli conatus, ac nervos contulit. Cæterùm dum aggeris ſpes per circuitum extendebatur, ibíque ſueta ſtativa militibus, & minora munimina fingebantur, aliáque illis oppoſita ſemetipſos, urbémque tuentes Caſtellenſes celeriter excitabant, cùm alii prohibere tum alios, & utrique ſubruere viciſſim conſtructa opificia laborant, quæſita, & fortuita perſæpè atque levia momenta certaminum, & plus aliquando per occaſionem incenſa, ac ſubinde viribus aucta utroſque milites exercebant. Jámque Dux Sangermani ſolutis omninò ſtipendiis, ac bellatorum inito numero præter affixos ſtationibus milites, quos urbis, & circumjectorum cuſtodia locorum habebat, cùm plures ſua ſponte, aut officio ad illum armorum ſtrepitum conveniſſent, tunc ſibi ad manus adeſſe comperit equitum tria circiter millia, peditum paulò ampliùs, híſque velitaribus copiis perpetuò Dux invehebatur in hoſtes campos nunc perſultantes, nunc aggerem molientes, plerumque ob virium experimenta, ſpeciménque virtutis inter eas gentes æmulas oſtentandum præliares ex compoſito in medio concurſiones agentes.

Fuit ea præſertim memoria digna, quæ adverſus alium qui Venti, alium, qui Maïæ dicitur, haud multùm ſe ipſis, nec procul ab urbe diſtantes colles, pugna commiſſa eſt, Caſtellenſium, Ducis imperio, præſidium utriuſque collis verticem occupaverat. Juſſerat etiam Sangermanenſis, quando alteri eorum infeſtus Luſitanus incurreret, mutuis ex propinquo ſubſidiis ſe invicem adjuvare; nam ſi collem utrumque ſimul peteret Luſitanus ea diſſectarum imbecillitas virium in hoſte, fragiliſque ab utraque parte conatus utrúmque ſervare collem haud difficilè potuiſſet, ſin alium poſt alium aggrederetur, utrique ſanè cùm alter alteri auxilio eſſet, ſubſidia reciproca valuiſſent. In proſpectu exercitus, & caſtris, urbíque interpoſita ſtabant duo illa munita juga, quæ urbi præſidium, hoſti moleſtiam, utriſque promptam certaminis cauſam denunciabant. Anxius ob id Vaſconcellus occaſionem circunſpectabat, qua aliis belli negotiis, & curis implicitus hoſtis, aut fortè robore diminutus, aut fraudibus captus ea ſibi in tempore aggredienda collium præſidia relinqueret: fortè paulò poſt accidit, ut Caſtellenſium turmæ

[illegible]quitum peditúmque ad varia ob[illegible]nda militiæ munia diſtractæ pars co[illegible]meatum pergerent interceptum, quem Uliſippone advenire falsò, & per aſtum jactaverat Vaſconcellus, pars longiùs abeſſent, ut agmina quædam auxiliaria, ex Bætica venientia reciperent, tegeréntque, pauci propterea in campo ſubſiſterent, qui Luſitanum novi aliquid forſitan molientem comprimerent. Lætus igitur Vaſconcellus ſimul fraude, ſimul afflante fortuna benè ſibi gerendæ rei opportunitatem illapſam, paucis relictis, qui munitionum, vallíque ſurgentis ſtructuram defenderent, quíque vaga, & ſoluta Caſtellæ agmina, ſi eò fortè coïrent, impeteréntque, vi populſarent, reliquas ſtatim partitas copias his, qui Caſtellenſium inſeſſi præſidio erant, binis collibus admovet. Non confragoſa, aut veſtigiis abſciſſa, ſed leni ſublata faſtigio clivorum juga ſurgebant, aſcenſus tamen armato, deſupérque retruſo difficilis aſperiorem præbebat ſubeuntibus pugnam. Primùm ergo majoribus ſclopis procul utrinque concurſum, & rurſus, ac ſæpiùs hæc glandium effuſa procella eſt, dum verò his, qui supernè certabant, ſuffecit bellicus pulvis, fœdior utique Luſitanis, cùm aptiùs in ſubjectos caderent ictus, cædes illata eſt; eorúmque tum ferè nemo ſive induſtria, ſive conatibus potuit, in jugorum ſublimia niti, belli deinde pulvis abſumptus cùm animos ſimul, & vires Caſtellenſibus frangeret, ceſſaréntque ea majora per ignem contorta fulmina belli, tunc alacer Luſitanus, & quod mollior ibi eſſet aſcenſus ſenſim progredi cæpit, & collis ſummitatem attingere. Caſtellenſes projectis tum ſclopis, haſtíſque ſtatim prælongis arreptis, punctímque libratis, quia iis quanquam virium dimidium ex defectu nitrati pulveris, & fiducia quoque deeſſet, aderat tamen ſuperior obſiſtentibus locus, proinde nonnullos temerè ſubeuntes præcipitant, alios tranſverſos diſtrictis mucronibus agunt, pectore adverſo nitentes quoſdam excipiunt; ſic inſtabilis, varia, utríſque cruenta producitur pugna. Induſtria denique potiùs quàm militum vis, ſive numerus Luſitanis collium victoriam dedit. Eodem enim tempore Luſitanus diverſos pugnæque opportunos cacuminis locos aggreditur, ſed alium alio acriùs, ita enixiùs dum Caſtellenſis unum urgeri conſpicit locum, eóque fortè ſubacto patere ſtatim hoſtibus aditum in totius collis poſſeſſionem, alterius idcircò, qui minùs tunc laborabat, loci præſidio imminuto, illuc ubi majus periculum erat fortiores inde milites transfert. Quo viſo tunc Luſitanus cum multis hominibus circumvectus eam ipſam debilitatam ademptis militibus partem ferociùs invaſit, ac ſubito cæpit; in terga inde irruit ex altera parte pugnantium, jámque verticis planè potens in confuſam, ac trepidam hoſtium aciem impingit, ac penitùs ſolvit. Tum etiam qui ab altera parte pugnabant, inſiliunt, Caſtellenſéſque undique circunfuſi, ac propemodum irretiti, cùm nec fugæ ibi ſatis, nec prælio eſſent, omnes capti, cæſive collem hoſtibus conceſſere. Pari propè modo, ac fortuna alter collis ablatus eſt, qui à Vaſconcello ſtatim ampliori præſidio muniti ſunt. Talis utriuſque collis exitus fuit. Res autem fefellit Sangermanenſem, quod omnes ferè copias ad amborum collium aggreſſionem Luſitanus impulerat, ſatíſque propterea occupatus, implicatúſque in ſua defenſione diviſim erat uterque colli[illegible] præciſum inſuper iter erat, quo alter alteri ſubveniret, reliqua verò, & rara ipſa agmina Caſtellenſium, quæ ad rerum fortuita, improviſóſque Luſitani conatus reſervata ſecum habebat Sangermanenſis,

germanenſis, ne oppreſſa fortaſsè, cùm ſubſidia tentarent, à longè majori hoſtium numero forent, abſtinere tunc à certamine, ſociiſque ferendis auxiliis juſſerat Dux. Inflatus eo æſtu ſecundo rerum Dux Luſitanus, ſubinde propugnaculum Sancti Gabrielis, quod exiguo teneretur præſidio, & receptorum præterea collium tutelæ, vallóque circunducendo, obſtruendæque protinùs urbi aptiſſimum cenſeretur, invadit, parvóque negotio occupat. Hoc properè capto, duriùs revera conſilio ejus obſtabat propugnaculum aliud Sancti Michaëlis nomine dictum, idque in itinere ſitum, quod Talavera fert Badacocium, quàve alimenta, munitiones, & ſubſidiariæ quæque cohortes in urbem obſeſſam immittebantur; idipſum enim ut perutile obſeſſis maxima cura, & labore prævalidáque ſtatione firmatum, cùm peteret hoſtis, profluvio ſibi cruoris, proruptiſque coëmendum eſſe conatibus videbatur. Aderant etiam eodem tempore omnes Caſtellenſium reverſæ ab expeditionibus copiæ, quas, cùm in dubio propugnaculum foret, eſſlictim eſſe, conſtabat, tanto omnium periculo ſubventuras. Imago prætereà recens tanta cum clade, ac dedecore propugnaculi fruſtrà primùm tentati cum verecundia, & horrore ante oculos verſabatur. Hæc animo volutantem à facinore Ducem arcebant. Cæterùm, cùm, integro illo Caſtellenſibus propugnaculo, irrita planè civitatis obſeſſio foret, atque id omninò oppugnandum eſſet, aut cum infamia abeundum, tum demum omnem hoſtis adverſus illud induſtriam curas, nervóſque coëgit. Tormentariis extructis itaque ſedibus verberare ſæpè munimen, reſcindere muros, diſturbare, aut cædere paſſim propugnatores, nil remiſſum, nil intermiſſum, aut modicum à principio certaminis erat; eminus, cominúſque præliaris furor, & impetus exardebat. Unganus Hybernicus vir ſtrenuus, & acer defenſoribus imperabat, qui ut frequentes incurſus, ac multitudo ſinebat hoſtium, omnia ſollicitè circunſpiciens, fortitérque decertans quantum humana poterat ope, ac ſolertia continuis aſſultibus omni ſtudio, ac virtute reluctabatur. Inter laceros ictibus muros, & inter eas, & in eos qui illos fortiter propugnabát impreſſiones proximè incuſſas, acie quoque inſtructa diſpoſiti, cum multitudine affluerent, circunſtabant armati hoſtes præfulgentibus armis præſtò, citóque ſine ullo dubio futura Caſtellenſiū ſubſidia ad conflictum opperientes. Id miniſteri jam Duci Oſſunenſi magiſtro equitum, quòd ſibi hoc acriter popoſciſſet Sangermani Dux impoſuerat, cui & ſclopetariorum quoque manus addiderat, qui progredientes in hoſtes equites tegerent, ſed forrè aut diſtorto conſilio accidit, ut tunc ſejuncti ab equitibus pedites ſoli, & enerves temerè, ac primi in Luſitanam incurrerent aciem denſato tum pedite, tum equite permunitam. Joannes Paceecus Ducis Oſſunæ Legatus Caſtellenſes pedites gubernabat, qui ferociùs, ac citiùs cum hoſte congreſſi, quàm equites acceſſiſſent, cùm in orbem undique impulſi revolverentur hinc pedite, hinc equite circunfuſi, preſſique, ſic fluctuantes, ac trepidi medios inter hoſtes fuga, & errore ſimul implicabantur, nec ſanè quiſquam eorum è mortalibus illis anguſtiis hominum, equorúmque prementium, & ungulis lacerantium integer evaſiſſet, niſi propiùs tunc Oſſunenſis, qui ideò intenderat curſum, univerſo cum equitatu aggreſſurum ſeſe hoſtibus oſtendiſſet. Quippè tunc Vaſconcellus ne in bellico ardore ſolutam, vagam, & incompoſitam aciem recens Oſſunenſis eques irrueret, dum ordines fareit, ac ſuo loco milites

inſtruit, iræ modum ac cædibus faciens effugiendi ſpatium circumventis fermè peditibus dedit. Oſſunenſis verò ſuos ubi laſſos, viribus mutilos, conſternatóſque pedites videt, hoſtium autem numero, animíſque vigentes, ac ſtrenuè cum equite conglobatos, tam impari prælio ſuſtinendo diffiſus, nec aleæ diſcrimen adire voluit, nec ad ultimum quanquam exitium impeteretur, aliunde auſus eſt propugnaculo ferre opem, eò námque tendentis ſuperior in terga Luſitanus incubuiſſet, ſin autem partitas, quas conducebat copias, alias hoſtium aciei remorandæ, alias ſuppetias munimento laturas diſtribuiſſet, gravius, ac duplex ex utraque parte periculum inſtitiſſet, nec ſua quidem tunc intereſſe Vaſconcellus arbitrabatur, reſidem ſtantem ac nihil ibidem eo tempore audentem laceſſere hoſtem, cùm in arcendis illis ſubſidiis, atque ex eo propugnaculo capiendo jam victoriæ laudíſque ſummam integrè ſtatuiſſet. Igitur in mutuo conſpectu adverſis utrinque ſimul cunctantibus copiis, defixíſque in perpetua munimenti ruina, & militum ſtrage utrorúmque præſentium oculis, poſtquam fiſtulis ferreis exoneratis, multa ultrò, citróque vulnera illata acceptáque ſunt, prior Oſſunenſis cum equitatu, ac reliquo cædibus milite retrò ſenſim abire cæpit. Inter hæc Sancti Michaëlis munimentum acerrimè oppugnabatur. Ibi copia, robúrque Luſitani militis abundabat, ibi honorarii commilitones quibus gloria, & ambitio potior, quàm vitæ ſpiritus erat, ad acies armorum, ad globos flammarum, ad omne genus interitus ſpretis omninò periculis ferebantur. Jámque murorum ruinæ, & interiùs, atque exteriùs inflictæ pulſibus labes ingentes armorum, corporum lapidúmque latè cumulos ſtraverant. Quos ſuper Luſitani paſſim inſilientes ſævo, ac multiplici prælio Caſtellenſes defatigabant, atque obterebant, nec tot inter clades & inſultantium hoſtium alluviem ſuppetebant Ungano milites, quos variis, diſſitíſque multis in locis erumpentibus præliis objiceret, dum laſſitudine aliis, aliis horrore, vulneribúſque confectis inter funera ſociorum ſeu animi, ſeu corporis vires languebant. In tanto diſcrimine re conſtituta, poſtquam videt Unganus per Oſſunenſis ſibi receſſum omninò ſublatam extremi ſubſidii ſpem, rapturum ſubinde, & majori cum gloria hoſtem, quod cum minori ipſe ignominia propugnaculum non dediſſet; nihil conſtantia, nihil tempore profici poſſe; aliquantulum moræ crudelitatibus cauſam, belli reliquiis interitum allaturum; aut ergo properè munimentum, aut jugulum dandum hoſtibus eſſe, his argumentis Hybernenſis adſtrictus per æquiores tandem conditiones propugnaculum tradidit. Septem fermè horas in illo expugnando pugnatum eſt, & luctuoſa quidem victoria cecidit Luſitanis, cùm mille & octingentis amiſſis ferè militibus conſtitiſſet. Periere prætereà quamplures homines nobiles, quos inter altioris notæ viros icti graviter evaſerunt Comes Turrius, Didacus Melus; aliíque plures; Caſtellenſes ad quingentos interjiſſe dicuntur. Eo ita demum propugnaculo capto, cãpeſtríque planitie, & collibus ibi interjectis, ſtructíſq; munitionibus circumeuntibus Luſitatis jam expeditis atque ab illis omninò occupatis, cùm nihil obſtaret, per circũductam aggeris ſepem paulò poſt clauſa ferè tota civitas eſt. Suo deinde loco pro ſtatione milites dividit, tormentarios ſuggeſtus erigit, & quia Caſtellenſis exercitus nervos, & crebras ejus incurſiones hactenus metuebat, cæpit ex locis editis, atque munitis per majora ſæpiùs excuſſa tormenta belli interius civitatem affligere, commeatuum

cætera

cætera inopia, atque animi induſtria ſedendo, vel occurrentibus fortè cauſis, niſi armorum, hominúmque fiducia perſecuturus. Viarum itaque flexus, areaſque urbis frequentiores pilæ paſſim pervolitantes, cives ſimul, ac milites hautiebant; tegularum quoque multarum, ſaxorúmque evulſorum fragmentis quæ in illa vehementiùs impactæ pilæ diſtraxerant, plurimi ſternebantur, nec levia quandóque conſerta prælia, raræque licet irruptiones conterere ſenſim, qui ſupererat cladibus, militem deſinebant. Fames præterea influentibus undique malis acerbior, & gravior in urbe graſſari, & furere cæperat, tum, & noxia per eam in uſum recepta alimenta peſtilentibus ſimiles uſquequaque vulgare morbos. Itaque vario genere lethi cùm in urbe promiſcuè plures extinguerentur,& ad milites, cives, ac nobiles etiam illa calamitas inundaret, ſimul omnia in ſingulos dies arctiora fame, ferróque circuncluſos in loco premerent,& pejora ſubinde quoque metuerent,id tantùm ſpei reliquum erat, quo eò miſeriarum adductæ ſalus tunc urbis inniteretur; properâ ſcilicet externorum ſubſidiorum acceſſio.

Hujus autem civitatis obſeſſæ nuncio Mantuam Carpetanam allato, incredibile penè eſt, quantum ob rem improviſam ira, metúque commota, ac perturbata plebes primo illo vulgari impetu exarſerit ſeſe propè totam in Badacocium effundere. Rex præſertim,& aulici, miniſtríque ſuperiores cùm admiratio, mœror, pavórque ſimul cæpiſſet homines, requirebant, quæ mens, quíve ſenſus armorum, aut furor potiùs tunc Luſitanos exagitaret, jugum videlicet ſervitutis uno pene ſæculo toleratum, ac nuper magno cum illorum periculo devolutum, ſuis tam fractis, tam modicis rebus, tam arcto dominii limite circunſcripto, ſuperbè quodammodo imponere in Caſtellenſium cervices velle? Etenim ſi Badacocium hoſtilis ille impetus ſuſtuliſſet, jure deinceps toti Bæticæ metuebant. Ea namque per hoſtes, propinquitate, ſitu loci, ſtrepitu famæ, quæ plurima conficit, opportuna belli ſede retenta, regiones quoque finitimæ, quæ munimentis, arcibúſque carebant proniores, facilioréſque ex proſpero curſu fortunæ armis victricibus apparebant. Maximè tamen perculit Regem, intimóſque miniſtros moleſta quædam, vaníſque de cauſis & per occaſionem oborta prolatáque ſuſpicio, quòd alienis nonniſi conſiliis viribúſque incitati tantum oneris,periculíque ſubire ſibi ſumpſerint Luſitani, útque omnia ad ſe trahit, commutátque deterrimus ſemper rerum metus interpres, quæ per id tempus in Anglia, atque Gallia navales, atque pedeſtres copiæ alio forte conſilio prædpararentur, quaſi ad Hiſpaniam infeſtæ protinùs appulſuræ ſollicitudinem intendebant. Statim ergo plenóque Statùs, Bellíque collecto Senatu de ſumma rerum conſultum eſt. Ibi Turrianæ Medinæ Dux, qui huic ſemper adverſus bello gerendo fuerat, ſententiam rogatus cùm ita facundus, ut animo vanus, & ſermone dicacior eſſet, collegáſque modò graviter, modò jocosè perſtringeret, velut ſpreti ſæpiùs conſilii ſui à cæteris ipſe pœnas expeteret, denique cenſuit, In tanto Caſtellæ diſcrimine, populíque pavore, ac tumultu Rex ipſe, ut coram adiret, regiæque fortunæ ſplendore, ac terroribus circunfuſus ſupremam auctoritatem, & vim perduellium armis opponeret, ita quippè magnates, nobiles ferè omnes, emeriti milites, equitéſque torquati,& ſive ad obſequium,ſive ad Regis periculum propulſandum tota Caſtella quoque ſuis ſedibus excita opprimere quidem turbini ſimilis potuiſſet inſolentem, ac perfidum Luſi-

Aa 2 tanum,

„ tanum. Quò in ſede ſua magis uſu „ quodammodo immobilem ſe Hiſ- „ pana Majeſtas teneat, eò ampliùs „ cùm movere ſe ipſa, ac ſemel excu- „ tere cœperit efficacem in agendo fu- „ turam, hoſtibúſque terribilem. Hoc „ autem extremæ calamitatis remediũ, „ qua tempeſtate uſui reipublicæ fore „ putandum eſſe, ſi id omittere liceat, „ cùm Imperii caput, Hiſpani germinis „ flos, opulentior ærarii pars, Caſtella „ videlicet nunc armis conſtricta, & „ omninò concuſſa in ruinam deflexa „ jaceat? Quò longius inflatum belli „ claſſicum obſtrepat, periculi minùs, „ minúſque terroris ſpargere Caſtel- „ lenſibus, at circa omnium fortunas, „ circa communia tecta in honorem, „ in vitam minax propiúſque auribus „ accidens ſalutis certè non gloriæ, „ aut imperii certamen afferre. Nemi- „ nem pluſquam Regem, ſi hoc nau- „ fragium rei privatæ, atque publicæ „ ſi hanc fœdiſſimam tempeſtatem „ ejuſdem præſentia non anteverterit, „ amiſſurum, & omnia quidem per- „ mitti Hiſpanicæ gravitati pereundi „ præter licentiam poſſe. Hæc ſub- dola Turriani Ducis oratio acriùs, quàm credere quiſquam poterat Ludovicum Arum primum Regis miniſtrum pupugit. Illo enim commento ea Ludovico velle tunc æmulus videbatur aſtus, fraudiſque fila retexere, quibus olim per inimicos, & invidos captus è culmine gratiæ Regis Olivarius exciderat. Abſente quippe Catholico Rege ex vetuſto in Caſtellam tradito more ad Reginam pars regiminis pertinebat. Æquè infenſa, atque offenſa erat id temporis Ludovico Regina, ut nimio Regis erga privatum amore fœmina percita, & quod ipſa ut quondam Iſabellæ quoque Borbonicæ cum Olivario contigerat, arcanorum, clavíſque regiminis penitùs expers nihil à viri amplitudine & majeſtate niſi tori conſortium haberet; eadémque Regina quanquam ingenio mitis, ac facilis, & uſu, atque ætate regiminis rudis, naturæ tamen, aut conſuetudinis vitia quæ in aula præſertim ſpiritus inflant, atque ambitionem accendunt, excutere omninò minimè poterat; nec inſuper homines deerant, quíque ex alienis ſibi periculis ſagaciter ſolent emolumenta quærere, fœminam ſtimulantes, ne ſervitutem Regina, ſordidíque hominis ſervitutem perferret. Ad hæc multò vehementiùs, quàm ipſa Regina, quæ gubernaſſet, infeſtus, ac peſtifer, cùm Rex abfuiſſet, Aro certè futurus erat, quemcumque Reginæ tum imperanti Rex adminiſtrum, & comitem adjeciſſet; unius enim præpotentis invidia, & livore quodam animi affecti genere cæteri, & merito, aut opibus pares agitabantur, & cùm erga Arum jam gratia Regis excederet, pari quoque ratione, ac menſura ſuccreverat æmulis obtrectatio ac turbulenta Principatus ambitio; quem autem Reginæ gubernationi fortè ſedenti aſſidere Rex elegiſſet, is ut vetus æmulus Ari, ut recenti ineſcatus dominandi dulcedine, ſpéque maxima illectus honorem perpetuandi, ut fide, & officio cum Regina conjunctus formidabilior quidem in Arum inſurrecturus fuiſſet. Ita igitur Aro duorum præſertim in æmulorum inſidias, abſente fortaſsè Rege, cadendum erat, qui arctius in illum odio, quàm inter ſe munere, aut voluntate conjuncti, poſtquam rempublicam attigiſſent, alia forſitan emendare, alia vertere potuiſſent, novíſque regiminis inſtitutis, ac diſciplinis influere in aures, & animum Regis, volubilémque natura ſua Principis voluntatem attrahere, ſicut hujuſmodi quondam abſentiæ Regis occaſio (redeunt enim in orbẽ cauſæ rerum, & documenta) alia implente Regina, Olivarium præcipitem dederat. Hæc planè fluctuans dum ſecum deliberat

deliberat Arus, ſubit animum cogitatio, ut alio dolo dolum diſcuteret. Arus itaque Regem adit, ſupercilio, ſermone fictus ſeſe exhibet illi, ſpondétque novi exercitus Ducem, qui Badacocio laturus ſuppetias comparabatur, adjicit etiam, ſi eò fortaſsè, ut imprudenter quidam jactabant, pergere vellet Rex, periculoſum idipſum valetudini regiæ jam mole negotiorum, & corporis ægritudine attritæ, gravius ærario fore, ob immodicos ſumptus, quos ea quæ Regem deceret magnificentia, itineri contuliſſet; nec utique minùs timendum eſſe cùm dignitati, ac faſtigio, tum ſaluti perſonæ regiæ, ſi periculi plenam, & fortunæ ludibrio propoſitam armorum ipſe tractandam aleam ſuſciperet. Hæc fuſiùs Catholico Regi ut ejus diſceſſum ad Luſitaniam averteret, Arus expoſuit, nec planè ad hoc conſilium neceſſitudine tractum eumdem fallebat Arum, quid, ſi res conveniſſet, premeret ipſum diſcriminis à regio latere dudum avulſum, & vacuum ſinentem inſectatoribus locum, quídve potiſſimùm impenderet, ſi ad Badacocium, ut communis Mars erat, belliſque eventus incertus, malè pugnatum eſſet, dum ejus urbis obſeſſæ lapſus, gratiam qua is apud Regem hactenus effloruerat, prorſus opprimere minaretur. Nihil breviùs, nihil eſſe fugacius Principis gratia, quæ per longos etiam exhauſtos in aula labores homini ſæpè quanquam majora merenti nullo crimine, nulla cauſa, ſed velut tempore tandem effœta corrumpitur; quid ſi ei etiam ſua jam habitudine fragili offendicula comparentur? Nihilo tamén minùs cùm hinc, & inde ex diverſis orta conſiliis rationes, cauſas, accidentia futura gemina quaſi judicii lance perpenderet Arus, minùs ſibi timendum duxit, Badacocium cum copiis eundo à ſocietate Regis avelli, quàm Regis diſceſſu pati ut æmulus quiſquam Reginæ gubernatricis adjutor, & gratiæ ejuſdem, rerúmque novarum auceps in partem regiminis vocaretur. Quædam prætereà eouſque hæſitantem, ac dubium inter illos animi fluctus titillabat hominem ſpes, quòd ſerò eſſet Rex, aut difficiliter aſſenſurus à belli negotiis eripi ſibi Arum, ac longè per arma diſtrahi, & interim alia ex aliis impedimenta nectendo, aut in longum conſulta trahendo ſperaret obſeſſæ urbis remiſſo fortè timore, atque æmulorum ardore laxato Regem quoque non profecturum. Poſtremò cùm in hoc tortuoſo ſibi conſilio hærere plus ſpei videretur, periculi minùs, ipſum idcircò in re tam ancipiti ſibi amplectendum exiſtimavit. Verumtamen Aro ſecus, ac ipſe ſpe vana pellectus à Rege expectaverat, accidit. Jucundum enim factum eſt Regi, ad bellum Arum ſe ſponte obtuliſſe, quippè qui noverat illo inter arma verſanti non pecuniæ, non aliquid commeatus, nihil incitamenti, quo ad prælium extrema tentarent, militibus defuturum; nam penes ipſum claves ærarii, & præmiorum, atque pœnarum ſimul arbitria erant. Itaque Ludovicus ſpe lapſus, atque opinionis errore deceptus eam belli expeditionem quam ingratam ſuſcipere cogitur. Hac tandem ampliſſimè conſtituta, & per aulam, & foris etiam enunciata, ii quos utilitas, quos ſtudium belli; quos juventutis fervor impulerat, magno prætereà numero milites, atque Duces jam ſenes, & belli quidem præ ætate ſtipendiis emeritis, non autem ambitionis, multi quoque ex equeſtris militiæ ordinibus nobiles voluntarii, qui Mantuæ Carpetanæ nonnulli negotii cauſa degebant, inter acies, & arma civilem fortunam Aro Duce quærentes, ſimul turbæ adulantium, convictorúmque ſeſe Aro pro bello comites

addiderunt. Cæterùm altior his belli curis ſollicitudo, graviórque tunc apud aulam inter Principes viros exarſerat ambitus, quiſnam id miniſterii faſtigium quod, Aro abſente vacaret, vel ad tempus implere poſſet, niſi fortè perpetuum, ſi quis inter ipſos occurreret Regi, cujus blanditiis, ingenio vel indole captus ex primi miniſtri gradu Ludovicum expungeret. Hinc mille fluctus ambitioſæ, ſibíque ipſi nimium credulæ mentis, an quenquam ingenuè diligat Rex? an oderit Arum? an conſultò dimiſerit, ut à ſuo nempè latere abſtraheret? quid in amore valeat abſentia, quid opportuna tunc inſectatio, quid ſenio marcida gratia, quid invidia, quid optimatum conſenſus, urgere præſtaret in tempore Regem, an ejus ingenio relinquere, vel priùs introſpicere latebras animi, & inde cuniculos fodere, univerſos ingenii motus, rerúmque ſpecies, & cauſas pervolutabant, ut blandientem animo ſpem, affectíque ſenſus illecebras innutrirent, & molimina præpararent; effluere tamen, ſolvíque citiùs quàm reputabant hæc viſa expectatio proceribus eſt. Aro enim deinde commeatum à Rege petenti Rex idem teſtatus eſt, alacer iret, nec aliquid ſubtimeret, uſque ad reditum ejus in aulam, neminem ſibi intimorum ſecretorum participem, aut imperii collegam paſſurum, ſibíque ſedulæ curæ forè, ab omnium æmulorum inſidiis abſentis amici defendere terga qui caput pro ipſo belli periculis objectaſſet.

Itaque Ludovicus ingenti hominum comitatu, multiſque militibus honorariis adjunctis ſeſe Emeritam contulit, paucas à Badacocio diſtantem leucas ſubſidiarius ubi exercitus parabatur. Hinc nuncium ſtatim ad Sangermanenſe miſit, ſe Emeritam perveniſſe, plenáque inde acie ad urbis ſubſidium eſſe celeriter profecturum. Ex duodecim ferè peditum millibus, térque mille ſupra quingentos equites præter eos, quos Badacocii tutela per id temporis occupabat, novus cohærebat exercitus, quem ſub Regis Vicarii titulo Arus adminiſtrabat. Audit ejus adventum Sangermanenſis, cúmque ipſum & jure officii, & comitatis quoque cauſa deceret, primo quoque tempore occurrere cum exercitu appropinquanti, præſentémque accipere juſſa, dici in incerto conſilii fuit, quonam modo inter cuſpides hoſtium, inter pluentium ſibila glandium cùm tot eluctandæ manus, retundendáque forent arma hoſtilem aggerem tranſiturus perrumperet: intercluſerat enim undique viam longè, latéque valli ambitus interjectus; præterea quacumque ex aggeris parte Caſtellenſes in exitum niterentur, cùm hoſtis numero afflueret, minori negotio obterere paucos, eóſque via ſibi inter hoſtes expedienda, & certamine ſimul implicitos valuiſſet; propugnacula quoque ambienti, latóque interpoſita vallo, tormentíſque circummunita belli, cùm accedere, aut progredi milites in via lubrica vellent, nuda, atque obvia rendentium ictibus corpora exceptura fuiſſent. His anxiè primò diſcuſſis, cùm ſtabilis tandem Duci ſententia ſtetit, is octingentos ſelectos milites illa duo juſſit receptacula petere, quæ inter Santangratiam, & Xevoram imbecilliùs fortè munita, ac ſegniter tunc obſervata cuſtodes, vigiléſque tenebant: alii aliò tenderent, acritérque pugnarent, cúmque multis in locis ultrò, citróque intenti, ac multiplici prælio diſtracti, implicatíque hoſtes ſua quique munimenta defenderent, nec planè ipſi ſcirent, quò ſeſe tandem eſſet Caſtellenſium impetus projecturus, tunc alios trecentos pedites abſcindere juſſit aggeris partem illam, quæ media binos intra receptus, eadémque averſa dimicantibus erat, at-

que

que inde erupturis appoſita. Dubia præterea ad hanc repentinam irruptionem primi crepuſculi lux deſtinata non aptè collimari tormenta belli, nec è longè ſinebat frangentes aggerem conſpici; propiores verò cuſtodiæ fragore, & ictibus excitatæ quibus & periculum erat, ne propinqua receptacula amitterent, ſi totis viribus impedire Caſtellenſes in viam euntes & connitentes vellent, tunc vel exiguo numero, ac debiles concurriſſent, nec ita profectò ſatis interturbandis pro tranſitu hoſtibus erant, vel numero pleniori, atque ita per eum quem reliquiſſent locum, laxare oportebat evadentibus aditum. His ergo, ut res poſtulabat diligenter proviſis, ac porrò feliciùs exactis, cùm poſtea Sangermanenſis jam reſciſſum cerneret vallum, patentémque itineri viam, iis copiis relictis, quas adhuc pugnantes in receptibus diſtinuerat, eò confeſtim cum ſelectis militibus advolat, Moxicam caſtrorum Præfectum ad urbem obſeſſam cum parte equitum, peditúmque remittit, ipſe cum Duce Oſſunenſi, & equitibus propè mille Emeritam verſus iter inſtituit. Ut ſenſit hoc Luſitanus ſéque hoſtis virtute & induſtria deluſum, ſumptis, & raptim duobus equitum millibus præcipiti curſu in jam prætergreſſum proripitur hoſtem. Hunc aſſequitur tandem, clauſóſque perrumpere cùm minimè poſſet ordines, ejuſdem turbare veſtigia, atque extremam carpere cæpit, quam Dux Oſſunæ ducebat, aciem; curſímque ita paucis utraque ex parte confoſſis, aut læſis, ſalvis denique ordinibus Luſitanus ſe ſe recepit. Caſtellenſis recto, citóque ad Emeritam curſu contendit. Hîc, ubi Arus id temporis erat, poſtquam Catholici Regis Vicarium Dux Sangermani convenit, omníſque profuſis venerationis officiis complexus præſenem hominem eſt, coram omnibus liberè dixit, nedum Ari juſſa, & conſilia, ſed etiam verba, nutúſque in armorum tractatione, ac bellica diſciplina ſe ſe reverenter obſervarurum. Et revera ita ſimpliciter allocutus Sangermanenſis æſtimabatur, quippe, qui minimè dubitaret, omnes opes, & belli, pacíſque tanto labore, atque temporis ſpatio acquiſita ſibi ornamenta cumulatiùs ab Ari gratia, quàm à quacunque fortuna belli tunc acceſſura: tacita tamen, interioríque ipſe cum remorſus volvebat animo. Inani quidem jactantia, aut remeraria poriùs fiducia ad bellum à Rege miſſum uſus armorum plane ignarum, ac rudem hominem, qui ſummo cum imperio multipliciùs multóque graviùs errando alieno periculo diſceret, quíque ſummus repentè Dux, nunquam miles, bello aſcititius ex reipublicæ cladibus, prima, eáque nimis acerba militiæ documenta colligeret; perinde quaſi dare, priuſquam accipere juſſa, ſapere priuſquam addiſcere, aut magiſterium vim tyrocinio componi ex inſtituto militiæ foret: an, quia dicto ipſe audientes homines, hærentéſque ob munerum eſcam, & promiſſorum illecebras habeat, belli etiam addictam ſibi fortunam, cùm mars ardere, ac furere cæperit habiturum. Profectò haud ſecus nihil in bello quàm quidquam agentem Arum, vel aliorum gloriam ſuffuraturum, vel omnia inter arma perturbaturum, ac ſi afflaret modò fortuna, omnia ſe Arum, ſin autem illa reflaret nihil ſe egiſſe dicturum. Hæc in animo Sangermanenſis, hæc paſſim in ore militum, & non militum erant, alii verò muſſare, alii in circulis rodere, audacius nonnulli ut contractioris, aut latioris animi erant triſtitia, vel fremitu, aut riſu, aut ſalium aculeis palàm rem iſtam

jactare. Verum hoc ipſum reputans Arus, cùm tractabili, ac docili mirè uteretur ingenio, aulæque diuturna conſuetudine domito, ſæpè clam, palam ſæpè profeſſus Ducibus eſt, ni- „mirùm, Quò tanti momenti ex- „peditio auctoritate, ac ſonitu famæ, „ac ſpecie quadam inanium, quæ „per errorem quoque res magnas „ſæpiſſimè juverit, prævaleret, nu- „dum, ac ſimplex ſe Regis Vicarii „ſumpſiſſe nomen, in ordine vero, „ac regimine belli, quidquid juſſiſ- „ſet, quidve annuiſſet Sangermanen- „ſis ſe fideliter peractutum; ſe Re- „gem ei præfeciſſe, illum ſe ipſi eſſe „in omnibus præfecturum. Mutuis idcircò æmulationis, ſuſpectioniſque disjectis umbris, ac rumuſculis, qui inde manaverant rauceſcentibus, pari conſenſu parique ſtudio utrinque tractari res belli captæ. Emerita primò profectus exercitus caſtra metatus apud Lobonem eſt. Talaveram inde perrexit, ibique de more ſtipendiis, quorum temporanea ſolutione vegetior ad pugnam redditur miles, exactis, conferri deinde inter Duces cæpere ſententiæ, qua ratione, quo tempore, quóve loco vallum hoſtilem interciſuri Luſitanos aggrederentur, urbique jam labeſcenti prompta, ut petebat, ſubſidia præſtarent: ſimilis etiam ſollicitudo graviorique ſibi imminenti periculo major in conſilio tenebat hoſtes; noverant enim ex nuntiis de Caſtellenſium adventu, de numero copiarum, de affluentia omnis generis commeatus, déque Ari Vicarii Regis auctoritate, apparatuſque ſtrepitu, ac pompa, qua alia numquam pro bello major extiterat. Conſiderabant etiam diuturnam per urbis obſidionem cæde alias attritas copias, alias vulnere inutiles, fuga partim, terroréque dilapſas, cùm hoſtium, eorúmque recentium multitudini opponerentur, difficillimè ſtare poſſe, vel ob numerum admodum imminutum ampliſſimum aggeris ambitum ſuſtentare. Adjiciebatur, & vetus infixa, atque inſita illis opinio, vel ſuperſtitio potiùs mentibus Luſitanis, Caſtellam ſcilicet, funeri, tumulóque paratam Luſitanis operiendis ut plu imùm extitiſſe, & Caſtellenſibus Luſitaniam, qua tempeſtate alii, aliorum velut fatales tranſgredi terminos ſtatuiſſent. Inter hæc conſultantes, agitantéſque ea vicit poſtremò ſententia, cui Dux Vaſconcellus ſuffragabatur. Porrò inde raptim belli collecta vaſa, retractus exercitus, ſoluta urbis obſidio eſt, miléſque confeſtim in Luſitaniam actus. Ludovicus itaque Arus qui timore inſolito affuſus novus ut homo ad prælium ſe comparabat, Badacocium poſtridiè triumphantis in modum ingreditur, atque ita nobilis civitas poſt quatuor propè menſium obſidionem Ari felicitate, atque auſpicio ſervata eſt.

Cæterùm incruenta, atque illa ita obvia planè victoria, ut ſumma replevit Caſtellenſes lætitia, ita ingentem injecit illorum Ducibus curam, ne per inertiam ipſam fortaſſe, vel otium, vel malè conſulta labefactarent. Idipſum expeditionis initio cùm Duces Caſtellæ animo volutarent, antequam Badacocium obſidione ſolutum irent, Ari manu conſcriptos ad Regem miſerant codicillos, quorum ſententia erat. *Propediem implorata Numinis ope ſperare ſe Badacocium obſidione liberaturos, at ſi in aggere firmus, dum peteretur, Luſitanus inſiſtens, poſt expertam belli fortunam fractus è vallo fortaſſe ceſſiſſet, optimum factu videri ſibi, ducere ad Elvum celeriter copias, quo ut propinquius conflictu dilapſis effugium, veriſimile quidem eſſet, perterritos, ſaucios, victóſque hoſtes convolaturos, ſin hoſtis certamen conſultò declinans ſpontè*

tè ſua ſuſtuliſſet urbanam obſidionem, ruinæ tunc quoque imminentem, nec expugnatu ſanè difficilem illam videri urbem, cùm ibidem ex fuga propè ac tumultu major collecta hoſtilis exercitus pars oneraſſet, ac propè modum oppreſſiſſet repentè urbem infelici ſucceſſu territam, nec tam uberem alimentis, ſatis ut ipſa poſſet, quæ improvisò inundaſſet, multitudinem ſuſtinere, quæ ſimul conjuncta rei maximæ agendæ momenta temerè effuſa, aut fortè neglecta iterum recolligere, & in uſum aptare perquam difficile foret. Providet ergo Sangermanenſis, ut prius hæc ad Regem perferretur epiſtola, quàm ſigna cum hoſte conferret, aut Badacocii libertatem tentaret, quo fortè aſpirante fortuna, in tempore ſciret, quid ſtatim aggrediendum victoribus foret. Rex Catholicus ex hac litterarum ſententia, etſi in magnam erectus ſpem eſt rei feliciter ſucceſſuræ, id tamen, & gravioris quidem conſilii, ut ſui moris etiam in minimis erat, rejicere noluit ad Status Senatus arbitrium, ſemper incertus & animo ambiguus de voluntate procerum in Luſitania recuperanda, & tunc maximè, quod illius expeditionis bellicæ rector ſuperbo cum titulo aſſiſteret: quem à potentiæ gratiæque culmine, & cum armorum, opúmque Hiſpanarum ruina depreſſum immodicè optare inimicos, & invidos ſuſpectabat. Itaque Status Senatum cùm Rex Philippus prætermiſiſſet, unum ea ipſa de re, ſecretóque Marchionem Belvaſium conſuluit, ut externum, & Italum, & à partium ſuſpicionibus incorruptum. Belvaſius rogatus à Rege ſententiam, Ari, exercitúſque primorum per epiſtolam lato ſuffragio, votóque ſub-„ ſcripſit ipſe, addidítque. Inſignem, „ & magnificam eſſe profectò rem, & „ cujus ægrè ſimul alias in únum con-„ fluere partes progreſſu rerum, ac temporum poſſent, cogere ſcilicet " huic aliquando parem exercitum, " numero plenum, robore validum, " cui primus præſit miniſter Regis, " cui exuperet commeatus, quem " belli diſciplina contineat, quem flos " Hiſpanæ nobilitatis exornet, & cui " porrò acriores, multóque plures ad " prælio incumbendum addantur ſive " gloriæ, ſive fiduciæ ſtimuli. Hoc ip-" ſo itaque aut nullo impoſterum belli " conatu, præſertim ſi victoriæ calo-" re productus incitaretur, ſpei ali-" quid ſupereſſe, rebellium cervices " infringi. Quando igitur res Badacocii " proſperè ſucceſſiſſet, Elvum ſtatim ag-" grediendam, cujus etiam excidio re-" gnum integrum peteretur. Rex Philippus audito Belvaſio, cũ rationes ejus excuteret, & aliam ex alia ratiocinando difficultatem evolveret, adhuc hæſitans incertúſque genti inſita tarditate, & ſuo ipſe quoque perplexus ingenio, eóque tum ampliùs quod citra morem inconſulto Senatu calumniæ, & maledicto propior ingentis rei molem pene ſolus tractandam aggreſſus eſſet, vixdum explicare ſe poterat, conſiliíque exitum invenire. Animi tandem æſtuarione, ac mentis excuſſibus laſſus, nihilominus omnino fixum in argumento propoſito ſtatuens, Ludovico reſcripſit, eo ipſo, ſcilet Aro, qui coram in loco eſſet, quíque habitum rerum, inflexiones, cauſáſque fortuitas aſpiceret, quid utilius agendum pro tempore foret, congruentius neminem proviſurum, proinde, quod idem in re decreviſſet, planè ſe ratum, & integrum habiturum. Cætera in poteſtate fortunæ poſita. Dum Regis reſponſum Arus expectat, luſtratis interea de more copiis, inventa tredecim fere millia peditum ſunt, equitum verò ſex circiter millia, cùm inſuper ſupplementum ex locis finitimis acceſſiſſet. Et quidem ne otio corrumperetur,

peretur, aut laſciviret vagando miles, in Luſitaniam, invectus obvia omnia ibi ferro conjectíſque ignibus vaſtat, mox Villabuim contendit, priméque impetu cepit, diripuítque arce quoque facilè victa, ſtatímque deleta, ſtrenuo illa quanquam munita præſidio eſſet. Inde ad fontem cui Zappateros nomen vulgare eſt, populabundus progreditur miles. Hîc litteræ Regis redduntur Aro, quarum tenore agendarum in bello rerum arbitrium eidem Aro committebatur. Rurſus igitur inter Duces de Elvo obſidenda conſultum eſt, curam his maximè augente quod ita compoſitus ſcripſerat Rex, ut conſilia probaturus, ſeu improbaturus ex rerum eventibus eſſet, placuítque propterea exploratiùs, antèquam acies ad Elvum applicaretur, habitum urbis, hoſtiúmque ſecreta, motúſque rimari, ne titubante Rege, & quaſi de induſtria condente ſententiam, rei malè geſtæ fortaſſe ratio ab eorum capitibus peteretur. Itaque ex transfugis,captivíſque aliíſque ſummiſſis & pecuniis illectis hominibus, tandem in medium allatum eſt; Aſſiduo labore, ſumptúque Luſitanas paſſim exhauſtas langueſcere vires, & copias; ſimul cohortes quæ id temporis Elvum tenebant, hanc premere potiùs, quàm defendere poſſe urbem; ſi quidem pars major illarum inutilis, debilis ſemeſa propè corpora trahens, extremæque reliquiæ erant Badacocii nuper obſeſſi, deſtitutíque tantúmque tum pecuniæ tum alimenti in ea infelici expeditione conſumptum fuiſſe, ut Elvum, & Tranſtaganam undique oram frumenti caritas ingens, impendentíſque formido, mærórque famis, non minùs, quàm ipſa fames affligeret. Ad hæc ſævas in urbe diſcordias, & perpetua quotidie inter cives, & milites recrudeſcere odia, & cruenta per odia diſſidia, hos duris ex vana, ac diuturna urbis obſidione laboribus fractos, & ignominiis accenſos, illos contributionibus, & inſolentia militum fatigatos, & valdè preſſos; quæ interiora quidem vulnera, externa ſuper addita vis exacerbare magis, quàm allevare, aut reſolvere potuiſſet, cùm cauſa utriſque diſſidii præſens modò calamitas ſit, & alia, ac deterior affectæ ita urbi per obſidii vim, & ſqualorem adjuncta, graviorum inſuper odiorum, ac ſimultatum incendio ex cauſæ incremento, nova nempe moleſtia futura ſit. Hæc in belli volutata conſilio, & ſi fide exploratorum tantummodo niterentur, qui fallaces plerumque ſunt, aut leves, aut quærentium auribus adulantes, aut ſaltem, quò gratiùs relata hominibus incidant, falſi aliquid affingentes, vera tamen ex parte, ut non procul à vero erat, ſatis ſpei videbantur, ſatis afferre prudentis arbitrii, ut ſano tandem conſilio hujus urbis obſidio capeſſeretur; cúmque hujuſmodi conjecturis eo tempore adducti omnes alacres, ferocéſque in eamdem ſententiam irent, Dux unus Sangermanenſis, quod Aro, aliíſque in negotio illi clam aſſentantibus palàm adverſari metueret, callidè pertentare conſiliariorum animos cœpit, velut obiter quædam, & verborum ambage jaciens de hyemis propè jam ingruentis incommodis, quorum onere quondam Marchio Turrecuſius oppreſſus ideo irritus tandem ab ejuſdem urbis obſidione diſceſſerit. Jámque in ejus ſententiam, quam præ omnibus æſtimabat, Ludovicus tranſierat. At Comites ejus, iidémque nobiles viri jam Badacocii ſucceſſu tumidi, & adulantium inſuper hominum conſiliis impulſi, nec breve ob temporis ſpatium, ac prima rudimenta militiæ alterius experti fortunæ partem ſibi ipſis in cauſa fallaciter indulgebant, prono, ut credebant,

bant, hujus urbis excidio, totius Luſitaniæ converſionem in animo amplexi. Proinde adeò acriter illi ſimul annixi in rem tam ancipitem ſunt, ut Sangermanenſis, Aríque ſententiam torſerint. Elvi itaque obſidione magno conſenſu, & juniorum fiducia decreta, eò ſtatim infeſtus exercitus ducitur. Edito, atque aſpero ſita loco, & inſidiis, aut fame tantummodo, ut ſupra diximus, expugnabilis eminet urbs. Præerat Elvo tunc temporis Sancius Emanuel ingentis ſpiritus vir, uſúque deinde armorúmque felicitate inter omnes Luſitanos inſignis. Is ubi manifeſtam urbis obſidionem vidit, muniri continuò Divi Franciſci Cœnobium ad teli jactum procul ab urbe poſitum, juſſit. At ea ſubita rerum, animorúmque turbatio, quam primus hoſtilis aſpectus intulerat, & ampliùs ejuſdem celeritas hoſtis, nequaquam abſolvere illa opera juſſa dedit, priori, ac valido etiam aſſultu operarios ſimul, ac milites deprehendentis. Abundabat milite Caſtellenſis, omníque induſtria, terrore, ac machina belli, qui adverſus cœnobium primum impetum faciens, ubi illud undique circunſiſtit, atque acerrimè premit, pari quoque ferocia à Luſitano primùm excipitur. Tonnentariæ ſæpè conjectæ pilæ, ſcloporum utrinque volabant glandes, jacula, ſaxa, facéſque contorta; at ſclopis præcipuè res agebatur per aditus rimas, cœnobiíque feneſtras, alióſque apertos ex compoſito cavos excuſſis, tormenta quoque belli ſupra muros diſpoſita eodem tempore civitas diſplodebat, quæ in ſocios igneos per globos, hoſtéſque ſimul impacta ancipitem ſtragem edebant, nec aliter Sancio dabatur opem afferre collabentibus ſociis, cùm nondum aggere ab hoſtibus jacto, nec ſtationibus milite diſtributo, totius penè exercitus robur, cui pares non erant Sancio quas opponeret, copiæ, in cœnobii ruinam incumberet. Tandem cœnobium tanto ardore, impetúque jactatum, tanto numero circunfuſum multo ſudore, multáque ſanguinis copia Caſtellenſibus ceſſit, quamplurimis Luſitanis primo impetu cæſis, captivis inde aliis abſtractis, inter quos primus erat Breganții cubicularius valetudine eo tempore affectus, cujus corporis ægritudinem angore illo animi, & captivitatis præcipuè aggravante moleſtia, paulò poſt morbo ac ſimul mærore confectus interiit. Captum hoc modo cœnobium cuſtodiendum continuò traditur Martino Sancio Tribuno militum, qui illud celeriter reſtauravit, permunivítque Santangratiæ ſubinde, quod extra urbem ſitum erat in colle templum, infirmóque præſidio munitum Caſtellenſis aggreditur, ac ſubitò capit, primo irruentium tumultu, his qui hoc defendebant, præ paucitate ſibi diffiſis, quóque ſors, impetúſque tuliſſet, elapſis, nonnullis, qui audaciùs reſtiterant, interfectis. His prominentibus locis, tanquam tutis hoſti receptibus, ſpeculíſque occupatis, trahi militaris exemplò valli ambitus cæptus, atque ſtativa militibus conſtrui. Sangermanenſis, & Roderici quoque Moxicæ ſupremi caſtrorum Præfecti ſedes in medio Olivarum è regione urbis affixa. Hinc non longè Gaſpar Cueva tormentorum belli Præfectus conſtitit. Alfonſus Feixus Tribunus in jugo Palmitti cum una legione conſedit. Viam Duci Oſſunenſis, quæ Uliſiponem ducit obſedit. Ultra rivulum, qui Divi Franciſci dicitur, bina erepta propugnacula ſunt, ac Nicolao Cordubenſi impigro Duci tuenda commiſſa. Aliud his quoque ſimile in vertice Santangratiæ conſtructum Ludovicus Zunica item Tribunus cum ſuis militibus defendendum ſuſcepit. In limine viæ quæ Campomajore contendit, quædam

dam velut ſepoſita jacta caſtra, quod inde procliviores hoſtium incurſus prætimerentur. Ludovicus Arus in valdè remoto, ſecretóque à cæteris loco, quippe cujus ſaluti multis de cauſis præſertim conſuleretur, inſtiterat. Per reliquum terræ tractum quatuor aliíſque majora propugnacula poſita ſunt, multo ipſa pedite, multo equite communita, quorum ordine, ac ſitu totius valli circuitus continebatur. His rebus ita compoſitis ſtatim defertur ad Regem, eſſe jam Elvum circumvallatam, valli præterea amplitudinem tam longè, latéque per gyrum extenti, vel ad ſingulos menſes tria ſibi millia ad tutelam poſcere hominum in pereuntium quotidie militum ſupplementum; cùm alios progreſſu temporis fuga, alios corporis ægritudo, multos frequens quoque per arma interitus exhauriret. Perfici ea ſine mora; quemadmodum res poſtulabat, Rex Catholicus juſſit. Fatali tamen quadam experta pernicie, qua tempeſtate & ſuo cum dedecore Princeps alterius alligatum arbitrio jus imperii, mentémque teneat, hæc ſive incuria, ſive Ari æmulorum invidia, ſive ærarii quoque impotentia omninò fruſtrata ſunt, ſupplementíque defectu opinione celerior jam illa enervari cæpit obſidio, & obſidentium flacceſcere ſpes, animíque conditio; interim obſeſſorum, qui interiùs affli ctabantur, Sanciíque Emanuelis ſollicitudo nihil remiſſum, aut languidum patiebatur in his imperandis, exequendíſque quæ opus tutelæ erant. Mœnia extra urbis, nec longo ab hac intervallo quædam præcepit munimina conſtrui, quæ vim hoſtium arcerent, conatúſque ad majora laſſarent, ſimul ut eſſet ubi pecori pabulum præberetur, cujus eo tempore uſus jam obrepere incipientis haud exiguum in civitate famis levamen erat. Dum hæc Luſitanus agebat, nec forinſecus impediri, ut à tormentis belli protectus poterat. Sangermanenſis jubet Oſſunæ Ducem cum equitum, peditúmque turmis immiſtis receptus quoſdam invadere hoſtium, qui juxta Sanctam Eulaliam erant, nec procul ab urbe, & quibus Luſitani tunc utebantur, ut aliquando carptim, & quaſi furtim commeatus in Elvum importarentur. Eò properat Oſſunenſis, atque acerrimè invectus in hoſtes primo impetu, ac magna ſtrage propugnacula cepit, quæ ſtatim exciſa, everſaque ſunt; imminutis paulatim copiis, lineæque vallaris circuitu non ſinentibus amplius ad novorum tutelam locorum diffundere vires. Eodem calore militum uſus poſtremò Oſſunenſis, quæ urbi propinquæ erant, moletrinas occupavit, ſtatímque disjecit: Coarctari propterea vehementer urbana cæpit obſidio, propiúſque hoſtis civitatis incurrere muros, unde ſeptis evulſis, atque operibus laceris ſæpè rapta, ſæpè ſubrepta ſunt, quæ circa muros armenta paſcebant. Jámque liberiùs effuſus in campi latitudinem hoſtis omnium collium, receptuum, munimentorum, quæ undique urbi circumjacebant, everſor, aut Dominus exultabat, & eóuſque obſidione conſtricta civitas erat, ut niſi prompta ſubſidia fuiſſent, primo quoque tempore videretur, aut morſibus famis, aut armorum conatibus peritura.

Inter hæc ubi primùm Uliſippone eſſe jam Elvum obſeſſam per certos nuncios compertum eſt, ingens cum metu ſollicitudo Aloiſiam Guſmanam regni Gubernatricem, ſimilíque triſtitia, pavórque ipſius adminiſtros, cives, regníque incolas omnes affecit, cùm abſque dubio propoſitum omnibus eſſet, eum univerſum regnum fore exitum habiturum, quem circunſeſſæ illi urbi fortuna conſtituiſſet. Jámque homines nunc pudebat, nunc pænitebat, nervis

ſe

ſe imparibus auſos irritare valentiorem, & velut ſomno, febríve torpentem fortè leonem admotis ſtimulis excitaſſe, cùm expeditionem in Badacocium capeſſere ſtatuiſſent; cujus ſuſcepti periculi facies, & rationum, conſiliorúmque quæ ad Caſtellenſium irritamenta valuerat, imago, cùm res ex voto non ſucceſſiſſet, illis jam altera videbatur. Inde fremitus, quæſtus, & populi concurſatio, variúſque diffuſus undique rumor horum aliquid affingentium, horum deterrima interpretantium, alius in alium more ſtultorum ærumnæ culpam rejiciebat; ulceribus odii jam nova de cauſa tefrictis, quæ occaſionem detractionibus dabant. His acceſſerant etiam inquieti, ſeditioſi, turbidi cives, qui hos conſultò rumores alebant, & ignibus ignes ad incendia majora extollenda confictis mendaciis ſuppeditabant. Quantùmvis enim bene compoſito, ſuíſque temperato inſtitutis, ac moribus regno malevoli numquam, aut invidi, aut quæruli aut detractores homines deſunt, iíque præſertim qui jure, aut injuria ab affectati regiminis partibus retrahuntur, quorum etiam nonnulli clanculum erant Caſtellæ partibus implicati, alii, qui & ſtultè non prorſus afflictam rem Luſitanam vellent, at periculis laborantem,ſi propterea fortè immutata gubernatione reipublicæ dejectorum illi ſubirent locum, quaſi loro comprehenſam ita quiſpiam fortunam duceret, ut inſuper ipſa, cùm ſemel iraſci cœpiſſet, teneri fortaſſe poſſet, ne ad rerum omnium interitum, & uſque ad cinerem deſævirет. Itaque civitas & univerſum omnino regnum tantæ rei novitate commotum ſtudia certatim opes, & animos applicabat, ut pro ſubſidiario exercitu comparando militares ubique delectus intenderentur. Proinde valentium juvenum robur ex toto regno collectum, emeriti quique milites, adoleſcentes etiam, qui Eboræ Conimbricæque ſimul litterarum vacabant ſtudiis, quíque ex ſervitiis, operúmque officinis extracti prælio haud inutiles cenſerentur, Uliſipponem omnes convenientes arma ferociter depoſcebant. Pes ſuperetat Luſitano, equite tantum egebat, cujus robore, & copia ſatis ſciebat Caſtellenſem affluere. Per idoneos ergo ſummiſſos tractandis animis militum homines, qui multa priùs dantes, majora impoſterùm pollicentes pecuniam illecebris admiſcebant peractum eſt, ut Caſtellenſium equitum circiter millia tranſitionem ad Luſitanos facerent, quos porrò quanquam neque cibaria, neque certum ſtipendium deficiebat, eo tamen vel inconſtantia, quæ aura quoque in vulgaribus levior eſt, vel rerum novarum, vel amplioris cupido lucri ad hanc infamiam detorſit. Dum hæc impigrè Uliſippone, magnóque ſtrepitu comparantur; Dux idem Sangermanenſis poſtquam anxius in animo volvit, & obſeſſe firmitudinem urbis, & adeo ſonorum contrarii belli apparatum, ſimul extenuationem, & laxitatem exercitus ſui, tum etiam hyberni temporis inclementiam, & aquarum alluviem, qua inequitabile ſolum, & aqua, cœnóque fluidum communionem militum, & commeatus vectationem impediebat, propugnaculum novum, quod ducentos caperet milites, juſſit in ſingulis ſtationibus excitari, eóſque irrupturos ab Elvo hoſtes quò ſubſidiariis, quæ citiùs debebant accedere, copiis adjungerent ſe, munimento, & corporibus intercludere; in unum quodque propugnaculum etiam, protrahi ſi fortè rem accidiſſet, bellicam munitionem, ſeptém

prémque alimenta dierum congeri juſſit. Inde munimenta reviſit, neceſſaria præcepta dedit, ſpéſque ampliores, quibus intimè affectus eſſet, magnificè loquens, ut animos elevaret, militibus jecit. Inter hæc exercitus Luſitanus Uliſippone Extremotium adductus novo ibi milite qui ſpoliatis ex propinquo præſidiis, conveniebat, infarciebatur, cùm Sancius Emanuel Cantagnedæ Comitem ſummum exercitus Ducem monuit. Urgeri jam Elvum, & acriùs quâ victus inopia, quâ militis morbo magis, quàm fame perempti; facto igitur, & maturato opus eſſe, ut priuſquam ab interna, atque externa ſimul concuſſa calamitate, & quotidie magis afflicta ſuccumberet urbs, obſidione liberaretur. Multos enim præter malorum æſtus quibus longo tempore obſeſſa quemcumque jactari civitas ſoler, hîc corporum etiam affectio ex Badacocii obſidione contracta rapidæ more peſtis effuſa plurimos ſupra cives, ſeptem quoque militum millia incluſorum in urbe ſuſtulit. Quod erroris initio cauſam Caſtellæ Ducibus præbuit, & quod detrimento eſſe debebat urbi, hoc maximè profuit, antequam enim eam circunceſſam accederet hoſtis, integro illorum, qui ibidem agebant numero, ratáque ſingulis portione ad calculos revocata, vix triginta diebus ſepoſita in urbe alimenta ſuffectura conſtiterat, quo certo temporis ſpatio nec ad ferenda civitati ſubſidia Luſitanæ in tantum augeſcere copiæ poterant, nec Caſtellenſes imminui, ſed validior utcumque fortuna ſapienter quoque proviſa tranſvertit. Dux Luſitanus cùm hujuſmodi Sancii epiſtolas accepiſſet, properè copias ab Eſtremotio deducit. Erant tunc illæ ad juſti exercitus formam duodecim ampliùs peditum millibus, equites verò ad ter mille ſeptingentóſque præter ruſticorum, operarúmque colluvionem, quæ eumdem exercitum auxerat. Læti milites ingentíſque ſpei pleni, ac reciproca hortatione firmati gradus addētes ad conflictum pergebant, quippè qui patriam, & libertatem in manibus ultum exiſtimabant. De Cantagnedæ maximè Comite hujus exercitus Duce, ſæpè audiviſſe meminimus, nec id vel à faſtu, vel ab indole Luſitana diſſentit priuſquam ab Eſtremotio moviſſet, per litteras Aro prænunciaſſe, qua ipſe die, qua etiam hora ſubſidio ſociis venturus eſſet, quibus ſubnixus copiis, qua parte vallum ſciſſurus eſſet, quid ad pugnam conſilii, quid animi afferret. Tantopere valet animus cujus tantummodò intuitu alio alius homo præſtantior eſt. Tempore igitur conſtituto ad tormenti bellici jactum obſidionali ab aggere diſtans Luſitana conſpicitur acies. Stetit ibidem pauliſper immota, retrò inde flectere ad Campomajorem iter perſpecta eſt, & propter obicem valli, frequentémque loci cuſtodiam, ut nonnulli falsò credebant, diffidere propè ſibi. Paulò poſt tamen flexiſſe viam ut ſoli, ſitúſque commoditatem quæreret hoſtis, compertum eſt; nam obvio, qui intererat, quodam, ac feſtinè trajecto rivulo, ad aggerem hoſtis qui Santangratiæ colli, & Nicolai Cordubenſis propugnaculis interpoſitus erat, appropinquabat. Sic Luſitani conſilio cognito, ſtatim Sangermanenſis aggere, ac munimentis, ubi plus periculi erat, militia pro tempore ſatis firmatis, cum univerſo ferè equitatu, & aliquot peditum robore ad Santangratiæ collem quò prima belli ruitura procella jam videbatur, contendit, in cujus radice ſubſiſtens explicat aciem, atque ordines inſtruit, ibi tam benè paratus quàm animatus Luſitanum appropinquantem excipere.

Jubet

Jubet etiam Petrum Diarium equitum Commiſſarium eorum, qui obſidio conſtricti intra murorum ambitum erant, obſervare, ac ſuſpicere motus, & tentamenta, quæ propiores adeſſe jam ſibi ſuppetias intuitos, tunc cogitare, ac moliri, neceſſe erat, cúmque erupiſſent ab urbe occurrere ſtatim cum cohortibus ſeptem, ac totidem equitum turmis viáque occupata, aut præciſa, curare, ne ſe quoquo pacto vel ſeriùs omnino poſſent advenientium in auxilium agminibus immiſcere, conjunctóſque intendere vim. Uterque hoc quem diximus ordine exercitus, ſronte alter alteri obverſus integram noctem traduxit. Prima luce lento gradu, æqualique ac fulgentibus armis accedete ſenſim ad vallum Luſitanus conſpectus eſt. Tunc Oſſunæ Duci præcepit Sangermanenſis, ut eò cum equitibus advolaret, ubi primum facturum impetum hoſtem intelligebat. At hic cuneis hoſtium in medio validis tamquam muris oppoſitis, quo ſummè tetendit penetrare minimè potuit. Petrus verò Diarius cui mandatum à Duce fuerat certis cum copiis objicere ſe Luſitanis à circumſeſſa irrumpentibus urbe, ne cum externis coire ſubſidiis, confirmaríque multitudine poſſent, dum obliquos per tramites latiùs circumflectendo aſſequi improvidè nititur hoſtem ſpatium ei dedit impunè prætereundi. Ab ea igitur vallaris ambitus parte, cui minitatus initio Luſitanus per litteras fuerat, & ubi Nicolaus Cordubenſis aggerem defendebat, incurrit. Ibi conſerta, qualis primo eſſe ſolet impetu, animíſque recentibus pugna, bis Caſtellenſium virtute loco truditur Luſitanus, magiſter equitum ejus confoditur, cumulantur quamplures cæſi gregarii commilitones, ex parte quoque Caſtellæ fortiſſimus quiſque vulneratus miles, aut cæſus, captus etiam pugnando eſt Medellini Comes ex Hiſpaniæ magnatibus unus. Jamque errore tum, vel ignavia Diarii, qui præterlabi ſiverat hoſtem, ad vallum armatus ab Elvo civis, ac miles emiſſus obſidionalia ſepta diſrumpere conabatur, ut ibi ſociis conjungeretur. Tunc porrò ferocius certamen accenditur, miléſque Caſtellæ ancipiti prælio diductus, implicatúſque cum minori etiam numero cogebatur modò intra, modò extra vallum manus cum hoſte conſerere, qui ab Elvo cucurrerat terga, qui Elvo ſuccurreret frontem urgente. Clauſus denique ac paſſim agminibus preſſus Caſtellenſis in fugam, qui dexterum cornu adhuc acriter ſuſtinuerat, avertitur eques. Quod ubi videt Sangermanenſis, ne pedites pugna feſſos aláque illa equitum denudatos faciliùs jam Luſitanus circumveniret, ipſe celeriùs cum ſelecta manu ſuccurrit. Extremum diſcrimen erat, quia ferè omnia ſuperior tenebat hoſtis, dignum tamen eſt viſum, quod capiti Ducis diſcrimen compararetur, cum è Ducis perinde ſalute, ac exitu rei totius eventus fortuna penderet. Dum ergo Sangermanenſis plena armorum, plena virorum in vim intendentium agmina rumpit, multitudine circunfuſus per ſclopi jactum in capite ſauciatur, equóque delapſus, ac ſenſibus deſtitutus moribundo ſimilis cecidit. Vulnere Ducis, caſúque tunc mortifero credito, conſpectóque, profligata, ac ferè momento proſtrata omnia Caſtellenſibus jacuere; nam inde repente militum fuga, tumultus, ac morientium ſtrages; ſtantes, qui fugiebant, lætum ſuperiorum clamorem ac ſtrepitum cadentium, atque ſpirantium voces, & gemitus confundebant: ſic illa contrita, ac penitùs diſſipata celeriter acies

eſt, aliis occiſis, aliis offuſo pavore, aliis incidentium agmine impulſis; nec ulla terroris, calamitatis, aut mortis imago deerat, ubi ſemel à metu vacuis laxare iram odio, atque impetu ſimul Luſitanis furentibus datum. Nullo igitur in eo angulo aggeris obſiſtente, ſtratáque cruore, & cadaveribus via, ſtatim revellitur agger, commeatus referta vehicula intrant ex urbanis, & quæ ad ſuppetias convenerant copiis ſolida, ac plenior conflatur acies, omnia poſſidet Luſitanus. Cæterùm Sancio jam Duce Sangermanenſi, multáque contentione, aut labore ex manibus hoſtium fatóque ultimo erepto, poſtquam Roderico Moxicæ ſupremo Caſtrorum Præfecto denunciatur, laceratum ab hoſtibus eſſe vallum, Caſtellenſes ibi conciſos, intromiſſa ſubſidia hoſtium, Sangermanenſémque Ducem graviter ictum, & elatum ab acie ſeminecem eſſe, ipſe, cùm primùm in imperio militiæ gradum poſt Sangermani Ducem haberet, tunc Caillæ ſe juxta rivum, qui ponte conjunctus erat cum ſuis militibus communivit, ibíque primam uſque ad noctem cædis legendo reliquias, & brevia certamina, excurſionéſque trahendo ſubſtitit, donec miles qui fuga ſuperſtes eò ſalutis cauſa confluxerat, inde incolumis pertranſivit. Hoc autem recepto Caſtellenſibus tuto, arque acie poſtrema integra, hoſticæ prædæ ſubtrahi facilè potuiſſet belli magna pars tormentorum, ni multo limo, ac lubrico ſolo vehicula hærentia, & ſuis etiam jumentis implicita mox intercepta ab hoſtibus forent. Etenim Luſitani cùm aciem bifrontem conſtituiſſent, hinc ad præcipuum certaminis locum, aggeríſque ſcindendi verſam, hinc ad iter, quod ſi fortuna arriſiſſet, qui fuſi fugam arripiebant, ingreſſuri fuiſſent, cauti plus poſteà quàm celeres ſéque tenentes in iracundia, terga hoſtium ſectandi cauſa noluerunt ordines, adhuc viribus inexpertam, & certamine intactam poſtremam timentes aciem, & quod paſſim contracti, conſtipatíque hoſtes, ſi extremo quod jam vigebat, robori jungerentur, inſtaurare conflictum, ac tentare fortunam poterant. Idque porrò Comitis Cantagnedæ militari prudentia, animíque modeſtia contigit, qui modicè, ac temperanter acquiſita victoria uſus, ſatis vincendo habuit à ſe ſublatum urbis obſidium, fractóſque ſibi ceſſiſſe hoſtes; ratióque potiſſima eſt quia nondum Luſitanus patenti campo, juſtáque ac nobili acie aſſuetus vincere Caſtellenſem in eo ſe longè viciſſe putabat, quod victus ipſe non eſſet. Cæſa in eo prælio Caſtellenſium ſupra duo millia, ſauciorum par fermè numerus, pauci admodum capti ſunt. Ex Luſitanis ad dimidium interiere. Infelicitas exitus, qui nec modicè res, animóſque Caſtellenſium afflixit, quia ſuas quoque fortuna perhibet cauſas, impedimento Oſſunenſis, ignaviæ Diarii, vulneri Ducis adſcripta populariter eſt, Elvúſque poſt trium ferè menſium anguſtias in hunc modum obſidioni tandem eximitur.

At Ludovicus Arus qui aleæ ex tuto ſpectator aſtabat, cùm omnino inclinatam pro Luſitanis fortunam cerneret, cúmque jam agger perruptus eſſet, ſua minùs formidine, quàm aſſentantium impulſus illecebris amicis, ac famulis comitatus Badacocium ſe ſe recepit. Eò revectus, necdum mœrore diſcuſſo Regi Catholico ſcribens paucis verſiculis rerum eventum expoſuit, fortunam in eo criminatus, & fatum hoc ſcilicet quaſi clavo immutabilem rerum ordinem figens, rota illam frequentem hunc inter homines, & in bello præcipuè

puè ludum colludere ſolitam. Robutiſſima quidem ratio niſi æquè ab ignavis, ac fortibus viris hæc promiſcuè uſurpata locutio eſſet, quò & inſuper cauſa, & uſus, & rerum in agendo tractatio, ne omnino inertiæ, atque virtutis diſcrimen cum prudentiæ interitu pereat, in uno quoque caſu quærenda ſunt. Hac epiſtola reddita Regi, & ſi ille ut par erat, rei bellicæ eventum acerrimè doluit, Arum tamen quamquam abrupta, atque horrida omnia ſibi ex illo infortunio paventem, revocatum ſtatim ad aulam in eodem, quo aliis anteà præſtiterat, auctoritatis, & gratiæ loco retinuit, ubi & Ludovici profectò ob volubilem gratiam Regis cruciaribus animi multùm afflicti, & ferè omnium expectationem fefellit Rex pro certo ex inde vaticinantium uno ſub illo fortunæ ictu qui cætera proſtraviſſet, occaſurum denique Arum. Nec defuere propterea qui in tanto tumultu, quantum in aula foríſque ciere funeſtiſſimi nuncii repentinus adventus potuit regii tunc pectoris latebras attrectare; & ad ſortem in tempore augendam occaſionem ſubitò arripere omni ſtudio, atque induſtria. Turrianæ Medinæ maximè Dux qui ex æmuli caſu tamquam regio ipſe lateri propior aſſurgere ſpe vana tumidus intendebat, cùm multa ex occulto, & pleraque falſa in Arum jacula contorſiſſet, ſemel etiam prolixiùs extracto cum Rege ſermone, inter alia velut caſu jeciſſe dicitur, impenſiùs perperuò ſe annixum bene de Rege mereri, ſed inter multa, ejuſque præclara in Regem officia, hæc potiſſimùm ducere, quod ferè nulli paruerit mandato Regis, quo tempore Prorex Neapolim gubernaret, longiora quippe mandata inter tot momentaneas converſiones, & volubiles rerum vices, cùm rationem in uſum ſæpiſſimè variarent, ut monita ſæpè aut amicorum conſilia procul habenda ſunt; quod oblatum Mediolani regimen abnuiſſet, quis enim ſuo niſi, alienóque periculo fatuus rectè inter arma mandare ſciat, qui hoc armatus numquam didicerit? quod privatas offenſiones, & æmulorum injurias ipſi Principi condonaſſet, privatas enim injurias reipublicæ, quæ omnia ejus ſpiritu ſuſtinet, ratio exhaurire penitùs debet; qua Turrianus oratione ſubdolè ac furtim repungere Arum creditus eſt intendiſſe, qui impunè ipſum Medinæ Ducem apud Regem afflixerat; quique belli omninò imperitus, ac rudis unius diſcrimen exercitus auſus eſſet cum tanta Regis pernicie pro rudimento militiæ ponere. Verumtamen illi viro ad conſervandam, augendámque Principis gratiam ex naturæ atque induſtriæ partibus miſtum mirabile quoddam acceſſerat. Aro enim præter gravitatem, juſtitiam, & morum elegantiam, atque modeſtiam aliáſque inſignes animi dotes ex naturæ temperamento compactas, quædam etiam aderat ars, & ſublimis acumen ingenii, quo accuratius quidem ſtudebat gratiam Regis non oſtentare, nec temerè prodere illam invidorum aculeis expoſitam; poſſe, quam ita videri tutius exiſtimabat; ſua quoque conſilia velut rudia, & informia tam ſolerter, tam cautè ſubjicere Regis arbitrio ſolebat Arus, ut uſui illa poſt adhibenda Rex ipſe digerere, acuere, & ſuo quaſi marte parere videretur; præterea magni momenti ſi feliciter quid cecidiſſet ut ſapienter ab Aro conſultum, & ordinatum, idipſum fortunæ attribuere ſolebat ille vel caſui, ſemper multò minùs ſe Rege ſapere, minúſque videre per induſtriam aſſimulans; nihil eſt enim regiis auribus inſolentius, &

gravius quàm arrogantia, nimíſque jactata fiducia ſui, ſapientíſque opinionem, & laudem mereri verbis, quàm rebus malle; ſocium quippe laborum conſiliorúmque participem diligunt Reges, regni magiſtrum, & pedagogum imperii quantopere quiſquam ingenio, aut fortuna ſuperior eſſet, abhorrent. Ita nimirum, quæ æmulorum invidia, ſparſóque livore, aut faſtidio Principis ruere ſæpè, & comminui videntur in aula, moderationis æquè apud æmulos, ac apud Principem ſuſtinet uſus. Hiſce artibus Arus, ſed fortunæ favore quoque qua nihil adverſa in hac maximè cauſa procedere poteſt, adjutis, inviolatam, & integram, atque æmulorum ictibus inconcuſſam dominationem, & gratiam in regno fovit, cúmque Olivario longè ipſe poſterior in aſtu, judicio, ac diſciplina regnandi eſſet, docilitate tamen, atque patientia, quæ inter aulicas eminent artes, naturæque adjumento major diuturniùs, ſibíque tantummodò morte interruptum Imperii arbitrium gratiæ Regis annexum tenuit.

Hoc periculo tandem Ludovicus explicitus, & propter acceptam cladem, & ſuam quoque in illo negotio exiſtimationem attritam vehementer perculſus, & Luſitanis maximè offenſus, concordiam, quæ lentè ac remiſsè cum Hiſpano, Gallóque per id tempus agitabatur, ſtudioſius deinde tractare cæpit, ut ab infeſtiſſimo tandem ſolutus hoſte univerſas Imperii vires in Luſitaniam converteret. Conſultum, & ſeriùs itaque primò in Hiſpano Senatu eſt, quiſnam ex Europæ fortè Principibus diſcordiarum inter utrumque Regem, certaminúmque compoſitor, & pacis quodammodo arbiter auctoritate uſúque melior æſtimaretur, an Cæſar? an ſummus Pontifex? an Venetorum fortaſſe respublica, tanquam omnino integra, & à partibus ſeparatâ? Evenerat porrò, ut in re illa nec levi de cauſa Cæſar haud minus Hiſpano quàm Gallo ſuſpectus, ac dubius fieret, Gallo quidem Auſtriacæ domus agnationis & fidei cauſa ſemper invicem cultæ, quæ Catholicum Regem, & Cæſarem inter aliorum quoque fœderatorum mutationes immotos ac ſtabiles hactenùs continuerat; Regi verò Philippo modò ſuſpectus occurrerat Cæſar, & ipſe Cæſar Regem etiam Catholicum ſuſpectabat, quod cùm contrahendæ quæ agitabatur eo tempore, pacis vinculum foret Mariæ Tereſiæ cum Rege Gallo connubium, propter Imperii ſpem, cui major ut natu Philippi filia, poterat hæc aliquando hereditatis jure ſuccedere, acerbè ferebat Cæſar, Auſtriacæ ipſum familiæ Principem ab his nuptiis ineundis excluſum altiſſimus regni videre ſpes in Borbonicam gentem tranſlatas, ſimul Auſtriacam familiam utroque diademate fultam, & colligatam per hujuſmodi offenſiones, & alias alias ſubinde trahentes paulatim fortaſſe diſſutam poſſe quandóque cum ejuſdem interitu diſtrahi. Hæc erant ex parte Cæſaris. De fide atque ſtudio Pontificis in hoc peculiari negotio non modicè quoque inter partes ambigebatur. Pontifex enim, ut è re ſua eſſe apparebat, & ex ſua etiam utilitate rectè opus erat e juſdem conſilia, mentémque rimari, veriùs eo tempore appetere credebatur, armis, & odiis perpetuò colliſos ſe ſe invicem conteri, infirmaríque Reges quò tutior ex bello duorum in Italia ſibi floreret, & pro Romano regimine pax. Inviſus præterea, ac ſingulari de cauſa ſuſpicioſus Alexander ſeptimus erat Cardinali Mazarino primo Galli Regis miniſtro, nam ex ejuſdem ore Pontificiis lapſum temerè verbum Romæ collegerat quondam Gallus

Ora

Orator, & cum Cardinalis invidia, vulgarique inſectatione projecerat, ipſum videlicet Mazarinum, dum rerum potiretur in Gallia, omninò alienum, & ſemper averſum à pace futurum, cùm per extera bella, quæ civilium in Gallia extinguere ſemina ſoleant, eas ſibi ipſi potentiam, opéſque firmaret, quas frangere pax valuiſſet. Quæ actiùs profectò verba in Purpurati pectus immiſſa pro cauſa pacis effecerant, ut ita ipſi augeretur de eodem Pontifice diffidentia, ſicut ejus deſideratio verba factis refellendi. Ad hæc gravior eo tempore Hiſpanis per Alexandrum injecta de pace ſuſpicio fuerat, cùm Carolum Bonellum poſteà ab eodem ſacra Purpura decoratum ad Hiſpaniam legavit, ſpecie, ac rumore palam effuſo concordiæ pacíſque cum utroque ponendæ Regge, reverâ tamen, ut mox exitus docuit, ut in rem ſuam Pontifex derogaret illi veteri conſuetudini, quâ, ſine prævio Regis conſenſu, qui ad miniſterium, electum approbaviſſet, quippè quia & jus ibi, & tribunal exerceat, ad Hiſpaniam admitti Apoſtolicus Nuncius minimè ſolet. Nam paulò poſtquam Carolus ad Mantuam Carpetanam pervenit, tractandæ pacis rumore, & conſilio planè ſuppreſſo, Ordinarii ſtatim Nuntii diploma Regi Catholico exhibuit. Viſus propterea Hiſpanis ſummus Pontifex eſt, nedum in ludibrium, ac propè fraudem pacis negotia convertere, ſed ea inflectere quoque velle ad privatas rationes imperii ſui, quarum cum maxima Hiſpanorum judicio ratio amborum Regum commiſſio, perenníſque diſcordia ſit, ideò turbandæ magis, quàm componendæ hos inter Reges quæſitæ pacis appoſitum eſſe Pontificem minùs piè ſentientes conſiliarii ſeniores exiſtimabant. At in republica Venetorum, cujus etiam litigabatur arbitrium, in ſuſpicionem,& metum revocabatur illius profunda ſapientia Senatus, & per tot ſecula felix fallaciæ, dolique Politici uſus cui pax ſi ſtetiſſet, ea Regum in Europa ſummorum formidabilis unio fuiſſet; nam Venetorũ in æqua libra judicii, qua ad unguem Principũ ſtudia, conſilia, vires appendũt,longè minoris,levioríſque ſanè momenti cópertæ fuiſſent Italorum Principum opes, ſi ad alteram partem belli pondus non acceſſiſſet. His etiam obſtabat, quod eo peracri mentis acumine, atque in agendo ſolertia præſtare Veneti apud Hiſpanos exiſtimantur, ut in cæterorum litigiis, & cauſis excutiendis,componendíſque ſurripere ferè ſemper nonnihil amicis callidè ſciant, aut litem lite reſolvere. Quocirca pacem, quæ Monaſterii Venetorum interceſſione convenerat adeò Hiſpanis fraudulentam fuiſſe & exitu lubricam, ut paulò poſt fœderatis à communi periculo exemptis, ea ipſa in Hiſpanum, Gallúmque duntaxat Regem cruenta, gravíórque reciderit, Hiſpani profectò non cauſæ difficultati, aut durioris fortaſsè negotii moli ut veriſimile quoque erat,at Venetis tanquam plus arte, & conſilio, quàm armis pugnare, & acquirere ſibi ſcientibus tribuunt. His ſententiis in ſtatus Senatu diſcuſſis, cùm propter æmulationem Imperii, veterémque Principatus invidiam, & mutuas hinc exortas ſuſpiciones, ea revera inter alias regnandi artes emineat, nemini propè fidere, univerſos per ſe ſuſpectos habere Principes, nullo ideò tum inter eos occurrente, hoc qui ſuſciperet munus, à ſuſpicione ſecluſo Principe, tandem ſancitum eſt, ut maturandæ pacis negotia binis, primíſque utriuſque Regis miniſtris Aro videlicet, & Mazarino commendarentur. Hi ſcilicet partes illas emolumenti,quas pacem ambiguè affectáque fortaſsè fide tractantes alii ſibi interpoſiti decerpſiſſent

„ regni æquilibrium politica æſti-
„ matione cenſetur, quóve illa ſtudiis
„ inclinet, eò propendere quoque reg-
„ ni cujuſque fortunam, & opes, uſui
„ profectò magis, vel minùs ſaltem pe-
„ riculo utrique Regi futuram, ſi ab
„ uno, & hoc legitimo Rege, quàm ab
„ intruſa, ac turbulenta quadam reipu-
„ blicæ forma temperaretur, cùm hæc
„ & popularis præcipuè ſimul potentia,
„ atque ampliſſima ſitu ſive tuendæ li-
„ bertatis cupidine, ſive morum, cultúſ-
„ que diverſitate Regibus ſemper infe-
„ ſta perſequi ſemper illos, odioſóque
„ & impuro nomine Tyrannorum ſoli-
„ ta ſit execrari, atque in ſummam apud
„ omnes abominationem adducere; ſuis
„ præterea imbuere inſtitutis, ac diſci-
„ plinis amicos, propinquos, & ſocios,
„ iiſque dulcedine libertatis expoſita
„ paulatim à Regibus alienatos ad ſuis
„ regiminis normam transferre, quem-
„ admodum Lacedemonios olim in
„ Græcia factitaviſſe, memoriæ prodi-
„ tum eſt. Tenues profectò Reſpubli-
„ cas, prudentéſque eò quòd aculeos
„ non habeant, & quæ aliis poſſent in-
„ figere ſpicula ſemetipſas tantummo-
„ do cuſtodire, ſéque per latebras am-
„ pliandi occaſionibus imminere, hanc
„ novam, cùm latiſſimè pateat, turbi-
„ díſque abundet ingeniis, & tum acu-
„ leos, tum ungues, faucéſque voraces
„ habeat, quidni ad armorum ſe mini-
„ ſteria, quàm togæ potiùs, niſi citò in-
„ terierit, applicaturam. Glorioſum eſſe
„ præterea miſeros ſublevare, at glorio-
„ ſiùs afflictũ redimere Regem; æquum
„ eſſe, impiorum manibus virum inno-
„ xium eripere; at æquius Regem in-
„ ſontem, laudabile etiam everſas quan-
„ doque reſtituere familias, ſed laudabi-
„ lius, collapſa reddere regna. Quid er-
„ go, prædones, ſicarios, latrones eſſe
„ fortè appellandos niſi Regibus Reges
„ ſuccurrerint? Manere dirum adhuc
„ exemplum ſuo regno, ſua domo ex-
pulſi, violati, ſpoliati, vagam, & miſe- “
ram vitam trahentis ubique Regis, & “
fœdiora quæque imitandi ſtudia, niſi “
oſtentatio terroris acceſſerit, velut “
contagem, hominibus inhæſura. Hæc “
& plura Britannus. Alii etiam ibi aſtite-
re Principum Oratores, inter quos erat
Luſitanus Legatus, ſed Aro clam, ne ejus
aſpectum offenderet, qui quantum ef-
ficere, enitique promiſſis, ac precibus
poterat apud Cardinalem agebat, ne
Luſitania in tanto diſcrimine prodere-
tur. Ingens enim ſollicitudo, & animi
pariter dolor ob metum gravioris dein-
ceps in eorum cervices exonerandi belli
Luſitanos animos occupaverat, ne om-
ninò deſertus, ac prætermiſſus à Gallo
Rege Bregantius, totis deinde in unum
coactis, intentíſque vis Hiſpanicæ ner-
vis, ſi pax conveniſſet, eo circunfuſus
turbine armorum proſterneretur. Cæ-
terùm ſumma utriuſque partis conten-
tione cùm hic Luſitaniæ agitatus arti-
culus eſſet, quàm proximè ſæpè fuit, ut
alias jam ratas negotii conditiones, pa-
cíſque congreſſum omninò diſſolveret.
Vehementer enim Hiſpano objecerat
Mazarinus Bregantium hæreditario ju-
re ſubnixum tenere regnum, dici etiam,
& eſſe Regem, Gallo item Regi ſociali
fœdere junctum, ſi verò minimè qui-
dem pro pace ineunda dedeceat novos
accipere ſocios, quantò magis licuerit
veteres conſervare? At ſi etiam hone-
ſta pro pace conveniat perduellium
clientelam, & patrocinium exuere, jus
in hac cauſa regníque poſſeſſionem, &
populi mentem, & ſtudium cruore, om-
nibúſque fortunis, atque periculis in re-
tinendo Rege conſentientis, quæ ſatis
Bregantium ab hoc afflicto ſcelere ab-
ſolvunt, hærere nullam in Gallo ex
contracto, ſuſtentatóque hujuſmodi
fœdere notam ſinere. An venundare
Luſitanum redimatur ut Caſtellenſis,
pacíſque interpoſitæ fidem perfidia ſan-
cire liceat? Tandem uterque Rex Ca-
ſtellenſis,

ſtellenſis, & Luſitanus prout è re ſua quiſque duceret, armis, aut lege de regno diſceptet. Arbitrium quod jure ſuo tenet, fortunæ tradatur. Sileatur hîc Luſitanus, & hoc maximè modo nec incluſus, nec excluſus in pacis articulis habeatur. Perfractiùs ea porrò agitata in partium conſeſſu ſententia, & ideò ultrò, citróque remeantibus nunciis, qui Galli Hiſpaníque Regis animos explorarent, ac dubia reſolverent, tandem convenit, ut Rex Gallus profiteretur, ídque in acta concordiæ relatum eſt, fœdus, quod ipſi erat cum Luſitano, & jus ſocietatis in gratiam Catholici Regis abſcindere, modò ipſi Bregantio, jam abdicato ſua ſponte regno, à Catholico Rege juribus, titulis, facultatibus omnibus redderetur, quorum uſu, priuſquam à Rege deficeret, potiebatur in Luſitania, eáque ipſa tum velut fuco, ad honeſtatis ſpeciem, atque decoris imitamentum ita depicta conventio eſt, ne idcircò pax turbaretur, neque ſui juris Hiſpanus, neq; fidei interpoſitæ Gallus planè immemor videretur. Cæterùm Gallus conditioni ita propoſitæ conſenſurus clam Luſitanum admonuit ſeſe in illo negotio tempori, & publicæ cauſæ potiùs, quàm rei ſic poſteà gerendæ conſilio, aut veritatis ſervire ſtudio. Etenim illa pax, quam tanto diſpendio, & ſuæ quoque reipublicæ vulnere Hiſpani ſibi redimerent, facta Gallis per eam poteſtate ampliora ſuppeditandi Luſitanis auxilia, his magnopere favorabilis, præterito bello trucior Caſtellenſibus cecidiſſet, nec ſecus, antequam fieret, id certè futurum Hiſpanus exiſtimabat, cùm illa articuli pompa opinionis plauſum ſpeciémque honeſtatis inanem non lucrum, aut fidei in Gallo conſtatiã requireret. Verumtamen Rex Catholicus cùm ei ſubſcribendus hic pacis articulus deferretur, in ipſo actu rubere, indignari, animo angi, quaſi pulcherrimo erepto regno impunè ſibi illudentem aſpiceret adverſarium, & quod ipſum magis excruciabat, velut hoſtis in gratiam è manibus illum emiſſum; Tandem ô me miſerum, inquit, & infelicem, qui Rex, tótque ipſe regnorum Rex hoc etiam invitus committere cogor, tremuláque præ ira atque ſtomacho manu, errantémque inter litteras ſtylum ducens ſubjectam paginam ſubſignavit. Qua porrò ſublata, quæ aſperiùs obſtabat, difficultate, reliquæ pacis conditiones expeditiùs tranſactæ ſunt. Igitur pax inter Hiſpanum, Gallúmque Regem his legibus conſtituta; Quæ bello in Inſubria Gallus Regi Catholico ceperat, reſtitueret; quæ verò apud Catalauniam, & Belgium, paucis exceptis, permutatíſque locis, in Mariæ Tereſiæ dotem adjecta concederent. Utriuſque ſubditis Regis, qui ad alterutras partes tempore belli tranſierint, & venia delicti fiat, & in omnia bona, atq; jura ſine mora redintegrẽtur, quæ priuſquam à Rege deficerent, poſſidebant, ídque maximè de Lotharingo Duce, & Condæo quoque Principe cautum ob opum, generíſque amplitudinem eſt. Diſſidium bellíque materies ſi fortè oriatur inter amborum Regum clientes, ac Principes ſocios, componere ſtatim, & in gratiam redire eos inter ſe ſeu jure, ſeu arbitrio, ſeu majeſtatis auctoritate curet uterque Rex, ſin autem hoc fruſtra fuerit, liceat ſingulis Regibus auxiliares copias amico permittere Principi, Rex modò neuter à quoquam invaſus in ſuæ ditionis partibus fuerit. Item ſi Hiſpanus Gallúſve Rex alterius ſocios cum armis aggrediatur, tunc Regem deceat, cùm velit, ferre opem amicis, & ſociis in eorum finibus conſtitutis, nec ideò inter utrumque Regem violata pax cenſeatur. Cùm verò duorum quilibet Regum à Principe ſeu nunc fœderato, ſeu externo, ſive armis civilibus, ſive alienigenis peteretur, nefas ex lege pacis ſancitæ ſit, alterum Regem

Regem auxilia illis, aut tranſitum, aut armatis receptum adverſus alterum Regem ſuppeditare. Terræ, mariſque commercio viciſſim, ac liberè utriuſque Regis ſubditi utantur, ſi qua verò partibus controverſia propter harum interpretationem conditionum, retúmque intellectum, aut accidentia minùs proviſa, ea quidem non armis, ſed jure dirimerentur. His in hunc modum pro utroque Rege proviſis, ad initæ quoque pacis durationem, præſtandámque clientibus fidem peculiariùs deinde ad communes clientes, ac ſocios deſcenſum eſt; ſæpè enim accidit bella ex bellis naſci, & armis, diſſidiiſque alium alium vocare bellóque involvere Principem; ſimul quia nemo clientium ulli unquam Principi fideret, ſi duobus, qui plus inter eos poſſent, convenientibus pacto, per corruptam aliquis fidem potentioris prædæ relinqueretur; cautum eſt ideò, ut quæ oppida Hiſpanus Duci Sabaudiæ per bellum in Ciſalpinis abſtulerat, illicò traderet; eidem præthereà Duci debitum ſolveretur ex Catharinæ Auſtriacæ antiqui connubii dote conflatum. Quæ Sabaudiam, Mantuanámque familiam diuturnæ veteréſque diſcordiæ cauſæ per Italiæ vaſtitatem, atque ruinas exercuete abolitæ, extinctæ jaceant ſecundum illam conventionem, quæ apud Querraſcum quondam præſcripta fuerat. Ab utroque Rege ſummus Pontifex exoretur, ut litem quæ adhuc cum Mutinæ Duce de Comachii valle pendebat, plano, mitíque judicio non ſtrepitu armorum abſolvat, Ducíque Parmenſi ſimul indulgeat, ut per certa temporis intervalla alienum æs illud exolvere poſſet, quo ſedi Apoſtolicæ obſtringitur. Poſtremò decretum eſt, ut unanimes Reges ad Germanos, Rhetos Helvetióſque ipſos cohortatum legatos dimitterent, ut ira, ac ſimultatibus poſitis in partem optimæ pacis propitio quocumque bello præſtantioris accederent. Hæc eſt capitum ſumma inter Hiſpanum, Gallúmque Regem ad Pyrenæos compoſitæ pacis, atque ita Mariæ Tereſiæ firmatæ cum Gallo nuptiæ in Europam bello diuturno afflictam gaudia pacis, ſed ipſa brevia, ut breviùs etiam refriget qui primus nuptialibus facibus amor accenditur, tranſmiſere.

DE

DE
BELLO LUSITANO
LIBRI SEPTIMI
SUMMA.

REX Catholicus in Luſitanum parandum bellum intendit. Acerrimè tractatur de ſummi Ducis electione. Ioanni Auſtriaco Philippi filio notho arma commendantur. Gubernator armorum ſecundo loco Sangermanenſis renunciatur. Militum numerus. Exercitus Campomajorem initio petere viſus, averſo itinere Origuelam repentè invadit, arcémque adjacentem delet. Arroncii oppidum Ioanni ſe addicit. Sexdecim Luſitanorum equitum turmæ, vim hoſtium laceſſere auſæ, partim cæduntur, partim fugâ dilabuntur. Aleoncellum recuperat Auſtriacus. Acria per otium, inter Italos, Hiſpanóſque, de ordine & loco, oriuntur diſſidia. Ioannes, Duces Italos aſperrimis verbis increpat. Emanuel Caraſa pro Italica natione reſpondens, ob libertatem in cuſtodiam conjicitur. Dirimitur per Regem, nationum litigium. Vere appetente, Auſtriacus in proximi belli conatum incumbit. Non minor agitatio ſollicitos habet Luſitanos, unde ſeveriùs invehuntur tributa. Catharina Portugallia Bregantii ſoror Regi Britanno deſponſatur. Ei Tingi, ſitum in Africa oppidum pro cumulo dotis accedit. Religionis causâ Rex Catholicus municipium intercipere inſtituit. Ejus promiſſa averſatur Ludovicus Almeida, & oppidum in Angli ditionem concedit. Villabuim funditùs diruit Auſtriacus. Multas equitum Luſitanorum turbas fugat Alexander Correra. Morbo per iter invaditur. Iurumeniam verſus dum tendit Ioannes, novus repentè de cœlo, nubilâ nocte, conſpicitur fulgor. In Luſitana quæ circum oppidum erant propugnacula, Caſtellenſes irrumpunt. Inteſtinus oritur in urbe tumultus, qui Pinti Præſidis prudentiâ extinguitur. Meneſius Luſitani exercitus Dux, expeditionem quamprimùm parare milites jubet, ad ſuccurrendum Iurumeniæ. Urbis tuendæ ſpè prorſus afflictâ, palam inde re infectâ diſcedit. Iurumenia poſt arctam integri menſis obſidionem, Auſtriaci virtute atque auſpiciis evicta, Regique Catholico reſtituta. Ad Villamvitioſam ducit exercitum Ioannes, Luſitanúmque nititur elicere ad pugnam. Aveirum recipit, dimiſſiſque cum vita & opibus oppidanis, ad terrorem ſolo æquat. Monſortis deditur. Crati excidium, cujus Gubernator Auſtriaci juſſu, ſclopis in medio foro transverberatus occumbit. Adverſus Oguelam victor exercitus tendit. Dum Gubernator, Ioannis colloquium petit, Caſtellenſis miles ſine imperio urbem pervadit, prædæque duntaxat avidus, à ſanguine abſtinet. Prædam Luſitanis reſtituendam jubet Auſtriacus, honeſtáſque illis conditiones tribuit. Sartiranæ Comitem Oguelæ Præſidem relinquit.

DE

BELLI LUSITANI

LIBER SEPTIMUS.

1661. MARIA Thereſia Regis Philippi filia, qui Reginam decebat, magnifico ornatu ſublimiſque totius fortunæ circumfuſa ſplendore, ac regio ſtrepitu comitata cùm Lutetiam Pariſiorum tandem evecta eſſet, Rex ipſe Catholicus ſtatim in Luſitanum parandum bellum intendit, cujus faciliùs habendi regni cupido traxiſſe jam videbatur Hiſpanum ad deteriores pacis conditiones incertáque lucri futuri ſpe, ultrò ſe primùm diminuiſſe. Dum ergo frequẽtes per Hiſpaniam delectus militum imperantur, circummiſſiſque per Imperii latitudinem nunciis, veteres legiones ad Luſitaniæ fines transferri juſſu Regis indicitur, atque omnia intra Hiſpaniam, & extra calere conſpiciũtur apparatu proximi belli; interim apud Regem de ſummi Ducis, qui bello præeſſet adeò armis miniſque turgido, electione acerrimè tractabatur. Erant ea tempeſtate præclari nominis Duces, à belliſque occupationibus vacui Mortaræ Marchio, in cujus gloriæ incrementum Catalaunia nuper armis ſubacta ceſſerat, & Carazenæ item Marchio, qui inter arma penè à puero innutritus recentia quoque & egregia in Inſubria, cùm Mediolano præeſſet, belli facinora ediderat. At his militari propè virtute par, gratia, famáque nominis, incenſiſque in eumdem populi ſtudiis longè quidem ſuperior Joannes Auſtriacus efferebatur, Regis idem Catholici filius nothus, quia bello tum Belgico revocatus juxta Mantuam Carpetanam conſederat. Conſilia verò, ac ſententiæ quæ per id tempus in medio erãt de novo eligendo exercitus Duce propoſita, ſingulorum diviſa ſtudio, vel merito, vel ambientium ſollicitudine ad quemquam illorum referebantur. Verùm Hiſpanis, adminiſtriſque præcipuè, qui in gubernii ſpecula ſedent, cujuſque illegitimæ, ac regiæ prolis æquè virtutes, ac viria, illæ quidem ut gratiæ populi, hæc ut faces ambitioni præbēria, ſemper inviſa nimiſque ſuſpecta fuere. Nec porrò regii iidem nobis verbis, aut rebus tam crebrò ſuſpicionibus cauſas, aut ſtimulos curis dedere, ſed hominum genus ob metum longa rerum experientia contractum, & ſua etiam indole nimis ſuſpicioſum, falli dum ſemper metuit, aut facilè ſibi formidinis cauſas effingit, multos pericula antevertere docuit, & ſcelus interdum in cautionis partem admiſſum. Auſtriaco propterea, qui ad hanc bellicam præfecturam, & ſuo merito, & turba clientium, & plauſu populi ferebatur, ſuſpicio, metus, aut miniſtrorum obſtabat invidia ea de re privatim, ac publicè differentium. Regem imbecilla, ac tenui valetudine potiùs, quàm ætate cadentem eſſe, filium Principem in cunabulis, nec fas eſſe videri illo curſu, illo habitu rerum cum fiducia, & armorum afflatu extollere juvenem militarem, cui ſatis opis in armis, cùm nimis urgeat ambitio, ſit, ſpes, animóſque ſupra fortunam, genúſque gerere. Rex denique haud minùs rei ambiguus, ſollicitúſque ne pudor fortaſſis, aut metus in cauſa filii ſuffragia publicè vitiaret, omiſſo Status Senatu, ea de re ſecretioris, ſanctioríſque quoſdam conſilii corpore præſens interrogavit. Fuere hi homines Senatores Turrianæ Medinæ Dux, & Comes Caſtrillius, ſummo, integróque judicio viri, quo tempore ſtudia, atque partes ipſorum animis non officerent. Erat præterea in primis carus Joannes Medinæ Duci, quia communis utrumque vetúſque Olivarii clientela in fide, atque ſtudio conjunxerat, atque ideò Medinæ Duci, & Joanni plus erat Caſtril-

lius infeſtus, quippè, qui maximè quondam in Olivarium, ejúſque clientes omnes invectus, dum illum tandem afflixit, ejuſdem clientelæ, atque fortunæ ſocios eodem, unóque ictu collabentis ruina proſtravit. Rex verò, quem nec acris, & mutua horum hominum æmulatio, nec odiorum initia latebant, conſultò adverſarios ad diſſerendum de re, quæ vertebat, induxit, quò nempè contrariis eorum prolatis, agitatíſque ſententiis, ac ſimul judicio compoſitis, ipſe poſteà exploratiùs, quid ſua intereſſet, agnoſeret; nec certè ſecus, ac Rex expectabat, Caſtrillii ſententia prodiit. Ita námque locutus fertur.

„ Non obtrectatio, & minus invi-
„ dia, à quarum ſuſpicione longa me
„ rerum experimenta, graviſque cani-
„ ties, & diſparia, ac propè oppoſita
„ ſtudia vindicant, ſed delectatio tan-
„ tæ virtutis in iſto juvene, ejúſque
„ ſumma admiratio, & inſuper deſide-
„ rium, ut ſine ullo periculo ſuis illa in
„ tempore gradibus augeatur, me aſſe-
„ rere cogunt, armorum, de quo nunc
„ diſceptatur, imperium pro Luſitania
„ recipienda Joanni minimè conveni-
„ re. Detrahit enim virtutibus livor,
„ atque inter illos virtutis fulgores con-
„ tinuè rimatur criminibus locum; hanc
„ autem ego in juvene celebro, & ve-
„ nerabundus etiam intueor, ſimúlque
„ præcaveo, ne nimius ille virtutis pro-
„ poſitæ nitor ipſius, noſtríſque oculis
„ umbram, aut erroris cæcitatem af-
„ fundat, ex quo ſæpè numero eve-
„ nit, florentem marceſcere in homi-
„ ne gloriam, fructúmque virtutis,
„ priuſquam ipſe maturus, ac tempore
„ coctus ſit exareſcere, aut in contra-
„ rium mutari, niſi modus, qui in
„ rebus ſemper eſt optimus applice-
„ tur, priúſque nos ideò tantæ virtu-
„ tis, & gratiæ, item ætatis cum regio
„ ſanguine ardentiùs ebullientis ti-
mor, quàm illum gloriæ ſatietas ce- “
perit. Verùm enim verò, cùm ejuſ- “
dem communis utilitatis ratio, ne- “
xúſque & Imperium, & Joannem, & “
Regem tum familiaris, tum publi- “
cæ cauſæ reſpectu vinciat, dum equi- “
dem Regis, & rationes publicas cal- “
culo meo ſuſtentavero, verè me di- “
cere pro Joanne, ejúſque favere ma- “
ximè gloriæ, ac dignitati ſervire “
cenſendum eſt. Et primùm quidem “
jam ſatis ſpectatum eſt, pœnituiſſe nec “
mediocriter nos paulò antè ad Joan- “
nem delatæ belli Belgici præfecturæ, “
coactóſque idcircò fuiſſe inde retra- “
here celeriter juvenem; rumor enim “
nec omninò ipſe vanus irrepſerat, “
occulta, & ſuperba illum ibidem de “
nuptiis cum filia Auſtriaci Principis “
Oenipontis ut illum Principatum, & “
Belgium titulo dotis arriperet, con- “
ſilia tractare, ubi profectò & res “
honeſta, ac ratio publica jactaba- “
tur Auſtriacam videlicet domum, “
ne illa jam inter paucos, qui porrò “
ſuperſunt ex Auguſta ſobole mares “
extingueretur, egere ſubſidiis, ma- “
ximo etiam Imperio Hiſpano muni- “
mini, & uſui fore, ſi Belgium ab ip- “
ſo tot ſumptuum, tot cladium, tanti “
cauſa periculi honeſtè per nuptias di- “
velleretur. Sunt, & turpes alii præter- “
eà, qui de Joanne Auſtriaco ſermones “
tam Neapoli, quàm in Sicilia cùm illa “
ipſe regeret regna percrebuere, clan- “
deſtina nempè conſilia, partes, no- “
bilium ſeceſſiones nec obſcurè ma- “
nifeſtantes, quæ etſi turbulentum “
nationum illarum ingenium, ut cer- “
tè ſcimus effuderit, inſcio quoque “
Joanne, perſpicimus tamen in hoc “
inclyto juvene, quæ perfidi ho- “
mines, atque nefarii, & rerum “
novarum omninò cupidi fomen- “
ta parare ſeditionum in animo ha- “
beant. Cæterùm ſi ita ſæpiùs per ille- “
cebras hominum, per occaſionum “
incita

,, incitamenta propinet ambitio, cùm
,, flagret ætas, animus valeat, adeò præ-
,, ceps,ac lubrica ſit cupiditas dominan-
,, di,maximè vereor, ne internis, exter-
,, níſque ille tandem irretitus inſidiis,
,, ubi ſemel impellere magis occaſio, &
,, ſuccendi, ac furere ambitio cœperit,
,, prolabatur. Præterquam quod in hoc
,, tranſitu rerum, multiplicique rumore
,, hominum aliud in ore ſonare vulgi,
,, aliud in ore prudentium auditum eſt.
,, Divinant plerumque prudentes; nec
,, ſemper inanes ſerendo voces labitur
,, vulgus, aliàs quaſi vates, aliàs rectus
,, rerum interpres eſt, interdum, quod
,, fieri conveniat, velut communi con-
,, ſenſu docet. Utcumque ſe tandem res
,, habeat, hunc ſaltem rumorem de am-
,, bitione, regnóque Joannis, is vel in-
,, certè, vel iniquè, vel fallaciter ortus,
,, ac diſſipatus ſit, & jam propemodum
,, conſenuerit, iri inficias minimè poteſt
,, ab ingenti ejus ſpiritu, ac magnitudi-
,, ne animi tanquam in adoleſcente ſuſ-
,, pectis, & per ſe, & per alios ut inſtru-
,, menta tumultuum novis rebus ſter-
,, nentibus iter originem deduxiſſe, at-
,, que ideò prudentioris, tutioríſque
,, fore conſilii, vel tenui ſuſpicioni, ac
,, longinquo timori, auræque quan-
,, tumvis fluxæ, mobilíſque rumoris,
,, quando id percommodè fieri poteſt,
,, antevertere cauſas, ſimul, & turbidis
,, pabulum, & virus iniquis invidiæ, &
,, ſeditionibus ignes quoquomodo ſub-
,, ducere, quæ utique omnia cumulatim
,, mala contrahere uni imprudenter ar-
,, ma commiſſa poſſunt. Nullum pro-
,, fectò adſtrictioris fiduciæ, gravio-
,, ríſque Regi momenti, quod tribuat
,, alteri munus offertur, quàm armorum
,, adminiſtratio, gladius quippè ſocieta-
,, tis in ſe humanæ tenendæ, erga majo-
,, res obſequii, æquitatis inter æquales,
,, jurium omnium validus vindex, &
,, cuſtos eſt; quem cui crediderit Prin-
,, ceps ſui ipſius, & arbitrium imperii

penitùs tradit. Diadema, ſceptrúm- "
que in illius fide cuſpidis ſitum, "
quam ſoluta formidine manus agit. "
Contra nemo alius re vera eſt, mi- "
nus cui debeat pro armorum tra- "
ctatione fidere Princeps, quàm fi- "
lius ad quem regni hæreditas non "
pertineat, ne ille fortaſsè per vim, "
& armorum occaſionem eripiat, "
quod intimè cupiat, & lex, aut na- "
tura non dederit, néve Regis ele- "
ctio ut Romanum quondam Impe- "
rium ad milites tranſeat, & tandem "
arcanum naturæ prodeat, quod om- "
nia liceat jure potentiæ agi, & mo- "
res etiam, & leges, ut judicia & "
mentes hominum immutari. Ho- "
mo námque ad imperium, & liberta- "
tem genitus, quanquam ſubito le- "
gum, & hominum jugo ſubmiſſus "
exemplo, & conſuetudine potiùs, "
quàm ipſa natura coërcetur, retinet "
tamen ut intus hærentem, ac peni- "
tùs inſitam illam tacitam vim do- "
minandi, libertatíſque bono fruen- "
di, quæ in unoquoque mortalium "
ingenita vis jam ſe ipſa remittit, "
jam explicat, jam in aliquo torpet, "
ſecundùm cujuſque genus, fortu- "
nam, opes, & indolem animi, erum- "
pere tamen cum ruina rerúmque ad- "
jacentium ſtrage, atque exitio utpluri- "
mùm ſolet, ubi retruſo illi animi mo- "
tui excitando, ſuſtentandóque ſatis "
animi, ſatis corporis vires, & opes "
ſunt. Erit igitur hic naturæ impetus "
in Joanne, ut in ſobole regia, ut in "
animo militari, ut in juvene for- "
tunato concitatior, atque robuſtior, "
quem ſi armorum fiducia ſuſtuleris, "
& viribus auxeris, ita ut dare ipſe ma- "
lit, an accipere juſſa ab illa duntaxat "
rependeat, velit necne ſemel ſuſcep- "
ta deponere arma, & ſecundo loco, "
ſecundo gradu contentus ſit, cùm "
armis extortum ſibi primum aſſerere "
valeat, quid aliud hoc utique foret "

Cc 2 quàm

,, quàm affectam, & pronam irritare
,, naturam, ultrò currenti ſuperaddere
,, ſtimulos, aut creſcentem follibus
,, ignem afflare? Aliis fortaſsè genti-
,, bus alii mores, diverſa inſtituta con-
,, veniunt. Ita planè ſe habet noſtri
,, generis diſciplina. Legimus ideò
,, Petrum cognomento Crudelem ab
,, Henrico fratre notho regno ſimul,
,, ac vita præcipitem actum. Vidimus
,, etiam ipſi prole regia refertam do-
,, mum, alio aliò trahente, perpetuis
,, arſiſſe diſcordiis, ſeſeque foras ad
,, regna jactaſſe, túque Catholice Rex;
,, cui plures fuerunt adulti fratres, qui
,, tecum morabatur in Regia, an alius
,, procul emiſſus, belliqúe periculis im-
,, plicatus, uter negotii tibi minùs ſa-
,, ceſſerit, experimento, ſenſúque do-
,, loris acerbo addiſcere potuiſti. Illi ta-
,, men æquales erant ſanguinis claritu-
,, dine, nulla nota, nulla permiſta ſor-
,, de, puro, ac legitimo ſemine; Joannes
,, autem materno genere longè impar.
,, Porrò cùm ſimul hîc paveat, ac do-
,, leat deteriori ſe ſorte natum ex diſſi-
,, militudine oritur diffidentia, ex diffi-
,, dentia ſuſpicio, mox odia ſuſpicio gi-
,, gnit, inde diſſidia, partes, cùm diſcor-
,, des viri Principes ſunt, & civilia bella
,, naſcuntur, adeò, ut quanquam hunc
,, juvenem mitem, & probum omní-
,, que virtutis genere ornatum natura
,, feciſſet, uſu venire poſſit quo ſibi jure,
,, aut injuria proſpiciat, ſuo vel alieno
,, ſcelere ablatum armorum occaſio-
,, ne perverti. His adde tuam, & fi-
,, lii legitimi ætatem rebus novandis
,, maximè oppoſitam, & illam quidem
,, non tam ſenio, quàm mala habitu-
,, dine fractam, hanc ne rationis qui-
,, dem uſus, nedum regni, ſceptríque
,, potentem, ex quo jure mihi veren-
,, dum eſt, hæc arma quæ potes nunc
,, dare Joanni; deinde, & ſi velis, ne
,, poſſis eripere, aut ſi is ita armatus,
,, quod Deus avertat, tibi ſuperſtes
fuerit, inter illos tranſeuntis imperii “
æſtus, rebus Hiſpaniæ turbatis, ac “
dubiis, ne quis exarmare nolentem “
valeat. Fœda Turcarum immanitas “
regiæ ſobolis omnes præter unum ad “
ſummam Imperii fortunam genitum “
interimere ſolet. Nimis faciles Galli, “
negligentéſque dum ſimplici, ac ce- “
leri quodam utentes ingenio parum, “
aut nihil regiæ numero prolis, & “
cultui, vitióque naturæ provident “
ab eventis ſæpè triſtibus reprehen- “
duntur. Medium Hiſpani tenen- “
tes, cœlibes illos ut in cuſtodia li- “
bera ſpatiantes diligenter obſervant, “
& circunſpiciunt, ſimul & ægrè ali- “
quando ad uſum armorum admiſ- “
ſis, poteſtate multùm reſtricta plúſ- “
que pompæ in ſe habente, quàm “
virium, in modum vigiliæ inſuper “
homines ſtatuuntur dictorum, fa- “
ctorúmque cenſores, ac teſtes. At- “
qui & noſtra, & majorum quoque “
repetita memoria, & ſi tanta acceſſiſ- “
ſet idcircò ſollicitudo, tantúſque cu- “
ſtodiæ rigor, vix tamen hujuſce notæ “
cum armis juvenis reperitur, qui mi- “
nimè nobis ingentem curã incuſſerit. “
Quid autem nos modò rebus præte- “
ritos eruditos, ac penè jam uſtos hæc “
retentare, ac præter inſtantia, quæ “
undique urgent nova laceſſere quo- “
que pericula cogit, cùm plures nobis “
Hiſpani, præclaríque nominis Duces “
extent, quibus tutò committi liceat “
hæc armorum adminiſtratio? Num “
auctoritas? num perſpecta felicitas “
juvenis? an potiùs tractandorum “
armorum experientia? Magno pro- “
fectò nobis conſtiterit hæc regia au- “
ctoritas in Joanne, & nuda ipſa “
decoris ſpecies, vanúſque nomi- “
nis fulgor, cùm regalis ejus fami- “
liæ ſumptus more ſuo affluens, “
& belli tempore multò profuſior “
totius conferendæ in militiam pe- “
cuniæ propè dimidium hauſturus “

ærario.

„ ærario ſit; qua tempeſtate inopia pe-
„ cuniæ potiſſimùm laboramus. At
„ belli proſperitas quàm infida, quàm
„ lubrica, quàm inconſtans, ſo-
„ lùm præcipuè ſi in bello gerendo
„ vertatur, cùm ſæpiſſimè acciderit,
„ quæ valdè propitia, & amica in uno
„ loco fortuna peregerit, mox iratam
„ in alio disjicere; militarem autem
„ experientiam longè minorem ego
„ in Joanne conſpicio, quàm in Hiſ-
„ paniæ Ducibus multis, qui tum an-
„ nis, tum ſtipendiis emeriti plures vi-
„ ctorias enumerant, & luculentas cor-
„ poris cicatrices oſtentant. Cæterùm
„ hæc ornamenta, ac decora ſive ge-
„ neris, ſive gratiæ, ſive fortunæ ac vir-
„ tutis licet ampliſſima, ac ſimul com-
„ plexa utcúmque rutilent in Joanne,
„ ſi fidei ſimul æquiparentur, quæ
„ tanti non eſt, quanti eſſe in hoc ju-
„ vene debet, & quæ prima cenſetur
„ habenda ratio in ſummi Ducis ele-
„ ctione, perſonis ſimul, ac meritis
„ comparatis, hæc una prudentium
„ nonne omnium judicio in bonorum
„ collatione pro eligẽdo exercitus Du-
„ ce propendet? Sapientiſſimè Rex non
„ id tẽporis tecum agitur utrùm Italiæ
„ Joannem an Belgio, an forſitan Cata-
„ luniæ cum armis imponere liceat; at
„ regno Luſitano circum Imperii ſedẽ,
„ Caſtellæ ſupra cervices, in regiminis
„ caput, ac mentem, tua dum affecta,
„ Rex, ætas & imbecillima valetudo, &
„ infantia Hiſpani Principis penè in
„ cunabulis vagientis, & res novæ, &
„ his improbi homines incubantes in-
„ numeras ferè incauto juveni poſſunt
„ circunfundere inſidias. Propè æternæ
„ fratrum diſcordiæ ſunt, acriores re-
„ gios inter fratres, at inter legitimos,
„ atque nothos acerrimæ; major pars
„ potentiorem ſequitur, at potentia in
„ gladii acie, atque robore ſita eſt. Po-
„ ſtremò duo apud omnes homines
„ ſunt ingentium agendarum incita-
menta rerum, ſpes, ſcilicet & cupido, "
hæc ubi poteſt ſuo impetu ruit, ſpes illi "
comes pericula minuit; cupiditas igi- "
tur naturalis imperii cùm inhiberi po- "
tiùs ad tempus, quàm velli in homine "
poſſit, talique in Joanne cohæreat, ſi "
deniq; ſpes per arma excitatrix acceſ- "
ſerit, metuendum eſt certè nobis, ne "
in tantum periculi hunc juvenem tan- "
dem armorum cauſa conjiciamus, ut "
inter fortunæ, ætatíſque blanditias, & "
factionum irritamenta minùs ipſe im- "
poſterùm ſciat ob conceptam animo "
ſpem ſuis cupiditatibus temperare. "
Nec porrò quæ hucuſque de Joannis "
ingenio, moribúſque comperimus, "
hujuſmodi ſunt, quæ extinguere om- "
ninò has interjectas ſuſpiciones, & fu- "
turorum malorum ſemina valeant. "
Cæterùm, qui invitus in pericula in- "
currit, is ut prudens, fortíſque vir, qui "
verò gratis, ut ſtultus concidet. "

Contra hanc Caſtrillii ſententiam ita ferè Turrianæ Medinæ Dux ſubinde locutus eſt.

Equidem arbitror armorum in Lu- "
ſitaniam imperium ex Belgio, ex Ita- "
lia, atque Hiſpania omnibus conqui- "
ſitis, Ducibúſque collatis, pluſquam "
regium juvenem iſtum decere nemi- "
nem. Fateor etiam, & ſuis virtutibus, "
& privatis aliis officiis eſſe mihi in pri- "
mis obſtrictum, & cariſſimum homi- "
nem, nec propterea ſuſpicio tangit "
meum de Joanne ſuffragium ſpeciem "
officii eſſe habiturum in cauſa potiùs, "
quàm vim ſententiæ. Adeò enim re- "
dundant, ac mirificè nitent in hoc ju- "
vene merita animíque pignora ſin- "
gularia, ut ea invidi magis quiſquam "
non admirando, quàm aſſentatoris "
laudando notam vereri meritò de- "
beat. Longè quidem diverſa Regis "
Hiſpaniæ filiis, qui nothi ſunt, da- "
ta conditio eſt. Nonnulli eorum fi- "
lii Regis palam enunciati ad ſùm- "
mum ſplendoris, atque auctoritatis "

„ apicem evehunrur; alii occulti, at-
„ que in caligine propè poſiti inter
„ ſqualorem, egeſtatíſque ſordes igno-
„ bilem viram trahunt, ídque imi,
„ ſummíque gradus diſcrimen, & ſplen-
„ doris, ac viræ ſordium in hominibus
„ regio ab eodem fluentibus ſtipite Re-
„ gis tantummodò nutus ex more ſta-
„ tuir. Placuir ramen multis Hiſpanis,
„ & optimis Regibus horum nonnul-
„ los prodere in lucem, regiíſque titu-
„ lis illuſtrare, inrer quos Carolus Quin-
„ tus vir planè magnus, ſummíſque
„ Imperatoribus æmulus reſtamento
„ decretum Philippo ſecundo filio reli-
„ quir, ur alium Joannem, & excelſa
„ quoque indole juvenem manifeſta-
„ rer, eóque ſeu pacis, ſeu belli miniſtro
„ pro curis publicis ureretur. Plurimo-
„ rum igitur Regum, & maximè erecta,
„ amplioríſque dominii capax Caroli
„ Quinti mens intellexit, utiles eſſe rei-
„ publicæ nothos, præſertim, ut ali-
„ quam ejus partem ſive armis, ſive
„ conſiliis moderandam aſſumerent;
„ nec illis profectò Regibus juverit tam
„ facilè nos diſſentire, à quibus hoc
„ partum, auctum, ac ſtabilitum Impe-
„ rium, & pro eo remperando jus, in-
„ ſtiruta, ac diſciplinam accepimus.
„ Quærere modò ſupereſt, an iis im-
„ butus Joannes moribus ſit, iis ſtudiis
„ afflarus, ea conſtanti virtute prædi-
„ tus, ut omni metu ſecluſo, reddere fi-
„ dem commodè poſſir, quàm per arma
„ adminiſtranda ſuſceperir, an veriùs
„ in eo quod ſcirè conſultum à priſcis
„ Regibus eſt, extra ordinē aliquid ſit,
„ quod in hoc juvene offendat. Præter-
„ miſſis raucis jam factis illis rumoribus
„ vulgi, qui æquè bonos, ac malos
„ allatrare loquaciter ſolet, eóſque con-
„ temnere maximè debet Princeps, ne
„ varietare, fluxúque tot diſcrepantium
„ omninò ſermonum, & fabularum in
„ modum arundinis voluretur, nobis
„ pro certo compertum eſt ad Joan-
nem in Italia cum armorum imperio "
agentem miſſas à Cardinali Mazari- "
no totius Galliæ ea tempeſtare recto- "
re litteras, quibus de Neapolis, atque "
Siciliæ inrervertendo regno adoleſ- "
centem erudiebat, certum idcircò "
arque ſtabile, ubi res popoſciſſet, "
Galli Regis patrocinium affirmans, "
quippè cujus inrererat binis ſpoliarum "
opulentiſſimis regnis æmulum Regem "
debilitare, arque ita ſenſim retexere "
Imperium. Aderat tunc Auſtriaco "
populi favor, ætaris illecebra, generis "
altitudo, conſpiratio quoque nobi- "
lium ipſum Regem deſideranrium, "
omnia prona, atque undique tuta for- "
tè regnum affectanti, nihilominus "
adoleſcens execrarus perfidiæ præ- "
mium, magicíſque aſſentantium vo- "
cibus ſurdus ad Regem patrem ſemi- "
laceram jecir Cardinalis epiſtolam. "
Quî ergo modo cohæreat, ut qui in re "
facili, & obvia idem conrempſerit "
regnum, jam ad illud in arduo, atque "
lubrico valdè poſitum rapiatur, aut "
qui minor ætate his circunfuſus inſi- "
diis ſibi imperare, ſe cogere, animí- "
que cupidines frangere ſciverit, idip- "
ſum facere neſciat jam adultus, & "
poſt multa, atque magna integritatis, "
& fidei nobis præbita documenra? "
tempus ne ratio, ætas, rerúmque uſus "
contrahere, aut mutare, non augere, "
aut firmare virturem ſolenr? an adeò "
imbecilla virtutis vis, aur inſulſa at- "
que mollis veræ gloriæ voluptas eſt, "
ut quæ diu cæperit, arque incederit "
hominem tam facilè avelli è ſuis com- "
plexibus patiatur. Nulla itaque inter "
homines bonitas, nulla fides, nullum "
quanquam ſpectarum ignibus valet "
aurum, omnia in deterius labentis "
nefarii ſeculi curſus abſtraxerit. Ca- "
rolus Quintus cujus dicta ſequi, cu- "
jus facta imitari noſtra melior doctri- "
na eſt, cùm Dux Calabriæ diuturno "
carcere afflictus per ſeditioſos, ac tur- "
bidos

„ bidos cives oblatum ſibi Caſtellæ
„ regnum conſtantiſſimè renuiſſet,
„ illum ideò è cuſtodia ſtatim emiſſum
„ Valentiæ regno proregem impoſuit,
„ tantúmque apud Cæſarem modera-
„ tionis illud exemplum valuit, ut dig-
„ num eumdem exiſtimaret, qui vin-
„ culis nuper ſolutus regiminis faſces
„ acciperet, atque è fœda tranſlatus cu-
„ ſtodia florentiſſimi regni cuſtos effi-
„ ceretur. At verò Joanni, cùm ei quo-
„ que ſemel ab hoſte, ſæpiùs à falſis
„ amicis propoſito regno, obſequium
„ in Regem, fidéſque ſteriſſet, nulla
„ inuſta prætereà ſit, quàm redimeret
„ ignominia, nullum ut Duci Cala-
„ briæ ſublatum, quod repeteret reg-
„ num, ſed amplis, ac perpetuis hono-
„ ribus uſo cùm non ſecunda fortuna,
„ non fragilis ætas, non dulcia venena
„ aſſentantium ingenium, aut mores
„ labefactaſſent, cur hoc clariori cum
„ æquitatis, atque modeſtiæ argumen-
„ to fidem improbabimus in Joanne,
„ quàm in Duce Calabriæ cum minori
„ probavit Cæſar? aut cur Hiſpanum
„ hoc tempore Imperium, cum tanta,
„ quæ in Luſitaniam inclinat, mole
„ belli concuſſum, atque in magnam
„ expectationem erectum ſit, tum etiam
„ tanto apparatui parem, ac ſummum
„ eligeret Ducem expediat, nos juvenē
„ iſtum in quodam ſeceſſu otioſum, ac
„ deſidem, animíque propè ſitu tor-
„ pentem paſſuri ſumus? an parum aut
„ nihil fortaſsè refert, præſtantiorem,
„ ac meliorem armis præficere Ducem?
„ Militiæ quidem magiſtri alii tanti eſſe
„ exercitum quanti ejus Imperatorem
„ exiſtimant, quidam ſpei plus in Du-
„ ce, quàm in militibus ponunt. Hu-
„ jus enim corporis militaris, quod in
„ pernicie totum, & ita atque impetu
„ eſt, mens motrix, rectrixque Dux
„ eſt, corpúſque rectè vel ſecus ſe mo-
„ vet, ut eſt ab anima afflatum, ac
„ ductum. Porrò autem in optimo

Duce ſcientia bellica, virtus, fortu- "
na, prudentia, auctoritas requirun- "
tur. At hæc omnia conjunctim adeò "
præclarè, adeò eximiè eminent in "
Joanne, ut in Europæ luce, atque "
oculis Italiæ, Hiſpaniæ, atque Belgii "
eò uſque propemodum ſeneſcentem "
Hiſpani nominis reviviſcere gloriam "
effecerit, ut niſi hebetior in ſuo nego- "
tio, ſuíque nimia fiducia tumidus, "
nemo ex Hiſpanis Ducibus eſſe poſſit "
qui in hiſce bellicis notis, inſignibúſ- "
que primas huic juveni non conceſ- "
ſerit. Vel de imperii militaris auctori- "
tate, cuinam verè liceat cum Joan- "
ne contendere, cùm ipſi auctoritas "
honoríſque faſtigium, ac ſpecies è "
regii ſanguinis ſpuma, ac rubedine "
ſurgat? Credo equidem huc præſer- "
tim Hiſpanos ſpectaſſe Reges cùm "
filios illegitimos extulerunt, ut eſſent "
ſcilicet, qui fulgentes decore, ac ſtem- "
mate regio gloriæ fulgorem adde- "
rent armis, eſſetque gratia, & aucto- "
ritas tam aſpero miniſterio ex digni- "
tate quoque capitis accerſita, inde "
enim alacritas, inde ſpes major emer- "
git in militem, inde pudor, obſe- "
quium, & amor ſuavia non minùs, "
quàm fortia in bello, & in pace re- "
giminis vincula, oriuntur in Ducem. "
Neque hucuſque te Rex aliquando "
pœnituit, toties Joannem ſcenæ "
oſtendiſſe, copiíſque ingentibus Prin- "
cipem deſignaſſe, cùm per eas egre- "
gias animi dotes, quas regii ſplen- "
doris decus amplificat, fregerit il- "
le perſæpè Gallos in Belgio, Cata- "
launos attriverit, Portolongonem "
ſubjecerit, utramque Siciliam inteſti- "
nis diſcordiis tumultuantem pacave- "
rit, & hunc modò juvenem animo "
erecta contueatur Hiſpania tanquam "
fatalem hujus belli noviſſimi Ducem. "
Ne tibi prætereà Rex perſuadeas, ſi "
fato datum eſt, ſubigere Luſitaniam, "
eam eſſe tibi oppidatim ſubjicien- "

„ dam, aſpera mulra porerir armorum „ proſternere vis, alia fama, pérque „ oſtentatas ubique vires larè diffuſa „ clades, rerrórque belli; clementia „ fortaſsè quædam, ac Ducis inclyrum „ nomen, ac digniras vicerir. Cæte- „ rùm ſi Luſitanique quandoque per- „ fringi duries poterit, faſtúſque per „ arma contundi, cuinam ſe ille mi- „ nori negotio dederit, quàm tanro „ Duci? ſi molleſcere gentis odia, cui „ faciliùs quàm Regis filio, ſi arridere „ forruna, cui probabiliùs, quàm to- „ ties expertæ felicitatis juveni? At „ enim pericula undique circunſiſtunr „ ex ambirionis affectu præcipiti, ex „ cauſa vergentis ruæ, filiíque renerri- „ mæ ætatis, ex hominum rurbulenro- „ rum inſidiis, ne fortè, quæ ipſe Joan- „ nes arma ſuſcepturus in hoſtem eſſet, „ muraro ſubinde conſilio, in rempu- „ blicam verteret. Nimirum pericu- „ la ſunt, quæ à longè minantur, pluſ- „ que horroris, atque formidinis à no- „ ſtræ mentis anguſtiis, animíque præ- „ celeri fuga quàm à re ipſa propoſi- „ ta capiunt, alia inſtantia pericula, & „ proxima ſunt. Dum ergo nos quid- „ quam conſilio, manúve rractamus, „ ſi latiùs, quàm opus eſt intellectionis „ alis explicitis procul hæc viſa, vel ficta „ periculorum machina terreat, tunc „ propriis conſiliis impliciris nobis ac „ perturbatis nihil agere, nihil moliri, ni- „ hil cogitatione, aut ratione conſequi „ poſſe dabitur, plena erunt omnia „ ſcrupulorum, & retium, plena ca- „ liginis; uno quoque errare veſtigio, „ atque offendere gradu neceſſe fue- „ rit. Ad hæc moralia præcepta, ar- „ tíſque Politicæ dogmata non æqua „ ratione, arque ordine ſingulis viris, „ ac locis accommodantur, alia tem- „ perar opportunitas, alia inflectir in „ alio exuperanria virtutis, aut virii; „ alia minuit, alia addit, alia rollit, mo- „ rum diverſitas, temporíſque viciſſitu- do. Dux, & rerum omnium magiſtra “ experientia profectò eſt, quam ubi “ de obſequio, fide, meritóque Joan- “ nis tandiù, & ror caſibus compro- “ batam habemus, nec ullum præter- “ eà eſſe illi Ducem aut dignitare, aut “ fortuna, aut rerum geſtarum glo- “ ria, aut diſciplina miliriæ parem, ſi “ qua hoc tempore ſpes interluceat “ Luſiranæ receprionis, hanc quidem “ à Joannis duntaxat felicitare, ac “ miniſterio pendere cenſeo; pluſ- “ que etiam in bello periculi objici “ nobis à Luſitanis, hoc ſepoſito juve- “ ne, quàm ab hoc juvene Luſitanis “ oppoſito. “

His ſententiis à Turrianæ Medinæ Duce, & Comite Caſtrillio, quia ipſi inter ſe ſtudiorúmque diverſitate pugnabant, expoſitis, quanquam altera ſpe, conſilio alrera niteretur, elanguit tamen Caſtrillii ſententia, quippè quæ vim ipſa ducere videbatur fluida ab ætate, ac valetudine Regis infirma. Eſt enim hæc mentio Regum auribus gravior, & odioſa valdè memoria, qui nimium ſibi de vitæ longitudine indulgent, cúmque immenſa, arque æterna volutanr animo, ferè immortales credi ab hominibus volunt. Suffragium idcircò Medinæ Ducis obtinuit, ut arma, quæ in Luſiraniam comparabantur, Joanni Auſtriaco commendarentur; útque adminiſtrorum ejus peritia, virtúſque tanto digna Principe accederet, Gubernator armorum ſecundo loco Dux Sangermanenſis renunciatur; ſummus deinde caſtrorum Præfectus Aloiſius Podericus, Magiſter equitum Didacus Cavallerus, Tormenrorum Præſes Gaſpar Cueva delecti ſunt. Centurionum, ac Tribunorum militum rurba ex emeritis, ac longiora ſtipendia teſtantibus ducta eſt. Omninò milites ad tredecim millia pedites erant, equites ſupra ſex mille, flore, ac robore meliores quàm numero

numero milites, ac veteranæ pleroſque militiæ; quos belli nervos Inſubria, atque Belgium jam pace tranquilla, atque tuta ad Hiſpaniam tranſmiſerant. Badacocii belli hujus vetuſtæ ſedis arma, commeatus, copiæ, ac reliqua neceſſaria collecta ſunt. Inde poſtremò ſatis inſtructus, Duce Joanne, movet exercitus; & Campomajorem initio petere viſus, ſumma oppidanos, qui illius veſtigia obſervabant, formidine affecit: raptim ergo ducere foſſas, conſtruere aggerem, nova alia munimenta moliri, ſed averſo tandem itinere copiæ, lentiúſque progredientes Origuelam repentè invadunt. Hanc cum infirma,ac munimine debilis eſſet & improvisò quoque deprehenſa facilè capiunt, ac ſtatim excindunt, eodem impetu quoque deleta quæ adjacebat oppido, arce. Inde Arroncium aggrediuntur. Frequens hoc patet habitatoribus oppidum, Allegrette flumine alluitur, pervetuſtæ, ac ſemeſæ ferè compaginis eo tempore muros habebat, & arcem. Omnia prætereà & murorum ſtructura, & armorum, & hominum erant parum munita præſidiis, atque ita Luſitani imprudentia, atque incuria neglecta, ut illo oppido tandem capto, ſitúſque utilitate perſpecta, peritus quidam militiæ dixerit,nec quid amiſerint Luſitani, nec quid ceperint Caſtellenſes, ſatis utroſque adhuc habere compertum. Detrahebant enim nonnulli poſteà Ioanni, quod tantum armorum, ſpeíque conceptæ molem, ac vim in ignobile, ac propè patens municipium exoneraſſet. Verumtamen ſi hoc oppidum cecidiſſet, facilis inde Caſtellenſibus aditus, eóque tutus aliquando futurus receptus eſſet ad interiora cum armis ingredientibus regni: fœcundus, amœnus prætereà, & manantibus paſſim aquis irriguus illius agri tractus extenditur, ſimul arva, iiſque interjecti ſaltus, ingénſque in ſpatium porrectæ arboribus ſilvæ in arida illa, ac peruſta ſolibus regione, & pecoribus pabulo, & levamento militibus erant. Hoc oppido tandem per arma recepto Campomajor, & Elvus majora quidem propugnacula regni ferè intercluſa jacebant. His porrò de cauſis Auſtriacus impulſus Arroncium infeſtus adoritur ob militum copiam, & robur hoſtíſque impotentiam cadere municipium primo impetu poſſe ratus. Statim igitur belli tormenta, muraléſque machinæ expediuntur, ignium violentia concuſſa, fruſtatim concidunt mœnia, terret fragor, urget impetus, funera premunt, ſpatióque ſeptem horarum omni bello apparatu nunquam ceſſando vehementer percutitur oppidum, adeóque ferreo inſtrumento, contorum ictibus,pilis jam cominus ſubruentium, jam eminùs verberantium prœliaris calor efferbuit, ut per mœnium tandem ruinas congeſtáſque ſaxorum moles opportunus jam fieret incurſuris militibus aditus. Cæterùm eo referta terrore, conceptíſque gravida minis præ regii Ducis, & veterani exercitus robore, & gloria exercitus fama percurrerat, ut primo quoque impetu potuiſſet majoris momenti oppidum expugnare. Igitur eo tenui quanquam præſidio, eo ſitu loci, illa incolarum frequentia, & ſi diutiùs Luſitano militi licuiſſet hoſtilem vim ſuſtinere, præſenti tamen periculo territus, & majori etiam formidine conſternatus fortunas, & vitam integras pactus Joanni ſe propere addixit. Eo ipſo itaque die quo oppugnare cæperat oppidum victor illud Caſtellenſis ingreſſus eſt, cunctíque oppidani ob ſæva, atque vetera in imperium Caſtellæ odia ſecum bonis raptim convectis ad interiorem Luſitaniam migrarunt. Joannes Auſtriacus ſitus ibi habitum contemplatus, ſimul amœnita

amœnitatem, & ubertatem loci ac ſi progredi oportuiſſet, longioris itineris uſum, muniri confeſtim arcem, & oppidum juſſit, eóque ad regii propugnaculi formam largo ſumptu, & opere egregio quamprimùm redacto, ſolidóque relicto præſidio, poſtquam ferro, atque igni, & opulenta contracta præda hoſtium propinquam regionem vaſtavit, Dux Badacocium copias reduxit. Poſt hæc acta Luſitanus ſeu Atroncii oppidi amiſſione, ſeu quaſi dedecore ſtimulatus in rem temerariam intendere viſus, cùm ſexdecim ſcilicet ſolutis equitum turmis Badacocii uſque ad pontem allabi, ibíque inſolenter eſt auſus vim ipſe magnam laceſſere hoſtium, qui in promptu, in hoſpitiis, in numeroſis ſtationibus aderant. Fuit Luſitanorum horum equitum Ductor Comes Scombergius è Galli Regis clientibus vir, & laude bellica inſignis. Hunc cum numero tam exiguo juxta Principem urbem, & ſub exercitus pene oculis vagantem, inſultantémque conſpicatus eſſet Auſtriacus, ita ſimul, ac pondere commotus ſtatim Paceccum Legatum equitum hoſtibus occurſurum emiſit. Initio admodum pauci, quòd tumultuarius, ac præceps primus eorum eſſet incùrſus Legatum ſecuti ſunt, mox dum alius, & poſt alius, ac ſeriùs omninò miles accurrit cùm jam Paceccus debili manu progreſſus eſſet, ac longè diſpar cum hoſte certamen conſeruiſſet, nec ideò ſanguinis minùs hauſiſſet quàm profudiſſet, tandem numero circumventus, ac pila transfixus occubuit. Cæteros etiam commilitones, ac Duces, qui primo ſe occurſui cum illo temerè objecerant ejuſdem conflictus iniquitas abſtulit. Interim ad ſociorum, qui in tantum projecti diſcrimen erant, ſubſidium Caſtellæ milites confluentes, à tergo, & à fronte, quia multitudine ſuperabant, in Luſitanos incurrunt, ſimul haſtati milites circunfuſi equos proterunt, equitéſque nec ſe volvere in orbem hoſtes, nec præliari, nec fugere patiuntur, & eouſque conſtrictos ſeſe Luſitani ſenſere, ut libertas, aut tergum, aut jugulum dandum hoſtibus eſſet; urgentibus denique Caſtellenſibus, ac totam hoſtium concludentibus aciem, eorum magna pars cæſa, alia ipſáque longè minor per tumultum, & fugam elapſa eſt, ſaucii, captíque multi in Caſtellenſium poteſtatem venere. Rem tamen iſtam pulchetrimè geſtam Legati interitus deformavit, cùm Dux ille impiger eſſet, & tum generis, tum virtutis ſplendore clarus. Dum mutuò ſe hoſtes caſu, aut conſilio levibus hiſce præliis exercent, Joannes Auſtriacus cùm admonitus eſſet crebriores circa Alconcellum irruptiones agere Luſitanum, & per eos Vectonum quoque Provinciam, prædatoribus latè incurſantibus, cæde, & rapinis reddere maximè infeſtam, multos prætereà oppidanos quòd in ſolo Caſtellæ eſſet locus, illíque per arma ſub belli initium abreptus, vehementer deſiderare ad Regis obſequium redire, is & finitimorum calamitate perculſus, & incolarum fretus ingenio ad hoc municipium recuperandum animum advertit. Illuc itaque Didacum Cavallerum magiſtrum equitum majori cum parte exercitus miſit. Ipſe Joannes propè Alconcellum ſubſtitit hinc auctoritate, & conſilio, additóque militibus animo rei ſuſceptæ calorem miniſtraturus. Anæ propinquum jacet hoc oppidum; arx idem tegit, & integra mœnia, vallúmque poſteà quàm enim in Luſitani ditionem conceſſerat, hic ſtrenuè pro ſitus utilitate munierat. Segniùs in primis loci oppugnatio ex compoſito à cæpta Caſtellenſibus eſt quò minùs ſcilicet fragor armorum,

oppidíque

oppidíque reſtrictio ad maturandas illi ſuppetias Luſitanos ſollicitaret, útque intus intereà ſatis daretur conſciis municipibus loci proditionem conficiendi. Laxiùs igitur ideò cùm ſe Alconcelli haberet obſidio, & quaſi per otium ibi terere tempus acies hoſtica videretur, ſuſurrus initio quidam, inde fremitus, poſteà ſciſſio inter patria, affectúque diverſos, diſſidentéſque municipes orta, quæ ſtudia partium, fomenta tumultus, & diſſimulatos hactenus animos aperiebant, aliorum ad Caſtellenſes, aliorum ad Luſitanos rem altercando trahentium; fallaciter etiam in vulgus horum nonnulli cauſam prætexendo jactabant; comploratam jam eſſe ſalutem oppidi; dedendi ſe moras crudeliùs victoris acuere gladios, incendere iras; pacto, & concordia, ne mox cruore municipium inundet, redimendam ſalutem ab hoſtibus eſſe. Hac mali domeſtici labe quotidie magis ingraveſcente, ſimul externis comminationibus hoſtium perterritus oppidi Præſes, meliori conditione, qua potuit cum Auſtriaco paciſcitur. Inde quo pacto convenerat, ipſe cum pleriſque oppidanis, cunctíſque militibus oppido cedit, frumenti armorúmque magna intus relicta copia. Eò ſtatim Joannes ingreditur, arcem, oppidúmque reſtaurat, præſidio impoſito munit. Tribus ſic oppidis, interlabente vere à Caſtellenſibus occupatis, atque ad ſtativa ſubinde traducto milite, acria deinde per æſtum, & otia diſſidia Italis, Hiſpaníſque de ordine, & loco, qui cuique eorum in exercitu debebatur, militibus inceſſere. Eò enim proceſſerat aliquorum Hiſpanorum vanitas, atque faſtus, ut Itali, qui primi, aut inter primos in periculis, in laboribus ſemper erant, ſimul Romani, atque Italici quondam Imperii auguſta origine nobiles, hæredéſque bellicæ diſciplinæ à prima, atque ultima acie quod honori apud milites ducitur, à quibuſdam Hiſpanis ſummoverentur. His ſupercilium acceſſerat, & ſuperbia, tumórque verborum, quo militaris iſte gradus honoris Italis negabatur, adeò, ut feſſæ, exhauſtæque ipſis glorioſæ militiæ fructus in contumeliam, ac dedecus verteretur. Ægrè id ac moleſtè, ut par erat, Duces Itali ſentientes, primò verbis obſtrepere, egregia ſua quiſque facta, ac diuturna ſtipendia loqui, belli decora, & adverſo corpore exceptas oſtendere cicatrices; æquitatem, jus, conſuetudinem, præmia virtutis, aut ſtimulos in cauſæ patrocinium obtendere. Poſtquam id irritum fuit, cùm inter illas diſſenſiones Auſtriacus multas per ambages, inanéſque verborum illecebras velle ſubdolè videretur Italorum effugere odia, re verò ipſa gratiæ, ac deſiderio Hiſpanorum nihil omninò detrahere. Itali porrò Duces qui ejuſdem flos erant, nervúſque militiæ projectis honoris inſignibus omnes ſeſe belli muneribus abdicarunt. Hæc Joannes ſtatim per litteras Regi Catholico nunciat; res ingentibus curis in Status Conſilio diſcutitur, jactatus enim hujuſce teli eo tempore, eo loco ſive æmulatione, ſive odio corrupto animo intentus, rerum ſummam petere videbatur, cùm homines uſu militiæ, corporibus, numero, animíſque vigentes, vel opus eſſet cum ignominia dimittere, vel cum ſtomacho retinere, aut ſi mos gerendus Italis eſſet, Hiſpanos exacerbare; tandem in Senatu convenit, ut Burgundicus Italo pes in acie concederetur, quo promiſcuo ſcilicet gradu Itali cum Hiſpanis alternantes honorem primam interdum exercitus frontem tenerent, ſimul, quæ regia in exercitu cohors dicebatur, quæque ſuperbo inter milites titulo eas ſeditionum, nationúmque præcipuè inflammaverat faces,

continuò

continuò diſſolveretur. Hoc Catholici Regis edicto, quo tempore oppreſſa, atque extincta militaris illa diſcordia reputabatur, atrociùs ſubinde recrudvit, cùm perculſis vehementer Italis, nedum injuria, ſed fraudibus etiam, atque ludibrio per verborum ambages, fallacéſque ſenſus circuitus peti, gratia in querelam, & odium converſa eſt. Nam Regis Hiſpanis cavillantibus verba militibus, eorúmque libidini ſummo etiam Duce, ſenſibúſque retortis regii decreti ſententiam accommodante, ferè nunquam ex voto Italorum, aut mente prolata Regis eveniebat, ut in præſidiis, in vigilibus permutandis, in militari expeditione ea ipſa haberetur cum Italicis ratio, quæ extremam, aut primam repetentibus aciem conveniebat. Ergo repentè ſeceſſio, & propè vis in exercitu Italorum militum facta, Ducéſque rurſus abjectis militiæ officiis, atque inſignibus fractis, vel miſſionem, vel in ea controverſia modum cum clamore, atque ſtrepitu poſtulabant. Ex Ducibus facilè quidem exemplo fuſa contagio pervaſerat omnes nationis Italicæ milites. Itaque illis tumultuantibus, cùm undique concurſatio, ac diſceſſio, & circuli paſſim, & hominum cætus, & turbulenta conſilia commiſcerentur, eò res pertinaciùs intenta, & palam exulcerata proceſſit ut ipſa protinùs erupura, vel dirimēda ſanguine videretur, vel contumacia, vel fuga militū Italorum. In tanta rerū confuſione, ac tumultu Joannes Duces Italos cōvocatos aſperrimis verbis increpuit, litigioſos illos inquietos, refractarios ingenio, impotentéſque natura vocans, qui ſatis pro acie deſiderata, & à Rege libenter conceſſa de pede Burgundico gratia, jam ſeditioſè ac turpiter abutentes vices turbarum redderent Regi. Tandem ſibi ipſi conſulerent, nec ampliùs furere pergerent, vulgi ne fortè militaris inſaniam, ea, quæ dederint cauſam, ſupplicio capita ſolverent. Ad ea verò pro Italica natione ad hunc ferè modum reſpondit Emanuël Carafa Tribunus militum filius nothus Nuceriæ Ducis.

Falsò quidem Hiſpanos inter milites voce, ac ſtrepitibus agitari, quod ex Carolo Quinto Cæſare repetita hucuſque memoria primam Itali nunquam tenuerint pro certaminis loco aciem. Id enim refelli ſatis ſupérque poſſe litterarum monumentis ampliſſimis, & ubi maximè legitur Marchionem quondam Piſcarium Cereſolem verſus ad prælium tendentem in fronte exercitus qui ex Hiſpanis ſimul, & Italis conflaretur, Italos milites collocaſſe. Eumdem quoque gradum, & ordinis locum à Carolo Quinto Imperatore fuiſſe Italis attributum, cùm primam expeditionem feciſſet adverſus Saxonum Ducem, & Lantgravium Principem Heſſeum. Recentioris memoriæ ſuper hæc argumento, cùm Albertus Princeps Auſtriacus, Philippo ſecundo Rege adverſus Gallorum copias Amienti ſuppetias ferret, tunc ex Hiſpanis, Italiciſque miſtis eſſe primam expletam aciem frontémque confectam. Hos incorruptos, & ab antiquis excitatos annalibus teſtes falſitatis, animíque livoris coarguere eos, qui à Caroli Quinti tempore negant hucuſque dignos Italos extitiſſe, quos hæc loci, ordiníſque prærogativa inter arma condecoraret: alia etiam multa, & ſimilia huic Italicæ cauſæ propitia ſuccurrere exempla, & typis, & poſterorum memoriæ tradita, nec aliunde profectò conſtare, qua ſcilicet ratione aucta deinceps ſint merita Hiſpanis, atque Italis imminuta, quid interjectum hoc tempus abſtulerit Italis, quid Hiſpanis adjunxerit; aut quid

ampliùs

ampliùs utilitatis ſive decoris Hiſpani tibi depoſcant ex hac inflicta Italis ignominia, quocirca immutato more majorum, indefeſſæ vigiliæ, æſtus, inediæ, algoris perpeſſio, & frequens cum morte luctatio, & omninò ingratus militiæ fructus in contumeliam deſinat. Nimirum quia Hiſpani vel titulo gentis imperatricis, vel quia in terra eorum geritur res, ſeu uſu abuſuve temporibus confirmato primum militiæ ordinem cupiant, verecundè, ac modeſtè decedere Italos, eíſque primas concedere: at ita velle contemnere Italos, ut primò in acie ſublato loco, etiam ſecundò depellant, & aliarum poſt alias injuriarum incitamento obſtinatius certando conentur Hiſpani, abſque exiſtimatione, abſque certo, & honorifico loco viros Italos caſu, & gregatim more armentorum concurrere ad prælium, cuinam ſub Italico genito hoc tolerabile fore? aut cur hanc publicam contumeliã, hoc tantum militiæ dehoneſtamentum Italico nomini, ac merito convenire? originiſne ratione? cujus vetus, ac terrarum per orbem ampliſſimum, nunc autem velut in partes diſſectum Imperium tot varia, tot ſpatioſa, ac florida regna conſtituat. An torpore, aut genere quodam ignaviæ illis hominibus inſito? cùm ferè inermis Italia, ac ſubdola pace luxurians quàm inclytos Regi, ac Cæſari Duces, quàm validas legiones, quàm impigros milites mittat, neminem lateat; an præſentibus potiùs ob pœnam infamiæ, ac jure inuſtam Italiæ militibus notam? quorum plerique meliori corporis parte defecti per laceros artus, ac mutila membra, & variegata cicatricibus corpora rerum in bello geſtarum gloriam magnificè oſtentant. In virum profectò bonum obnoxio ſibi honote carentem quamdam ſegnitiem, & virtutis quaſi faſtidium obrepere; at præmii loco virtuti, ac labori redditam contumeliam patientiæ frænos abrumpere, & quod domi, & in otio convicio, & querelis exagitatur, hoc inter acies, & arma cruore, atque cædibus definiri. His argumentis impulſos paulò ante humiles ſe per Joannem ad Regem miſiſſe preces pro Italici nominis dignitate, pro jure cauſæ, pro merito militum hujuſmodi injuriam, ac dedecus deprecantes, inde Regis manaſſe decretum de pede Burgundico Italis in agminibus aſſignato, quod læto animo ab Italis primùm admiſſum nihil ibi ſubeſſe fraudis, ex more ſuo fingentibus cæteros, ratis, poſtquam fluere & corrumpi illa falſa lætitia cœpit, haud ſecus quàm anteà fuerat, hærente in Italis ignominia ſuo nempè loco ſuo honore in acie permiſſo per verborum ambigua, & fallaciæ ambitus exturbatis, cùm gravior ideò recideret ex nova irriſione querela, acriórque ex inani concepto gaudio repentè dejecti animi dolor aſſurgeret, tunc enixiùs efflagitare, ut ſibi honeſtus, ac certus, jam integro Regis decreto, in acie locus præſcriberetur. Huic ſtabili, & firmæ mutandæ modo ſententiæ nec preces, nec minas, nec omnium congeſtas terrorum imagines adverſus Italos ſuffecturas. Decenter hæc arma tractanda, vel extemplò ponenda eſſe, ſi juſta ipſi petere videantur jure ſuo uſuros, ſin autem injuſta, vacuum omninò facturos Hiſpanis militibus locum, ſi nihilominus urgeantur, ſciret Auſtriacus, eadem in primis ſucciſa, ac ſtillantia ſanguine capita, quæ mucronibus toties, & tormentorum globis abſtulerant impendétique quotidie qua ferro, qua flamma, & inſidiis exitio, honeſtius, & gratius eſſe tandem pro patria, & honore ipſos Duces immolaturos.

Hæc cùm audiſſet Joannes, quanquam haud parum ei ingrata Carafæ libertas, ac ſpiritus foret, ex quo mox in cuſtodiam ejuſdem imperio conjectus eſt, Italorum tamen conſtantia, & factione ſimul, quę majores quotidie vires, ac nervos in exercitu colligebat impulſus, ſe Regi ſpopondit, ſuo quoque adjecto ſuffragio Italorum preces, & queſtus expoſiturum, idque ut promiſit, celeriter præſtitit. Etenim Rex à Joanne de Italorum tumultu, ac petitione conſultus, ac pariter monitus quantum domeſtici mali in viſceribus inhæreret, quid conſilii decoqueretur, quàm rabida, quàm peſtifera foret ea inter milites ſciſſio, quæ in bello quoque ſegnes exacuit, hujus ſententiæ decretum edidit. Regii gradientis exercitus pro certo, ratóque loco extrema Italis acies, cornus in prælio ſiniſter aſſignaretur, at in lævo ipſo cornu, extrema item acie, cùm laborarent, egeréntque fortè ſubſidiis, ad ea roboranda pro ſummi Ducis arbitrio citra cujuſque gentis injuriam, aut fraudem fas eſſet cujuſvis nationis milites collocare; & quanquam verborum iſte contextus cavillas, & rimas interpretando quærentibus torqueri quoque ac retexi facilè potuiſſet; integrum enim ſupremo Duci fuiſſet levi quocumque accerſito prætextu, vel cauſa in ultimam aciem Hiſpanos ſubſidii ſpecie transferre, primúmque ibi ordinem occupare; Italis tamen cùm honoratus, ac ſtabilis locus in acie publico Regis edicto præfigeretur, pro tempore placuit Regis
1662. imperio acquieſcere. Dirempto in hunc modum nationum per Regem litigio, liberiùs exinde Joannes, ver cùm appeteret in proximi belli conatum incubuit. Nec minoris utique ſtudii, animíſque agitatio ad eumdem belli apparatum ſollicitos, anxióſque Luſitanos habebat; reliquum enim Philippi concordia pacatum Imperium, Auſtriaci nominis fulgor, terrórque veteranæ militiæ ſubſidium, ac robur in Luſitaniam planè coactum; niſi totis nervorum intentis viribus contra, ſummóque labore, & cura procederetur ad debellandum ſufficere videbantur. Ad pecuniam igirur, qui eſt potior in bello nervus, pro ærarii maxima inopia difficilè conquirendam licentiùs, ſeveriúſque tributa, magnóque populi fremitu in Luſitanum regnum invecta ſunt. His ita ablata, vel ex conflata pecunia ſubſidiis, clientelæ, quam Gallo cum Rege quondam obſtrinxerat, quo tutiùs modò Bregantius ab inſtanti, minacíque armorum procella tegeret ſe, novo etiam vinculo ſtrictiorem Britanni Regis ſocietatem adjunxit; nam icto cum illo fœderi jus quoque affinitatis adjecit, Catharina Portugallia ſorore deſponſa Britanno. Hujuſmodi nuptiæ poſt exploratas Auſtriacæ cum Gallo Rege connubium Londini ſancitæ ſunt; nam pro anteà locanda in matrimonium ſorore ſpes nec exigua ceperat Luſitanum contrahendi affinitatem cum Gallo Rege, novóque ſibi pignore addictum Regem amicum, & ſocium habendi, ſummopere prono ad illam rem Mazarino, cum vulgari fama Bregantius ſuſcipiendæ ſobolis minimè potens reputaretur, ſpéſque regni Luſitani regios poſt fratres Catharinam attingeret; Auſtriacæ verò cum Gallo Rege connubio, ac per illud pollicita dote, ea tantum erant propoſita Gallis, quæ iidem Hiſpanis armis erepta tenebant, pax autem per nuptias cum Hiſpano, Gallóque Regibus ſtabilita, ſi utriuſque regni opes, ſi ingenia, ſi cladium jacturæ compararentur, tantum detrimentum Hiſpaniæ, quantum Galliæ incrementum pro ejus ſententia ablatura fuiſſet. At Cardinalem hæc molientem, inculcantémque Regina mater abſtraxit, quæ ut mulier, commu

communiſque amore familiæ magis, quàm ſtudio reipublicæ affecta, collatâ hoc modo per nuptias Philippo jam belli diſpendiis exhauſto pacem, fratríſque filiam convictus, regníque ſecum participem exterorum inter faſtidia maximè cupiebat. Quapropter excuſſus illa ſpe Luſitanus Britannico Regi ſororem in matrimonium conjunxit; eidémque ſuper ingentem numerandæ pecuniæ vim Tingi etiam ſitum in Africa oppidum pro cumulo dotis acceſſit. Hæc ubi Rex Catholicus intellexit, ſimul Anglum claſſe potentem Regem ſuo, quod habebat in Mauritania dominio, Hiſpaniæque nimis hærentem metuit, tum hæreſi gentem infectam, ne in propinquos effuſa lues ſui juris, & immunes à labe homines inquinaret, præſertim acerrimus ipſe cùm fidei Divinæ vindex, non minùs ea cura ſollicita ſibi quàm Numini obnoxia, & ubique partibus terſa ſua regna cuſtodiat, poſtquam multa ſecum ad hanc arcendam è latete peſtem in animo volvit, intercipere municipium inſtituit, & pulcherrima quoque religionis adjecta cauſa quæ inflexibilem alias Rectoris ejus conſtantiam evincere forſitan potuiſſet. Clam itaque illi per virum idoneum in Mauritania denunciavit: Eſſe jam illud oppidum dotalis muneris ſpecie à Brегantio Britanno proditum, ejúſque contactu falſæ quamprimùm religionis dogmatibus imbuendum. Pergratam idcircò Numini rem, Præſidíque proficuam, & glorioſam quoque futuram, ſi vindicatum, aut præſervatum ab impiis manibus oppidum Regi Catholico, veróque Domino reſtitueret. Erat per id tempus ejus oppidi Præſes Ludovicus Almeida, vir nobilis, animo acer, peritúſque militiæ, qui, hæc cùm audiſſet, averſatus promiſſa, & blandimenta Regis, ita retulit internunrio. Tingitanum oppidum creditum ſibi à Luſitana Regina fuiſſe, ejúſque imperio nutúque immani cuicũque ac barbaræ nationi, cuivis obſcœnæ lutulentæque ſectæ potiùs quàm Caſtellenſibus tradíturum. Sic viro illi libero placuit ulciſci vanam de ſe perfidiæ ab hoſte conceptam ſpem, ac pariter vetus in Caſtellam effundere odium, quod tum per attentatæ fidei occaſionem magis exarſit. Cæterùm gravior deinde ipſum Almeidam ſollicitudo, quanam ratione rei inſcium ibidem agentem populum Luſitanum afficeret, ut adverſæ pravæque religionis ſine tumultu, atque ſtrepitu inviſum, ac novum ſubiret jugum, exagitabat. Arte, aut illecebris initio fortè attentatam, ſed irritam rem, aſperiorem effectu poſteà futuram, ſi vi rurſus tentanda eſſet, revelatio quippè cadentis fruſtra ſecreti, ac per illam religio populo, quæ hoc volubile affigere monſtrum tantummodò valet, incuſſa firmiores, paratioréſque ibi incolas præſtitiſſent, ut huic aſcititiæ, ac propè venundatæ ſervituti reluctarentur. Ergo ad inſidias converſus Præſes, dum Odoardus Montacutus Anglicæ claſſis Præfectus, cui injunctum à Rege Britannico fuerat Tingitanam poſſeſſionem ſuo nomine accipere, jactis ancoris, juxta littus conſederat tum ipſe oppidanos miſtos militibus miſit Maurorum agmina perſecutum, quæ fortè populabunda agros finitimos excurrebant. Vocat interim Anglum, & milite, & incola ferè vacuum in oppidum introducit, deinde arcem, & mœnia magno illi præſidio firmanda tradit. Redeunt mox à certamine Luſitani læti, cruentíque ſanguine hoſtium, quíque foris Mauros ceciderant, intùs repentè quaſi ab hoſte occupatas domeſticas ſedes inveniunt. Inde clamor, ac fremitus hominum ortus, confuſæque ploratibus voces mirantium, quærentiúmque victi ne ipſi? an illuſi? an ita proditi eſſent? ſe

modò tanquam mori pro patria, aut confligere neſcientes, hanc priùs ſibi ereptam, quàm oppugnatam aſpicere, exuviáſque portantibus hoſtium cum his ad exilium, aut ſervitutem approperandum eſſe. Hunc tumultum, animorúmque jactationem ut ſedaret Almeida, eorum primoribus accerſitis, Aloiſiæ Guſmanæ Bregantii matris, quas adhuc ſuppreſſerat, recitat litteras cum mandatis, illud videlicet municipium ad dotis acceſſionem quàm Anglo ipſa Regi promiſerat, dedi. At fraude primò petitis, poſt armis obſeſſis nihil reliquum municipibus fuit, quàm manifeſta indignatio, & querelarum acerbarum effuſio, aut transmigrandum ſcilicet ſibi, aut hæreticis ſerviendum. Ita oppidum Tingi in Angli ditionem conceſſit.

Rebus ad Caſtellam intereà pro belli expeditione compoſitis cum Badacocio propè diem eſſet Joannes cum exercitu profecturus, quidam eumdem Luſitanus cœnobita convenit. Is palam anteà tranſitus cauſam eſſe vulgaverat, velle ejuſdem nempè cœnobio quoſdam per hoſtes ablatos armentorum repetere greges. Eſſe ſacras Deóque dicatas res ex jure Divino armorum, & hoſtium furoris immunes; ſecus profectò fore, ut illa cruore, ac ſtrage repenſa à ſacrilegis Numen exigeret. Hæc falsò jactanti fit aditus ad Auſtriacum, cui remotis ſubinde arbitris declaravit. Velle Aloiſiam Guſmanam, ſi percommodè licuiſſet, ut tanto ſanguini Hiſpano, tantis cladibus parceretur, in aliquo invicem convenire, pacíſque honeſtas, & æquas conditiones componi poſſe. Quatuor intereà menſium induciæ interpoſita fide conſtarent. Audit hæc verba Joannes ſimul ridentis, ſimul mirantis in ſpeciem, protinúſque cognovit ancipiti fraude paratum ad ſe cœnobitam veniſſe, vel ut hoſtium res exploraret, vel ut ficta ſpe pacis iter, infeſtíque exercitus minas averteret, cùm alioquin abſurdum penitus videretur, inſtructis, atque alacribus copiis multa ſpe, multo ardore ad pericula concitatis induciarum, aut pacis eo tempore verbis obſtrepere. Reſpondit igitur cœnobitæ: ſe pacem, quàm bellum malle, modò ne pax Regi damnoſa, ne turpis ſit. Ante omnia igitur, ad eam accipiendam, quam Luſitanus obtulerat, pacem ídque tum detrimenti quòd à belli vacatione, rantíque exercitus magno labore, ſumptúq; parati intempeſtivo otio, atque intercepta propemodum ſpe relapſurum in Regem eſſet, reſarciendum, tanquam ſuſpenſi cum inæquali partium diſcrimine belli, ac ſyncerè propoſitæ pacis Elvum, Jurumeniam, & Campomajorem ſibi obſides dari à Luſitano petebat. Ad ea verò nihil hujuſmodi ſibi à Luſitana Regina commiſſum cœnobita reſpondit, nec adeò collapſas res Luſitanas eſſe, ut ſalus ipſis per tam cæca, atque abrupta deſperatione conſilia petenda foret. Nihilominus erat animus cum hoc reſponſo ad Luſitanam Gubernatricem reverti, ac ſi ita annuiſſet Auſtriacus, ad eum paulò poſt cum his auditis, & aliis acceptis ab illa mandatis ſe regreſſurum fuiſſe. Temerarium Auſtriaci reſponſum, & velut joco, & induſtria illius poſtulato ſimile redditum, cùm adhuc cœnobitæ ſimplicitatem, aut doli ſtultitiam non correxiſſet, duriùs idcircò cœnobitam cõpellans, minimè, inquit Joannes, imò ad cœnobium rediret, & ſacra repeteret. Cum hoc deriſorio, aſperóque reſponſo cùm Luſitanus dimiſſus eſſet, à Badacocio ſubindè Caſtellæ movit exercitus: tredecim ferè millia numero pedites erant, equites ad quinque millia, ſed virtus, vetúſque militũ diſciplina longè numerum ſuperabat. Sic ſuis incedens condenſatis ordinibus acies, terrorẽſque curſim oſtentans inter Campomajorẽ,

& Elvum utrique munito maximè loco minitabunda proceſſit. Paulò ante profectionem inconcuſſa Joanni, & cum primariis priùs etiam excuſſa ſententia Ducibus ſteterat, ire primùm contra Eſtremotium, ut prævalidum municipium, loco opportuno ſitum, & quod viam Uliſipponi tenendæ ſterneret, & præclara multa, atque in primis munita præcluderet oppida. Id tamen certi, ſecretíque apud Duces conſilii ſeu temerè proditum, ſeu hoſtis ſuſpicione fortaſsè præreptum movit Comitem Cantagnedæ Luſitani exercitus Ducem, cum omnibus copiis in oppido incluſis ſe opponere hoſti, quarum lacertis, ac viribus cùm ſatis firmus jam ſtaret locus, nimis cruenta, aut diuturna, aut potiùs inanis futura Caſtellenſibus quidem fuiſſet ejuſdem oppidi aggreſſio. Idipſum Joannes intelligebat, cúmque adoriri Eſtremotium, quod res difficilis eſſet, omittit, mutato conſilio, verſoque in camporum latitudinem impetu prædabundus cum exercitu pervagari, undique auferre, trahere, ſubvertere omnia, quæ in tranſitu eſſent, nec interdiù, nec noctù à villarum incendiis, à pagorum ruinis, agrorúmque vaſtitate ceſſare; ſi tot fortè cladibus irritatum è ſeptis murorum abducere poſſet hoſtem. Hæc Comes Scombergius intuitus, qui ſupremus apud Luſitanos caſtrorum Præfectus erat, Cantagnedæ Comitem monuit, ne ſtrenuas illas, atque integras copias in quibus regni eo tempore opes, ſpes, atque fides omninò conſtarent, unius conſtrictas oppidi muris otio torpere, metúque ſineret, quando alacer hoſtis camporum ſpatiis vaſtator aſſultans, vitióque ſuo magis, hoſtiſque perſpecto metu, quàm viribus turgidus, ut calamitas quædam impunè cuncta pervadere ſpectaretur, hoc enim niſi ſuas ipſe Dux vel ad oſtentationem copias celeriter explicaret, ignaviæ militibus notam, formidinem cæteris Luſitanis, audaciam, & ſpem ad alia intentanda ampliorem hoſtibus allaturum. Opinione ſanè procedere bella, atque inter pares, & impares opes ludibundam plerumque fortunam ludere; certum hoc præſens Luſitanis inflictum, nec porrò modicum detrimentum videri ex timoris opinione collecta, quid deinde, ſi copias educeret, fortuna ſtatueret, in incerto judicii, exitúſque verſari. Perculit hoc Luſitanum egregii monitum Ducis, cúmque ipſe in dubio pauliſper fuiſſet, teneret-ne in ſummo diſcrimine pendens magni momenti oppidum, an foras egreſſus pugnæ ſe inſtructum oſtenderet hoſti, poſtquam hinc, & inde, ut fieri plerumque in rebus aſperrimis ſolet, variæ difficultates obverſabantur, egredi ab oppido tandem conſtituit, ejúſque proximè latus locare caſtra, ita commodum eſſe ratus, nec relinquere municipium nec ab hoſtibus frontem avertere. Hoc quidem conſilio ab Eſtremotio digreſſo Duce, caſtríſque propè locatis, ſatíſque munitis; ubi videt Auſtriacus jam Eſtremotii ut fortiùs ab hoſte muniti, propugnatíque arduam vel irritam ſibi oppugnationem futuram, ſimul præſtitis paſſim populationibus feſſus viam inde flexit, atque aliam arripere ſimulavit, quæ Uliſipponem rectà conducit; rumórque percrebuit ad urbem Principem oppugnandam vim omnem belli converſam eſſe. Porrò tum feſtis, inconditíſque clamoribus, plauſibúſque ut inanis, ac ſummè levis ingenio vulgus militum eſt, ea Uliſipponem euntium excepta vox eſt, quaſi jam peterent belli caput, ac digna laboribus, honoribúſque merces hinc avaritiæ hinc gloriæ ſtimulis incitatis proponeretur. Nec curæ, ac mœroris profectò minùs

Comiti Catagnede, ad quem allapſa vox eſt, aut minùs Uliſipponi ſollicitudinis, confuſioniſque, quæ præmonita à Comite fuerat, eò ſtatim allata, falſòque res credita incuſſit his, quorum maximè intererat, & quorum ante oculos clariùs periculum verſabatur, meliùs intelligentibus, quemadmodum debellari facillimè potuiſſent. Cæterùm hac prudenter belli gerendi via aut non planè intellecta, aut per invidiam omiſſa, aut immobili quadam fati lege interrupta, tot annis, tot belli petita conatibus, ſumptibúſque ad ultimum integra res Luſitana ſtetit.

At exercitus Caſtellenſis, qui alia, & longè diverſa mente Ducis agitabatur, occurrentium pagorum excidio, & repetita agrorum combuſtione, ac ſegetum corruptela cum ingenti prædarum cumulo, tandem ad fontem pervenit, qui Zappateros vulgariter dicitur, ibíque caſtra conſtituit. Amœnus erat, aquíſque paſſim fluentibus locus; atque in ea ſiccitate torridæ circum, ac vaſtiſſimæ regionis facilior, & gratior erat aquandi militibus copia. Cùm hîc moraretur exercitus miſit Ioannes Didacum Cavallerum majori cum parte equitatus, legiones prætereà binas, aliam Italam, cui Emanuël Carafa; Hiſpanam aliã, cui Joannes Zunica præerat ad Villabuím propinquum oppidũ oppugnandum. Haud ſatis validum erat oppidum, at opulentum agrorúmque propè cultura, ac pecorum fœtibus valdè pingue, propugnaculum etiam ſpeciem arcis ſitu, & altitudine præferens oppidum muniebat. Quorum omnium cuſtodia Centurioni genere Gallo à Luſitano impoſita fuerat. Huc porrò Caſtellæ cum tormentis bellicis miles appulſus vix primi conatus terrorem objecerat hoſti, cùm ſubitò Gallus, vel quia res ad ſe parum, ut alienigenam pertineret, ſive errore, ſive inopia conſilii præ nimia formidine captus dedere clam municipium Cavallero pollicitus eſt, modò ipſi Gallo, quo Luſitanum illuderet per horæ intervallum permitteretur tormentis, ſclopíſque ſine globis excuſſis ad fidei, animíque jactantiam innoxios per ictus obſtrepere; ſecus enim hoc in ſegnitiem aut fraudem fortaſsè Luſitanus immeritò relaturus, aut pœnas à Gallo exacturus fuiſſet, quod feſtinata deditione fidem, & oppidum prodidiſſet; ea arte, illo fuco viro etiam frugi opus eſſe inter exteros, eóque nomine inviſo onerantes ſuſpicionem homines agitanti. Facilè rem impetravit, deinde ut ſecreto pacto convenerat, tradito municipio, cùm militibus Gallus, & oppidanis exceſſit. Ea ne tam citò deditio fieret, néve incruentus eo potiretur oppido hoſtis, cùm alii vel ſibi fiſi, aut diffiſi muſſarent, aut vellicarent, aut rem taciti prætereirent, pervicaciùs tunc unus obſtiterat Parochus oppidi Luſitanus, vi tamen, qui ſubitò irruperant hoſtium, & ſuorum etiam impetu ejectus, ac pulſus, poſtquam oppido abſceſſit, Joannem intrepidus adit, eúmque Ducibus circunfuſum magna inter arma voce, animóque compellat; Galli hominis dolo, aut ignavia, planè inſontibus Luſitanis, externíque ſeu inertia, ſeu ſcelere obſtrictis; ac proditis illud tam citò eſſe oppidum interverſum; indignus enim ille exercitus erat, cui ſuccumberet Villabuîs. Joannes ludo rem vertens gentíſque tunc notem per Caſtellenſium dicteria, ſaléſque vulgatum jocosè repungens Parochum miſſum incolumem fecit, juſſitque confeſtim arcem, & oppidum funditùs dirui, quò altiorem ex cladibus ſuſum metum imprimeret Luſitanis. Caſtris paulò poſt motis, populabundus effunditur miles, quáque iter in hoſtico facit, fœda ibi paſſim ruinarum, ac cædium veſtigia

ſtigia relinquit, cúmque adhuc lateret Ducis conſilium, cunctóſque ſuſpenſos haberet illius itineris expectatio, Villavitioſam verſus iter inſtituit. Media via Luſitanus tabellarius ad Jurumeniæ, Elvíque Gubernatores à Cantagnedæ Comite miſſus offendit. Tum verò deprehenſæ, ac recitatæ litteræ hujuſmodi monita, & juſſa, quæ illis hominibus mandabantur, aperuere. Impavidè agerent, nec metu aut illecebra hoſtis de fide, & conſtantia quidquam remitterent, ſi fortè Joannes, ut injecta ſuſpicio erat Jurumeniam, vel Elvum aggrederetur. Ducem ipſum Luſitanum certaminis avidum cum octo peditum, & quatuor equitum millibus circa Eſtremotium conſiſtere ampliora quotidie expectantem, quæ Uliſippone ventura erant, equitum, peditúmque ſubſidia, quibus celeriter auctus confligere ſtatim cum hoſte decreverat. Hoc interceptarum epiſtolarum exemplar erat. Duplici tamen aſtu, & fallacia eas eſſe contextas litteras cenſuit Auſtriacus, quæ ſcilicet redditæ inani concepta ſpe ſociorum animos dilatarent, exceptæ fortaſsè contraherent formidine hoſtium. Proinde vocato ad ſe tabellario, Cruciatus, inquit Joannes, & mortem, quæ tanquam perfidiæ miniſter, rebelliúmque emiſſarius meritus eſſe videris, hac lege tibi remitto. Abi, tuóque Duci renuncia, quia adeò ſuperbè mecum, ac minaciter agens expetere prælium oſtendit, quamprimùm ſui voti compotem factum iri. Itaque retrocedit, hoſtémque propè Eſtremotium Joannes aſſecuturus, quod jam confecerat iter repetere pergit, incerta ſpe quidem cum illo congrediendi, ſed, ut planè pateret futiles, inanéſque profundere minas, qui & provocatus ab hoſte certamen abnueret. Quod ſi fortaſsè tunc Luſitanus conferre ſigna non renuiſſet, ſuperiorem ſe prælio fore faciliùs exiſtimabat his obvium, qui tunc impares vires quàm qui poſteà majores, aut æquas per auxiliorum acceſſionem, ut ep ſtola promittebat, collaturi fuiſſent. Joannes igitur Alexandro Carrera equitum Commiſſario cum prima atque expedita acie procedere juſſo, ipſe cum reliquis copiis, & militiæ impedimentis implicitis ad Eſtremotium lentè pergebat. Tandem Alexander cui tum cum Auſtriaci cuſtodibus corporis Melchiorrus quoque Portocarrerus acceſſerat, longè progreſſus multis occurrit tunnis equitum Luſitanis, qui caſtra reliquerant, & tanquam ad rerum proludere ſummam vellent, velitantium more compoſiti erant. Varia ibi, atque inſtabilis primò conſeritur pugna, dum urget Carrera numero militum fretus, numeróque ex adverſo diffiſus cautiùs, quàm acriùs pugnando volvitur Luſitanus, hic námque jam velox accedit, jam recedit, in fronte ſe modò oſtendit, modò in latera jactat, aut tortuoſo quodam rapitur orbe, illinc nervis, & militum numero, hinc concurſatione, aſſultúſque dexteritate certamen æquante. Poſt ubi variè incumbentem hoſtem, flexibúſque & circuitu oppoſitam ſibi vim eludentem cum equitibus circumvectus concludere nititur Alexander, & plurimi loco ſummoti, ſparſique alii gladiis, alii brevi fiſtula excepti ceciderant; eques denique Luſitanus omninò fuſus, fugatúſque ſuóque ſanguine madefactus ad caſtrorum ſe munimenta recepit. Sub hæc Auſtriacus advenit, copiiſque ſtatim conjunctis, explicatiſque ab edito loco circunſpicere cæpit, & munimenta hoſtium, & militum robur, ac diſciplinam, ſi fortè res hoſtium aut ita neglectæ jacerent, aut ita enerves, ac debiles eſſent, ut trahere etiam invitum è caſtris ad pugnam, aut inter caſtrorum munimenta latentem Luſita-

num invadere potuiſſet. Cæterùm caſtra hoſtium ſitu, atque opere ferè invincibili prominebant, hinc oppidi muris, quibus contigua erant, novo hinc erecto propugnaculo tecta, ampliſſimis etiam erant, & aggere, & foſſa, & aliis operibus circumvallata, ſimul loci ejus acceſſus natura difficilis, aſper, & commeatus abundè, & arma, & militarium omnium inſtrumentorum commenta ex oppido ad caſtra comportabantur. Aſpicit hæc Auſtriacus, & niſi avertere ipſum à prælio hoſtium numerus, atque virtus, terrere ſaltem ut Ducem prudentem debebant vel ardua perſpecta munimenta caſtrorum. At nihil profectò acriùs, quàm fortè exploratus in adverſario metus eumdem oppugnat; plurima enim ad offendendum nondum ab æmulo excogitata, vel cautione priùs, vel formidine prætermiſſa, is qui metuere adverſario videtur, in ſe omnia revolvit, & quodam impetu acuit. Idcircò & ſi anteà Joannes ad municipia expugnanda, aggerandáſque prædas intentus totáque acie decernere vitans ad ſpeciem terroris potiùs illam infeſtam circunferebat, nunc ubi trepidum hoſtem, parte equitatus, qua paulò ante concurrerat, victum; loco prætereà, animóque contractum, ſeptíſque caſtrorum ſe ſuſtentantem videt mutato repentè conſilio concurſare, ex propinquo inſtigare, ferociùs audendo tentare æquum ad locum, ſi poſſet hoſtem pro pugna ſubducere, ſin minùs ille ſæpiſſimè laceſſitus, nec caſtrorum deſerere ambitum auſus palam de animo Caſtellenſibus videretur, ac laude bellica conceſſurus. Eo quoque conſilio, imperióque Joannis, quatuor majora tormenta belli opportuna diſpoſita loco cùm frequentiùs diſploderentur, quanquam agger, aliáque rapptim pro caſtris munimina adjecta reſiſterent, horroris non parum, detrimentíque; clauſtris tamen hætentibus attulere militibus, ibi ſe circunſeſſos, incluſos, uſúique armorum prorſus inutiles dum inſultaret, & clades ageret hoſtis ægrè, & acerbè querentibus: at intra ſepta propè jam lanienæ pecudum more conſciſſis, patientia tamen & mora adhuc dolentibus ſuppetebat. Luſitani denique mente à conflictus periculis aliena, plúſque objectu ſubnixa caſtrorum, quàm armorum, & corporum explorata, tunc Auſtriacus Duces conſuluit, utrum arma jam expediret munitis adeò caſtris inferre, an à ſuis à munimentis per vim impetúmque Luſitanum extractum cogere ad pugnam, cùm abjecto per metum animo, & multiformiter irritatum ipſum omninò refugere prælium liqueret, eadémque de cauſa animo magis elatus, & alacer Caſtellenſis ferociter pugnam repoſceret. Diſſimilia ut ferè cuncta mortalium ingenia, ita propè conſilia ſunt, nec adeò ingrata, aut in ſpeciem deformis ipſa temeritas eſt, ut ſuis interdum ſectatoribus careat. Cùm igitur ea prævaleret in Ordine Ducum ſententia, quia ad eam inclinare videretur Auſtriacus, quæ tunc Luſitana oppugnanda eſſe caſtra ferebat, expungere tamen illam unius Sangermanenſis ratio, & auctoritas potuit. Is enim diſertè, latéque diſſeruit, Quàm nimis hoc arduum, " quàm præceps omninò conſilium ju- " re militiæ cenſendum eſſet ſuccinctũ " caſtris, vallóque protectum invadere " in hoſtem; ibi enim cum propugna- " culis modò eſſet, modò cum hoſtibus " decertandum, réſque durè, & iniquè " inter vallatos, ac tegimine nudos ictibus " porrectos agitaretur. Plenioris " prætereà, impatientérque reſtricti " percitique fortaſsè tum ſalutis, tum " gloriæ ſtimulis hoſtis, cùm vis, & " robur intimè valeat, quæ ſubitæ ir- " ruptiones, qui fortiores interdum è "

caſtris

„ caſtris conatus per milites fierent, „ tanquam preſſæ, anguſtóque tandem „ ex loco evadentis cum impetu flam- „ mæ ineluctabiles propè fore. Ea Lu- „ ſitana caſtra præſertim tanta indu- „ ſtria, ac labore, tam ſublimi videri „ munita loco ut ipſa temerè aggre- „ dientibus horrorem non minùs quàm „ pericula duplicarent, errorìſque mer- „ cedem amplam, ſi in facinus inſti- „ tiſſent, cruore militibus perſolven- „ dam promitterent. Sed fac ita non „ eſſe, ut caſtra munita, ac ſolidata „ ſunt, patere utcumque ſuffugium „ aut longiori preſſis obſidio, aut ca- „ ſtris ejectis, ac propè jam victis ho- „ ſtibus Eſtremotium, quò ſortè tran- „ ſlati, atque ibidem ſua ſponte inclu- „ ſi cum alimentis, armis, ac milite „ affluerent, quidni facillimè potuiſ- „ ſent aut ſedendo conſumere, aut per „ levia exercita prælia has florentes ſuc- „ cidere copias? Cæterùm nec inglo- „ rium, nec irritum quoque fore re- „ greſſum exercitus Caſtellenſis, ſi uti- „ le regredi videretur, cùm inſuper „ palam timoris confeſſionem ab ho- „ ſte ob ſæpiùs oblatum, recuſatúm- „ que conflictum extorſerit, tum etiam „ impunè per hoſticum volitans, & „ obvia omnia volvens, & cladibus „ miſcens ferro, flammíſque latè cor- „ rumperet. Veteris Ducis approbata ſententia, inde ſtatim exercitus movens oppidum Morbam per iter invaſit. Erat tunc Morba vetuſtis, fluxíſque mœnibus cincta, atque in effuſa fertilíſque planitie poſita, firmior ei arx, præferocis ingenii Præſes, conſuetóque præſidio militum plerique oppidanorum acceſſerant conſerendis manibus habiles, avidíque ac tum fortè acriores per fallacia promiſſa indiderat illis ad dimicandum aculeos Rodericus Acugna ejus oppidi, arcíſque Præſes, qui ſive ſalutis ipſe contemptor, ſive ſtolidè ferox, periculíve impendentis ignarus, cùm ibi conſilio eſſet, atque opibus deſtitutus, excipere in ſe valentis exercitus impetum, & vim uſque ad ultimam ſuſtinere decreverat. Ea ſumma Præſidis vanitate Auſtriaco nondum comperta per tubicinem illi denunciat, omnia quæ in oppido eſſent ſeſéque ſtatim ejus arbitrio dederet, ne ſecus ipſe vim oppido everſus omníque ſpe miſerationis excluſus ſerò defleret, quod peccaviſſet. Acugna ex adverſo non rejicere modò tubicinem, ſed etiam inceſſere contumeliis, onerare conviciis, poſtremò ſclopis contra jus belli diſploſis conjicere in fugam, ſuis jam labantibus, ac propè perditis rebus inanem ferociam, ac petulantiam jactare. Hæc cùm Joanni relata eſſent, is ſimul hominis levitate, ſimul injuriis accenſus confertas ſtatim, ac rapidas omnes irruere jubet in oppidum copias, nec vehementi ab ea impreſſione ceſſare, donec Borbam exciſam viderint. Primo impetu, eóque maximè valido captum oppidum eſt, mutua, ingentíque omnium militum ſtrage, cùm utrique nudatis obviis ictibus membris pugnantes, propugnantéſque plúſque alieni appetentes, quàm ſui ſanguinis providi cæco velut impetu ruerent. Oppidi Præſes poſtquam omnia cæde conſtrata, ac prorſus afflicta vidit, cum paucis militibus ad arcis tutelam confugit. Eò ſtatim ducit Joannes humentem ſanguine militem, circum obſidet locum, tormentarios ſuggeſtus inſtruit, armis obſeſſos, & minarum terrore, famíſque incuſſa formidine premit. Jámque ruinæ, labéſque cæperant per excuſſa tormenta ſpargi, ſindíque pulſibus mœnia, atque extrema pernicies, & rerum omnium interitus pertinacibus minitari, cùm conſternatus tandem Acugna, ſeriúſque ad concordiæ conſilia verſus alba vexilla pacis indicia

in

in arcis culmine figit; ſimul homines inde mittit, qui de vita, & fortunis, quæ integra tantum petebat, cum Joanne paciſcerentur. Veniunt homines ad Joannem ejúſque genibus provoluti cum ſqualore, atque luctu niſi honeſtæ, nec verecundæ, vel ſalutaris conditiones pacis implorant. Joannes illorum ſe vocibus lachrimíſque inexorabilem præbens, nihil propterea vis ipſe remittit, nihil conceptæ iracundiæ; feras eas pactiones, intempeſtivas, ac frivolas vocat; omnia planè ſuo arbitrio dedi cætera fletibus ſurdus, animóque obſtinatus efflagitat. Ut videt igitur Luſitanus aut relinquendam ſibi eodem prælii tenore vitam, aut hoſtis libidini permittendam, & nullam in primo conſilio eſſe ſibi ſalutis ſpem, per exiguam in alio ſaltem, vel ancipitem fore, ſicut Auſtriaco placuerat, deditionem facit. Proinde captivi omnes, qui in arce fuerant dedititii milites tracti; prorſus incenſum, ac dirutum oppidum, præda militibus diſtributa; Rodericus Acugna duóque ſimul Centuriones, quia belli jura violaverant obtorto collo necati ſunt.

His profunctoriè à Caſtellenſi exercitu geſtis, priuſquam iret ad Jurumeniam, quàm omiſſo Eſtremotio petere tacitè Dux in animo habebat, obſcura ac nubila nocte dum ille præruptum, ac ſelebroſum Jurumeniam verſus ingreditur iter, novus repentè fertur de cœlo conſpectus fulgor, qui via aſpera feſſis, tramitibúſque implicatis prælucebat clarè militibus, pergentéſque mutuò diſcernere ſe, nec veſtigia in lubrico fallere concedebat. Bene, ac feliciter illud à Caſtellenſibus omen acceptum, cùm luculentum oſtenderet militibus iter, ac ſpecies illa, nitórque luminis ornamento, ac ſolatio quoque futura de via languentibus viderentur, nec porrò expectationi præſagium, nec ejus interpretibus fides defuit. Igitur prima luce Joannes cum paucis equitibus prætervectus poſtquam Jurumeniæ ſitum oculis perluſtravit, obſidionémque mente deſcripſit, extemplò ejus aditus occupavit, jacíque per ambitum aggerem juſſit. Porrò autem eò uſque Joannes ad contemplandum locum provectus eſt, ut cognito ab illis, qui ſuper oppidum excubabant, piliſque majoribus ſæpè petito, jactus illarum nonnullos qui eidem Auſtriaco viæ ac periculi comites hæſerant, equites ſtraverint. Jurumenia vetus, ac celebris Celticæ gentis colonia in ſupercilio montis erecta jacet. Ex parte Orientis Anæ marginem habet, ab Occidente frequentes, amænos, ac paſſim veſtitos arboribus colles; hortos prætereà, & multa vineta, ſaltúſque nutrit, quæ latè diffuſus, ac fiſtulis tortus ex propinquo flumine fovet humor: celſo ipſa eminens, & fragoſo, atque abſciſſo poſita ſitu, ſinuoſa tamen aditur ſemita, ægrè propterea obſidionis acceſſibus patens. Aſſidet etiam oppido veteris, elegantíſque opificii ſeptem, ac decem diviſa turribus arx, eáque maxima eſt, altiórque ſublata faſtigio. Hoc municipium fatali temporis clade decuſſum, ſuarúmque duntaxat ruinarum memoria nobile reſtauraverat quondam Rex Luſitaniæ Dionyſius, poſt ubi Luſitania à Catholico Rege deſcivit, ac deinde Olivença Jurumeniæ propinqua per eumdem Regem armis recepta eſt, hanc ut alteram alteri oppoſitam, ac ſimiliter metuendam enixiùs munire Luſitanus intendit. Quinque igitur illi vaſtæ amplitudinis propugnacula ſtatuit, ſimul foſſam, vallum, ſemilunaria munimina, aliáſque fortioris tutelæ machinas jam adhiberi recenti more militiæ ſolitas. Cæterùm, quæ cauſa impulerat Luſitanos ad Jurumeniam impenſius permuniendam, ea etiam illexerat Caſtellenſes,

lenſes, ut in ejuſdem oppidi excidium omnes ingenii, ac virium impetus applicarent, periculoſa videlicet, ac ſuſpecta propinquitas Olivençæ, & quod Jurumenia, ſi cecidiſſet, ut munita, ut conſtructa ſatis hauſtos per ſe labores, ac pericula pependiſſet, & quod ipſa recepta Olivençam affirmaviſſet. Jurumeniæ tuendæ per id temporis præſidebat Emanuël Lovatus Pintus Luſitanus, cujus præſidio tria circiter millia militum præſto erant, ſimul affatim commeatus, bellicæ munitionis, & pulveris, multa prætereà ignea, atque ferrea artificiorum machinamenta tam ad vim repellendam, quàm inferendam ex veteri, ac nova belli officina tranſlata. Huc enim illam quæ tandiù tantóque pavore occupaverat animos, tempeſtatem armorum primo quoque tempore devolvendam conjecturis, quæ ex arte bellica manant innixus intellexerat Luſitanus. Ut Joannes igitur juſſerat, viæ obſidionales celeriter duci, vallúmque diſtendi cæptum, ſimul & locis, operibúſque militibus diſtributis illud evenit Hiſpanis, ídque aſperius tractatu erat, quod ad Ornaverchem, ſic militari vocabulo dicitur, perducebat; Italis contra Stellam, adverſus majus oppidi propugnaculum fixus Germanis eſt locus. Omnia in propatulo erant; cóque tendebat ſummi Ducis conſilium, ut diſtinctis ita muneribus, nationibus, locis mutuus allaborantium, & pro gloria inter ſe competentium aſpectus tanquam in aliquo belli Theatro contentionis, laudiſque propoſito præmio ad clariora virtutis exempla æmulas nationes arrigeret. Ita porrò per idem tempus & Jurumeniam verſus appropinquationes operum, & juxta latitudinem campi aggerem milites protrahebant, qui in falcis figuram curvatus ad Anam amnem ex utroque latere deſinebat, ſecundo ſcilicet fluminis curſu, alveíque altitudine reliquam oppidi partem apriſſimè protegente. Vacabat oppugnationis, vallíque operibus conſtruendis Nicolaus Langrius genere Gallus belli machinator inſignis, qui diutiùs à Luſitanis mercede conductus, cùm homo externus, lucróque deditus ditiora ſibi apud Caſtellenſes ſtipendia promitteret, quàm adhuc à Luſitanis acceperat, ad illos tandem tranſivit. Inter hæc animo anxius volutabat Auſtriacus, ne ſubſidiariis fortè collectis celeriter copiis exercitus Luſitanus eo tempore ſuperveniret, quo nondum munimentis obſidionalibus ſtabiliris ſparſos in hoſtico milites, ſuíſque operis ac ſarcinis implicatos à tergo, & à fronte per miſtos etiam oppidi milites circuiret, ac numero obrueret. Sollicitiùs itaque Dux providebat, ut propugnacula, ſtativa militum, ſepes obſidionales, & quæ juſtæ, arctioríque opus eſſent obſidioni quàm citiſſimè abſolverentur; & auxit quidem alacritatem in eo opere deſudantium, ac vires, diverſas inter militum nationes tunc ſtudioſius æmulationis certamen accenſum, dum alia alii clamore, ſibilo, manibus nitebatur laboris, plauſúſque primas eripere, ipſo inſpectante, variíſque illecebris eos inſtigante, adhortantéque Joanne. Super hæc ad conſuetum militibus cibum alia ipſe addi juſſerat eſculenta, quæ frequẽtiùs, quàm decet, ſegniores, ac fluidos, interdum, & rarò per occaſionem porrecta robuſtos promptioréſque milites faciunt. Hac Ducis ſollicitudine, animíque ſolertia mirabiliter actum eſt, ut perquam ingens moles obſidionis ſummo artificio, ac magnitudine elaborata intra dies paucos ad umbilicum perducererur. Inter hæc ad evitanda miſſilia hoſtium, quæ pro tempore depluebant, ſinuato, contectóque itinere miles oppido appropinquabat; hoſtis verò ſuis munimentis incluſus

incluſus belli tormentis, aliíſque mortiferis moliminibus utebatur, quæ à longè necare, aut coërcere, aut laſſare poterant illos qui ſenſim ad oppidum accedebant, nec qui oppidum defendebant, incáutè diſcrimini objicere, ad hoc præſertim Pinto Lovato ab initio defenſionis intento, ut ni ſecus res cogeret, ſuorum periculo, ac cædibus parceretur; extremíque certaminis aleæ, quod venturæ, ut ſperabat, ſuppetiæ ad rerum ſummam collaturæ fuiſſent, præſidiarius miles reſervaretur. Dum hæc utrinque agebantur; florus quidam Gallus Centurio, qui diù Jurumeniæ verſatus egregiam, ac fidam hucuſque Luſitanis præſtiterat operam, cùm trepidas intùs res, perturbata conſilia, & vacantes præcipuè crumenas inſpiceret, Præſidémque inertem, ac timidum magis quàm ut in belli fluctibus opus eſſet, conſtantem, ac providum, fide repentè mutata tranſitionem ad Caſtellenſes fecit, ſe, ſéque & quos ſecum traxerat ſocios ſervitio Regis addixit. Is igitur cùm primò ad Auſtriacum perductus eſſet, hoſtium illi confuſionem, debilitatas undique res, obſeſſorúmque formidinem declaravit, ac ſi protraheretur obſidio, capti conſtantiæ victoriam non defuturam; ſe autem externus cùm eſſet, nec ulli Principi Hiſpano clientelæ vinculo adſtrictus, & omnia circa ſe ruere, ac flagrare in municipio cerneret, præmia, ac decora ſequi victoris, quàm victi fortunam malle. Odiſſe quaſi infelices videri Numen, & fide, quæ inter aſpera, & dubia quoque inconcuſſa perſtate debet ſuo ſe jure ſolutum eſſe. Is more eorum, qui fidem mutant, veris aliquid affingebat, ut rationem, & cauſam tranſitus turpitudini obtenderet. Veruntamen clariùs hoc ipſum intelligens Dux exercitus Luſitani, quominus conſilii, ſive animi inopia, quando jam vires ſufficiebant, Jurumenia prolaberetur, confeſtim ad oppidum miſit Emanuëlem Sequeriam egregium, ac veterem Ducem, qui ſimul cum Pinto jure, ac labore defenſionis penè conſociato alter alterius ſtudio, & conſilio ferè in omnibus uteretur, iſque rate per Anam cum aliis militibus vectus noctu Jurumeniam intravit. Cùm illuxiſſet remeantium clam hominum circa fluminis ripam relicta fortè veſtigia à Caſtellenſibus deprehenduntur. Vigiliæ igitur intenduntur, quas diligentiùs ac multipliciùs appoſitas haud alia ſubinde fefellit rates, quæ hoſtium excubias, inſidiáſque declinans intempeſta quoque nocte trajicere laborabat. Vehebatur in hac, quæ in cuſtodias impegerat, rate Laurentius Souſa ejus legionis Tribunus, quæ tum præſidio oppidi tenebatur, ſimul Germanus quidam à belli machinamentis Chiliarius Labellius, qui Catholici Regis ſtipendia meruerat quondam in Belgio, Emanuël Lopezius ejuſdem legionis Inſtructor, aliíque vulgaris notæ qui cum rate deſcenderent in vigiles milites inciderunt, captivíque ad Joannem abducti ſunt. Cæterùm quo vitabundos illos homines caperent, dum impliciti, occupatíque tumultum, ac voces miſcebant milites, ſeſéque impulſibus collidebant, elapſi repente nautæ per fugam in oppidum evaſerunt. Litteras ibi nautæ, quas Cantagnedæ Comes conſcripſerat Pinto Lovato reddunt, inſidioſas, jactantiæ plenas, increſcentémque ad incolarum militúmque formidinem temperandam fallaciter ſcriptas. Etenim Dux referebat: Eſſe in armis eo tem- " pore ſibi expedita viginti peditum " millia, equitum quinque millia, im- " pigros Duces, alacres milites, con- " ſpirantem undique Luſitaniam, & " omnia abundè contribuentem, quæ " uſui

,, uſui bello futura erant, víxque ſa-
,, tis opis in ipſo eſſe ad concitatam,
,, ardentémque tenendam aciem, quæ
,, prælium acerrimè flagitabat. Quam-
,, primùm itaque auxiliis ſe oppido in-
,, gentibus affuturum, dum cumula-
,, tiùs neceſſaria tot copiis alimenta
,, collegerit. More hominum fidei mi-
,, nùs, quàm temporibus obſequen-
,, tium quo minora in animo ſacere
,, habebat, ac noverat poſſe, eo ma-
,, jora jactabat. Hac perlecta Pintus epiſtola, etſi fictam ex parte, duróque illi tempori conſentaneam intelligebar, iiſdem tamen ut artibus ipſe captator, aut fortè captus ad confirmandos animos uteretur, magno clamore, atque ſtrepitu oppidanos,ac milites acceſſitos, cùm palam epiſtolas recitaſſet, illa inani lætitia offudit, quæ ut inſolenter, ac præter modum jactata citiùs effluere, ac potiùs aceſcere viſa eſt, cùm undique Auſtriacus, nullo prohibente, quotidiè magis obſidionem adſtringeret. Juſſerat enim ab ulteriori fluminis ripa ſedem erigi tormentariam propugnaculi ſpecie conſtructam, & hanc alteri contrapoſitam, quàm tuta per amnem ut eſſer aquatio, in primis munitam excitaverat hoſtis, eáque ſumma celeritate, atque ſtudio perfecta Anæ aquæ uſus eſt penè hoſtibus interruptus. Ita igitur Caſtellenſis utriuſque fluminis ripæ, tranſitúſque potitus, paulò poſt inde opulenta virorum, armorum, & commeatus auxilia, quæ ad eum Olivença tranſmiſerat, ſtructo ex conſertis ratibus ponte, omninò recepit. Quo ſupplemento jam viribus auctus, ſatiſque jam amne bene locatis munimentis inſeſſo, ſatis oppido adſtricto, atque aſſultibus opportuno, vocat Auſtriacus Hiſpanos, Italóſque Tribunos,mandátque ut obliquos per eos, quos ſtrenuè adhuc acceſſus duxerant, in Luſitana tandem, quæ circum oppidum erant, propugnacula irrumperent. Ut rectè præterea & appoſitè ea militaris, & valida impreſſio fieret, quæ voce præceperat, ſtylo etiam expreſſa Ducibus inculcavit, addiditque bis excuſſi tormenti bellici jactum daturum militibus ſignum quo eodem tempore omnes varios in locos ſimul concurſum, & impetum facerent. Sic impigrè rebus ad proximam pugnam paratis mediam circiter noctem Auſtriaci juſſu certaminis ſignum intonuit. Tunc Hiſpani, Italíque dilationis, præliíque moræ dudum impatientes, avidi, fetocéſque in hoſtium munimenta feruntur, ad ſuam quique laboris, ac periculi partem rendentes, quæ illis imperio Ducis obtigerat. Verùm Hiſpanos præ nimio ardore, impetúque paulò inconſultiùs in hoſtes invectos, accidit, ut res quædam fortuita disjiceret. Quippè dum Luſitanus firmatus, auctúſque ſubſidiis in foſſæ margine ſtabat, & Caſtellenſis propè lignorum ſepem, ſtaccatam milites vocant, pugnabat, repentè ille ignem in ſepem obverſam conjecit, alia ſubinde rorſir ignita artificia, profuſéque flamma interjecta quoque virgulta, ciſtáſque corripuit pro tegimine ſibi à Caſtellenſibus antepoſitas, quæ peſtis cùm latiùs in milites graſſaretur, & alii igne uſti, alii afflari, omnes turbati, immiſtique tam armorum, quàm oculorum uſu præ nimio fulgore, ac fumantibus globis orbati ſolutis paſſim ordinibus fluctuarent, eóſque tam fœdè perculſos, ac trepidos, alacriùs Luſitanus urgeret, ita denique Caſtellenſes loco cedere compelluntur, multis eorum cæſis, multíſque flamma peruſtis, Antonióque Tellio ejuſdem legionis Tribuno, cùm inter hoſtes acriter dimicaret, gravius in capite ſaucio. Reſtitit tamen inter fugam, ac cædem militum, cruentúmque tumultum impavidus Franciſcus Alarconius, alterius, quæ fuſæ jam adhære-

bat, legionis Tribunus, ſuóſque voce, & exemplo cohortatus pro gradu loci, pro gradu conſtantiæ viris fortibus debitæ, ibidem præliando victuros, aut perituros inſiſtere, hoſtíſque turmatim ruentis impulſum, & vulnera illata adverſo pectore excipere jubet. Atrocior, & novus exinde conflictus accenditur. Diſpar numerus militum erat, diſpar etiam fortuna, inæqualis utriſque ſpes, animúſque; ſed omnia æquare ex parte Caſtellæ poſſe deſperatio tantummodò videbatur cum pertinacia conjuncta. In arcto ſe loco premunt invicem hoſtes, ſéque undique jactant; non ſpargere vires ibi, nec impetus poſſunt, etiam arma inutilia ſitus anguſtia facit, cùm nec gladios rotare, nec ſclopos dirigere ſineret. Tandem ad ſicas devoluta res eſt. Sic æquali pauliſper audaciâ ſuſtentatum certamen eſt, ſatis hauſtum utrinque cruoris, ac reddita cædes eſt. At Luſitano bis hoſtis cruore profuſo, ſimul proprio, ſimul à tergo defluentis multitudinis impetu tracto perfacilè fuit jam partæ victoriæ quaſi tenues delere reliquias. Itaque hæc quoque legio ad extremum fuſa, atque fracta, multúmque imminuta in eum raptim cedendo locum regreſſa eſt, quem tenuerat ante conflictum. Triſtior pro auctoritate, quàm militum numero jacuit ſubinde Caſtellenſibus ſtrages; quatuor Centurionibus, ſeptem Signiferis cæſis, pleriſque Ducibus ſauciis, milites ad ducentos interiere; eodémque tum animi ardore, ſecundóque certaminis æſtu Luſitanus illatus à prima quoque ſua ſtatione, quò disjecti ſe ſe receperant, Caſtellenſes extruſos in fugam egiſſet, ac diſſipaſſet, eis niſi Joannes in tempore ſuccurrendo, pedem referre coëgiſſet hoſtem, impetúque per vim reſtincto, ad ſua quemque munimenta relabi. Hæc Hiſpanos prælii fortuna, at diſpar Italos tenuit. Ipſi enim ſtabili acie, ſuíſque ordinibus clauſi, conſtipatíque cunctatiùs progredientes, ad viam contectam, ita milites vocant, qui erat illis præſcriptus certaminis locus perveniunt, poſtquam brevem, ſed trucem pugnam Luſitano rejecto in illam inſilientes ibi protinùs ſe communiunt, mox longiùs ab ipſo loco retracto per fugam hoſte, veriti Duces Itali, ne ſuffoſſi ibi fortè cuniculi, inflammatíque conceptam interiùs tartaream perniciem evolverent, quóſque adhuc arma non vicerant, ne pereundum incendio eſſet, revocant inde milites, & aliquantulum ſpatii ſeſe retrò tenere jubent. Tum effractis cuniculis, igníque fruſtra recluſo, & favilla, atque cinere torridíſque lapidibus ſparſo, ſtatim recurrunt Itali, firmiúſque in tuto jam loco veſtigium inſiſtunt, ſeptem duntaxat ex ſuis militibus interfectis, pluribus vulneratis, admodum paucis per ignem ambuſtis. Luſitanorum niſi quos fuga, aut tumultus, aut caſus periculo exemit, pleríque confoſſi ſunt, alios ab ipſis excitatus ignis abſumpſit, reliqui verò perterriti partim amiſſis, partim armis ereptis captivi traduntur. Talis illorum exitus fuit, qui ſe euntibus obviam Italis objecerunt. Ubi igitur Luſitanus ſupra, quod ipſe crediderat ſuis ſe arctiùs munimentis adſtrictum, ac ſæpè retuſum, atque refractum videt, nec per id temporis etiam hoſtium conatibus infringendis ſatis ſibi conſilii, ſatis roboris præſto eſſe, tunc quoſdam ſuccendi cuniculos juſſit grandiores, refertioréſque ad extremum propè depoſitæ ſpei reſervatos. Crepuit ſubinde cuniculus, altioríque ut profundiùs, latiúſque ſuffoſſus hiatu, gravioríque ruina, atque militum ſtrage, ſed cùm is artificis vitio contortè, atque improvidè ſtructus eſſet, ubi vorax, ac rapidus ignis

ignis erupit hinc à ſoli materie, ac natura deluſus in Luſitanos exitium, ac peſtem vertit, quæ fortuitò quidem ſuſcepta clades, ſuper omnem, quæ in hac bellica obſidione contigerat, Luſitanos maximè afflixit. His in illo noctis curriculo geſtis, ubi illuxit, breves de more induciæ interveniunt; utraque ex parte cæſorum corpora repetuntur, inde mortuis ſuprema militum ritu ſoluta ſunt, idémque ipſe dies, tanquam manibus ſacer, quietem, & otium defeſſis languidiſque militibus attulit. Poſtridie cùm præoccupato, paulò antè ut diximus, loco inciderent Itali, ex eóque durior progreſſus ad oppidum videretur, ibi enim à fronte propugnaculum ſtabat ingens, infeſta, atque latiùs roſtra ejus extenta, ſemilunare quoque munimen, & alia, quæ omninò ex hac parte intercluderent aditum interpoſita impedimenta, eo tandem ſua ſponte loco, ut inutili derelicto, illuc Itali ſe recipiunt, ubi Germani milites conſiſtebant; erat enim hic ſitus majori propugnaculo obverſus, exteriori opificio vacuus, & municipio propinquior, & unde ſpes amplior erat everti munimen poſſe jam geminatis ibidem viribus Italorum, Germanorúmque. Adhæc, & alia acceſſere quatuor majora belli tormenta juſſu Joannis in eumdem avecta locum, quibus ſæpè diſploſis latæ, ac frequentes refractorum ruinæ murorum inciderant, ac foſſa contigua rudere ſternebatur.

Inter hæc Caſtellenſium Legatus equitum è caſtris mandato Ducis cum expeditis quibuſdam turmis egreſſus, dum prædas ad alimenti copiam militibus congeſturus latè agros depopulatur, in alios incurrit ducentos propè equites Luſitanos, qui haud procul immoti per otium aggeres hoſtium circumſpectabant. Gallus inter eos erat etiam, cui ſanctæ Columbæ cognomen, quidam bellicus machinator, eíque præceperat Dux Luſitanus, ut hoſtilia munimenta, vallúmque iret cum his equitibus contemplatum, quámque illa ſolida, quàm circumjecta, quà expugnatu facilia, quáve aſpera forent, ipſi reverſus cum cura, atque fide explorata renunciaret. Dum eo cònſilio, animóque inter equites propiùs aggerem Gallus excurrit, equeſtris ibi conſeritur pugna, eáque ferocior quàm numero militum comparata; pulſus, fuſúſque denique Luſitanus plurimos humi ſtratos, aliquot ſaucios, nonnullos captivos deſerit, quos intermiſtus & Gallus à belli machinis captus eſt, iſque ad Joannem ſtatim adductus, qui aliena venerat exploratum domeſtica prodidit. Docuit enim ipſe Joannem Luſitano Duci Meneſio certam, ac fixam ſtetiſſe ſententiam, per cæca, atque extrema pericula euntem Jurumeniæ abſque mora ſuccurrere niti. Pridie quippè, ut mos erat, conſultum Ducibus accerſitis, patefecerat ille juſſa Aloiſiæ Guſmanæ Luſitaniæ Gubernatricis, quæ citra excuſationem, ac citra moram præcipitatis fortaſsè conſiliis circunſeſſo, ac labenti ſuppetias primo quoque tempore ferre oppido imperioſiùs efflagitabat, hæc ipſa etiam in cauſa ratiocinata, quod æquè jam Jurumenia, ac exercitu amiſſo pro habitu rerum in extremo Luſitania periculo verſaretur, utroque verò diſcrimine quod à municipii jactura, vel exercitus, vel utriuſque ſimul Luſitano regno impenderet, æquato, meliùs ſibi fore proviſum exiſtimabat, ſi audendo aliquid, agendóque ſpem cum fortunæ periculo ſequeretur, quàm procul periculo deſperationem ſine fortuna. Impromptu tum etiam Duci, quæ partim ſecum haberet, ex præſidiis partim educta decem millia peditum eſſe, tria millia equitum, bíſque mille quamprimùm equites, atque alios ſubinde pedites affuturos,

quos nuptiarum conventione Rex Britanniæ pollicitus erat. Id modò apud Ducem expeditionem, curſúmque exercitus remorari, ſéque ab eodem illuc emiſſum, ut attentius ex propinquo luſtrato vallo diſcerneret, qua ex parte vallatum in hoſtem molienda illi eſſet cum minori periculo irruptio, nunc autem gaudere ſe, quanquam hoſtiliter acceſſiſſet, ad Joannis obſequium, cui ſervire deinceps in animo erat, à belli fortuna translatum, quod veneratione, cultúque hominum eſſet cùm regio ſanguine, tum regiis virtutibus dignus, & quod ipſe fatalis, quæ Luſitaniæ viginti per annos à ſe defenſæ ſub tanti Ducis auſpiciis jam imminebat, calamitatis, nec intus ſpectator, nec particeps eſſe vellet. Hæc Gallus Auſtriaco, hic autem admiſſo in belli machinas Gallo, quò nuper idem exploraturus acceſſerat, quia ſitus ille ſublimis erat, ſtationíſque ac ſpeculæ vice Luſitanis in primis accommodatus, ibi ideò novum extolli propugnaculum juſſit, ſuíque nominis monumento jam illi ſtrenuè, ac magnificè ſtructo Joannis nomen impoſuit. Subſidiorum deinde, quæ, ſicut dixerat Gallus, celerius uberiúſque parabat hoſtis, minimè ambiguus, quò ſeriùs illa collata tum denique victum, aut ſaltem fractum offenderent oppidum, trahere anxiùs Joannes in animo ſuo cœpit, quæ compendiaria fortaſsè Jurumeniæ ſibi præripiendæ, vel arctiùs quoque premendæ pateret conatibus via. Multum ipſe viris Italis tribuebat, & ob ſpectatam horum militum diſciplinam, & ob recens etiam virtutis experimentum, quo paulò ante munimina hoſtium per vulnera, & cædes pari virtute, atque induſtria ſanguinolenti pervaſerant. Callidè tamen velare animum, ſenſúſque retrudere ſatagebat, quo minùs favore perſpecto Hiſpanorum ſibi detractiones, atque querelas, & illis invidiam ex gloriæ æmulatione conflaret. At quî nunc gravior incuſſus ex præſenti periculo metus, aliàs, ut ſolet ex leviori manantes affectu rationes excuſſit. Italicos igitur nactus Joannes milites juſſit ut ſimulato miſſo clamore, vana armorum tractatione, atque aſſultibus fictis ſeſe oſtenderent Luſitanis jam velle accedere ad foſſam, ejúſque tranſitum intentare. Sic enim illo inani ſublato clamore, motúque decepto fortaſsè hoſte, ſublatentes ſi ibi fortè cuniculi, quorum hactenus metus progrediendi cupidos retardaverat, eſſent, igne per errorem appoſito, molibúſque diſruptis, inoffenſa per locum tranſgreſſio militibus foret. Quod ita profectò, ut Auſtriacus prævideraт, accidit; nam illo horriſono ſtrepitu, ficto illo impetu prætervectos jam eſſe Italos cùm Luſitani cogitaviſſent, incenſis fruſtra cuniculis, ad ſemilunare munimen ſuffugiunt; Italíque tum ignibus demolitum, atque ab hoſtibus deſtitutum avidè locum arripiunt, atque intrepidè ſuſtinent. Ea res ut in æquè deluſos, ac damno percitos incidens hoſtes totius tunc inſpectantis exercitus voce, ac plauſibus celebrata cæteras quoque nationes operibus ſingulis ſingulas occupatas optimo exemplo arrexit, & animo ſuſtulit, eodémque imitationis, & laudis incitamento, cùm vias per obliquas ſummo labore contenderent, eò uſque cæteræ eniti,atque efficere potuerunt,ut jam extra tormenti belli jactum propiores oppidi mœnibus verſarentur. Sic arctiora quotidie cùm omnia fierent obſeſſis,acritérque oppugnatis, ſubſidii ſpes anceps, in præſenti res aſpera, futura periculoſior, & certa calamitas eſſet, eventus ejus incertus; Auſtriaci præctereà facilitas, atque comitas cùm citiùs, quàm ſerius experta proniorem

ipſis

ipſi clementiam, & veniam polliceretur, nec ullum intereà de componendo negotio inter milites murmur, aut vox tot inter ruinas, bellíque turbines emanaret, iræ ex eo intus, moleſtæque ægritudines animi, ſciſſionéſque plurium per compita, & circulos obſtrepentium, querentiúmque ſe ignibus quidem, & gladiis, famíſque rabidæ morſibus varióque interitus generi à Ducum ſuorum ſocordia, atque impietate addictos per inanes ſubſidii ſpes quotidie magis ludificari, ut ruina, atque incendio Jurumenia denique tumulata, & incolarum ipſa tumulus eſſet. Enimvero quî fieri queat, ut Meneſius, qui paulò ante circa Eſtremotium caſtris incluſus ne laceſſitus quidem, tótque ſegetum, agrorúmque cladibus percitus acie juſta, & ex æquo cum Joanne confligere animo ſuſtinuerit, ille eumdem in præſens ſolido, ac firmo munimento vallatum provocet, retentétque? Sic inter Ducis ignaviam hoſtíſque virtutem poſitis ab utroque opus eſſe eo tempore ſibi metuere, eóque importuna patientia, dementíque fiducia jam eſſe rem devolutam, quo certè aut vivendum ſibi eſſet cum ignominia, aut crudeliter pereundum, unam duntaxat ſuccurrere fugam, quæ à corpore ſervitutem, à viſceribus cruciatus, arcere ab animo dedecus poſſit. Hujuſmodi erant, qui tunc in oppido fundebantur afflicti populi queſtus, & æquè minaces, ac flebiles voces, quas externi etiam milites intendebant. Ut enim ſæpè aſſuetudine, ac vitio homines exteri, quos patria plerumque foras ut inquietos ingenio agit, mores civium, & animos labefactant, ita ibi milites alienigenæ ſive aucto labore, ſive ſtipendio imminuto, ſive turbido potiùs ingenio acti tales querelas paſſim vulgantes jam penè laſſaverant, ac propè torſerant hucuſque ſemper invictam, & odio Caſtellæ magis quàm animi robore fultam Luſitani conſtantiam. Cùm ita igitur inteſtinus tumultus gliſceret, illíque materia ex rerum confuſione, ex externorum afflatu, ex inopia animorum, conſiliíque per faces ſeditionis miniſtraretur, atque ideò alii ſuarum, alii rerum publicarum perniciem, ob jactas alii ſponte diſcordias peccati ſupplicium metuerent, fuere propterea nec pauci, qui per murorum pinnas elapſi ad Joannis caſtra perfugerent. Hoc porrò vehementius perculit Pintum non peſtifero minùs exemplo, quàm defectionis cauſa commotum, deſperatámque rem fore credentem, ſi ita feſſo, ita perfracto externis incurſibus oppido, illa etiam turbamenta domeſtica accederent, quorum effluere paſſim contagio etiam ad integros poterat. Severiores itaque in oppido quæſtiones de tumultus crimine latæ; ſceleris conſcios, auctoréſque ſeditionis convictos ſupplicium abſumpſit, atque ita illa vix orta ſeditio Ducis prudentia reſtincta eſt. Dum in oppido hæc agebantur, & pleroſque oppidanos, ac milites quoque ſuppliciorum in ſe ſpectacula verterant, Joannes interim mirabatur quod nullo ſibilo pilæ, nullo miſſilium jactu, non clamore, non æris crepitu, ut anteà ſolebant, obſtreperent muri. Ignaro quid cauſæ apud hoſtes tanto ſilentio eſſet, ſuſpicio inter alia ſubibat animo ne præparatis fortaſsè cuniculis per ea falſæ quietis oblectamenta inſidias, ac dolos hoſtis ad incautè accedendum militibus ſtrueret, hærebátque præſertim eo tempore Auſtriacus, eſſétne ſepes lignorum, quæ adhuc integra erat, ſubſtrata cuniculis, tandem ſuis ipſe vagando cogitationibus laſſus, ac tædio affectus, ea ipſa, qua aptior jam nulla ciciderat aſſultibus, nocte conſuetæ tutelæ, ac

vigiliis tantummodò intentos interquieſcere milites juſſit. Prima luce cùm vegetior ad arma ex otio permiſſo recurreret miles, acriúſque conſertum certamen eſſet, notavit quidam ex Caſtellenſibus miles, aut ita fortaſsè per aſtum commentus eſt pilis nonnullis, ſeu globulis, quos Luſitani per fiſtulas ignis excuſſerant, aculeos inſertos hærere, claviculóſque & ipſos omninò jure militiæ vetitos. Hoc cùm Auſtriaco ſtatim relatum eſſet, per eam occaſionem occurrit ut ſpecie de vero, ſeu affićto illo crimine Præſidem objurgandi, mitteret Jurumeniam, qui propè, & commodiùs per dolum poſſet, quæ introrſum porrigebanrur munimenta ejus inſpicere. Itaque otdinario tubicini virum inculto, rudíſque calonum habitu amićtum, & ipſum egregium à belli machinis Joannes comitem dedit, qui res Luſitanas clam circunſpiceret, notarétque. Intermiſſa pauliſper eſt pugna; vocatur oppidi Præſes; de læſo, ac violato jure militiæ iniqua per arma reprehenditur; execrationes bellíque diræ, ſi id ipſum juſſiſſet, aut fortè ſciret, & pateretut adduntur, ídque dum negat conſtanter Pintus, imò calumnia ſe potiùs, ſive fallacia peti mora, & convicio arguentem redarguit hoſtem, jam ſatis hucuſque rei hoſtilis opifex introſpexerat, reverſúſque ad Joannem ſitum, & locum ipſi deſcripſit, unde faciliùs premendum oppidum eſſet. Gravis idcircò inter æmulas nationes contentio, unamquamque pro nominis gloria, ac ſplendore majus certatim periculum ambientem, exarſit. Prærogativam nationis jam dominantis Hiſpani, ſolíque jus; clariores, ſed antiquitatis fumo ſubdućtas imagines Itali, & recentia quoque decora, bellíque merita conferebant. Germanos ut neutros, & tanquam medios, ſeu partium compoſitores eorumdem in rem annitentium hominum pertinacia, & aliorum aliis nequaquam cedentium, ſpéſque ab illa ſuborta promoverat. Circunſtabant Auſtriacum ſinguli Duces cum ingentibus ſtudiis, prout quæque ad ſe pertinebat, nationibus ſingulis ſuffragantes, eáque erat in illa cauſa hominum concurſatio, & competentium turba, calórque, ut res ad ſeditionem ſpećtare propemodum videretur. Tandem Auſtriacus pro Hiſpanis pronunciavit, magni præteteà momenti rationem adjecit, quæ omninò diſſidia ſuſtulit. Caſtellenſibus ſcilicet, quos ſuo nuper loco à Luſitanis pugnando motos, retróque compulſos, laboris, & gloriæ materies unde famæ detrimenta ſarcirent, in primis deceret, illud potiſſimùm opus deberi, iiſque etiam debere magis confidere Ducem, quorum ſtimulata ex dedecore, aut invidia fortunæ virtus pro privata ſimul, & publica cauſa ampliora ad certamen incitamenta ferret. Porrò Hiſpanorum Tribuni militum effusè gratiis Auſtriaco aćtis, movent ſubinde copias id animorum, id flammarum ſecum gerentes, quantum ipſis, & inſita virtus, & Duces etiam afflare præ vićto gloriæ certamine poterant. Fuere illi, & memorabiles quidem Duces Joannes Enriquius, Ferdinandus Eſcovedus, Franciſcus Alarconius, & Comes Portullanus, quorum duo primi dextrum aciei diſpoſitæ cornu, lævum cæteri tenuere. Omnes igitur luce diurna, nudato corpore, celeri gradu ad interius, idémque fortius quà oſtenderat artifex, cùm omnium in ſe converſos habetent militum oculos, hoſtium munimentum incurrunr. Luſitanus contrà cùm jam præparatus ad illum, quem ferociùs appropinquare cernebat, ſuſtinendum impetum reſtitiſſet, pro muris obſiſtere, inſiſtere, rotare, haſtes conjicere pilas, aut hoſtes miſſo

ſo deſuper igne torrere, aut vulnerare lapidum jactu, cúmque ita pilarum, ſaxorum, ferventis ſimul materiæ, igniúmque tartareus, ac miſtus imber in ora, atque terga Hiſpanorum truculentiſſimè plueret, Hiſpanum tamen vincere ibidem, aut mori certum, nec circuire, nec pugnare cùm ipſe poſſet, nec ſurſum eniti, circunfluens undique flamma, vibratúmque acerrimè ferrum, non ideò referre pedem, aut animorum laxare vim in tanta belli tempeſtate cogebat. Sic neutro tum inclinata etſi trucior arderet, adhuc dubia pendebat pugna, hinc enim audacia, furórque hoſtis, hinc loci commoditas, nec ſanè impar animi virtus conſertas in medio vires æquabant. Tandem Dux Alarconius ſelectam illorum militum manum ubi inſignes erant Centuriones invehere ſe propiùs ad propugnaculi invaſi latera jubet, concitatóque impetu à fronte diſtrahere hoſtes videre ſi fortè poſſent, ſin minùs in latera magis urgere, quò niſi frons cederet, latus haurirent. Lecti protinùs milites, quemadmodum juſſum erat, magno ardore, atque animo prætervecti ferè præcipites omnes in arma, lapides, faces, & copias oppoſitas irruunt, eóque pars impetu cæſi, partim ambuſti, ſeu vulnerati, ubi ipſorum jam vires deficiebant & hoſtium intendebantur, veſtigia poſtremò torſiſſent, hos niſi remiſſos, & languidos alii integri exciperent, recentéſque, ac tota ſubinde explicatis viribus legio ſummo impetu in frontem, ac latera invecta eſſet. Tum verò tanto numero circunfuſi, ac repetitis impulſibus preſſi cùm ſuccumberent Luſitani, animo tandem, ac viribus fracti, afflictíque propugnaculo primo deſerto, ad interiora munimenta refugiunt; Hiſpaníque poſt quatuor, & utrinque cruentam horarum pugnam inviam militarem contectam propugnaculo hærentem inſiliunt. Cæteræ verò legiones Hiſpanæ, quæ ab Enriquio, atque Eſcovedo Ducibus ductæ ab altera parte adverſus hoſtes concurrerant, in aſpetiorem, & confragoſum impactæ locum, graviori labore, niſúque pugnabant, quàm fructu. Ad hæc cùm prælaris magis caleret vis, interrupti, irruentéſque repentè cuniculi re improviſa, ac vehementi trepidos homines, turbatóſque, partim etiam aduſtos, aut penitùs hauſtos retrò pauliſper egere; mox illo ſtatim igneo impetu, ac ſpiritu vaneſcente, à tanto pavore cum ſe animus collegiſſet, redeunt, & acriùs Hiſpani, pérque occiſorum, & combuſtorum acervos, torridíſque fragminibus ſemitam complanatam euntes, munimentum, cui allaborabant, proximè attingunt, & poſſe eodem quoque tempore videbantur jam propiùs objectum, & aſſultibus opportunum propugnaculum ſuperare, niſi agitatione continua corporis, & copia ſudoris, qui cum anhelitu membra ſolvebat, atque ex incendio nuper accepta clade, ut ultimus fractior ille impetus recidiſſet. Hæc, qui procul non erat, intuetur Auſtriacus, proinde laſſitudine, æſtúque militibus feſſis, alios ſuccedere Hiſpani etiam nominis jubet, & integri ſpiritus, recentéſque, qui delecti fuere Lopius Abræus, Rodericus Moxica, Franciſcus Araucus cum totidem legionibus, acceſſitque Alvari Lunæ legio, ipſius Inſtructore pro tempore Duce, cùm æger tunc ex vulnere in prælio accepto decumberet Alvarus, hóſque milites tandem aliorum virtute paratam, ac penè partam intercipere gloriam fortuna conſtituit. Etenim Luſitani, cùm eodem tempore ab Italis, Germanı́ſque variis in locis vehementius agitarentur, tum multiplici ac ſævo quoque prælio diſtra-

ctis, occupatíſque ad opem ubique ferendam paſſim laborantibus ſociis nequaquam ſufficeret ipſis militum numerus, ſimul qui adhuc Hiſpanis circa munimentum obſtiterant præ aſſidua fatigatione, ac labore, dilapſo vigore corporis animíque, langueſcerent, ubi rurſus in ipſos vim magnam militum confluentem, & novam cohortam ſeſeque effundentem belli procellam aſpiciunt, id tempeſtatis, id modò impetus robuſtis, & integris etiam terribile, jam feſſi, fractíque ſuſtinere planè diffiſi, æquè animo, ac viribus conſternantur, ac pedem ſubinde referunt, tunc retroactos in hoſtes gradu confeſtim Caſtellenſes illato feruntur in locum, quem Luſitani circa munimenta reliquerant; alii deinde per ruinarum acceſſiones, alii ſcalis applicitis bina propugnacula ſcandunt, ſpatium reliqui capiunt his propugnaculis interjectum. Ita quidem initio fœdum, poſt exitu clarum, nec incruentum hoc bellicum tamen opus Caſtellenſibus incidit, atque hoc maximè modo ea prima ignominiæ propè nota deterſa, ut mirè alii alios exemplis honeſtis in bello præcipuè acuunt, acriores ſtimulos gloriæ cæteris nationibus addidit. Nam Germani dum per obliquas obſidionis vias ſcrabroſum iter difficilè terunt, diutiùs quàm pateretur, quem decoquebant animo, ardor cum obverſis crepidinibus colluctati, iis tandem præ tedio, ac laſſitudine omiſſis, obvia, atque nuda præbentes ictibus corpora evadunt, aſſiliunt, & cœco velut impetu rapiuntur. Tunc condenſatus, orbéſque cominus volvens, ùt loco ſuperior, & viribus Luſitanus primo concurſu proſperè pugnam intendit, térque Germanus ab hoſte repulſus, cùm toties prælium inſtauraviſſet, ancipitíque adhuc exitu, res animi magis audacia, quàm ſpe, viribúſque apud Germanos innitetur, Emanuel Carafa, Sartiranæque Comes Italorum Tribuni militum, qui juxta Germanos pro ſua ſtatione conſederant, primorum ne fortè clades etiam propinquos opprimeret, electas cohortes in Germanorum ſuppetias transferunt, ſimul & Comes Boëttus Pedemontanus æquè nobilis ipſe vir, ac impiger Dux quaſdam equitum turmas ad criptarum marginem impulit, ut Luſitanos paſſim perculſos, implicitóſque illa inſuper vis, is novus equeſtris oppoſitus terror obrueret. Tandem ibi Itali, Germaníque poſt multam illatam utrinque ſtragem, qualem temeritas ſolet, aut martialis accendere furor, cæcas criptas, illíſque adjacentia omnia munimina occupant, ibíque prævalidè ſe communiunt. Poſt quæ ſtratis ſemilunaribus munimentis, ejectis murorum loricis, ac cæteris propugnaculis vel everſis, vel ab hoſtibus captis, ubi omnia, quæ circum oppidum erant, ferrum, aut flamma corruperat, ſola, & extrema Caſtellenſibus ſuperanda, quæ mœnia cingebat, ſupererat foſſa. Hoc cùm reſciret Meneſius Luſitani exercitus Dux, arctiori ſcilicet oppidanis murorum ambitu circunclusis, & extrema jam propè perniciè preſſis niſi citiſſimè ſubveniret, impendere periculum, ne exciſa, vel prodita Jurumenia deperderetur expeditionem quamprimùm parare milites jubet, per id temporis animo certus quoquo pacto ſuccurrere Jurumeniæ. Hoc ipſum Auſtriacus per exploratores intelligens Ductorum primoribus convocatis, diſertè proponit quid utilius, quid congruentius eo tempore ipſi cenſerent in tanto diſcrimine perpetrandum.

Nam, ſi iiſdem, dicebat, conſi- „ lium eſſet, tota extra vallum ad „ certamen ſubducta, explicatáque „ acie ire obviam, ingruentémque an- „ teverrere velle hoſtem, vereri nec „ immeritò

„ immeritò ſe, ne fortè erumpentes ab „ oppido milites incolæque quorum „ nec perexiguus ibi nec imbellis, nec „ ſegnis ineſſet numerus per disjecta, „ ac revulſa illa opera obſidionalia in „ exercitus terga pugnatum irent, ſin „ regiæ ipſæ diviſæ copiæ pars extra „ vallum occurrent hoſti, pars tema- „ nerent in ejuſdem oppidi obſidione, „ tunc inciſis utrinque nervis, viribúſ- „ que debilitatis anceps ex eo pericu- „ lum, ac deteriorem quidem futuram „ utrobique pugnandi conditionem, „ ſiquidem neque ſatis tutando vallo, „ neque ſatis in hoſtium occurſum eun- „ do bifariam hoc modo diſtractæ co- „ piæ fuiſſent; ſi verò intra vallum, & „ munimenta concluſi excipere Luſita- „ num, cùm eò impeteret, vellent, eſſe „ tunc metuendum hinc ab impetu ho- „ ſtis, quo ſociis ſe jungeret, Jurume- „ nia digreſſi, hinc ab hoſte validis co- „ piis externè irrumpente, ac ſi fortè „ coïrent, ne regia ſcilicet acies ab „ utroque latere laceretur. Quod ſi „ aliam belli cunctando placeat ratio- „ nem inire hoſtibus, imminere quo- „ que periculum, ne qui alios tunc „ obſiderent, & ipſi ab hoſtibus inter- „ cluſi, atque in hoſtico ſolo diutiùs „ obſeſſi fame, ferróque inter anguſtias „ aggeris quem tenebant, circumdu- „ ctam cuſtodiam, & copiam militum „ premerentur. Utcumque ergo con- „ ſilium inflecteretur, ut pleraque belli „ momenta fluerent, ardua atque aſ- „ pera omnia, & quocumque te ver- „ teris jactata periculis, ac difficultati- „ bus ſepta eſſe, & aliud ex alio deli- „ berandi inter æſtus, ac tricas poteſta- „ tem impedientia. Híſque ad majorem „ ſollicitudinem addi, quod hoc Mar- „ tis ab uno ictu, ſive belli fortunæ jo- „ co tot exhauſti húcuſque labores „ ſumptúſque profuſi, & militum, Du- „ cũ, Regis Catholici nomẽ ac decus, „ ſpes etiã Luſitani regni recuperãdi, & alia quæcũque ſive honeſta, ſive utilia “ incitamenta rerũ, quæ humanos pér- “ cellere animos poſſint, omninò pęde- “ rent. Porrò autem haud ſanè multa, “ eáque factu facilia Numen humanis “ conſultationibus reliquiſſe, majora, “ atque ardua ſibi ſepoſuiſſe. In eo ta- “ men prudentiam habere laudem, & “ locum, & cujuſque ingenii, mentíſque “ antecellere acumen, ſi quis multo- “ rum explorata ſententia ad ſeveri, “ purgatíque examen judicii, non ad “ fortunæ libidinem, vel fatorum con- “ ſtitutionem occultam, ita incerta “ conferre caſuum, atque adjuncta li- “ brare, & poſt eligere ſciat, ut ne er- “ raſſe quidem pœniteat hominem “ cum meliori in ſpeciem electo con- “ ſilio, ſecus poſteà quàm judicaſſet, “ acciderit. Propterea ſatis ſibi ſupér- “ que fore, ſi Deus indiderit ipſi men- “ tem & ſaniorį amplectendo conſilio “ idoneam, & ei feliciter exequendo; “ cùm rectè perinde conſulere, atque “ uti conſilio proſperè, licet utrumque “ ſæpè fortuitum inſipientibus videa- “ tur, fati lege ſancitum ſit. “

Poſtquam Joannes ita diſſeruit, eos inter Duces, qui ſive ætate, ſive animi ardore, ſive belli imperitia intemperantiùs ad arma tractanda flagrabant, ſtrepentes potiuſquam conſultantes, altercantéſque pertinaciter aſſerebant. Munimentis, & aggere ſtatim omiſſis, paucíſque relictis, qui in Jurumeniæ obſeſſæ cuſtodia vallóque ambiente manerent, cum cæteris copiis explicatis in campo ſignis occurſandum hoſtibus eſſe; nam multò magis invaſi, quàm invadentis, expectantis quàm occurrentis, miſera in bello conditio, atque exercitus ſors æſtimatur, cujus profectò incrementa majora gloriæ, ſucceſſúſque ſecundos alacritate, animi audacia, promptitudine, impetu, incurſu, non mora, aut ſegnitie felices, magnanimíſque Duces penè ſemper dimetiantur.

metiantur. Luctuoſum prætereà, & huic ſimile, recens exemplum incidere oculis, irritæ ſcilicet Elvenſis obſidionis, ibíque exercitus fœde conciſi, nimirùm, quia vallo Caſtellenſis incluſus ibi ipſe peti, quàm foris hoſtem per arma petere maluiſſet. Huc etiam accedere, quod paulò ante exercitus Luſitanus ſuo ipſe aggere ſeptus, & populatione, ac cædibus laceſſitus, cùm inde erumpere non auderet gravia, & acerba apud ſocios hoſtéſque cumulaverat ſibi ludibria, atque argumenta in ſe metus expreſſerat, quæ modo pericula, & probra ad illorum imitationem ignaviæ, dum provocaret hoſtis, vallorum jam clauſtris hærentibus, cunctáque paſſis, quæ circunſeſſi perpeti ſoleant, hoc porrò conſilio eſſent Caſtellenſibus ſubeunda, quando, & impendens cervicibus oppidum cogeret etiam de tergo conſulere. Sed contra Sangermanenſis, cujus demum ſententia vicit, alloqui-„ tur. Non eſſe profectò militibus val-„ lo, nec ſuo cuique intra ejus ambi-„ tus latitudinem præſcripto loco ce-„ dendum, quod agger ille curvatus „ in mediæ ſe lunæ figuram extende-„ ret, & vacuam aliam munimine par-„ tem è latere defluens ſatis protegeret „ amnis. In loco proinde arctiori confertas, conſtipatáſque militum vires ſe ſe atque aggerem ſuſtentantium, faciliùs, ajebat, impreſſiones hoſtium propulſaturas, nec alias inſuper copias deſiderari, quæ oppidanos coërceant ita murorum jam ſeptis adſtrictos, & undique clauſos, quique modicis etiam viribus contineri, quando vellent erumpere potuiſſent, & majores quoque cùm opus eſſet valli contractio ſuppeditaſſet. Duram prætereà ſuaſu rem eſſe, opere duriorem, tanto coram exercitu velle præcipitem Luſitanum in Anæ trajectionem, qui unus illi aditus extra aggerem ſupereſſet, abire; cùm enim de belli ratione conſulitur, ac ſimul conſilium excutitur hoſtis, intellectus errorem in iſto, vel ad ſummum inſcitiam, non amentiam, manifeſtúmque furorem, qualis abruptus hic eſſet tranſitus amnis, præcavere prudentibus datum. Hoc tamen & ille ſi per inſaniam fortaſſis auderet, nullo negotio temerarii conatus pœnas exoluturum. Quæ porrò compoſita nunc cum jam memorata, & funeſta Elvi urbis obſidione, atque ibidem accepta clade argumenta in longe diſſimili cauſa verſari, ſiquidem longè, latéque porrectior erat illius aggeris amplitudo, integer valli tractus, loci ſitus iniquus, iniquior temporis conſtitutio, ſimul tyronum magna colluvies, & eorum plerique diuturna obſidione contriti, multáque macie, ac labore confecti. Ad hæc non impetu, ſed ratione, & conſtantia, ac melius cunctando, ac ſæpè ceſſando belli res agitari in quibus id glorioſius, quod tutum, id ſapientius, quod magis cautum, & quanquam pars formidinis cautio popularitet appelletur, ab hujuſmodi tamen, quæ nonnunquam vertitur vitio, vacuum formidine militem, ſibi adverſum, reipublicæ inutilem, labi etiam ipſum à primo inſtituto militiæ, cujus potiſſima ratio eſſet, virtute uti, non iracundia, vincere, non perire, ſpiritúmque non projicere Marti, ſed pignerari. Immeritò ergo metui, ac ſocordiæ à temerariis duntaxat, bellíque rudibus attributum, quod paulò ante Dux Luſitanus poſt multa ineundi cum hoſte conflictus in caſtra in ſegetes agros irritamenta, aut ignaviter otioſus, aut cum dedecore patiens caſtrorum anguſtiis ſe ſe tenuiſſet; Contrà quippe à pe-" ritis in honorem, & laudem eſſe re-" latum, tunc ſe à certamine Ducem " abſtinuiſſe, cùm ſua certare non in-" tereſſet. Atqui conſiliis, rebúſque " longè

„ longè diverſis, nec minùs in præſens „ utilitatis habentibus quàm decoris „ cum Caſtellenſium exercitu agi. Luſitanum enim eo tempore caſtris in„ cluſum ſoli defenſioni vacaſſe, & „ tunc non vinci, loco victoriæ fuiſ„ ſe; Caſtellenſi verò & tueri ſe modò „ incumbere, & vincere Jurumeniam, „ ingentémque fore victoriam de „ Luſitano partam, cùm Caſtellenſi„ bus vallo reſtrictis oppugnatíſque, „ Jurumenia, quæ & cauſa, & præ„ mium, & laurea inſtituti certaminis „ erat, ſuccubuiſſet. Sic contra ju„ venes ſenes cenſere Duces, verùm „ cùm haſtæ ſenum juvenes appellen„ tur ac ſint, æquum profectò eſſe ut ſe„ num conſilio dirigi, ſenúmque tor„ queri manibus patiantur. Secundum hanc Sangermanenſis ſententiam juſſit Auſtriacus vallo tuendo intentum Caſtellenſem perſiſtere militem, ibique ſeſe acriter comparare hoſtium aſſultibus ſuſtinendis; prætereà quo minus eas diſtrahendi cauſa, vel avocandi fortaſsè copias Luſitanus ab Jurumenia diverteret Badacocium, huc Alexandrum Moreram cum quinque agminibus equitum miſit, ibi, ſi ita opus eſſet, conſiſtere juſſum, ſin Luſitanus rectà contenderet Jurumeniam, inhærere veſtigiis ejus, & cum reliquis turmis, quæ extra vallum obequitabant, celeriter ſe conjungere.

Inter hæc Jurumeniam verſus optimè inſtructa Luſitana pergebat acies; jámque leucæ intervallo procul ab oppido in ejus conſpectu caſtra poſuerat, cùm eam ſummo gaudio municipes intuentes exultare, concurrere paſſim obſtrepere gratulantes, ac geſtientes, circunductíſque per mœnium pinnas collucentibus flammis, ſimul clamore, ac tripudiis lætitiam, fulgentémque ex ſubſidio proximo ſpem oſtentabant, & ſuis quoque ut citiùs accederent, innuebant, quibus tormentorum reiterato fragore ſubinde reſpondit exercitus Luſitanus. Porrò Joannes, quanquam anxius animo erat, magnam eo tempore abeſſe ſuorum equitum partem, quàm Badacocium, atque in oppida circumjecta ad ſubitanea rerum immiſerat, ſua ipſe tamen, & virtute militum fretus per illam integram noctem vallo eos inſidentes, prælióque ſuccinctos, & alacres tenuit, ita, ut animorum ardorem illum acerrimum, & libertatis, ac certaminis avidos milites vix vallorum anguſtiæ caperent. Ubi illuxit, caſtra mutat Luſitanus, vallóque hoſtis propinquiori in altero colle conſedit. Inde crebrius excutere majora belli tormenta cæpit; idem etiam Caſtellenſes ab aggeris ambitu moliuntur, ſed in collis cacumine altior cùm Luſitani poſitio eſſet, Caſtellenſis autem exercitus humi depreſſior, ac planior, ob inæquale ſolum, metáſque contortas irritæ utrinque pilæ inani prope omnes minarum ſtrepitu volitabant. Quidam interim Luſitanus ſecundo flumine nando vectus cum Meneſii datis ad Pintum litteris oppidum introivit. Litterarum ſententia erat, Ducem ipſum Luſitanum ea ipſa præſcripta die vel ſuccurrere Jurumeniæ, vel omninò perire conſtituiſſe. Idipſum quoque ab initio Joannes Auſtriacus arbitrabatur quà Luſitani ferocitate, ſpiritúſque ſuperbia, qua oppidanorum neceſſitate in hanc ſententiam adductus, poſtquam verò ceſpitibus aggerandis, operíſque trahendis ſolito magis implicitum hoſtem impenſiùs munire caſtra conſpexit, ſimul rem, celeritatis quæ maximè egebat, procraſtinari volvendo jam, aut eludi, tunc dubitare cæpit Auſtriacus an id fortaſsè conſilii in animo gereret Luſitanus, quo pro vallo frangendo pugnam, aut oppidi obſidione ſolvenda committeret, háncque ipſam Meneſii animi alienationem,

nem, & à conſerendo certamine fugam, dilucidius paulò poſt explicavit Auſtriaco ex perſugis quidam fortuitò caſtris elapſus, adjiciens, etſi ad oppidum retinendum certò cum animo dimicandi, ægrè tamen, & re ipſa coactum, ac ſpe lubrica trepidum Eſtremotio Meneſium moviſſe copias ut animo volutantem trahere ſe quidem tyrones adverſus veteres bellatores, & propè claudos, ac debiles adverſus acerrimos equos, inferiorémque illorum militum numero numerum ad extremi diſcriminis aleam; nunc autem propiùs inſpecto exercitu hoſtium, hinc amne, hinc fortiſſimo aggere, ferocíque milite communito, tum circa præſidiis, operibúſque variis ſummo artificio diſpoſitis, adeò repentè ſpe prorſus, atque animo concidiſſe, ut à certaminis modò conſiliis, curíſque penitùs verſus, ea exercitus mora, ambitúque locorum, ea armorum expoſita pompa, bellíque apparatu, is non oppidi libertatem, ſed honeſtiores duntaxat deditionis conditiones captandas intenderet. Hæc à perfuga ſummo relata Duci rebus, quas adhuc geſſerat hoſtis congruere cùm viderentur, ſe in prima ſententia fixit, ſcilicet, Luſitanum, qui de loco in locum, atque in diem ex die ſubſidii negotium protraheret ad pugnæ periculum non venturum. Cæterùm una, eáque nimis moleſta Duci ſuberat cogitatio, deſperato jam rupti per aggeris aditum hoſti, quod expectabat Jurumenia, ſubſidio, ne ex eo tamen ubi tutus inſederat loco circunſpiciendo ipſe, cunctando vel intenderet quidquam doli vel obviæ fortaſsè occaſioni immineret, qua ſæpè numero oblata, nec tamen interdum in bello prævisa plerumque cunctatio, ac ſedulitas Ducis uti proſperè conſueviſſet. Igitur cùm alia aliam in re illa ſollicito necteret curam vario, incertóque volvebat animo Auſtriacus qua ratione, quo quiſquam conſilio aut fingere cauſam, aut ſe ipſa emergere tandem opportunitas poſſet, cujus expectatione, & conſilio inibi ducere tunc videretur hoſtilis exercitus moras. Sciebat enim Auſtriacus, quia eruditiſſimus erat, eſſe quidem finitam, & circunſcriptam ſubjacentium, atque accidentium rerum collectionem, nec adeò retruſam, vel novam, vel abditam eſſe rem, quæ per tempora, & vices ex tranſactarum rerum orbe non redeat, aut quæ ex illarum rerum ſimilitudine, & pro ſerie, habitúque rerum collata præſentium à vivido, acríque ingenio per conjecturam præſagiri nequeat. Hæc ſcitè, ac ſollicitè meditanti, & cum Ducibus conferenti nunciatur Auſtriaco mutare jam Luſitanum, aut raptim extendere, præceps, quà ille, in quo ſederat, collis ad Anam vergeret caſtra; militem etiam, qui ab oppido nuper evaſerat, flumen ſubjecto cortice tranſeuntem ad Luſitanum exercitum perveniſſe cum mandatis, ut veriſimile erat, Jurumeniæ Gubernatoris, ſimul ex ſecretis Ducum colloquiis, & circulis, & quadam militum inquietudine, æſtúque manare paſſim indicia occulti ibi aliquid ordientium, & machinantium; His rebus auditis, hoc extemplò ſuſpicatur Auſtriacus, quod mente hactenus volutaverat, ſcilicet à valli irruptione, ac manifeſto impetu ob firmitudinem ejus averſo nihil tum reliquum eſſe hoſti, quàm tranſitum Anæ, quorſum conſultò jam caſtra trahebat inſidiis, noctíſque caligine ſubtentare. Itaque geminatis in Anæ margine excubiis, juſſit etiam Joannes, ut Cavallerus magiſter equitum cum delectis, pleníſque agminibus ſeptem de fluvii cuſtodia, ac præſidio vacaret, ſimul ſtrepitus, clamor, & concurſatio militum, crebríque diſpoſiti per ripæ longitudinem

gitudinem ignes, nedum vigilantem, excitatúmque ſed alacrem etiam, avidúmque certaminis hoſtem hoſti ſignificabant, totáque eadem ſuſpecta nocte intenſiùs, fragoſiúſque circa Anam extractæ vigiliæ ſunt. Luſitanus ubi ſuo ſe falſum ea nocte conſilio videt, prima luce relictis caſtris paulatim inde recedit, hoſtiſq; ſublatus cùm eſſet aſpectui, pergere iter aſpicitur quod ad Villavitioſam tendebat. Hoc cognito in terga ejus extemplò converſus Caſtellenſis effunditur eques, variiſque turmis hinc, inde diviſus, atque orbibus vectus extremam nunc aciem, nunc latera infeſtans, ipſa aliquando perturbat, nõnullos etiam caſu, aut cõſilio ab ordine egreſſos intercipit hoſtes. Tum verò Joannes tam celeri, tam improviſo Luſitani diſceſſu ratus, ſpem omnem ſubſidii municipibus lapſam in victoris clementiam eſſe tantummodò revolutam, codicillos ad Pintum per tubicinem mittit, inculcans, ut ipſe ejúſque omninò participes ſortis pœnas, & cruciatus inferri pertinacibus ſolitos per maturam deditionem prævertetent, dilapſos jam eſſe ſocios, ſubſidii ſpem omnem ademptam, nimis ſerò, ac luctuoſam fore deditionem quæ eodem momento non præſtaretur. Noluit hujuſmodi codicillos admittere Pintus, nefas eſſe cauſatus, propè validum, qui penè jam ſub oculis erat, exercitum, ejúſque ſupremum Ducem ſeſe eidem obnoxium, & jure devinctum imperii trahere colloquia, aut pacta cum hoſte ſancire, ſi aliquid opus eſſet Auſtriaco, ab ipſo, qui haud procul eſſet, Meneſio Duce requireret.

Intereà Dux Luſitanus, etſi longiùs anteà recedere ſimulaverat, mox, quod dubius injerat, itinere flexo, retrò pergere inſtituit, ac tumulum tandem, qui ab aggere hoſtis, paulò plus illo quem poſtremò reliquerat, aberat, cum exercitu occupat. Militem inde mittit, qui noctu per amnem in oppidum introductus Gubernatori profeſſus eſt, ingenti animo Ducem erectum cum omnibus copiis oppido ſubventurum, ſimul ut fidem, quæ tum omnibus dubia per interpoſitas moras, & viarum ambitus erat, ex colore fucóque duceret, diem etiam præfixit certamini deſtinatum, qui triduò poſt recurriſſet & Corpori Domini conſecratus. Dum hæc Luſitani exercitus volutatio, ejúſque incertitudo conſilii multipli cura animíque fluctuatione, ac moleſtia ſuſpenſos tum oppidanos, tum Caſtellenſes agebat, nihil ideò remiſsè Auſtriaci juſſu Jurumenia verberabatur. Nam Caſtellenſes, ſuperata denique foſſa, quæ exterioris munitionis ultima erat, jam propiùs, & acriùs oppidi muros urgebant. Adverſus hæc oppidani cùm ſuppoſitos hoſtes, crebriſque ictibus pronos, ac fermè nudos haberent ex edito loco, cúmque varia eſſet intus, & materies, & copia ignea artificia conglutinãdi, inde ſulphure, & pice compoſitam peſtem, ſimul ardentes faſciculos, ſaxa, toſtóſque lapillos, & alia miſſilia jaculabantur non minùs urendo, quàm perturbando, implicandóque hoſti mirificè ſtructa. Major tamen alacritas, & virium, animíque conatus, ut victoriæ ſpe proxima afflata, pro vi inferenda, propulſandáque apud Caſtellæ milites erant. Igitur ſolidis aſſibus pelle contectis, aliiſque uſitatis belli commentis ſubtrahere pluviæ illi peſtiferæ corpora, ſubruere muros, cuniculos fodere, ſcalis alibi admotis alios propugnatores occidere, muris alios detractos affligere ſolo, cúmque paſſim ſcalarum, armorũ, hominúmq; fragmẽta ruerent, & vires, homineſq; ſufficerent Caſtellẽſibus, quæ jam defecerant hoſtes ad hujuſmodi impetus teſtaurandos, eò tandẽ inclinata pendebat res, ut una ſpes oppidi retinen

retinendi in externa tantum conſiſteret ope, eáque ipſa ſpes eſſet ejuſdem exercitus inſtar, ac Meneſij more verſatilis. Qui per illius moræ circuitus, flexúſque locorum, tum denique expertus neque vi neque dolo ſuppetias eſſe Jurumeniæ parabiles ob diuturnam præterea, ac vehementem oppidi obſidionem, poſtquam intellexit intus militibus, incolis partim pugnando cæſis, partim labore, ac vigiliis enectis, ac penè conſūptis, & quibus ſuperat vita cum minimè vires obſidionis ultrà ferendis laboribus habiles ſupereſſent, ac ſi ampliùs expectati ſubſidij error prolataretur, hoc nequaquam tuendo ſociorum officio, ſed hoſtibus potiùs in cruore, rapinis, ac turbis augendæ poſtea licentiæ fore, ſibíque ita per otium in uno colle ſedenti luctuoſiſſimæ cladis ſpectaculum inſtrui, ſuper hæc ubi animo volvit, utilius eſſe reipublicæ in extremo utriuſque diſcrimine copias, in quibus totius regni fortuna vertebat, quàm oppidum conſervare, neque re vera his obſtare conſiliis Aloiſiæ Guſmanæ juſſa, quæ ut pleráque Principum erant haud ex ſpecie, ſonitúque verborum quæ ſæpè ſæpiùs ad fallendum obſcura, & ex compoſito ambigua contexerentur, at ex eo quod uſui pro tempore, ac loco fuiſſet, cautè, ac prudenter interpretanda, idcirco Meneſius ſpe Jurumeniæ tuendæ prorſus afflicta, palam re inde infecta diſcedere ſtatuit. Miſit itaque priùs Jurumeniam, qui per litteras Pintum moneret. Se quidem poſt ſæpè attentata Jurumeniæ ſubſidia, vallum impenetrabile cognitum, Anam amnem validè ac paſſim præſidiis inſeſſum, poſtque omnia circunſpecta, exprobrata, ad quæ conſilium, & hominis opes eniti quandoque valeant, inanem ac peræquè dolentem faceſſere tandem fruſtrà tentato ſubſidio cogi. Ille tamen ſui officij duceret, quoniam exigi à nemine poteſt pluſquam rerum conditio, aut fortuna tribuerit, ita hoſti tradere Jurumeniam, ut pactionum æquitas, honeſtáſque, & neceſſariæ deditionis abſtergere notam, & municipij amiſſionem propè rependere valeat. Graviter doluit, & adſtantibus coram obſtrepuit, his acceptis, lectíſque Pintus. Proinde ſtatim conſultum Ducibus accerſitis, duriorem ipſe, minacémque ſententiam protulit, reſcripturum ſe nempè Meneſio, decoras eas pactiones, quas ille fieri cum hoſte expetebat, vanè ita producta ſuſidij ſpe, fallacíque exercitus mora, ac ludibrio fruſtratas jam eſſe; rediret ergo, & fortunam tentaret, quæ inter acies etiam adverſa res in deterius, quàm eo tempore verſarentur, conjicere minimè potuiſſet, vel ab ipſo fieri cum hoſte compoſitionem de oppido pateretur contumelioſam, acerbam, qualem imponeret deſperatio. Hæc erat Pinti ſententia. Deterritus tamen cum ab illis Ducibus eſſet Pintus, qui nec eſſe prudentiæ dixerunt, reluctari neceſſitati, nec etiam officij diſſentire ſupremo Duci, poſtremò, etſi ægrè in communem ſententiam diſceſſit. Inter hæc Cantagnedæ Comes Dux Luſitanus ſui jam obeundi muneris parte, ut res illa cogebat, ſatis ſe cum Jurumeniæ Gubernatore defunctum putans, ſublatis celeriter vaſis, à colle in quo caſtra metatus erat, digreditur. Inde per avia atque alta jugorum agmina ducit, ne ea equitatus hoſtilis tergo infeſtus aſſequeretur, tranſverſas etiam, arctáſque interjectas collibus ſemitas, quò tutiores ea via quæ Villavitioſam ferebat, procederent copiæ, ſclopetariis per anfractuum intervalla diviſis permunit; hoſtis arbitrio Jurumenia planè deſeritur. Hoc comperto Joannes per internuntium ſtatim admonet Pintum jam profligata longè expectati, ſollicitatíque ſubſidij ſpe non aliam

aliam obſeſſis, derelictiſque ſuperſtitem fore, niſi quam victoris clementia factura eſſet, videret ergo quid ageret, quid ſtatueret, ne cunctaretur, néve incendio pertinaciam alendo adderet. Interfluentia quæque momenta temporis acriorem in oppidum iram victoris paulò poſt erupturam colligerent. Ad ea Pintus jam mutato cum fortuna ſermone, ac ſupercilio demiſſo mitiùs Joanni reſpondet breve tantummodò poſtulans temporis ſpatium, quo ſimul ferenda cum Ducibus pacta componeret. Hoc impetrat, lapſóque temporis ſpatio, ut eos inter Duces convenerat, Pintus deditionis capita protulit. Hæc legit Auſtriacus, adeóque Luſitanis eo tempore attritis, ac prorſus jacentibus rebus, cùm ea iniqua, ac ſuperba, & quæ victores decerent magis, quàm victos concordiæ capita viderentur, ſtomachatus ſcidit Auſtriacus, atque alia ſubinde Pinto remiſit, æquiora, uſu militiæ recepta, ſtatuíque obſeſſorum maximè accommodata, adjecítque Joannes, eſſe profectò vincentium dare, non à victis accipere leges, quas autem ipſe nunc exhibebat, Regis Catholici potiùs convenire modeſtiæ, quàm fortunæ, aut merito Luſitani, quem obſtringere magis debebat quod jure belli non raptum, quàm quod gratis relictum eſſet; at ſi forrè mox perituris, ſuæque afflictæ abjectæque conditionis ignaris, eæ leges intolerabiles viderentur, omnia propè diem ſe per vim, impetúmque à pari ſuperbiæ ſupplicio, & jure belli exacturum, & omnia ſe excidio, & funeribus traditurum. Tandem poſt multas utrinque reſponſionum repetitas ambages, dum Joannis inflecti nullo modo ſententia poteſt, comminantíque, ac furenti vires in conſilio, manúque ſunt, Pintus obſidibus traditis in hunc modum cum illo convenit. Hora diei conſtituta Pintus oppidi Gubernator, quíque nollent in oppido ejus incolæ permanere, milites etiam ſuis armis inſtructi Jurumenia proficiſcantur. Et Pintus quidem cum paucis, primæque notæ militibus integris, cæteris ſauciis, uno item belli tormento Villavitioſam inde contendat, reliquos milites Luſitanos donec æſtas efflueret, Caſtella retineat. Perfugis nullus, municipibus liber, cùm abire inde vellent, cum ſuis opibus commeatus indulgeatur. Arma, alimenta, ac reliquas belli munitiones tuendo oppido comparatas victoribus deſerant, ſi qui præter laceros, incenſóſque cuniculi forte lateant, ante eorum exitum declarentur. Hæ cæteræque minoris momenti conditiones pro Jurumenia dedenda pactæ, rataeque, ac die præſtituta tranſactæ ſunt. Cum mille, ac ſexcentis militibus egreditur Pintus ab oppido, municipes ſimul egreſſi ob vetus in Caſtellenſes odium tanquam patrii ſoli, cœlique obliti, execrantes victoris benignitatẽ, invidioſique, ac novi impatientes imperii, quò quemque ſors, ſive utilitas tulit per Luſitaniæ propinqua loca diſperſi ſunt. In oppidum vacuum ruiníſque omninò deforme, & cladis propè bellicæ buſtum ſubinde victores ingredientes, magnam ibi frumenti, munitioníſque bellicæ copiam inveniunt, frumenta tamen partim corrupta, partim ad flumen, ne his uteretur hoſtis, Luſitani invidia projecta eſſe, compertum. Mox cum omni militari oſtentatione, atque hominum plauſu, quæ victoriæ lætitia expreſſerat, atque auctoritas Ducis Jurumeniæ ſuccedit Auſtriacus. Gratias, Deóque vota religione qua erat intimè imbutus in templo majori perſolvit; reſtaurari præcipit oppidum, novóque præſertim militiæ more muniri, ibíque firmis præſidiis adjectis impoſuit Ferdinandum Eſcovedum Hiſpanorum Tribunum militum, egregia, quam in illo negotio contulerat,

 opera,

opera, ejúſque fide, ac virtute dignum profectò præmium. Patri deinde lætum obſidionis exitum nunciat, qui quanquam in Regem, ut amiſſi recipiendi regni cupiditate flagrantem jucundiſſimè cecidiſſet, in aula tamen vulgatus variè miniſtros affecit alios ſcilicet invidentes, metuentes alios fortunam juvenis tanquam publicæ refragantem, próque verè, ſeu falſo communi propoſito bono, ſuis quóſque ſtudiis, atque affectibus ſervientes. Sic ſparſi, miſtíque modo per aulam ex re per ſe læta, atque utili allata, invidiæ, lætitiæ, ſollicitudinis ſenſus, quamvis ſatis per frontem aulico more ſimulatio ſuſtineretur, errabant. Atque ita denique Jurumenia poſt arctam integri menſis obſidionem Joannis Auſtriaci virtute, atque auſpiciis evicta eſt, Regíque Catholico reſtituta.

His rebus confectis, Auſtriacus, ut temporis curſu, atque ardore, inflatáque ex ſucceſſu ſpe militum uteretur, prætervectíque veſtigiis inſiſteret hoſtis ad Villavitioſam exercitum ducit. Caſtra ibi caſtris hoſtium oppoſita locat, & munit; deinde jam propinquos infeſtans populationibus agros, jam caſtra hoſtium proximè advectus, per inſultantes cominus equites, per ſæpiùs excuſſa belli fulmina tormentorum, per crebriùs ſubjectas oculis cædes, quæ ipſa propè cruentaverant caſtra, in diſcurſu diripientium cædentiúmque circa, longéque militum, ſive ira, ſive cauſa defenſionis, ſive occurrere fortè vellet tot contumeliis, & circunſtantibus malis elicere nitebatur Luſitanum ad pugnam. Hic autem quatuor circa Villavitioſam munimentis extructis, caſtríſque fortiter communitis, & undique clauſis, ibi à certamine prorſus averſus, ac tutus in otio ſedebat, nec veriſimile videbatur, qui ad Jurumeniam quoque tuendam conflictus effugerat aleam, iræ nunc aut pudoris ſtimulo victum, aut virium jactantia ſublatum fortunam publicam totius Luſitaniæ, quæ uno illo exercitu niteretur, in periculum vocaturum. Id ipſum planè Joannes intelligebat, liberius idcircò hoſtilibus caſtris obverſus, & juveniliter exultando per ſeria per jocos detrimenta ludibriis, irriſionéſque cladibus immiſcebat, ut major & inde contemptus ſuis militibus creſceret hoſtium, & circumjectis oppidis terror, quo ea penitùs occupata, ſi in quodquam illorum fieri impetum contigiſſet, minori negotio ruerent. Hac tandem exercitus mora, irritíſque propè conatibus cùm feſſus jam eſſet Auſtriacus caſtra inde movens ad fontem, qui Zappateros vulgariter dicitur, quod terræ ingenita ſiccitate, magníſque ardoribus æſtus tunc laboraret aquæ defectu miles, acceſſit. Is erat præterea locus, qui oppidorum, & arcium majorum objectu, aſpectúque cùm circunſtreperent arma conſilii, animíque pendentes, ac dubios ducere poterat Luſitanos, quo tãdem ſe foret hoſtis eo armorum impetu jactaturus, quod ſi Dux Luſitanus in ea mentis ambiguitate copias fortaſsè divideret, vel reluctantem ac diffidentem ut enervatum eumdem ad pugnam compelli poſſe. At ille paucis tantummodò militum manibus Campomajorem, & Elvum quibus maximè metuebat immiſſis, loco immotus, primíſque vallatus aggeribus ſubſtitit. Explorato Luſitani conſilio, ne fruſtrà Joannes tempus terere videretur, cum omnibus copiis obvia quæque per iter urendo, ac vaſtando progreſſus inter Aveirum, atque Monfortem Luſitana munita denique loca conſedit inde paratus, vel omninò hæc oppida evertere, vel ſine mora in deditionem accipere. Cùm exercitum appuliſſet, Aveirus, quod minoris laboris res eſſet,

celerius

celerius obſequi Auſtriaco, atque imperata facere cogitur; in fidem propterea confeſtim recipitur oppidum; cum vita, opibúſque oppidani ſubinde dimiſſi ſunt, juſſu Ducis ſolo ad terrorem æquatum oppidum eſt. Sera, ac difficilis contrà cùm hic reſiſtere voluiſſet, Monfortis expugnatio apparebat, námque ut domui Bregantiæ oppidum jure hæreditatis annexum, ſtudioſiores profectò veteris, nunc autem regnantis Principis incolas retinebat, ſimul triplici valli ambitu, ſolidis mœnibus, prævalida arce, copioſóque præſidio roborabatur, terra itidem fertilis erat, & undique culta, quæ frequentes, opulentóſque ſuos municipes cumulaverat. Ægrè ferebat Auſtriacus ſecundo jam curſu rerum avectas copias, quæque latiùs victrices extendi ea aſpirante fortuna poterant in ignobili quodam oppido offendere, & moras inutiles ducere, cúmque hæc antevertere vellet Auſtriacus, idem cum corporis ſui cuſtodibus prætervectus binis in via cœnobitis occurrit, ejuſdem oppidi moratoribus, híſque ſeverè præcepit ut adirent Gubernatorem, ſuóque imperio denunciarent, ſe niſi ipſe Joanni, & pariter omnia quæ ſui juris, & muneris eſſent, protinùs permiſiſſet, eam oppidi cladem, atque excidium comploraturum, quod paulò ante Borbam funditùs evertiſſet. Redeunt in oppidum cœnobitæ, Joannis mandata, mináſque Præſidi exponunt; hic ſubitò Duces, Monfortíſque primores in conſilium accitos docet copias hoſtium victrices, inſtantes, fortuna inſolentes, truces Auſtriaci minas, & ſuperbia, faſtúque victoris, ac regio ſanguine inflatas; Ex adverſo ſubſidii ſpem à Luſitano exercitu nullam, quippè qui nec Jurumeniæ præoccupare ruinam, nec is laceſſitus totiéſque imitatus ſociorum injuriis, ſuíſque percitus contumeliis eas ire ultum, vel acie cum hoſte congredi valuiſſet. Igitur cùm interitum vel ſervitutem modò proponat hoſtis, vel pereundum ibi pro libertate reſiſtentibus eſſet, vel jacentibus cum ſervitio, gravíque dedecore agendum, his maximè obnoxiis, quibus niſi cæca fortuna eſſet, imperitare deberent. Certam denique, ac ſemel inevitabilem mortem, & omnium mortalium miſerias unà cum ſenſibus extincturam, an crudele, ac ſuperbum Caſtellenſium arbitrium eligere conveniret cùm res adhuc integra eſſet, incorruptè diſcernerent. His ingenuè, vel fictè ut ad cæteros nempè, ſi deditio fortè ſtetiſſet, facti culpam averteret Præſes, verbis in medio prolatis, requiſitíſque ſententiis, cùm minarum iræque plena eadem ferè præſentis Auſtriaci propoſita imago, recénſque collectus ex Jurumeniæ jactura pavor conſternatos animos ageret, cúmque extrema, atque acerba trahere conſilia, ne vita intercideret, dura quoque neceſſitas videretur, deditio tandem omnium conſenſu decreta eſt, hujuſmodi tamen, quæ ne fortuna quidem afflictos eorum decoris, ac dignitatis oblitos Luſitanos oſtenderet. Res itaque ſtatim cum Joanne tranſigitur, útque pacto convenerat, miles cum armis, oppidanus ſimul cum bonis Monforte deceſſit; oppidum à Caſtellenſibus conſervatum, arci præſidium impoſitum. Hæc curſim acta cùm per exercitum eſſent, inde ad Cratum contendit.

Eſt Cratum in Luſitania juris ordinis Melitenſis, & multorum adjacentium quoque pagorum opimíque Prioratus ſedes, & caput, cujus ea tempeſtate proventus, quia ad Alvarum Melum Caſtellæ tunc partibus adhærentem ſpectabant, Bregantius in fiſcum retulerat. Vetuſto, eóque fragili partímque ſemeſo muro, novóque duntaxat aggere cinctum oppidum, arce quoque in edito ſita loco eo tempore munie-

batur, ejus tamen opulentia, & alimentorum præcipuè copia velut horrei totius Prioratus ſuper omnia circuncidentis oræ municipia affluebat. Ea propter de hujus oppidi amiſſione Meneſius magis ſollicitus, anxiúſque, & quod tantum ea ſibi intercepti frumenti copia virium adimeretur, quantum per eam acceſſurum hoſtibus eſſet, antiquum Crati Rectorem exturbat, illúdque conſultò defenſum quemdam hominem mittit legionis tunc Inſtructorem, ſed præferocem ipſum ingenio, animo abruptum, & pericula neſcientem, aut aſpernantem, ut ſi quid fortè perfractis jam rebus temeritas, quam non ſemper fortuna deſtituit, conſequi potuiſſet, illo auctore conficeretur. Eò porrò Joannes cum exercitu evectus novo ſtatim Gubernatori per tubicinem nunciat; potentiori concederet, ut lex naturæ præcipiebat, niſi fortè Philippo, qui Rex erat Luſitaniæ legitimus ſolvere obſequium, reddere fidem vellet. Audit hæc legionis Inſtructor nullíſque tum juſtæ ſibi defenſionis occurrentibus cauſis, verbis procax, ſtolidè ferox, nec minus judicio, quàm viribus imminutus per internuntium Auſtriaco reſpondet. Errat, ac vehementer profectò errat Auſtriacus ſi modo rem ſibi eſſe cum Jurumenia ac Pinto Lovato putat: cum milite miles, arma cum armis, lacertíque lacertis priùs conſerenda ſunt, & fortuna in medio ſtatuere denique debet, quàm ipſe Joannes Crati limen attingeret. Perge porrò, & Auſtriaco renuncia, Ducíque Sangermanenſi, hinc niſi copias confeſtim abduxerint, quàm citò effecturum hunc Luſitanum utriuſque funere Ducis memorabile Cratum. Hæc tam ſuperbè, tam petulanter, ac ſtultiùs effuſa, ſtatímque ad Joannem relata verba, Luſitani tunc levitate, ac tumore feſtiviùs irriſis, vel ex eo delectare plus Ducem, quàm perſtringere potuerunt, quod direptio, atque vaſtitas oppidi, quas propter ejus divitias ille maximè cupiebat, ſtruente temerè cauſas eodem Gubernatore, mox legitimè proceſſiſſent. Igitur quo propiùs, ferociúſque adhortando, increpandóque milites potuit, cùm ſpecie terribilis Crati mœnibus acies appulſa eſſet, tormentariæ prætereà ſedes iniquo, planóque raptim diſpoſitæ loco eſſent, quatere paſſim, ac frangere muros cæpit Auſtriacus, & quædam earum cùm in tumuli dorſo municipio imminentis erectæ eſſent, ſtragem deſuper incolarum oppidi ſemitas ambulantium, & infra pugnantium in mœnium vertice militum cumulabant. Cæterùm milites, oppidaníque jam propè intuentes murorum, hominúmque ruinas, conſtratum undique ſolum armis, cruore, corporibus laceris, nec in tanto ſqualore, atque luctu humanam ullam videri, aut ferè divinam ineſſe opem, quàm quidem, quod omnia poteſt, ſubtrahere in ſupplicium plerumque ſoleat pertinacibus Numen, dolore ardere plerique, & cum queſtibus lachrimas fundere, quod unius amentis hominis rabies tot fortunas, tot opes, tot hominum vitas unà cum patria præcipites ferret; multos, qui inter humanas vices recrudeſcenti placidè locum fortunæ dediſſent, ſæpiùs ab ipſa incrementis felicibus reſervatos, ſed omnia adverſa, atque proſpeta, ſpes, atque metus cum corpore ſimul amitti, etſi cruciatus, cùm uti vellet ſuo jure victor, abeſſet nec adeò iratus urgeret pervicacibus hoſtis. At inutiles quidem fletus, atque in irritum jactæ mulierum, virorúmque querelæ, vocéſque cadebant, nemo enim verbum refractario cum hoc homine audebat de communi ſalute facere, hos námque triſtitia, alios inceſſerat deſperatio omninò diffiſos poſſe hominem furioſum, atque ad omnia fortunæ molimenta projectum ratione, argumentis,

mentis, aut precibus vinci; nonnullos quoque ceperat metus, ne in monentis perniciem monitio ob trucem illius expertam ſæpè iracundiam revolveretur. Erat tunc fortè inter eos, vetus oppidi Gubernator, qui, ut hic novus illi ſuccederet legionis Instructor, nuper exauctoratus Meneſii mandato fuerat. Is privatim, ac publicè novo Præſidi infenſus, ac præſertim exulceratus, quod per illatam ſibi ignominiam, novúmque intruſum Gubernatorem, nihil præter oppidi excidium, & illorum hominum ſtragem quæſitum eſſet, cæpit propterea miſcere cætus, accendere turbas, languenrémque prædicando, admonendo populum excitare, nimirum contra fas, contra jus belli, contra officium, & fidem etiam Principi obnoxiam in fortunas, in municipum viſcera, in aras, & focos ſua ſævitia, ſua ſtultitia, ſua pertinacia tunc debacchari, atque inſanire Gubernatorem, cùm nervorum ipſe non minus, quàm conſilii, mentíſque inops, & capitis æger hoc labili muro, hoc milite exiguo exundantis, victoríſque exercitus æſtum per ſtrata ferè municipum corpora, ſanguiníſque profluvia vellē inhibere contenderet. Quibus, & aliis ſimilibus ad rem appoſitis verbis incolæ arrecti, concitatíque, quia quærelarum omninò vindicem, Ducémque tumultus in re per ſe aſperrima invenerant, extemplò conveniunt, Præſidem circunſiſtunt, deditionem expoſtulant, ac ſi ultrà furere perſeveret, ejuſdem ruina, & cruore eam in commune graſſantem flammam ſeſe reſtincturos minacibus verbis, gladiíſque erectis interminantur. Hic, ut interiùs immiſſus, ictus gravius Præſidem vulneravit; poſtquam itaque videt undique ſe circumventum, revera plus turbulenti populi minis, quàm gladiis hoſtilibus, externíſque mortis impulſibus pavidus ad concordiam petendam poſtremò coactus inſignia pacis ab arce, & mœnibus explicat. Joannes, qui omni rejecta conditione ſuo arbitratu de municipio ſtatuere decreverat, pacis inſignibus ſpretis, nihilo ſegniùs per continentes mœnium ruinas, ac repetitas impreſſiones violentum ſibi, cruentúmque ad Cratum aditum præparabat. Ea porrò inflexibilis Ducis ira, animíque comperta duritie Cratenſes dejecti, ac formidine propè attoniti, ſtupentéſque, ſi quid inter arma fortaſsè religionis verecundia valeret, binos ſubinde venerabiles ſenes, & ſacerdotes ab oppido emittunt, qui ſupplices, lugentéſque victoris pedibus advoluti canorum honore, ſacríque habitus reverentia certam ex pacto ſalutem tantummodò peterent, cætera Auſtriaci arbitrio relinquerent, ſed dum illos præſentes accuſat, exprobrátque Joannes, ſcilicet lenitate, & clementia ejus indignis, ac nimis ſerò pœnitentibus tandem, nihil ex pacto velle conceſſum, iíque lachrimis contrà clementiam, & veniam extundere parant, quas meritum non dediſſet, fortè evenit, ut ea jactatæ ſpe pacis illecti captíque hoſtes, cùm & arma vix ſuſtinerent præ metu, ac laſſitudine lubrica, temerè pugnam remitterent. Itaque ſigno repentè dato Caſtellenſes ſcalis admotis in muros inſiliunt, perculſos, conturbatóſque re improviſa propugnatores continua cæde proſternunt, qui minùs obſtiterant, pavidos fundunt, fugántque, cruore ſubinde madentes in municipium illati rapere paſſim, trucidare, ſpoliare, ſubvertere, cæde, & cruore cuncta miſcere. Obtinuit tamen in tanta rerum jactatione, furentiúmque tumultu Joannis imperium, ne quis niſi armatus fortaſsè obſtans, aut cum impetu cæderetur, néve mulier violata, aut templum ibi direptum, aut profanatum foret, cujuſmodi ſanè præcepta, niſi gratia, ſplendore Ducis, ac dignitate præſtantis, quemadmodum erat Auſtriacus, nequeunt

queunt audiri bellico impunè furore obſtrepente. Cæterùm cruoris non minùs militum iram effuſio, quàm ipſorum quoque avaritiam congeſtarum prædarum cumulus ſatiavit; frumentum, quo oppidum abundabat, publico reſervatum multis diebus ſuffecit alimenta militibus. Cratum tandem combuſtum, cædis reliquiæ diſperſæ, arx per cuniculos ſciſſa eſt. Triduò eo loco occupatum inſignis hæc clades Caſtellenſem exercitum tenuit. Inter hæc ab initio irruptionis in oppidum cùm juſſiſſet Auſtriacus extemplò comprehendi Gubernatorem, meritas oris, operiſque proterviæ ſibi pœnas perſoluturum, errore nominis milites ob ejus ſimilitudinem capti, utrumque Crati Gubernatorem, & qui præceſſerat, & qui nuper illi ſucceſſerat, vinctum ad mortem trahebant; Ut ad ſupplicii locum perventum eſt, prior Gubernator diris jam, funeſtíſque inſtrumentis, & funereo apparatu, ac præſentis horrore, mortíſque imagine circunfuſus, an Joanni vacaret, interrogat, jure, aut injuria unius Chriſtiani hominis peteútis pauca, atque ultima, extremóque expreſſa ſpiritu verba excipere. Voti compos, ſicut petierat, ad mortis ſolatium Luſiranus effectus, Mori ſe quidem, dixit Auſtriaco, non, ut ſontem, aut invidentem ejus inclytæ gloriæ, ſed quod eſſet vir Luſitanus, cujus innoxio quoque cruore fœdare manus, explere ſitim, ſorbere ſpiritum, Deo, ſuóque Regi pergratam libationem ſceleratè, atque impiè Caſtellenſis exiſtimabat. Ipſum enim de Joannis adventu certum quò ejus in Cratum non modò facilis, ſed etiam ornatus, & pro oppidi facultate magnificus eſſet ingreſſus, Virgines patriis tripudiis, ſertíſque vernantibus comptàs, & pompam ducentes illi obviam effundi ut triumphi comites deſtinaverat, à legionis tamen Inſtructore prohibito, ſua induſtria deinde, ſuo labore confectum eſſe, ut cogeretur idem oppidi Gubernator abjicere arma, petere pacem invitus, nunc ſi pro tanto ſuo merito dignus æſtimaretur, qui cervices, aut jugulum carnifici daret, ſe ſe anteà monitum eſſe velle, ut morientis modò cruore, & poſt coagitatis manibus mortui teſtatum ad Luſitanos tranſmitteret, Caſtellenſes Luſitanorum ſemper ſanguinem inhiantes nec beneficio, nec maleficio exploratos immanis ſuæ indolis quidquam adverſum illos unquam inflectere poſſe. Cùm hæc audiſſet Auſtriacus quæri præcepit, vera ne eſſent, quæ diceret Luſitanus, & cùm fidem in verbis eſſe conſtaret, ne dum incolumem, ſed honoratum etiam Luſitanum dimiſit. Legionis Inſtructor ultimus oppidi Gubernaror ejuſdem juſſu Joannis ſclopis in medio foro gratúmque militibus ſpectaculum præbens tranſverberatus occubuit. Poſt Crati hujuſmodi excidium adverſus Oguelam victor exercitus tendit. Lato campo inter Xevoræ, Berlongæque fluenta loco præalto, amænoque hoc inſidet oppidum; mœnia ejus robuſta erant, veteríſque opificii, alia etiam circum ſe extenderant munimenta, quæ & majora omnia reddebat ſublimitas ſitus. Arx accedebat uſu quoque recentium vallo, foſſa, imis criptis, multis belli tormentis, & quingentorum ſubnixa præſidio militum, eóque tandem municipio occupato, præcluſus Caſtellæ aditus hoſtibus, eique liber futurus eſſet, qui Alburquercio tenderet Badacocium, nec poſt Jurumeniam ſanè receptam eo utilior, ac fortior cāporum jam latè potentibus Caſtellæ militibus locus occurrit. Huc ubi Joannes infeſtus acceſſit, cùm ea natura, ac munimine ſitus, tum odio Caſtellæ, gentíque inſita pertinacia, majorem in illo, quàm poſteà cognovit, contentionem, atque laborem offendere putans, omnes ſtatim parari belli machinas juſſit,

arctiúſ

arctiúſque oppidum obſideri, premíque. Dum hæc impigrè parant, & paſſim admotus oppido terror incumbit, ejuſdem oppidi Gubernator, cui ferè ante oculos etiam erat miſerabilis Crati ruina, ac temerariè ſuſceptæ defenſionis horribilis exitus, quíque inter incendia cædéſque morientium propè gemitus; ploratúſque paulò ante auribus exaudierat, loqui ipſe ita ſecum, & animo volvere cæpit. Luſitani exercitus Duci ſub quodam regni receſſu in tanto fragore, ac rerum omnium turbatione tanquam latibulo incluſo aliam poſt aliam ejuſdem regni flamma, ferróque penè conſumpti cladem ſi ad propulſandum voluntas deeſſet, infidum, ſi vis, imbecillum, ſi animus, torpidum agitare; utcumque res eſſet, ruere undique oppida, pereuntibus non ſuccurri. In Oguelæ quoque cervices ut Caſtellæ finibus inhærentis, & propinquitate maximè gravis, acriùs profectò copias, quæ ita florerent, ac victrices inſuper eſſent vim effuſuras, & impetum eſſe. Huic peſti, huic bellicæ flammæ, huic quaſi gurgiti armorum omnium, quod nunc ſatis opponere liceat, nec intus adeſſe, nec foris ſperari poſſe; ſubſidiarias enim externè quaſi metu torpere copias, harum ignaviam, ſive impotentiam animos addere hoſtibus, at inter illarum ſegnitiem, & horum hominum alacritatem conjectos quid reliqui habere præter lamentabile excidium, & rerum omnium interitum. Illam prætereà obſtringere Principi fidem, quàm potens ſit Princeps in ſuo cliente tueri, nec tanti quidem habendam, ut cum exitio mutanda ſit, dum uni ſervire, vel alteri Principi fortuitum homini ſit, & patum, aut nihil diſcriminis habeat, nulli verò naturæ, ſive fortunæ bono æquiparabilis vita ſit; imò verò ne Principibus quidem, qui omnia omnes ad utilitatem expendunt, acceptam illam fidem cenſendam eſſe, quæ cum privatæ ac reipublicæ clade, ut eſſet hæc in præſenti, ſimul occideret. Poſt hæc ſecum excuſſa Præſes, & cum amicis ſubinde collata, ſatius denique fore conſtituit, ſi ultro Joanni per pacta tribueret, quod ſecus ille crudeliùs mox per vim extorturus fuiſſet. Itaque miſſo, qui Joannis colloquium pro re componenda peteret, dum interim laxiùs, minúſque ſolliciti milites Luſitani ſuper oppidi muros concordiæ fiducia, ac blandimento verſantur, memores tunc Caſtellenſes Cratenſis nuper adeptæ rapinæ, caſúſque recentis, ſuáque ipſi cupidine inſtincti ſine lege, ſine imperio celeriùs progreſſi Oguelam pervadunt, & mirabile ſanè dictu, cum eo impetu invectus, prædæ duntaxat avidus miles à ſanguine abſtinet, hic ex privato, hic ex publico rapit, obvios hic ſpoliat, alius in tecta, domóſque progreſſus, quæ prompta erant, coacervat, quæ dubia ruinis erepta ſeponit, omnem licentiam in lucrum, & avaritiæ illecebram vertit, nec in tanto tumultu, atque ſtrepitu, qualis in populantium diſcurſu militum eſſe ſolet, contigit cædes niſi fortuita. Indignatus hæc, & ſimilia fieri, juſtóque dolore ſuccenſus oppidi Gubernator, & inter eam confuſionem, & multorum hominum fugam elapſus Auſtriacum quærebat illi querelas expoſiturus, ſe nempè deluſæ ſpe pacis incautum tempore iniquo, violato jure ab ejus milite oppreſſum eſſe. Erat Joanni ad boni Principis normam eruditio, ingenii acumen, auctoritas, lepos; ſolitus ergo perſæpè gravia, atque ſeria condire jocoſis, Luſitanum ſparſo rubore, atque triſtitia vultu ad ſe querulum venientem ſermone præoccupat. Quomodo tu cùm ſis nec extra numerum Luſitanus, tam citò, ac libenter Caſtellenſes hoſpites admiſti? Ille verò eo Ducis habitu, ac ſpecie lætus, mutata cum vultu ſententia, & quærelis, quas

ad

ad cauſam collegerat, prætermiſſis, quoniã, Auſtriaco retulit, citiùs tu ſoles eorum, qui minus ſibi ſolliciti ſunt, Gubernatorum elidere fauces. Auſtriaci deniq; juſſu, præda protinùs Luſitanis à Caſtellenſibus reſtituta, eas, & gratis honeſtas, & amplas tribuit illis conditiones, quibus, ne aſpirante quidem fortuna, meliores iidem expetere potuiſſent. Juvit tamen hoc æquitatis, & gratiæ militaris exemplum, ut pavorem, & publicum odium ex Crati, atque Borbæ teterrimo excidio concepta moderaretur, ſcilicet, ne inſolitus rigor hoſtiles omninò irritatos, metúque ad extrema contractos ad deſperandum impelleret animos, néve nimia indulgentia, ac manſuetudo diſſolveret, cùm ſcitè librata formidine ſpes, atque aſperſa rigore facilitas nunc remiſsè, nunc ſeveriùs agendo, aliàs feliciùs utrumque miſcendo minori negotio mortalium animos verſet, ac torqueat. Itaque oppidanis, atque militibus cum armis, & opibus Oguela digreſſis, roboratíſque muris, & arce binas pro præſidio Joannes ibi reliquit Italicas legiones, Præſidémque Comitem Sartiranæ clari nominis Ducem, cúmque eo tempore calor æſtivus, eóque ſub cœlo ſiccitatis qualitate fervẽtior arderet, contentus Joannes hac, quæ geſſiſſet, æſtate conſueta ſtativa repetere milites juſſit.

DE BELLO LUSITANO LIBRI OCTAVI

SUMMA.

VLISIPPONIS petendæ conſilio omiſſo, Auſtriaco permittitur bellum pro ſuo arbitratu gerere. Paratur Claſſis, ejúſque regimini imponitur Dux Averenſis. Vtteres Legiones quæ Mediolani verſabantur inutiles, in Caſtellam tranſvtbuntur. Bregantius à matris avulſus tutela; virtutis & fortunæ opinionem penes indigenas & exteros captare optat. Cantagnedæ Comitem ad ſe vocat, & Tranſtaganæ armorum imperium in Sancium Emanuelem Comitem Villaſloræ transfert. Is inviſens arces & oppida regni, Eboram negligit. Ioannes, diutiùs quàm crediderat belli expeditionem extrahit. Qua de cauſâ. Badajocio profectus, Eboram petit. Sancius ultimam Caſtellenſis extrcitus aggreſſus aciem, cùm aliqua cæde recedit. Auſtriacus, per Didacum Cavallerum circumjacentia municipia, ad deditionem compellit. Ludovici Meſcbitæ Gubernatoris Eboræ, viri militiæ planæ imperiti, juſſa recipere detrectant Duces. In ſubſidium urbis electi mittuntur equites, ſed improſpero exitu. Ludovicus de Souſa electus jam Portus Antiſtes, communi deditionis conſilio pertinaciter obſiſtit. Civium confuſio. Militts pugnæ cupidos compeſcit Auſtriacus, ne prædâ opulenti diſtraherentur. Nono poſtquam obſeſſa eſt die, Civitatis fit deditio. Allato Ulisipponem urbis amiſſæ nuncio, populus concitatur. Irrumpit in ſedes Antiſtitis & Cantagnedæ, eáſque diripit. Extinguitur voce Principis tumultus; cujus auctorts aliorum obtentu criminum, ſceleris pœnas dant. Severè præcipit Rex Catholicus ut Eboræ cives clementer tractarentur. Copias, Ioannes ad dimica'ionem inſtructas movet. Infeliciter ad Odigebtnſe flumen cœptâ pugnâ, greſſus avertit ab hoſtibus. Sancium reſtitantem flectit ad pugnam Scombergius. Canalia pugna, in qua Luſitanus plenâ, opimáque potitur victoriâ. Caſtellenſium cæſorum, ſauciorum, captorum numerus. In Marchionem Pirovanum mira canis fidelitas. Ulisipponenſis Antiſtes, populo hilariter turbulento, duo millia nummûm ex feneſtra projicit. Amiſſa Ebora, brevi à Luſitanis recipitur. Didacus Cavallerus miſſus ab Auſtriaco, ut Elvum furtim caperet, expectatione deluſus revertitur. Ignis injectus bellico pulveri funditùs evertit Arroncium. Aulicorum Auſtriaco iratorum queſtus. Huic præcipit Rex, ut cum lectis è ſtatus, bellíque Senatûs conſiliariis, ſibi de bello meliùs gerendo conſulat. Dux Oſſunenſis propugnaculum extruit propè Almeidam. Conflictus apud Ireſium, in quo Caſtellenſis primo impetu obrutus, poſteà concidit hoſtem. Accedit ad Aulam Sangermanenſis, ut excutiat calumnias

lumnias ſibi ab æmulis afflictas. Militiæ munere devolutus, arma in Luſitaniam reſumere vetatur. Alexander Farneſius externi equitatus Magiſter renunciatur. Cantagneda Vanlentiam Alcantaræ petit, in ejúſque poſſeſſionem pro Bregantio traducitur. Oſſunenſis cum exiguis copiis Caſtellum Roderici aggreditur: Obſidionem ſolvit, & deinde profligato exercitu ſibi fugâ conſulit. Philippus Auſtriacum exauctoraturus, ipſum per miniſtrum monet, ut ultrò abdicatis militiæ curis, Conſocram continuò ſecedat. Comes Marſinus curam armorum ſubit, donec Ioanni ſuccederetur. Propugnaculum ab Oſſunenſi conſtructum ſolo æquat.

BELLI LUSITANI

LIBER OCTAVUS.

1663. ALTERO belli anno Vere jam appetente ſollicitior utrinque de bello apparando cura tum Luſitanos, tum Caſtellenſes diſtrictos habebat; dum reputat Caſtellenſis finitimis jam, minúſque validis oppidis Luſitano per bellum ereptis, interiùs nunc latiúſque terrore armorum incuſſo, firmiores, utilioréſque Luſitaniæ invadendas, oppugnandáſque arces, ut armis paulò ante parta conſervarentur, & ſuo quoque ordine pergeret tanto impendio, tanto labore, tot per annos fruſtra quæſita illa dura, atque dubia receptio regni. Quocirca ſententiis in aula Catholica variis Belli, Statúſque Senatores impliciti altercabantur, an petere modò expediret Uliſipponem belli caput, & ſedem Imperii, unóque ictu, & virium omnium militarium impulſu bellum, bellíque omnes ſimul abſcindere cauſas, & nervos. Res per ſe utilis, & orationis quoque ſpecie magnifica, & ampla, ſpe tamen durior, & factu aſperrima videbatur: ad eam enim ipſam rem capeſſendam duplici opus erat exercitu, alio quidem ad magnæ urbis obſidionem immobili, alio verſatili, & ad ſubita rerum, quique primi terga defenderet, & tutò alimenta ſuppeditaret, applicito, ſimul prompta, & valida claſſe, quæ maritima auxilia, atque externa alimenta ſubvehi ad urbem obſeſſam prohiberet. Poſtquam verò lentè diſcuſſum, atque perſpectum eſt, neque ærarium, neque uſitatas pecuniæ collationes, neque nova tributorum commenta in Imperio jam priſtinis bellis, ac temeraria quadam munificentia Regis exhauſto ſufficere poſſe tot ſimul collatis terra, maríque ſumptibus, tum demum Uliſipponis petendæ conſilium omiſſum, Auſtriacique prudentiæ permiſſum eſt, is bellum in illo anno pro ſuo arbitratu, atque ſententia gereret. Fuit illa tamen at ſeriùs omninò, nullóque uſu parata claſſis, ejúſque regimini impoſitus Dux Averenſis, ſtrenuus, & impiger ille juvenis, Bregantióque nomini, & privata, & cauſa publica infenſus, fatóque paulò poſt intercepti defuit materies ingenio juvenis. Veteres quoque Hiſpanæ, atque Italicæ legiones, quæ Mediolani reſiduæ, & propter hactenus ſtantem cum Gallo pacem verſabantur inutiles in Caſtellam tranſvectæ ſunt, frequentéſque delectus militum per totam rurſus Hiſpaniam in veterum ſupplementum agitabantur. Haud minor profectò ſollicitudo, bellíque parandi cura, labórque ut memoratum eſt ex altera parte occupaverat Luſitanos, quippè quos non gloria, aut ambitio, ſed populariter ita prætenta, dulcíſque ac verbis, potiùs quàm rebus uſurpata libertas, patriæque tuendæ ſtudium accenderat itidem metus, ne ſi Caſtella fortè viciſſet, eas pœnas victori luerent,

rent, quas eſſet acerbius ab illis, & culpa defectionis, & jure belli Caſtellenſis repetiturus. Auxerant etiam graviores Bregantio pro tempore curas, ſolemnes Luſitani tractandi regni, quas ingreſſus recenter erat, primitiæ, ab Aloiſiæ nempè Guſmanæ matris tutela per jam adultam, regníque potentem ætatem avulſus, optabátque primam idcircò, quæ maximè intereſt, fortunæ, ac virtutis opinionem, & auram penes indigenas exteróſque, exploratiùs qui clavo novus ſederet, initia Principis obſervantes, captare. Igitur priùs immutatis Rectoribus regni, aliíſque ſublectíſque quos novus favor, & gratia, aut præteritæ gubernationis invidia, aut ſplendor virtutis extulerat, eodem conſilio Bregantius Uliſipponem ad ſe vocavit Ludovicum Meneſium Comitem Cantagnedæ longa virum experientia, & belli, pacíſque artibus eleganter inſtructum, cujus fide, ac ſubſidio, ut rem jactando prætexere voluit, res Luſitanas adminiſtraret. Vera enim, ac potior revocandi Meneſium occulta Principi ſuberat cauſa, quia cùm diſſideret à Marte Bregantius tanquam invita, & quaſi per vim à regni regimine devoluta, & partes idcircò novas in aula quærente, ac ſibi veteres confirmante, diffidebat etiam Meneſeo tanquam ab illa promoto, ac ſi ferret occaſio fortè illi gratiam in Principis fraudem perſoluturo. Proinde Tranſtaganæ regionis armorum imperium, quod Meneſeus adhuc habuerat in Sancium Emanuëlem Comitem Villaſloræ, qui in Vierenſis provinciæ tractu idem muneris ſuſtinuerat, à Bregantio tranſlatum eſt. Erat autem hic Sancius Emanuel, qui circunſeſſam ab Aro quondam, acritérque oppugnatam egregiè defenderat Elvum, navatáque ibi feliciter opera ad ſuperiora illum deinde militiæ munia, gradúſque provexerat. Hac quoque militarium officiorum mutatione Dionyſius Melus equitum, alter Ludovicus Meneſeus tormentorum Præfecturam obtinuit. Comes Scombergius, qui nec honore, gradúque militiæ ob inſignia congeſta merita retrahi, nec altiùs debebat, cùm eſſet exterus, provehi, ſupremam, quam anteà habebat caſtrorum Præfecturam retinuit. Prætereà, quò multis Ducibus Ducum, qui prælio conſerto pro re enata juſſa legitimè indicerent Luſitanus per id temporis uteretur, tunc primùm adſciti in illo exercitu ſunt Generales Inſtructores militiæ, quem belli morem, quod utilis videretur, Luſitanus minimè abhorruit à Caſtellenſibus mutuari. Aderant quoque frequentes à Gallia, atque Anglia auxiliares tranſmiſſæ copiæ, nequicquam Lutetiæ contra annitente Hiſpano Legato, qui ſancitæ pacis articulos fractos, & fidem quæ ad Pireneos data erat, corruptam vehementer objecerat Gallo, ſi ita fortè clientelam exueret, nec Luſitanum adverſus Catholicum Regem pecunia, & militibus, ut promiſerat, adjuvaret. Igitur Sancius Uliſippone diebus aliquot immoratus poſtquam accepit Principis juſſa, cum exercitus parte digreſſus, ea circuire, ac diligenter inviſere cæpit, quæ ad ſe pertinebant, arces, & oppida regni, ſi quæ fortè ut hoſtibus obvia, ac propiùs objecta periculis munitione, aut commeatibus indigerent. Ubi intenſius omnia perluſtrans ad Eboram tandem venit, etſi improtectam ipſam aſpiciebat, caducam ruinoſis, ac laxis propè cinctam mœnibus urbem, ſimul omni ferè externo, internóque carentem præſidio, & multitudine tanta civium, cum obſidio fortaſſe ingruiſſet, ipſi ſe infeſtam, ſuíſque ſe viribus corrumpentem, ſecum tamen

Gg

men reputans Sancius urbem in medio poſitam regni, multíſque ante ipſam occurſantibus hoſti velut arcibus præmunitam, atque vallatam, cùm ærario, ac tempori parcere ſimul neceſſitas cogeret, eamdem, ut ſitu ſuo tutam, & quaſi ab armorum ſepoſitam ſtrepitu omninò neglexit. Hinc Eſtremotium evectus reliquis ibi collectis ex tractu finitimo copiis, ſedem armorum fixit, exiſtimans hoſtem, aut illud oppidum eſſe aggreſſurum, aut inde ſe ejuſdem conſilia ex propriis veſtigiis obſervaturum.

Intereà Joanni, qui Vere primo ineunte copias movere ex Badacocio ſtatuerat, ut æſtivi minùs ardoris, qui in ea regione moleſtiſſimus eſſet, labore diſtricta exciperet, permagni momenti, atque oblatam repentè rem accidit, ut diutiùs quàm ille crediderat, belli expeditionem extraheret. Quippè Rex Galliæ ſummo Pontifici adverſus, quòd in ejus apud aulam Romanam Legato jus gentium, ac regiæ majeſtatis nomen, decúſque violaſſent cognati ejuſdem Pontificis Alexandri hujuſce nominis ſeptimi, cùm cultor injuriæ, & ira miníſque flagrans expiationem, atque vindictam à Pontifice poſceret, hic vetò eam pollicendo, ac dolosè procraſtinando terere tempus, quo Galli deferveſceret ira, impetúſque torperet, vel minora deinde fortaſsè tribueret, momenta pendentibus videretur, illudi ita ſibi Rex indignatus, ptonóque ſuo ad iram ob juventam ingenio, & aulicorum etiam incitamento perculſus Gallorum agmina in Italiam immiſerat, rumore quidem ubique diffuſo, in ſatisfactionem injuriæ ditionem Eccleſiaſticam impetendam, tacita cura tamen Hipanos, Italóſque momorderat, ne uſus fortaſsè Gallus inſidiis per eam ſubſtratam occaſionem injuriæ publicæ perſequendæ, cùm Gallos in Italiam egiſſet, aliò dictis, aliò armis collinearet. Hiſpanus idcircò juſſerat, ne Mediolano veteres legiones pro Luſitano bello decretæ priùs ad Hiſpaniam tranſirent, quàm terror à Gallis per Italiam effuſus, & cauſa quoque terroris omninò diſcutererur. Ea legionum tranſitus mora impedimento fuit, quo verna à Joanne belli condicta expeditio longiùs produceretur. His randem adjunctis, cùm illatus à Gallis deceſſerat mentibus timor, cæteríſque ſubinde luſtratis copiis, ſe planè Joannes in armis habere comperit peditum quindecim ferè millia, equitum verò ſex circiter millia. Inde ex Catholici Regis decreto, juſſúque ordinario Legato equitum tres alios Legatos adjunxit, ſcilicet Melchiorrum Portocarrerum, Joannem Mazacanum Italum, & Alexandrum Moreram Luſitanum, multiplici Duce multiplicatis jam equitibus deſignato, ac tum præſertim, cùm eorum Magiſter alio etiam belli munere implicaretur. Prorogatum Sangermanenſi armorum Gubernatoris officium, ac nomen eſt; ſupremíque Caſtrorum Præfecti, & equitum ſimul Magiſtri curam admiſſam Didacus Cavallerus ſuſcepit, quia Ludovicus Podericus ſummus Caſtrorum Præfectus aut Germanenſi concivi ſimul & æmulo ob vanitatem ſubjici, aut illius interventu umbratilem quamdam gerere ulterius auctoritatem minimè paſſus ad aulam ſeceſſerat. Belli tormenta curabat Ludovicus Ferreirus Almenaræ Comes. Cæteri Duces agminum erant plerique milites veterani, haud minora ſtipendia quàm belli decora jactantes. Hiſce Ducibus, his florentibus copiis, omníque belli apparatu cum Badacocio

Joannes

Ioannes profectus eſſet, idem iter inſtituit, quod anno ante Jutumeniam oppugnaturus perrexerat. Viæ militari propoſitus terminus, ſupremíque mens Ducis aliis omnibus erat occulta præterquam Duci Sangermanenſi, ſubdolæ tamen voces quò diſtractis curioſè rimantibus rem, commodiùs ſub falſis vera laterent, inter milites jactæ, Uliſipponem contendere exercitum, nec itineris ſanè curſus, nec tanti exetcitus apparatus, & copia vulgato de induſtria rumori planè diſſentiebat. At Sancius Emanuël, qui, ut pleniorem, ac promptam hoſti opponendam componeret aciem, multas præſidiis provinciæ nudaverat arces, quíque eas quaſi nervis eo tempore inciſas parvis quibúſque offenſionibus fragiles cerneret, varius propterea, atque animo fluctuans agitabatur, qua ratione explorata conſilia hoſtium maturè antevertere potuiſſet. Jámque hoſtium itinere, & curſu attentiſſimè contemplato, per dubia, atque obliqua tracta veſtigia Villavitioſæ nunc illé minari videbatur exercitus, nunc Eſtremotio, cùm hæc denique à tergo relinquens oppida, & progredi etiam exercitus pergens ingentem Luſitano curam incuſſit, quò ultra tenderet Caſtellenſis velut in ſyrtes, in ſaxa ruens, medius videlicet inter hoſtes injectus, & ferro ibi facilè, aut fame conficiendus, aut altioti, nec ſibi ipſi fortè intellecta fiducia nixus. Hæc dum à conſueta ſpecula contuentur, variíſque ſimul ſermonibus conferunt, anceps de indagando conſilio hoſtium diſtraxerat Duces ſententia, alios nempè ſegetum vaſtitatem, incendiíque ruinas per agrorum latitudinem metuentes, alios ita per aſtus fortaſsè progredi exercitum aſſerentes, ut retro repentè verſus poſt improviſus, & gravior in aliquam arcem incurreret. At verò Sancius Emanuël, qui à belli hujus initio circunſpiciens geſta, motúſque Ioannis, ejúſque ingenium, mentémque per actionum propè rimas explorans conſilii ſui latebras, atque indolis fermè genus attigerat, hoc viſo, conſtanter aſſeruit, rectà inde Ioannem Eboram urbem petere. Ex quo enim Auſtriacus in Luſitania belli præfecturam inierat, is minimè factu dura, ſed plana, ac facilia belli negotia ſuſcipere ſolitus ſit; ſeu quia diffiſus ipſe fortunæ, ac luſibus Martis, & opinionis, famæque aucupandæ, atque adeptæ ſibi tuendæ magis, quàm novi operis ſtudioſus, incertis, ac magnis exigua, atque certa quæ plus rumoris, ac pompæ longo intervallo jactata, minus ex propinquo periculi haberent, ttactanda præferret, ſeu quia effæta jam, & cadenti patris Regis ætate perutilè foret illegitimo filio ad extremum uſque anhelitum patris ducere ſpes quas animo coquetet, altiores cum armorum imperio. His ergo vel aliis de cauſis cum more ſuo declinaret Auſtriacus regni oppida firmiora, conjecit, dixítque; nec falſus eſt, his, qui aderant Ducibus Sancius, tunc à Ioanne per ea, quæ teneret veſtigia, eſſe Eboram invadendam, utpote infirmam vel naturæ, vel artis deſtitutam præſidio, & imbellium præterea civium multitudine laborantem, quæ nec difficilè capta inanem, ſed magnæ victoriæ ſpeciem imperitis, ac præcipuè remotis, vaga ubi fama recreſcit, oſtentaviſſet; adeò verò ea percepta ſe tandem ratio Luſitani in animo fixit, ut ad urbis præſidium ſtatim mitteret Sancius tria peditum millia equites circiter mille. Supra hominum quinque millia ad manus tunc temporis erant in urbe

armis pro patria ſumendis idonea, híſque novis præſidiariis adjunctis, Eboræ ſatis conſultum cenſebat Sancius, quò uſque roboratæ diligenter ſuppetiæ per exercitum acceſſiſſent. Caſtellenſium intereà per iter rapinis, ignibúſque furentes Eboram verſus pergebant copiæ, cùm Sancius, qui fortè propiùs cum modico exercitu verſabatur, ultimam Caſtellenſium, quæ impedimenta claudebat, aggreditur aciem: trepidationem, tumultúmque militibus, Joannique nonnihil curæ, ac timoris improviſus hic impetus attulit, quod reliqua longiùs, progreſſa acies nequaquam erat eo tempore in promptu extremæ repentè interceptæ periculo ſubvenire, ſimul quod res improviſa, valida incurſio, militum fluctuatio immiſcere, ac turbare poterat ordines, qui gradus quidem victoriæ in militia primus habetur, ac poſtremò disjicere. Joannes itaque immotos, adverſáque hoſtibus fronte converſos ſtare ibi ordines jubet, extemplò deinde expeditos, levíſque armaturæ equites, priùs in terga, nunc in frontem in Luſitanum euntem impulit, juſſos primo illo conſtanter impetu excepto, & per circuitus eluſo, extractóque cum hoſte certamine tumultuariis, & variis illis aſſultibus detinere, ſubſidiariæ donec accitæ cohortes in tempore ſucceſſiſſent. Verumtamen Sancius poſtquam primum ſuorum militum impetum, plus ubi ſpei reponebat, videt ab hoſte refractum, ſtare integros ordines hoſtium, hinc certare, hinc eludere, cuncta Joannem ſollicitè providere, tum, & cæteras, quæ antecesserant, copias in hoſtis auxilium ſuperveniſſe cum robore longè impar, ac viribus eſſet è veſtigio Extremotium cum aliqua cæde receſſit. Triduò poſt laborioſum, & longum cùm jam iter emenſus eſſet, juxtà Eboram feſſus Caſtellenſis exercitus conſtitit. Inde ſtatim miſit Auſtriacus cum magna equitatus parte Didacum Cavallerum circumjacentia, minúſque firma ad deditionem municipia compulſum, ſimul itinera, & loca propinqua ad magis premendam civitatis obſidionem cum certis militibus occupatum. Is impigrè ſtatim cum equitibus circumvectus adire, peragrare minora oppida, ea partim ſua ſponte oblata in deditionem accipère, alia cogere detrectantia, hæc terrore, alia fraude, nonnulla blanditiis excipere, donec ad Eboramontem, ita vocatur oppidum, ventum eſt. Præſidebat huic oppido Emanuël Lopezius vir Luſitanus ſermone æquè dicax, ac manibus promptus. Hic obſignatam Auſtriaci tabellam cùm à Cavallero porrectam acciperet, in qua loci deditionem præcipiebat, aut ſtatim exitium, niſi dicto pareret, comminabatur, fretus altitudine loci, qui & arcem habebat ſitu, atque opere ſatis munitam Didaco retulit, non ſe chartarum, aut teſſerarum ludo, ſed armis conſertis, lacertíſque commiſſis, & incumbentium propè corporum lucta ad certaminis præmium ponere oppidum ſtatuiſſe, arma igitur expediret, ut re probaretur uter eorum petulantior, an fortior eſſet. Audit hæc Didacus, cúmque ſimul animo volvit in hoſtico ſinu, in nimis remoto loco, in aſpero ſitu, etiam natura reluctante conatibus, velle pro horrido oppido, anguſto, ſuamet ariditate defenſo cogere Præſidem armis, hujuſmodi facinus eſſe, quod fruſtra exhaurire potuiſſet exercitum, ſpéſque ampliores, quæ oſtendebantur, imprudenter extinguere, Eboram irritus prætermiſit, cæpitque ſubinde, ut illi etiam impoſitum erat, omnes ad Eboram aditus per inſeſſos quoque tramites intercludere.

Poſt hæc prima luce propiùs urbem advectus ſpecie, ac terrore obſidentis regius ſe omnis circunfudit exercitus, accid:tque eodem ferè momento temporis, quo idem exercitus ad Eboram appulit, ut ſeriùs, quàm opus erat, pro uſu,& cuſtodia turmatim in urbem ex agris abacta pecora milites interciperent, quæ opulentiſſima quidem, & repentè, atque ex facili parta præda, & annonam, & gaudium exercitus auxit.

Ebora ampliſſima, ac vetus in Luſitania civitas, & celebris quondam Viriati, ac Sertorii quoque, ut placet aliquibus, ſedes in lata planitie poſita jacet. Ex regione meridiana virentes, amæni, ac fertiles colles ejus aſpectum terminant, ad quorum radices magnificè ſtructum ſurgit Carthuſianorum Monachorum cœnobium; ab Oriente paucas diſtantem leucas Vegarem urbem; ab Occidente Divi Hieronymi fanum habet, ídque in recto Eſtremotii itinere ſitum. Quà Aquilonem civitas ſpectat flumine alluitur, quod irriguos, & uberes agros, & paſcua, & procera quoque nutrit arbuſta frequentibus lucis, rivulíſque diſtincta, inde in hortos, qui latè patent, illapſum variis ibi fiſtulis ad amænitatem, & uſum pariter circunflectitur. Urbs ipſa præter antiqui opificis muros ex terra congeſtitia, limóque compactos, alios quoque circumerectos, quos tumultuaria defenſio, Sancio jubente, paraverat, aggeres oſtendebat: aqua, civis qua deficit intus, per veteres aquæductus ſuis fornicibus innitentes, quibus colli jungitur civitas, ad incolas trahitur, eóque arcuato ſub opere ad aquarum uſus tutelam raptim inceptum quoddam propugnaculum erat, ſed hoſtis poſteà celeritate dimiſſum. Circa imperfectum hoc munimentum ſedet cœnobium Sancti Antonii nomine eximium, & amplum, ipſúmque ingens utriſque propter loci momentum certaminis cauſa futurum. Pro Duce Bregantio gubernabat id temporis Eboram Ludovicus Meſchita, vir idem nobilis, at imbellis; nam propter locorum longinquitatem, ac ſitum cùm ab hoſtium incurſionibus devia, ac tutior propterea illa civitas putaretur, alibi, & ubi eos periculum, aut neceſſitas poſcere videbatur, viri militares inſtiterant. Poſteà verò quàm in hac etiam urbe repentè bellum exarſit, túmque ideò imperari, cogíque cœpta, quæ neceſſaria pro bello ſunt, acria inter Duces exorta diſſidia, litéſque contractæ rudis ſcilicet hominis, imperitíque militiæ juſſa recipere detrectantes, ne aliena, ut ajebant, quis interiret inſcitia, néve in communi periculo fatuus, ac ſimul reipublicæ noxius, illo ſtultè jubente, ſe ſtultiùs obtemperante, futurus eſſet. Ambitio, quæ ubi non ſunt perſæpè ipſa fingere, ac pingere cauſas, ut imperitet, ſolet, hìc ſe vehementior cauſa in rem advocata invehebat. Eò tandem proceſſit gravior illa contentio Ducum, ut Sancium quamprimùm in Emanuëlem Mirandam veteranum Tribunum militum, qui Eboræ aderat, ejúſque conſilio urbana defenſio præparabatur, regimen urbis, quod ad rem militarem ſpectabat, transferre compulerint. In urbem ita ſitam, ita paratam appulſus tandem cum validis copiis Auſtriacus, arripere primùm intendit, quæ aptiora tunc videbantur obſidioni premendæ loca, & ſuburbana præſertim cœnobia in turrium ſpeciem circunſidentia. Inter hæc Luſitanus ab urbe cum equitum turmis egreſſus in hoſtilis exercitus fronte conſtiterat, fulgore duntaxat ibi, inaníque armorum jactatione & quadam equorum

inquietudine, ac pulveris jactu velut ad pompam hoſtes laceſſere viſus, dubiis interim Caſtellenſibus hærere ibi, ac terrere fortaſſe hoſtis, an progredi, & levia, aut majora ſerere prælia, an proximum Divi Antonii cœnobium ibidem longiùs cunctando tueri meditaretur. Interpoſitus erat agger, qui utriuſque partis adverſos, & mutuis hærentes aſpectibus equites dividebat, per quem equorum inhibito curſu ferreis tantummodò fiſtulis res vagè, atque procul innoxiis pleriſque volitantibus pilis agitabatur; nec ultra pergere Luſitanus, ut veriùs conjici poterat cogitabat. At Caſtellenſis ea tergiverſatione, atque mora cognita hoſtis, & quid porrò facturus eſſet incertus adhuc ſuorum pendebat nutibus Ducum, qui in urbis ſitu locorúmque ei adjacentium deſcriptione penitùs occupati nihil gravius huc uſque providere potuerant. Tunc Comes Boëttus nullo imperio, ſuo tantum impetu tractus, & paucis comitatus equitibus contiguam aggeri foſſam tranſgreditur, inde cohortatus alacriter ſocios admiſſis equis concitat curſum, ſparſos quoſdam Luſitanos aggreſſus equites fundit, obvios perſequitur, qui autem firmiores in ipſo loco Luſitani, reliqua falsò rati Boëttum agmina ſequi, ac velle intendere pugnam, trepidi terga vertunt, atque inde effuſis habenis ad mœnia, tormentorúmque belli tutelam ſuffugiunt. Pulſo ita equite, ac libero planè ſubinde campo progreſſus explorat fortè Boëttus Antonianum eſſe cœnobium paucis equitibus cuſtoditum, omni pedite deſtitutum, jacere profectò illud aggredientibus opportunum, ídque è veſtigio revectus Cavallero magiſtro equitum nunciat, adjiciens maturato opus eſſe, ut priùs cœnobium invaderetur, quàm errorem, aut negligentiam corrigeret Luſitanus. Hoc audito, magiſter equitum eò ſtatim infeſtos abire Tribunos jubet Agnellum Guſmanum, & Ludovicum Friaſium cum duabus legionibus Hiſpanorum; hos ſequitur ipſe Didacus confertis cum equitum turmis, ſuperatáque foſſa pedites equitibus fulti acriùs invehuntur in hoſtem, qui in cœnobii præſidio erat. Prior irruentium, & ex adverſo eamdem quoque vim ſuſtinentium impetus propè par, párque cædes utrinque fuit, mox animi ardore potiùs ob militum paucitatem, & ſpiritus impetu Luſitanum, quàm æquis viribus annitentem, cùm vis hoſtilis numero incumbens undique truderet, urgerétque, tandem exanimatum, viribúſque contuſum, ac penitùs fractum Caſtellenſes cœnobio pellunt, eóque ſucceſſu læti, cruentique ad Carmelitarum inde cœnobium, quod propinquius erat mœnibus, advolant. Verùm ut hic imminens urbi locus, híſque ita ad vim præcavendam utilis, ſicut ad eam inferendam hoſtibus neceſſarius cùm pro murorum cuſtodia objectu quaſi crepidinis hoſtiles fracturus impetus eſſet, cumulatiùs propterea à Luſitano fuerat armis, & milite communitus. Igitur poſt truculentam ibi commiſſam pugnam, & ingentem, & mutuam illatam utrinque cædem horror, æſtus, vulnerum, corporúmque militum fatigatio certamē poſtremò diremit, eo fruſtra cœnobio ſex circiter horas acerrimè verberato. His perfunctoriè, & ad ſummæ quaſi rerum proluſionem à Caſtellenſibus geſtis, in hunc modum ſtationes deinde primariis Ducibus aſſignantur. Joannes Auſtriacus, Sangermaníque Dux ex parte Orientali; Didacus Cavallerus meridiem verſus inſedit Didacus Correa, qui erat Legatus magiſtri equitum ſolutis cum multis agminibus viam occupavit, quæ ad Villavitioſam ducebat; præliares autem acceſſus,

ſus, ac tormentariæ ſedes in hunc modum partitæ ſunt. Hiſpanis majoris propugnaculi pars attributa; è latere ejus, ubi ſublimis aderat locus, Germanus miles conſedit. Contra urbis portam meridianam conſtitit Italus Carmelitarum cœnobio adverſus. Neque uſui tunc fore Joannes jacere aggerem, vel alios conſtruere receptus vel munimenta duxit, cùm ea urbs ut muniminis inops, mœnibus fragilis, ac ſibimetipſi ob imbellium multitudinem oneroſa, nec eſſe diù videretur hoſtium ictibus duratura, & ruinam etiam ante promitteret, quàm foret integrum Sancio, his, quas tunc properabat colligere, copiis ſubvenire labenti. Igitur Caſtellenſes feſtinare, parare omnia, vires, ingenium acuere, ſternere foſſas, tormentis muralibus ſcindere muros, & inſuper aliundè obſidionales certatim acceſſus per nationes extendebantur. Has inter mœnium ruinas, & paſſim calentia militum opera, Agnellus Guſmanus cum ſclopetariis aliquot prætervectus, agreſtia quædam, muriſque proxima urbis mapalia domóſque deſertas, parvo negotio, qui ea tutabantur, ejectis, invadit, & occupat. Videt hoc ab urbis ſpecula Luſitanus, & cum hoſtis propinquitate, ſitúque civitati nimis infeſto, graviſque tum hoſtis qui ibi ad tutelam inſederat, paucitate commotus Ebora ſtatim equite, peditéque munitus erumpit, hoſtémque aſſecutus jam ſerò perſpecto periculo trepidum, & fugam nequicquam ſpectantem inter mapalia trucidat, ab ea cæde vix uno per fugam incolumi Inſtructore legionis elapſo, nam paulò antè Guſmanus exceſſerat; complures enim equites, peditéſque admodum paucos Caſtellenſes ſcloperarios invaſerant, eóque temerè prætergreſſos & à robore legionis abſtractos & undique circunſeſſos, ut nihil eis aliud ſupereſſet auxilij, niſi quod dextera ſibi, aut iratus deſperatione animus contuliſſet. Cæterùm ſi illa animi alacritate, eodémque animi ardore, impetúque inſtitiſſet rem benè cœptam perſequi Luſitanus expellere forſitan potuiſſet eo ipſo tractu ubi muniti minùs agebant, quot ſe obtuliſſent hoſtibus obviam, atque eodem ſubito incurſu amiſſum fortaſsè Divi Antonij cœnobium recuperare. Diverterat enim eo tempore ferè omnis equitatus Hiſpanus commeatus quærendi cauſa, vagabatúrque agrorum, armentorúmque prædis implicitus. Sub hæc ferociùs Itali prætervecti Carmelitarum tandem cœnobium atringunt, jam tormentorum, ac molium labe refractum, variiſque paſſim hiatibus patens, & undique penè ſciſſum. Fœda tunc ibi conſeritur pugna, retortis nunc haſtis, nunc ſclopis excuſſis, ſimul facibus, ſaxis, omníque generis jaculis ſupernè ac perpetuò demiſſis. Italici tamen audacter, alij ſcalis euntes, alij inter ſaxa repentes, per abrupta, per obliqua conniſi, plerumque collapſi, aut extruſi, & poſt acriter redeuntes interruptum, ac remiſſum ſæpè certamen pertinaciùs inſtauravere. Tandem, quia in extremo res erat, confluentibus undique Italis, aliiſque viris ſubſidiariis, ac præter plures ruinarum acceſſus, omnibus quoque cœnobij aditibus occupatis, tum Luſitani prorſus afflictas, proſtratáſque res ſuas intuentes, inſigníque illa cæde perculſi, deſerto repente cœnobio ad propinqua urbis mœnia recurrunt. Itali captum cœnobium tenent, indéque ſtatim cùm belli ibi tormenta diſpoſita eſſent, per aſſiduas murorum, ædiúmque ruinas ingentem quoque ſexus promiſcui ſtragem inter urbis ſemitas cumulant.

Eodem quoque tempore Hiſpani Italorum exemplo incenſi alia via,

quæ partito ab initio labore contra urbem obtigerat, vehementius enixi ſe ſe propiùs intulerant. Hîc igitur conglobatus, ubi plus periculi erat, in loci defenſionem aderat Luſitanus; magno impetu irrumpit, ut arceat progreſſu hoſtem; venientem exturbat, ac retrocedere cogit, ſimul etiam in aggerem, qui Caſtellenſes ibi tegebat, eodē impetu præceps ruit. Subit tunc aggerem inter gladios & ignes, & irruētium, ſtrepentiúmque tumultum impavidus Rodericus Moxica Tribunus, ejúſque in vertice cunctis conſpicuus, ac fermè nudus, & haſtis, piliſque fruſtra jactatus inſiſtens alios milites voce, alios periculo excitat, inde jam obſtinatius accenſa pugna deſcendit, & ſe ipſe quoque certantibus miſcet; crebróque ſolutos, ac pulſos Caſtellenſium reſtituit ordines, ac prælium redintegrare coëgit, tandem non modo locum certaminis cauſam retinuit, ſed etiam fuſis hoſtibus, fugatíſque eò ultra ſubinde cum eadem legione quæ vallum cuſtodiebat, tetendit, ut eodem correptus impetu ceperit etiam templum Divi Dominici, quod quia infeſtius urbi impendebat, ibi locatis belli tormentis, urbis excidium celeriùs approperabat. In hoc ſtatu civitas erat, cum ejus extremo comperto diſcrimine Sancius, vel ut obſeſſis adderet animos, vel pactiones cum hoſte differret, quod utique parum ad rei ſummam proficere poterat, centum electos equites Duce Xoveto genere Gallo, in urbis ſubſidium miſit. Nocte intempeſta hi vias per obliquas, ſibíque duntaxat locorum peritia notas euntes in eam ſtationem offendunt, ubi ſitus cuſtodes in ſepoſito tanquam loco, atque omninò ab incurſibus tuto cura ſoluti, ac ſemiſopiti jacebant. Vix procurrentium equorum ſtrepitus vigilum aures primùm attigerat, cùm equitum illa pars, quæ ordine prima pergebat, dilapſa jam erat, cætera pars, quæ pro tranſitu ſpatium vigilibus dedit, languore, ſomnóque diſcuſſo in arma raptim eundi, ſuſcitandíque clamore ſocios, gladiis, atque haſtis excepta configitur, perpauci, qui ultimi erant diffugunt; hoſti captivos nonnulli ſe tradunt, inter quos equo fortè prolapſus Dux vivus abducitur. Improſper equeſtris hujus exigui ſubſidii exitus mirè obſeſſorum projecit animos civium, qui, & majora, ut res, & periculum admonebat, à Sancio præſidia præſtolabantur, & hæc modica quoque viderant hoſtium conatibus interclusa. Jámque prætereà ex Carmelitarum, & Dominicanorum cœnobiis intus, & foris aſſiduè civitas pulſabatur, Germaníque continuò labore, & corporum niſu vehementer, & ipſi urbis mœnia dilacerabant. Undique ſimul ruinæ, acervíque ſaxorum ingentes quaſſatos per muros ſtraveranr aditum hoſtibus, eos propè jam aggreſſuris; nec item ſpes ulla defenſionis, ſive ſalutis, niſi in ſubſidiis, quæ nimis ſera, & ambigua omnibus videbantur, Luſitanis obſeptis interlucebat. Hæc cùm videret Auſtriacus, ſatiúſque pro gloria, atque fama virtutis duceret dare, quàm eripere vitam, & clementer à victis exigere, quàm obſequium per vim extorquere, tubicinem miſit ad urbem, qui ita jam fractis, ac perditis rebus deditionem à Præſide poſtularet. Erat per id temporis Eboræ Ludovicus de Souſa Ordinis Ciſtercienſis electus jam Portus Antiſtes Eccleſiæque Eborenſis adminiſtrator, quo nemo alacrius ea tempeſtate urbis obſeſſæ tutelam juvit, vir quidem ſe ipſo agendo, & Eccleſiaſticos incitando, & cætera belli munia obeundo militari magis, quàm ſacro tractando baculo idoneus. Hic poſtquam Præſidis, militúmque ſententia inclinavit ad oblatam ab hoſte compo

compoſitionem, ut neceſſariam, accipiendam; nihil enim tunc obſtinatio, aut dilatio deditionis jam extremo præcipitio pendentibus poſſe videbatur afferre, niſi excuſationem, atque licentiam hoſti graviora paulò poſt imperandi, atque iras in captos exacuendi, hic, inquam communi deditionis conſilio pertinaciter obſtitit, imò verò dicere palam eſt auſus, ſi metu atque horrore militibus corpora, aut animi vires obriguiſſent, ſibi deinceps, & ſacris initiatis Eborum propugnandam relinquerent. Ita porrò increpando, carpendo, perſæpè ſocios tumultúmque inter plebeios, ac nobiles excitando, & clamore, & convicio potiuſquam rationibus uſus pervicit tandem Antiſtes, ne illo, & poſtero quóque die rurſus idcircò coacto in eo conventu deditio decerneretur. Hoc maximè modo Ioanne à conditionibus pacis excluſo, cùm omnia vis inconſulta, & projecta ſatis audacia, inſanúſque animi impetus obtineret, cives militibus miſti murorum certatim ſarcire labes, hiatus explere, novos ſuper dejectos aggeres ſtruere, indefeſſi, intentique omnibus locis aut præliantes, aut reparantes, aut utrumque ſimul agentes adeſſe, ipſúmque ſtudium, & cura ſuſtinendæ cadentis patriæ religioſos, & laïcos viros, & fœminas noctu, diúque mirabiliter occupatos diſtrictóſque tenebat. Sed irritus erat, impigrè licet incumbentibus, labor, atque inanis ſollicitudo; diſciſſa enim, multíſque in locis hiantia perpetuò concuſſa patebant mœnia, coacervatæque paſſim ruinæ & aliæ alias aut exterius impulſæ, aut ſuo præcipitio trahentes, quoſdam intus cædebant, plurimos lacerabant, vivos alios ſepeliebant, eáque ipſa tumultuaria mœnium refectio, fluxa, caduca, inſufficiens nonniſi pericula, cædes, aut funera in illam intentis multiplicabat. In urbe igitur jam deſperata defenſione, cùm omnia rerum confuſio, atque animi perturbatio, pavórque quanta inundare ex calamitate publica poterant, miſcuiſſent, audiebantur ploratus puerorum, atque mulierum ſolutis crinibus diſcurrentium, tumultuoſæ populi voces, ac terribiles minæ ab hoſtibus nempè ad civitatis Principes arma, ii niſi cæco ab eo errore, peſtilentique fiducia deſiſterent, converſuri. Torpebat idcircò formidine miles, deflebat civis, mœrebat Principum ordo, ſqualor omnia, luctúſque ceperat, non ritè civile, non militare agitabatur imperium, & plerique ſuſpicabantur præter inſtantis fortunæ fluctus, nec parem tot cladibus urbem, eſſe etiam ex Caſtellæ partibus intus, qui clam in publicis malis ſeditioſas populi faces accenderent, nutriréntque; ſtabat intereà ante omnium oculos rutilantibus armis, & plena irarum, atque minarum ſuo ordine inſtructa Caſtellæ acies, ſimul prædarum inſtincta cupidine, moræque cladis impatiens expectabat tantummodo ſignum, quo impreſſionem in urbem, & ſatietatem animis faceret; milites tamen victoriæ ſpe tumida concitatos, & pugnæ cupidos tunc compeſcebat Auſtriacus, ne ſi forſitan urbs primo illo impetu cecidiſſet, & jure prædæ procederet miles, ingentis partæ rapinæ cumuli jam opulentum, nec alia poſteà curantem diſtraherent militem, ſibíque odia ita publica augeret, atque exercitum diminueret, aut perderet. Ex civitatis præthereà habitu, ac miſerabili ſpecie, ejúſque tum improviſo quas laxata defenſione, ut belli peritus conjecerat Dux, ineundæ ſe potiùs ea tempeſtate concordiæ, quàm certamini comparare. Neque ea ſententia fefellit Auſtriacum, mox enim per certas inducias ſublatis utrinque armis, compoſitio in hunc modum proceſſit.

Præſidia

Præſidiarii milites cum armis, equíſque unóque belli tormento Ebora urbe abeant; arma ſubinde tradant equóſque, captivíque intra Caſtellam uſque ad exactam æſtatem maneant, civitatis Gubernatore cum aliquot familiaribus ejus excepto, quibus & liber egreſſus, ac tres eorum quoque larvatos, ſi ita placeret, exire permittebatur. Cives, aut liberi cum omnibus bonis in urbe conſiſtant, aut aliò ſua ſponte migrantes, quæcumque velint ſecum aſportent. Item ſex menſium ſpatium relinquentibus urbem indultum, quo intercurrente, ſtatuere cuique de fortunis liceret, quæ Eboræ conſtitiſſent. His porrò conditionibus, nono, poſtquam obſeſſa eſt civitas die in Joannis poteſtatem conceſſit. Deinde, ut pacto cōvenerat, urbe digreſſi ſunt pedites ferè bis mille, equitéſque trecenti, urbani præſidii, infelicíſque belli reliquiæ. Abeuntem Ebora Præſidem, cùm hic ſalutatum de more Joannem accederet, ſalibus iſte pupugit, quaſi nondum attritis, atque omninò perditis rebus per immaturam deditionem inimico ſuccubuiſſet. Æſtimaríque fortaſsè ita Joanni conveniebat, ne ab urbe tam imbecilla aridam quandam quæſiſſe lauream, atque in re parva breviter laboraſſe cæteris videretur. Atqui inteſtina revera citiùs, quàm vis externa, ut inhærens viſceribus malum adegit tunc conſternatum animo Præſidem maturare deditionem; nec ſimile quidem eſt, munitum parvúmque defendere oppidum, ac populoſam, ut erat Ebora, urbem, illic enim numero pauci, nec grege inutili conſtituti, faciliùs uni ſe homini addicere poſſunt, tractari, flectíque; hic verò ubi ſoluta, effrænîſque populi vis non ampliùs rectorem, ac legem patitur ſuo ſive ingenio, ſive alieno ſcelere ablata, ipſi contumelioſè parere, vel fœdè perire loci Præfectus cogitur. Inceſſus autem deditiorum militum hujuſmodi fuit. Ab occidentali Eboræ porta digredientes ad Carthuſianorum cœnobium Luſitani progrediebantur. Equo vectus Didacus Correa Caſtellenſis equitatus Legatus antecedebat, paríque paſſu lævæ cohærentem habebat equitatus hoſtilis Ducem. Inflatis de more buccinis, armíſque ſuccincti, refulgentéſque hos ſequebantur equites Luſitani Caſtellenſibus miſti, pone pergebant pedites ſuis ordinibus diſtributi, & tanquam victi ſine ignominia eſſent, ſclopos, enſéſque oſtentantes. Militaria tantummodò ſigna huic bellicæ pompæ deſſe apparebat, quæ anteà clam per eos conflagraſſe creditum eſt, ne jactantiæ, aut ludibrio Caſtellenſibus forent. Cùm ad cœnobium perventum eſt, poſitis armis ibi in cuſtodia Luſitani relicti ſunt, dum ratione conventionis in Caſtellam deducerentur. Magno deinde ſplendore, faſtúque victoris Auſtriacus communíque gratulatione, plauſúque cum Ducibus urbem ingreſſus Deo ibi gratias apud aram maximam egit; rebúſque poſt ritè compoſitis, vetuit, præſidiarios præter milites quemquam eorum ad urbem accedere, quíque ſevera adverſus ejus edicta moleſtiam faceſſere civi, aut violare, aut ſurripere, aut rapere aliquid auſi ſunt, ægrè enim ſe omninò tenere cupiditas poteſt, gravi ſupplicio ſtatim affecti.

Inter hæc Eboræ ab hoſtibus circunſeſſæ, nec adhuc captæ Uliſipponem allato nuncio vehementer commota, ac paſſim turbata civitas eſt, velut jam minitabundus ad portas inſiſteret hoſtis; majora omnia verò, atque trucia turbulentis cogitationibus metus ut ab Hiſpani Imperii amplitudine, viribúſque collectus ſubjiciebat; ideò undique palàm hominum cætus, ſeditioſæ populi voces, procaciores quærelæ, & paſſim turbarum notabantur initia in

commu

communem ſubinde eruptura perniciem, ſi Ebora forſan illo perfracta impetu concidiſſet. Hæc ubi videt Bregantius, & ac deteriora paulò poſt ab incerto marris arbitrio metuit, ſimul rudis, molliſque ſuæ ætatis apud omnes contemptum, ingeniíque & animi vires novo, & nunc inſuper turbido illi ſuſtinendo regno minimè pares, adverſæ præterea, quæ adminiſtratione nuper exceſſerat, factionis invidiam, & murmur, vetuſto, ac penè inſito hominibus vitio, quæ ſibi in regiminis clavo ſucceſſerit, obtrectantis, tum fautores Caſtellenſium occultos, qui & diſcordias ubique ſerebant, ortiſque diſcordiis tanquam in ulceribus ungues extabant, & ubi denique metuit Uliſipponenſis populi ingenium natura ſua volubilius, atque ferocius, & indole quadam ignea ſeditionibus præparatum, non minùs idcircò de Uliſippone quàm de Ebora urbe ſollicitus, trepidúſque Bregantius Status, Senarum frequentem coëgit, ejúſque ſedulo excuſſa, latáque randem ſententia præcepit, irent extemplò qui Sancio denunciarent, ut nihil omninò cunctatus, vel pro imperio tergiverſatus quanta poſſet celeritate cum omnibus copiis Eboræ obſeſſæ ſubventum iret. Ad res urbanas deinde converſus juſſit, ut Cantegnedæ Comes veteranos in urbe milites jungeret, novos, ac fidos conſcriberet, propinquos vocaret, jactis ubique de induſtria rumoribus ad Eborenſem defenſionem ea tantummodò comparari, ſed revera præſertim, ut ſi quid ex Eboræ fortè lapſu, ut res metuere cogebat, ſubiti ingrueret in urbem tumultus, per ea prompta ſubſidia reprimeretur. His ita rebus Uliſippone pro anguſtia temporis conſtitutis; eo ipſo, quo Ebora, die Luſitanis erepta eſt, imperium quoque Bregantii ad Sancium Emanuëlem delatum, ut opem adſtrictæ ab hoſtibus urbi primo quoque tempore ferret. Neſcius tunc erat Emanuël, quo in ſtatu Ebora verſaretur, nihilominus, & ſi adhuc Ebora ſtaret, haudquaquam ex longinquo ipſe cenſebat loco inflexibiles eſſe leges bellatoribus imponendas; eas ſæpè ſæpiùs longum per iter ſeneſcere mora, & vanas effluere, aut rebus quandoque mutatis, obſervari cùm vellent, evadere obnoxias, ibi enim, & momenta ſingula pendi opus eſſe, & ex momentis deliberare, nec rarò temporis fugam, & volucres rerum vices ea ipſa in bello, inter arma decreta, atque juſſa minimè aſſequi. Hæc ipſa præſertim à Bregantio edita juſſa nec ſana, aut utilia videri, nec tuta, nec tali tempori conſentanea ad ſuffragia tamen vocavit Duces, ut ſi improbanda fortaſsè mandata Principis eſſent, unuſquiſque particeps fieret ejuſdem conſilii, periculíque; nec ſolus Sancius aut Bregantii imperio neglecto contumaciæ, ſive perfidiæ, aut infeliciter ipſo ſuſcepto imprudentiæ, ac ſtultitiæ reprehenderetur. Metuebat enim ſummopere Sancius ferociam, ac levitatem juvenis, ad iracundiam valde proclivis, cámque ad prorſus explendam regia fiducia, & inſano quodam tumore præcipitis, & quod in cauſa mandati, ſi malè res cecidiſſet, æquè Reges iraſci ſoleant ingenuè parenti, vel non parenti, aut ſolerter imperium interpretanti. Coëuntibus itaque Ducibus in conſilium, ibíque Bregantii litteris recitatis, cùm ſententiæ perrogarentur, haud pauci, iíque potiſſimùm juniores, quorum tota in feſtinatione, atque impetu virtus eſt, cùm imperii rigore, atque verborum aſperitate, qua intendebatur epiſtola territi, tum inanis gloriæ cupiditate rerum ob imperitiam, atque ætatis ardorem ebullientes confeſtim eſſe pugnandum, atque etiam abruptè ſuppetias civitati ferendas eſſe clamabant; certa námque

námque & acerba non parentibus eſſet Principis indignatio, at martis exitus in amguo. Seniores verò, peritíque militiæ tunc hæſitantes, reſtitantéſque præſtaret-ne juſſa Principis,an belli jura reſcindere, cùm hinc privata, hinc publica utilitas traheret hos inter æſtus taciti præteribant. Unus tamen Comes Sabugalius vetus, ſtrenuúſque miles inter juvenilem audaciam, & ſeniorum cunctationem, atque ſilentium animoſius in hunc modum diſſeruit.

„ Hæc duo nimirum ex animo Principem velle, & Luſitanas legiones incolumes, & Eboram aut receptam, ſi ceciḋiſſet, aut inconcuſſam, & integram, ſi hactenus illa ſtaret. Utrumque autem eodem ſe tempore impunè, & ex facili conſequi poſſe. Sinerent ipſi duntaxat per diſtorta conſilia,per difficiles ſemitas hoſtem ſuopte veſtigio, eadem quam ſtultè ſelegerat, via, unde nullus erat regreſſui locus, errantem petere præcipitium. Quippè ſi hucuſque invictam ſe ſe Ebora ſuſtentaret, inopportuno planè tempore, iniquo loco Luſitani futurum eſſe certamen cum exercitu Caſtellenſi, hic dum militum numero, & flore militiæ, & præſertim equitibus prævalerent, qui per patentes Eboræ campos invincibiles pene forent. Sin Ebora, ut veriſſimile quoque erat, in hoſtium jam eſſet poteſtatem collapſa, ibidem etiam cum hoſte tum alacri, & expedito, ac victoriæ prætereà ſucceſſu tumido, ſimul impari acie, impari loco, imparibus animis deteriori omni conditione, & ſpe victoriæ penè undique abſciſſa Luſitanum dimicaturum. Contra verò fatali, quæ jam impendebat, aut illa fortaſsè vicerat, neceſſitati permiſſa urbe, aut inibi Caſtellenſes cum eodem exercitu conſtitiſſent, & tunc in terra hoſtili, undique illis infeſta, plena irarum, plena ultionum, procul à domo, procul ab ope circunſeſſos, adſtrictos, & rerum omnium oppugnatos inopia, fore profectò, ut eos citiùs anguſtia, aut rabida fames, prævíſus vel metus, ſive animi dolor, quàm arma Luſitana conſumerent, aut Ebora capta hoſtes inde ilicò diſceſſiſſent, & tunc ita quoque ratiocinandum, vel eos abeuntes eſſe urbem inermem, ſine præſidio, ſine viribus dimiſſuros, ſibimetipſi tanquam relictam, aut tranſituram in jus occupantis, quo rerum habitu, quis ſatis obſtiterit, ne ultro, atque ſtatim rediret civitas ad obſequium, quod ab eadem invita, armíſque ſubacta, atque afflicta Caſtellenſes expreſſerant? vel cum adjecto præſidio potiùs, quod ampla in urbe, nimis remota, atque hoſtibus circunfuſa haud ſane poterat eſſe modicum, ante diſceſſum Eboram hoſtes relicturos fuiſſe, & in hoc ſtatu denique rerum dum illi redirent, dum hoſticum fugerent meliori de induſtria prærepto loco, jam copiis debilitatos, metu exanimes, & propè intercluſos, ac feſſos in itinere poſſe hoſtes velut pecora trucidari. Quod utique foret porrectam ab hoſte occaſionem arripere, ſuæ non deeſſe, in conſilium flectere caſum, ac rectè proficere ex erroribus hoſtis; nam deleto, aut abſenti exercitu Caſtellenſi, aut ibidem manente, ac voluntario prope vulnere diſſoluto, cùm affectu, animóque Luſitanis ſemper addicta civitas ſit, ideò facillimam quoque receptu fore, ex adverſo, ſi temerè nunc procedatur in aciem hunc Luſitanum exercitum profligatum, non Eboræ modò fortaſſis amiſſæ, ſed totius etiam regni contracturum perniciem, ac peſtem fore. Cæterùm ſic modo eſſe pro bello res ab ipſis hoſtibus concinnatas,

„ cinnatas, ut poſſit etiam abſque præ-
„ lio ſedendo vincere Luſitanus, aut
„ hujuſmodi inire prælium in quo, id
„ quod rarò ſanè contingit, minùs præ-
„ valeat fortuna, quàm ratio; fortu-
„ nam igitur an conſilium, & ratio-
„ nem in omnibus rebus amplecti præ-
„ ſtaret, cui fortè dubium, niſi fatuis,
„ ſive amentibus eſſe? Huc quippè
„ ea ſuperbia, eo ſupercilio & morta-
„ lium omnium contemptu, ſeu juſta
„ potiùs Numinis ira, obcæcata ſe ſe
„ jactaſſe conſilia hoſtium, ut inter
„ avia, & abrùpta deprehenſi, cùm
„ nec hætere ibi, nec progredi poſſent,
„ tutiorem Luſitanis victoriam, quàm
„ vel ad ſalutem ſibi fugam ornave-
„ rint. Vias igitur omnes Luſitani
„ milites inſiderent, & advectitios
„ commeatus interpellarent, ſimul om-
„ ni ſtudio, ac diligentia explorarent
„ conſilia, itinera, motus hoſtilis exer-
„ citus, ut ipſum ſubſidiis, cibariis, iti-
„ neribus interclusum in tempore cir-
„ cumvenirent.

In hanc ergo ſententiam, quia ve-
ra erat, & quia auctor inventus eſt, qui
eam cum periculo exprometet, ſine
ulla mora facta diſceſſio eſt. Luſitana
itaque acies jam duodecim mille pe-
ditibus, & quatuor mille propè equiti-
bus conſtituta paulò poſt de Eborenſi
ruina certior in campo Laondralio ubi
loci natura copiam ſibi alimenti, ino-
piam hoſtibus faciebat, caſtra locavit.
Amœnus prætereà agger, & fluentibus
paſſim aquis abundans, atque arbori-
bus conſitus æſtus ardorem, qui ſolito
magis torrere, ac furere cæperat, mili-
tibus leniebat. Inter hæc Uliſippo cùm
propter urbi decretas à Senatu ſuppe-
tias, & à Principe juſſas ſublatæ obſi-
dionis notitiam in horas ſingulas expe-
ctaret, poſtquam Eboram lapſam, atque
hoſtibus deditam intellexit, effrænatiùs
quam rationem, quam erga Principem
verecundiam decebat, ad omnem li-
centiam exarſit, eóque liberior, & con-
tumacior, quod in publicæ cauſæ titu-
lum furorem aſſumere prætendebat.
Jam ex primo ſonitu armorum, qui cir-
ca urbem Principem obſtrepuerat ſatis
ſua ſponte, & malignorum etiam in-
ſtinctu huic turbini fuerant ſævi, impo-
tentiſque vulgi animi comparati, poſt-
quam verò triſte nuncium amiſſæ urbis
allatum eſt tum egentibus, factioſis, tur-
bulentis ingenio viris, quíque præda-
rum ſuffugia, & turbarum præmia quæ-
rebant, cùm Eboræ quoque afflictæ
calamitatem ſive famæ, ſive hominum
vitio mendaciis plurimis onerarent, per-
facile fuit jam fluctuantem, paratúm-
que eruptura procellæ populum furio-
ſiſſimè concitare. Itaque in fraudem
rumore compoſito, & per circulos ja-
cto jam terra victrices copias, jam mari
Caſtellæ claſſem Uliſipponem accedere
prædicabant; nihil turpius, nihil miſe-
rius, quos minùs certè decebat ſecum
agere potuiſſe, venditam eſſe hoſtibus
libertatem, ſaginatos egenorum ſub-
ſtantiis, & ſanguine proceres, miniſtróſ-
que; publicam prorſus pecuniam vel
diſſipatam, vel in uſum privatum ver-
ſam; ita ſe nunc ab hoſtibus victos, à
magiſtratibus proditos eſſe, à Princi-
pe deſtitutos. Quid reliqui miſeris eſſe,
præter deformem patientiam, aut ul-
timam contumaciam? Servitutem, la-
trocinia, vaſtationem, Tyrannorum
imperia, ſeu Luſitanus, ſeu Caſtellen-
ſis vicerit ſempiterna ſibi futura, &
utrumque abjurandum, aut pereun-
dum omninò eſſe; ſi porrò decus, ſi li-
bertatem, ſi fortunas tandem amiſerint,
& propè amiſſuri ſalutem ſint, vindi-
ctam expoſtulent, & virtutem, ani-
móſque demonſtrent ulciſcendæ non
minùs injuriæ, & juris, vitæque tuen-
dæ quàm vis patiendæ conſtãtes, quíſque
impuris, ſuarúmque voluptatum man-
cipiis ſervire hominibus abhorrerent.
Hiſque tumultuoſis longè latéque ma-

nantibus vocibus irritati magis, magíſque cives, officinis repentè clauſis ad arma præcipites ruunt, alii ſclopos, & gladios, quidam faces, & ſaxa, multi ſudes, contóſque & quæ ſors obtuliſſet, arripiunt, armatique, ac tumultum ubique cientes, proclamantéſque furioſi per urbem volitant. Creſcit ſubinde quoque recentium, & in tranſitu collectorum ad clamórem, ſtrepitúmque concurſu multitudinis æſtus, quos imitatio, quos aliena bona diripiendi, quos ſua ſervandi, aut vetera, occultáve odia tumultus ſub latebras perſequendi cupido miniſtros ſeditionis adjunxit. Neque ex infima tantum, ac lutulenta plebe conſlata ea turbarum licentia, atque colluvio eſt; rapuit enim permultos etiam, qui antea prudentes, ingenuíſque inter pacatos affectibus, ac temperatis moribus habebantur, nempè ex genere eorum, qui ſua quidem vitia callidè tegunt, jactántque turbatis rebus, qui etiam probi, mitéſque ipſi, ſed moribus fragiles, levi quacumque ſubjecta cauſa facillimè offendunt, quíque tandem errore judicii alieno conſilio facilè ablati ad omne fas, atque nefas peræquè verſatiles ſunt. Copioſior, atque inflammatior exinde populi vis, ac plura tumultus adjecta capita, quæ propè lymphatam ducerent multitudinem, jámque officii, júriſque omninò frænis abruptis, ſic mire pro arbitrio illam tractare, atque flectere poterant, ut eodem tempore populus videretur parere ſimul, ac furere. Primus igitur hominum impetus Ductorum impulſu in civitatis Principes fuſus, quò veniæ ſpe ſcilicet in procerum læſione, atque injuria conſumpta, ſolutius in ea contumacia, ac furore dureſceret plebs, attritóque in rebus magnis pudore, ac formidine prorſus excuſſa, reliqua audaciùs aggrederetur. Et quidem in primis, ut ſacris à rebus inciperet ſcelus, Uliſipponenſis Antiſtes id ætatis, id miniſterii gradúſque homo per tumultus, & arma quæſitus eſt. Is erumpentis ſeditionis initio ad Regiam, ubi tunc Bregantius agebat, effugerat, at ſedes in vacuas irruunt, ſed opulentiæ, atque pecuniæ plenas repertas, alia rapiunt, alia igni, alia ferro corrumpunt, ingentémque ex profanis, ſacríſque rebus cumulatam prædam aſportant. Inde irritata ſceleribus, peccandíque inflata fiducia ira, hauſtúque exploratæ libidine prædæ, in Cantagnedæ Comitis ſedem, qui paulò ante quoque dilapſus ad Regiam erat, irrumpunt. Ibi civilis contracta rabies clades recentes integrat; undecumque ſpoliare, rapere, trahere, fundere contumelias, cum rapina, atque turbis miſcere cruorem, & cùm plurimùm ibi re ipſa noceret, ampliùs, ſi poſſet, nocere velle. Ea ipſa ſubinde multiplex furia, peſtíſque per magiſtratuum, primorúmque diffuſa domos, cùm fluminis inſtar, quod longiùs ſe volvens collectis in tranſitu fluctibus creſcit, & numero, & viribus aucta eſſet, crudeliùs exarſit; ad fœdiora quæque per ſcelerum quaſi gradus eniti, audere omnia, vehementiùs inſtare; in aditus ſaxa, in tecta faces immiſſæ, aſſultus, vulnera, verbera, in eos, qui fortè obſtitiſſent, inflicta; non nobilibus verecundia, non magiſtratibus honor, non mulieribus reverentia, non concivibus jus reddebatur; omnia tumultus, furor, ſeditioníſque ex omni parte tempeſtas invaſerat. Cùm ita per urbem velut in captos pluſquam hoſtilia exercendo plebeius ardor debaccharetur, in Regia Bregantius, Uliſipponis Antiſtes, Cantagnedæ Comes, alíique viri primarii, qui ſub Principis umbra latebant, triſtes, ac pavidi conſultabant, quid fieri opus eſſet ut tandiu, támque ſævè, atque impiè inſanire pergenti populo occurrerent, & utrùm ſeditionem ſuo

impetu deferveſcere, ac laſſitudine frangi ſinerent, an nuper paratos à Cantagnedæ Comite milites, ac maximè externos, quibus, ut à communis contagionis cauſæ ſecluſis plus confidebant, opponerent. Comes ut intrepidus, acer, & vir militaris ingenio, qui civium ſalutem in remedii celeritate, ſubitáque interpoſita vi reponebat, cenſuit, eſſe adducendas citiſſimè copias, increſcĕtémque ſeditionem, priuſquam in reliquam urbem, atque extra urbem per fraudulentos artifices ſpargeretur, aut ipſa fortaſsè in corpore velut affecto „ radices figeret, evellendam. Nihil „ enim, ajebat Comes, ſordidâ plebe „ ſuperbius, atque ferocius, cùm fræ„ nos excuſſerit, ſuóque ipſa uti ſina„ tur ingenio, nihil ea volubilius, ar„ que meticuloſius, frontem cùm ip„ ſi, & conſerere velle manus oſtende„ ris, æquales præſertim, vel ſaltem non „ contemnendæ ſi illi vires objectæ fue„ rint, qualia per id temporis in ipſa ur„ be præparata ſubſidia eranr. Rapi„ dam illam prætereà numeroſi populi „ vim, quæ ſua agitatione, motúque „ prorupto, ac violento ſe ipſa exer„ cendo plerumque laſſatur, ac ſolvitur, „ in tempore preſſam faciliùs extingui, „ ut procaces, ut impotentes, nimíſque „ iracundi, qua levitate, animíque pro„ penſione efferuntur ad iras, irarúm„ que ſaturitatem, ea ipſa citiùs mu„ tantur, & concidunt; ex adverſo, cùm „ impunè, ac licenter peccando graſſe„ tur plebs, atque ad aliud ab alio pro„ lapſa ſcelus inſaniat, eam niſi priùs „ fregeris, quàm injuriarum atrocitate „ cognoſcat non ampliùs mereri ſe ve„ niam, & gratiam Principis exhauſiſſe, „ tergiverſatione, atque mora ſupplicii „ facilè poſſe iras in odia, furorem in „ juſtum metum, in cautionem verti „ perfidiam, quíque nunc malus gra„ tuitò, vel obiter eſt, ut ſibi deinde à „ flagitii pœna caveret, deterrimum fieri, adeò ut, quod modò celeritas „ expediret, poſt ubi mora putreſceret „ ulcus, difficile, & arduum duplicatis „ quoque viribus foret. Quid? ea ipſa „ conſilia, quæ idcircò tunc agerentur „ in Regia, non modò intempeſtiva, ſuperflua videri, ſed etiam exitioſa; nimirum dum arder ſeditio, „ dum vaſtatur, dum uritur civitas, ac „ velut ſoluta legibus ſcelera furunt, „ promptíque milites ſunt, qui ſuis „ corporibus graſſatores impediant, „ eorúmque ſanguine flammas extinguant, velle conſiliis, aut altercando terere tempus, cujus pro civitate purganda ne momenta quidem „ tranſiri ſine flagitio, ac turpitudine „ poſſent. Si infringi aliquando in „ homine furor, ſi ſaneſcere inſania „ poteſt non id profectò lenocinio „ verborum, vel acumine ingenii, neque patientia injuriarum accidere, „ aut criminum conniventia, quæ illecebræ ſæpè ſcelerum & vitiorum fomenta, ac diſſolutis præcipuè ſunt, „ ſed arma eſſe cum armis, cum ignibus ignes, & vim conrra vim conferendam, & maximè cæcus cùm „ hic impetus populi, qui poteſt eſſe „ fortuitus, atque ab Eboræ caſu, tumultuoſóque plebíſque ingenio profectus, diſcrimen imporret, ne pauliſper neglectus, aut ſeriùs, quàm „ opus eſt, propulſatus in bellum civile, quo totum denique regnum „ implicitum ad extremam perniciem „ ardeat, erumpat. Conſtare proptereà multos eſſe Principi externos, multos domeſticos hoſtes, qui & latus „ ejus inſidiis, & qui aperto marte imperium ejus oppugnent. Quid ergo, „ eoſdem ſimul ſollicitos, impigros, „ anxios omnia inteſtina turbamenta quærentes, confovenréſque, hæc „ caſu oblata, aut fraudulenter inducta per deſidiam aſpernaturos, nec „ ſuum unoquoque ſarmentorũ propè „

,, faſciculum in exortum incendium
,, ſubjiciente, hoc omni ſtudio, atque
,, induſtria paſturos, ac diffuſuros eſſe?
,, Quibus in præſens conjectis, ac
,, peiùs deinde ſerpentibus malis unam
,, duntaxat mederi celeritatem poſ-
,, ſe, & lacertorum jactationem, &
,, corporum vim, non conſilii. His
,, addi, emerſam nunc iſtam à plebis
,, ſtultitia, atque impetu lucem, ac
,, nobilium præcipuè capitibus mini-
,, tantem, non tam latè per urbem
,, adhuc manaſſe credendum eſſe, ut
,, non major, ac melior hominum
,, pars tali morbo ſuperſtes ſit, & à
,, populi ſenſibus caſta. Proinde in
,, ſolutas, & vagas populi turbas, qui
,, in promptu ſunt, ſi milites mittas,
,, ſpem ex eo fore, ut iis viri boni, no-
,, biles, integri accederent, qui cauſæ,
,, ſibíque confiſi momento disjicere va-
,, leant has populi ſordes, fæcéſque non
,, conſtantia, ſed impetu validas, in to-
,, lerantia feroces, in occurſu dejectas,
,, vel, ut ſæpè contingit eas à partibus
,, ſeparatas, & inter ſe commiſſas ſua
,, impietate, ſuo molimine perdere.
,, Alioquin ſi immanis hæc bellua ſuo
,, furori, ſuæ libidini relinquatur, ea-
,, démque impietate, ac licentia ſuſ-
,, ceptas clades, ac ſcelera perſequi,
,, mox ſciſſo partibus regno, cùm au-
,, dacia malorum conſternatio bono-
,, rum ſit, intus occulti hoſtes, infe-
,, ſtus foris exercitus, armíſque victri-
,, cibus turgidus, quid quod obſiſtat
,, porrò futurum, quominus paratam,
,, ac plenam in totius regni victoriam
,, Caſtellenſes ingrediantur? Poſtre-
,, mò ex longo jam intervallo prævi-
,, ſum hunc vulgaris tumultus turbi-
,, nem eſſe, eúmque ad ſtatim omni-
,, nò coërcendum data opera milites
,, comparatos. Quid autem ſe tem-
,, pore circunſcriptos tunc perplexos,
,, ac dubios in illo negotio verſari,
,, quod ita eveniſſet, ut anteà propoſi-
tum, atque conſultum fuerat, iiſ- "
démque manentibus rebus, & cau- "
ſis volutari conſilia? Ea ſaniora pro- "
fectò, magíſque tuta fore conſilia, "
quæ ex minus confuſa, ac minus im- "
placida tracta mente, antequam inci- "
dant, caſibus provident, ubi præſens "
calamitas urgeat, nimio terrore animis "
hominum occupatis, captáque metus "
caligine mente, acuta, & ſolertia quo- "
que hebeſcere ingenia, & ſapientum "
conſilia deſipere. "

Hæc Cantagnedæ Comes; ſecus
verò in hunc modum locutus Uliſippo-
nenſis Antiſtes fertur; Haud ſcili- "
cer intereſſe tam violenter, tam "
citò milites præparatos in eos fu- "
rioſos, iráque calentes impellere "
cives, ſed pœnitentiæ potiùs, ac "
nimiæ iracundiæ relicto ſpatio, cau- "
tiſſimè priùs circunſpicere an hic ſe "
inrenderet, an fortè remitterer po- "
puli furor, an ſuo ſe tandem diſrum- "
peret impetu, ceſſarétque; nam ſi "
ita eveniſſet, ut eventurum ipſe "
putabat, vis, & armorum, & hau- "
ſti, datíque cruoris ex utraque par- "
te periculum, & ſua quidem ſen- "
tentia pravum conſilium vitatum iri; "
ſin minus, hiſce populi viribus illo "
primo conatu remiſſis, ac pene fra- "
ctis, utiliùs quidem deinde futurum "
fuiſſe, hos cum feſſis, ac propè lan- "
guentibus milites, quàm cum vegetis, "
ac propè furentibus congredi civibus. "
Planè obſcuram rem totam eſſe, & pe- "
riculo ancipiti complicatam, at minùs "
fortaſsè patere periculi, minúſque fal- "
lacis ſubire fortunæ conſiliũ ſecundo "
loco propoſitum, & quamvis omnem "
vim rationis, conſiliíq; ſua pro libidi- "
ne liceat fortunæ ſubvertere, vel more "
prudentium erraſſe, ac fortunæ tan- "
dem ceſſiſſe id ſenſum doloris in re- "
bus adverſis moderaturum. Cùm "
enim infeſtis cum militibus manus ad "
conſerendum cives veniſſenr, qui "
nec

„ nec ignavi, nec deſides eſſent, nec „ tam facilè quidquam compulſi de „ ſua pertinacia laxarent, cæde con- „ tinua patrio ſolo reſperſo, ſtratíſque „ paſſim æquè miſera, ac turpi con- „ civium ſtrage corporibus, eam ſa- „ nè teterrimam faciem haudqua- „ quam ſanare, aut ex parte lenire im- „ preſſum reipublicæ vulnus, at refri- „ care, & incendere poſſe potiùs, „ & in alias, quæ integræ eſſent, rei- „ publicæ partes extendere, quámque „ rerum turbationem, & cladem res „ improviſa ſuſtulerat, & quæ quieſ- „ cendo, ac propè nihil agendo ſeipſa „ evaneſcere potuiſſet, ob violentum, „ aſperúmque remedium auctam in ſi- „ nu, in viſceribus patriæ notis cruen- „ tis inciſam indelebilem permanſu- „ ram. Porrò autem vicerint milites, „ conciſa plebs jaceat, víſque iſta po- „ puli maneat torrente ſanguinis inter- „ cluſa, aut extincta, cui dubium eſſe, „ illam ut duriùs tempeſtate multatam, „ & tanquam laniena diſſectam, atque „ conſciſſam vel antiquam eſſe bene- „ volentiam erga Principem exutu- „ ram, qua potiſſimùm nixa præpoten- „ tem adverſus Regem, & Luſitanum „ ſanguinem anhelantem adhuc ſte- „ terat Luſitania, & qua, ut afflictæ „ res erant, hoſtiliſque victor, pro- „ pinquus, minitabundus, exercitus, „ hoc tempore maximè indiguiſſet. „ Cæterùm hos inter milites cohiben- „ do populo deſtinatos, cùm externos „ in numero; & viribus ſuperent Lu- „ ſitani, id etiam, ſi vis applicetur, „ terroris adjungi, ne major ſcilicet „ militum pars incipiente certamine „ fugiat, vel ad populum tranſeat, vel „ polluere fortè manus abhorrens in „ notos pleroſque concives, ac ne- „ ceſſarios ſuos, adeò lentè, ac remiſ- „ sè conferat arma, ut gens viliſſima „ victrix, & tumore victoriæ, & ſuo „ quoque impetu concitatior tandem

in Principem inſoleſcat, ac ſæviat, “ quippè qui civili ſanguini non pe- “ percerit exteróſque cruore domeſti- “ co imbuere minimè horruerit, eum- “ démque propterea in ſuis ſignis, in “ ſuis militibus ſuperatum deſpiciant, “ & odio habeant, quàm ad amentiam, “ etſi maximè tunc furibundus, adhuc “ ſe populus non projecerat, ſalváque “ Principis majeſtate, ac regii nominis “ reverentia, ſpem aliquando fore, ut “ ſua ipſe ſponte, vel conſcientia re- “ morſus, vel incurſibus laſſus, vel ſuo “ tandem revolutus ingenio ad offi- “ cium rediret, ad integram mentem. “ Porrò cunctanter procederetur, ac “ ſimul obſervaretur, quem irarum “ fortuna terminum jactatis civibus “ poſuiſſet, an illæ ſpretæ, nec laceſſi- “ tæ feneſcant, an protinùs occidant, “ an vires aliquando remittant, an fu- “ rere perſeverent, quò ſtrenua, & “ extrema per arma, per vim infringen- “ di medela tumultus, non, niſi premat “ neceſſitas, apponatur. Poſtremò, ſi “ quid in re conjecturis percipere li- “ ceat, in hunc modum ratiocinari. Id “ civilis incendii, quò magis rabidum, “ turbulentúmque eò per ſe citiùs op- “ preſſum, ac faciliùs extinctum iri, “ quod initium, & cauſa ſeditionis ina- “ nia, atque frivola eſſent, & populari “ duntaxat inſcitia, atque errore pro- “ vecta, Eboræ nempè urbis amiſſio, “ non hoſtium quidem virtute, ſed re “ improviſa, virium inopia, muro- “ rúmque ſuorum debilitate collapſæ, “ & prævalida quamvis ſatíſque muni- “ ta civitas fuerit, quis martem incer- “ tum, fortunæque in bello inſolen- “ tias, ac vices ſit habiturus in poteſta- “ te? Civiles diſcordias, inteſtináſque “ peſtes aut ex onere tributorum, aut “ Tyranni ſceleribus excitatas morta- “ liùs ſævire, atque ardere, nec un- “ quam eſſe illas ceſſare ſolitas priuſ- “ quam Tyrannum everſum, aut ſubla- “

„ ta tributa viderint, cùm ungues, & „ nervos, & robur iſta ſeditio habeat, „ & niſi cauſa, quæ valida eſt, aufera- „ tur, perſeveret effectus. Hanc au- „ tem plebis commotionem, & homi- „ num contumaciam firmitatis, ac per- „ tinaciæ multò minus in ſe habituram „ eſſe videri, quia fortuita, quia nimia, „ quia iniqua, quia nec cauſa, nec fun- „ damentum eſſet quo tanta moles ſe „ ſuſtentaret; ſi ſecus res ceſſerit promp- „ tos adeſſe milites, qui recentes, op- „ timè inſtructi, & temerarios adver- „ ſus impetus pervicaces ſuis incurſi- „ bus reſolutos, & erroribus laſſos ci- „ ves opportunè coërceant, nec inep- „ tam, vel otioſam porrò futuram pa- „ rati militis diligentiam. Hæc ut media in conſeſſu ſententia prævaluit, ſcilicet, ut pro curſu, exitúque furoris ſui illa plebis tumultuatio, aut diſſimulata clementer eſſet, aut ſeveriſſimè vindicata. Populus verò poſtquam ea turbulenta concurſione totam urbem miſcuerat, & circumierat jam longa volutatione jactatus, prædíſque congeſtis, ac ſimul injuriis, & clamoribus feſſus Regiam denique attingit. Elanguere tum ibi ferocia populi viſa eſt: queruli tamen intemperanter, iidémque ſuperbè ſupplices homines minas, lachrimas, voces cum precibus confundebant, tanquam ipſi à magiſtratibus conculcati, à regiis miniſtris oppreſſi ad Principem provocarent, & ſua ibi jura repeterent; ſimul Duces ſeditionis, qui per omne flagitium, atque licentiam adhuc ſibi prorſus obnoxiam raptaverant plebem, territos nunc veneratione, ac dignitate loci jam ſpes animúſque defecerat, cæperátque ſubinde peccati comes timor obrepere. Hæc læti intuentes, qui conſilia periculis, tumultúſque momenta proceres metiebantur, monent Bregantium, ut ſe palam ſpectandum populo præbeat, poterat enim arcana quædam aſpectui Principis inſita vis, vel clementiæ apud cives concepta ſpes, poſito metu, ſive illa tandem excuſſa per pudorem audacia, qui componi ſua ſponte cæperant, ſeditionis omninò ſternere fluctus. Ea propter Bregantius in Regiæ feneſtra conſpicuus, & frontem, vultúmque induens blandimento populi accommodatum laudavit ſtudium, & fidem reipublicæ amore provectæ plebis, adjecítque ne triſtarentur, neu demitterent animos, ſibi nuper à Sancio Emanuële reſcriptum eſſe, jam inter Eboræ muros, qui anteà obſidebat, obſeſſum, ſtrictúmque teneri hoſtem fame ibi, vel gladio celeriter periturum. Hæc ſanè vox, ſeu viſi Principis verecundia, ſeu volubile plebis ingenium, ſeu impetus ille tandem perinde violentus, ac fluidus adhuc flagrantem ſeditionem extinxit, ſtatímque in ſua quiſque tecta dilapſus, & alius in alium criminis culpam rejiciens mirabátur, querebatúrque quod ſeditiosè, quod ſtultè fecerat, quaſi ipſe non præſtitiſſet; nec ea de re poſteà, vel auctoribus ejus palam, aut jure quidquam quæſitum eſt. Popularis tumultus ſigniferi tantum, auctoréſque ſeditionis paulò poſt delatorum calumniis, atque ambagibus traditi aliorum obtentu criminum per certa intervalla hujus ſceleris pœnas dedere.

Inter hæc quæ Uliſippone mota, ſtatímque pacata ſunt, Joannes Auſtriacus victam jam Ebòram muniebat, juſſu ejus mœnibus reſtauratis, Antonianóque munimine jam perfecto, multíſque rebus diligenter proviſis quæ in meliorem undique formam imbecillimam urbem redegerant. Sed cœperat tandem in ejus auctores ſuſcepti negotii temeritas ruere, inſipientérque petitæ arere victoriæ laurea, fructúſque marceſcere; quippè jam commeatus inopia Caſtellenſis exercitus laborabat,

borabat, quo affluete tunc oportebat ut urbi ſufficeret, & urbis præſidio, & militaribus copiis. Exiguus quidem erat in urbe, quem ſecum portaverat miles, idem jam propè commeatum abſumpſerat; unde per circuitum exquireretur, modus eo tempore non ſuppetebat. Vias enim, & tramites quóſque viarum paſſim inſeſſos cum intenſa cuſtodia tenebat Sancius, ſimul à fronte ipſe, & acie adverſus aciem oppoſitus ſtabat ſeu pugnam cum hoſtibus initurus, ſeu commeatus intercepturus. Inter has rerum, & animi anguſtias Auſtriacus advocato conſilio planè ipſe æſtuans, curíſque jactatus à Ducibus requirebat. Abeundum ne ab Ebora ſibi foret? & urbe deleta, an ſervata? & utrum acies, & arma ultimúmque belli diſcrimen probabilius fuiſſent his difficultatibus exitum inventura, ſi prælio ſtatim cum Luſitano decerneretur: priuſquam verò de ipſa re Duces in congreſſu deliberarent, tecitatæ Regis Catholici litteræ ſunt, ſeverè præcipientis, ut Eboræ cives, & alii quicumque in poſterum Luſitani ad Regis obedientiam, & fidem reverſi fuiſſent, clementer, ac leniter tractarentur, néve prætetitus error, lapſúſque communis ignominiæ, vel fraudi reſipiſcentibus eſſet. Ad hæc ubi primùm cum Luſitanis daretur occaſio ultimæ pugnæ periculum fieret, alterum enim aptiſſimum eſſet tenere deditos in officio, propenſos non alienare, aut fortè obſiſtentes allicere, uſui autem alterum, atque gloriæ quod effugere prælium plus Luſitanis, qui integrum regnum, quàm Caſtellenſibus qui unicam aciem ac ſi ea cecidiſſet, haud difficilè reparandam in conflictus diſcrimen conjicerent, expediret. Hæc regia mandata erant, quibus auditis tres ſubinde ſententiæ prolatæ ſunt. Didacus Cavallerus magiſter equitum pro prima ſententia ſuſtinuit,

“ Solo æquandam eſſe protinùs Eboram urbem, & igne, ac cineribus “ obruendam, ut à Caſtella nimis re- “ motam, ut propugnatu difficilem, “ ut eam ſtantem, relictóque ſibi ne- “ ceſſario præſidio fultam cum ejuſdem “ etiam periculo reliquas copias ener- “ vaturam, ut id tandem hoſtibus tol- “ leretur, quod facultas ob rerum an- “ guſtias non eſſet Caſtellenſium do- “ minio adjungi; ſecus verò ex tanta “ pecuniæ, & cruoris effuſione quid “ irritus niſi labor, & probra militia, & “ commune detrimentum, ac dede- “ cus peteretur? His Cavallerus ad- “ debat, quod lenitas fortè non poſ- “ ſet ab Luſitanis exprimere, id quo- “ que faciliùs incuſſum ex urbis exci- “ dio terrorem aſſecuturum, cùm pla- “ nè altiùs metus, quàm amor inhæ- “ reat humanis pectoribus fixus, con- “ ſtantiúſque metuere homines, quàm “ reddere gratiam pravitate naturæ “ ſciant. Poſtremò, cùm duæ pateant “ omninò viæ, quæ ad humanos fle- “ ctendos animos ducant, terroris ſci- “ licet, & amoris, hac modò benevo- “ lentiæ, cùm nolit, aut neſciat Luſi- “ tanus diligere Caſtellenſem, in Eboræ cauſa intercluſa, altera metus in- “ ſtituatur. Quæ verò huic contrariæ “ ſententiæ producuntur difficultates, “ vincula nempè Regis imperii; & “ contumaciæ crimen, jure illa quidem “ vi præſentis neceſſitatis abrumpi, niſi “ ſtudentibus in hoc rerum ordine “ Ducibus extremi periculi faucibus “ has regias eripere copias, rectè quis “ refragatus fuerit, cùm dixerit, obſta- “ re mandata Regis. Verùm ut nimis “ hæc dura, ac truculenta ſpecie tum adverſa præcepto Regis communi conſenſu Didaci opinio rejecta eſt. Altera, cui & Auſtriacus favebat, aſſeruit, ut præſidiis firmata urbe, ſigna cum hoſte quàm citò collatum procederet acies. Sed nec priori minùs aſpera fa-

ctu, eventúque funeſta ſententia hujuſmodi videatur, multíſque partibus vitioſa, quippè quæ nec ſatis Eboram tutaretur in ancipiti fide relictam, ac præſidio, cùm excutere ſe voluiſſet, ſuperiorem, & ampliùs Caſtellæ exercitum diminueret, qua tempeſtate, cunctis collectis viribus, opus eſſet, truci prælio, quod impendebat, omninò ſe comparare. Hanc tamen ipſam opinionem ut cohærentem mandato Catholici Regis, Joanníſque judicio planè concordem vehementer, & palàm refellere nullus eſt auſus præter Ducem Sangermanenſem, qui utramque ſententiam his argumentis labe-„factavit. Maneret Eboræ exercitus „Caſtellenſis, exactíſque civibus ur-„be, frumenta, quæ intus ſepoſita ci-„vibus erant, in uſum militum con-„verterentur, illa enim, & quæ circa „obeundo poterat equitatus alimenta „colligere, & qui aſſervatus ſupererat „militi commeatus veriſimile quidem „eſſe multis diebus militibus ſuffectu-„ra. Nec porrò iſtam civium expul-„ſionem ſancitùm jus belli, aut pacta „utrinque priùs conſtituta reſcindere „poſſe, cùm id ad tempus, & laxa-„mento quoque civibus eſſet, ne in-„tus ſcilicet fame, ne acerrimo obſi-„dio conficerentur, quamquam & „belli, pacíſque conventiones omnes „ſua ipſo jure neceſſitas abrogaret. „Interim auxilia Caſtellæ ſuperventu-„ra, quæ nec incerta, nec ſera profe-„ctò futura cenſenda eſſent; dum „Catholico Regi conſtiterit, terra-„rum tantum hoſtilium, tot arcium „oppoſita obſtacula ejus exercitum „prætervectum, eſſe Eboram captam, „Uliſipponem tumultuantem, reg-„num factionibus ſciſſum, plena om-„nia turbarum, plena confuſionis, & „metus eſſe, ac ſi paululùm adnitere-„tur, jam debellatum fore, ſin minùs „ejus etiam exercitum ferro ſternen-dum eſſe, aut famis morſibus lace-„randum. Ex adverſo ſi inde abeat „exercitus, & munita quoque præſi-„dio ſuæ fidei, ſuo propè arbitrio „Ebora relinquatur, cùm ſanè, nec „parum vetus ipſam extimulet in Ca-„ſtellam quaſi ingenitum odium, re-„cens, atque violenter recalcitrantis „in modum illi impoſitum jugum, „propinquitas exercitus Luſitani, Ca-„ſtellenſis abſentia, mira omnium Lu-„ſitanorum pro ſe, & adverſus Caſtel-„lenſes hominis animorum conſenſio, „quid pro urbe tuenda, pro ſalvando „præſidio ſpei reliquum affuturum? „Scilicet conſultatione, aut obſidionis „ferendæ mora, aut quæſito fortaſsè „colore Eborenſibus opus fuerit, ut „Caſtellenſium præſidium opprimant, „Luſitanos ſtatim recipiant, atque ex „proditione ſibi triumphus, turpíſque „laurea conſtituatur. Hæc ex urbe de-„ſerta pericula; nec porrò minora eaſ-„dem complecti pericula copias, ſi eo „tempore intempeſtivo ſigna confer-„re cum hoſtibus vellent. Etenim Lu-„ſitanus pro patria, & in patrii ſoli re-„ceſſu, majori fortaſsè militum nume-„ro, & cum majori quidem peritia lo-„corum, nec inter commeatus angu-„ſtias, & animi angorem venturus ad „pugnam eſſet. At ſi Catholici Regis „exercitus declinando, differendóque „pugnam Eboræ cunctaretur, frænum „ibi futurum meditatæ perfidiæ ci-„vium, receptæ ſuſtentaculum urbis, „ac ſi protrahi rem contigiſſet, fore for-„taſſis interitum exercitus Luſitani, qui „cùm ex præſidiis, arcibúſque nudatis „magna ex parte compoſitus eſſet „quando Eboram obſediſſet, neceſſi-„tas, tædium, obſidionis prolixæ vi-„tium, & pariter ſolis æſtus eo tempo-„re, eo torrido loco, ac propè peſtife-„ro ſenſim illum exinanirent, ac per-„derent, dum interim regius ad Ebo-„ræ umbraculum conſediſſet, & mag-„

na,

„ na, atque certa ex Caſtella prope„ diem ventura ſubſidia expectaret. „ Cæterùm juſſa Regis uſui eſſe, ac „ temporiaptanda, ac ſi res ita poſceret, „ corrigenda. Hæc Sangermani Ducis ſententia quamvis in re omninò aſpera minùs periculoſa, Joannis tamen arbitrio rejecta eſt. Omnia enim ipſe in re circunſpiciens difficultatibus obvoluta, præruptiſque conſilia caſibus regi, id velut minùs formidoloſum, ſeu minùs etiam, quamquam fortuna obſtitiſſet, reprehendendum arripere exiſtimavit, quod Regis Hiſpaniſque Senatus judicio comprobatum, juſſúmque cum illo ſimul errare, vel collimare dediſſet.

Hoc incerto conſilio præliandi certus eo tempore Auſtriacus, ac ſi aleæ fortuna affuiſſet cum iiſdem victricibus copiis ad Caſtellam regrediendi, optabat etiam juxta Eboræ ſitum, quò tutior eſſet illi receptus, præſtóque certamini foret deſtinatus urbis præſidio miles, nec inter obliqua viarum ſibíque prorſus ignota deprehenſus manus cum hoſte conſerere. Igitur poſt dierum quindecim moram, paucis relictis urbis murorum cuſtodiæ militibus, inde copias Joannes ad dimicationem inſtructas movit. Aberat hoſtis ad leucæ dimidium, validiſque munitionibus Odigebenſem ripam inſederat. Fluvius in medio exiguas agebat undas, at variis ipſe flexibus tortus longo ſpatio paluſtris erat, ſolóque cænoſo, atque lubrico gradientium veſtigia fallebat. Ad hujus fluvii denique ripam ſuo animo præliaturus cum omnibus copiis Auſtriacus acceſſit, poſſe inde ratus per ſeptendecim belli tormenta, quæ edito in loco ad ſummovendos ab amnis ambitu hoſtes conſtitui juſſerat, ſibi tranſitum explicare, aut ſi vera, quam Sancius jactabat, prælii cupido eſſet, æquum ſibi ad dimicandum cum illo locum, ſine quo votum irritum cecidiſſet, minimè negaturum. At Sancio, cui & locus amicus, & agrorum libertas erat, & commeatus abundè, atque ideò ſuo arbitrio ineundi, extrahendíque certaminis copia, priuſquam extremam cum hoſte ſuſciperet pugnam, conſilium inſederat, cùm depaſcentis laſſitudine famis tum crebris aſſultibus, & ambitu armorum ſic fatigare, atque attetere Caſtellenſes, aut loco opportuno ſemel excipere; ut cùm ultima pugna eſſet, parvulo impendio jam prælibata victoria ſtaret. Caſtellenſis itaque acies ad fluminis ripam applicita, poſtquam videt ab altera parte Luſitanum undique circunfuſum, in margine hærentem, trajectúmque conſtanter prohibere paratum, ſimul diſploſa belli tormenta, quæ ineptè locata fuerant, intra pauca veſtigia poſitos ſocios, hoſtéſque ſine ullo diſcrimine ſternere, ſpe falſa, locíque inſolentia deterrita ſubſtitit, mox aliquantulum rettocedens juxta marginem caſtra poſuit. Extra belli tormenti jactum alius ab alio diſtabat exercitus, Caſtellenſémque ibidem manentem, cùm meridie caſtra locaſſet, caligo noctis oppreſſit. Tunc ignes utrinque ſuccenſi, paríque aſpectu, ac fulgore micantes, ſæpiúſque excuſſa tormenta belli, militúmque clamores utroſque per integram noctem intentos, & alacres tenuere. Ubi illuxit, Auſtriacus equo ipſe vectus ad pugnam milites inſtruit, binas, & latas in orbem alas extendit equite ſimul, ac pedite communitas; ſubſidiis latera firmat, mediam ipſe cum ſelectis equitibus occupat aciem. Hoc ordine inſtructus vi, & impetu armorum ab undis, à lubrico vado, ab hoſtium ocourſu fluminis tranſitum extorturus pergebat. Stabat altera ex parte, qua fluvius intererat, hoſtis pugnæ ſimiliter comparatus, ſpe tamen in meliùs afflante, animo quidem erectior,

erectior, locíque fiducia ſubnixus. Agmina prima concurrunt, hinc enim, & inde ſclopetarii, haſtatique ita locati erant, ut eminùs etiam mortales inciderent ictus, ductóque per partes & tumultuariè, vagéque conflictus initio, ſupremum illud fore certamen, quo planè fortuna decerneret, apparebat, tantus effuſus utrinque ſanguis, tantóque ardore ſolutè per turmas propè ripam, in medio alvei, inter fluctus gradiendo, regrediendóque concurſum eſt. Verumtamen dux, atque ipſæ aſperrimæ res conditione multò deteriorem ad pugnam Caſtellæ militem faciebant, quod implicitus, atque confuſus incerto, labilíque veſtigio pro fluminis tranſitu dimicaret, & quod belli tormenta hoſtium propter artem, locíque ſitum commodiùs, quàm Caſtellenſium collineata, illinc hominum, equorum, ſarcinarúmque labefactarum ſtragem ingentem ederent, inter quos tormenti forte pila transfixus cecidit etiam primariæ notæ Tribunus militum Conſalvus Corduba frater Sueſſani Ducis, ingentis ſpei juvenis, præclaræque, ipſe magni Ducis Conſalvi ſoboles. Mollis præterea, fluxa, atque undique inſtabilis erat humus circumſtagnantibus aquis, viáque præcipiti, ac lubrica viros paſſim equóſque volvens, ut vix emerſus fluctibus pes in limum ſe ſtatim paluſtrem immergeret, quæ omnia profectò in Caſtellenſium perniciem cum loco ſimul, & hoſtibus colluctantium, horúmque fiduciam, & commoda ceſſerant. Hæc ubique inacceſſa, implicata, cruenta conſpicatus Auſtriacus, cùm ampliùs intenti temeritas tranſitus certam jam videretur illatura militibus cladem, neque tutò ibi conſiſtere, neque progredi loci aſperitas pateretur, viam retrò repetere milites juſſit, multis inter fluminis undas vulneratis, aut cæſis, nonnullis etiam in paluſtribus locis, quia ſerò inde emerſerant, interfectis; reduxitque compoſitè, ac lentè cedendo in planitiem Eboræ militem haud quidem multum eo ſiniſtro primóque ſucceſſu pavidum, cùm laudem virtutis hoſti loci opportunitas ſuſtuliſſet. In tutum recepta faciliter acie; Joannes, cui & hoſtium perfunctoriè libatæ vires nova, ſibíque ignota Luſitanæ argumenta virtutis indiderant, & quem cæptæ infeliciter pugnæ pro ſumma rerum omen infauſtum, volventíſque retrò fortunæ ſuſpicio, metúſque tetigerat, mutato cum rebus conſilio ſtatuit Eboram urbem munire præſidiis, ire inde ſtatim Caſtellam verſus, avertere greſſus ab hoſtibus, quantum per fugæ diſſimulationem liceret, ſoſpéſque cum acie in Caſtellam revectus inde opportunius de Eborenſi tutela curare. Tuendæ igitur Eboræ Auſtriacus Franciſcum Gattinaram Comitem Sartirane cum tribus mille peditibus, equitibúſque ſexcentis impoſuit, cùm hoc diviſo deinde, qui ſibi ſupererat, commeatu, deductíſque ſecum militibus Luſitanis, quos deditionis jure trahebat, ſarciníſque raptim collectis, cum omnibus copiis celeriter inſtituit, per avia, atque aſpera collium milites ducens, ne prælii copiam hoſtibus faceret. Primus itineris dies expeditus, atque omninò pacatus Caſtellenſibus fluxit. Sancius enim Emanuël conſilii Joannis ignarus viæ cum exercitu multum præceſſerat ut locum certamini quæreret ſalebroſum, aut ſcrobibus inæqualem, ubi impeditus ſive intractabilis equitatus, cujus robore, & copia tunc Caſtellenſis videbatur invictus, uſui quàm minimè foret. Fuere nec pauci, qui tunc ſuadere niterentur Auſtriaco, ut refectis ſtatim militibus ad reliquam noctem exercitus iter acceleraret, ne præliari fortaſsè poſteà cogeretur invitus, viribus diminutus, & captivorum, quos ſecum trahebat, agminibus

minibus implicatus. Rectè hos ſentire, & cum habitu rerum moderari ſententiam Duces, Auſtriacus non ignorabat. At fugientis ſpeciem, manifeſtique timoris indicia, ut nominis labem, ac publicum dedecus metuebat; preſſo tamen animi ſenſu, atque alia conficta cauſa, languere reſpondit eo tempore militem tortuoſo, atque aſpero itinere feſſum, magníſque caloribus reſolutum, ac ſi manè fortaſsè, cùm prævia, & incerta hoſtis veſtigia eſſent, pugnandum foret, planè torpidum, enervémque contra hoſtem recentem, & integrum concurſurum, utilius idcircò videri ſibi nocturnam illam omninò quietem laſſitudine, æſtúque fractis corporibus tribui, quò illa prælio vegetiora, cùm ſe forſitan obſtuliſſet, occurrerent; ſic vera ignominiæ, quam metuebat, præterita cauſa, aliam ex utilitate publica fictā ſuppoſuit more eorum inſulſo, qui, ut nonnihil detractionis, aut ſtulti, vaníq; tumoris auram effugiant, ſpe tandem falſi, aut mala inter mala ſecernere neſcientes ſæpè in deterius impingunt. Ea itaque citra moleſtiam, & animi curam elapſa nocte; diluculò iter Joanni feſtinatiùs expedienti nunciant exploratores propè eſſe hoſtes collium altitudine tectos, viáque inaſpecta curſum approperantes. Neque locus, neque animus erat Joanni, vi, ſive artibus uteretur illudere hoſtem, & cum exercitu præterlabi. Quippè nullis tunc Luſitanus militiæ irretitus impedimentis circumagere ſe quoque vellet, flectere iter, atque intendere curſum facillimè potuiſſet.

At Caſtellenſem præter moleſtam captivorum cuſtodiam, & plauſtrorum impedimenta gravabat etiam Ducis aulicus apparatus, prolixa ornamenta, cultúſque regius, nec armis excluſus. Proinde cùm pugnæ periculum in hoſtis arbitrio eſſet, quod pro tempore ſibi, & rerum habitu licuit, Joannes impigrè intendit. Dorſum editi valdè collis, cùm non longè eſſe hoſtem animadvertit, occupaverat Caſtellenſis: ſuper eumdem collem continuóque altitudinis tractu altiores, binſque colles Pyramidum ſpecie ſublati in via illa, quæ fert Eſtremotium, aſſurgunt, quorum radices in planitiem, ſed inæqualem, atque anfractibus interruptam effundebantur. Hos binos colles relicto quē primo ceperat, loco Joannes quòd ibi forma caſtrorum, aut exercitus diſpoſitio adjuvante natura inſuperabilis apparebat, antecapere ſtatuit; fortè autem accidit, ut quem ſua ſponte Joannes ſuperioris ſpe capiendi deſerere locum ſtatuerat, eodem tempore Luſitanus hoſtis conſilii neſcius illum ipſum arripere locum, atque in ejus contentione univerſam armorum propè fortunam in diſcrimen adducere conſtituerat. Igitur Sancius cum equitibus prætervectus peditum manibus communitis in latus, & Caſtellenſis extremam aciem incurrit, cujus pars equeſtris planitiem, pedeſtris verò collis aſcenſum, & jugum inſederat. Strenuè irruentium, & ut primo animorum calore fit, incumbentium excepit fortiter impetum Didacus Cavallerus cum ſelectis equitum turmis in hoſtium frontem obverſus: varia deinde, ac multiplex pugna, quæ ultima, aut prima tantùm ejuſdem exercitus latera lacerabat, commiſſa eſt, modò ſpes, modò metus ſævo illo fortuna joco utriſque partibus alternante. Mutuis hujuſmodi incurſibus primò intenſius, inde laxiùs admotis, & leviorum quoque momento certaminum currentis diei jam propè dimidium extractum erat, nec dum, quemadmodum obſtinatiùs contenderat Luſitanus, aut loco potuerat movere hoſtem, aut aciem quæ obſtabat, refertam perrumpere. Quin diutiùs concurſando, dimicandóque æſtivóque calore, ac labore ſolutus,

lutus, ac feſſus curandis potiùs corporibus indigebat. Portò ubi videt Joannes nunc remiſſum, & animo viribúſque languentem, ac planè frigidum minùs inſtare hoſtem, tumultúmque ducere potiùs quàm prælium, ſe ſe paulatim recipiendo tunc celſiores duos illos colles quos priùs adire ſtatuerat, cum peditibus occupat, ſequi equitatum jubet, ipſúmque in quatuor ſtatim agmina diſtributum in campo explicari, qui iniquus, & aſper, ut dictum eſt, à collium radicibus excurrebat; colles belli tormentis firmat; militaria impedimenta in planitie poſt equitum terga locat. Conſpicatus hæc Luſitanus illicò jugum à Joanne ſpontè deſertum alacriter ſubit, eumdem præterea locum quem hoſtis conſultò reliquerat, Luſitanus in formidinis argumentum, partémque victoriæ ſibi conceſſum ducens clamore, plauſúque concelebrat, perinde quaſi non meliùs ille mutato, ſed amiſſo loco ceſſiſſet. Itaque ex ſitu collis Auſtriaco, vana fiducia Sancio, & ſimul animo aucto; dum ab inedia, ac diurno labore utraque ex parte ſe milites recreant, viréſque reficiunt tres fermè horas altera alterius adverſa proſpectui ibidem cunctando ſubſtitit acies; poſt cùm provectus occideret dies, jámque Joannes à pugnæ periculo averſus, elabendíque minimè dubius quàm citò reſumere iter approperabat, acriùs tunc Luſitanos apud Duces agitabantur, utrùm eo tempore, eo loco, eo virium experimento expediret ſigna cum hoſte conferre, reíque ſummam fortunæ permittere. Utraque hominum acies etſi mutuò utriuſque ſubjecta oculis diverſis in collibus ſtabat, convenientiùs tamen Luſitana diſpoſita, ita pars major ſub curvo latóque collis dorſi teg mine latitabat, ut ipſa parum in actione, motúque perſpecta exploratiùs, quæ agebat hoſtis, contemplaretur. Poſtquam ergo Joannes viæ cæptæ ſequendæ in animo fixus Sangermanenſem Ducem præmiſit ad idoneum caſtris parandis proxima nocte locum, ſimul ejus mandato captivi, equitéſque cuſtodes, & ſarcinæ militares loco moveri cæptæ, rotúſque jam abſceſſurus in agitatione, atque motu exercitus erat, hæc Luſitanus aſpiciens, dilabíque & evadere tandem ut trepidum, ac fugienti ſimilem hoſtem ratus ferociùs pugnam popoſcit. Vérumtamen animo hærens, & hæſitans Sancius in illo ſtrepitu militari duo ſanè, eáque majora, quæ à juſta pugna retraherent, conſiderabat momenta belli, tempus nimirum, & locum, quod jam propè labentem reſpiceret diem, Caſtellenſémque tam ſublimi, tam arduo ſedentem in montis vertice loco, ut eò ſubeuntes non modò armis propellere poſſit inultus, ſed ſaxis etiam obruere. Contra tamen, & rem ipſam vehementer urgendo diſſeruit Comes Scombergius pro ſua auctoritate, bellíque peritia, & eo tempore incenſis ad pugnam militum animis, magno conſenſu, plauſúque dum loqueretur, auditus. Ab “ illius nempè Caſtellenſis exercitus “ ſorte cùm Eboræ jam amiſſæ, tum “ Luſitaniæ univerſæ in præſenti re- “ rum ſtatu librandam fortunam eſſe. “ Quem ſi inviolatum, ſi victorem, & “ integrum ſuas repetere denique ſe- “ des ſinerent, quamprimùm inde fi- “ ducia, & viribus auctum infeſtiorem “ profectò, & longè plus Luſitanis “ terribilem reverſurum, útque pri- “ mus adventus ejus in Luſitaniam per “ Eboræ lapſum hujuſmodi plagam, “ quæ in reliqua membra contagioni “ ſimillima ſerperet, in regni viſceri- “ bus aperuerat, jámque in ſuo robore “ ſtantem rem Luſitanam afflixerat, “ quid modo jacentem ejuſdem, & “ fortiorem quoque regreſſum non ex- “ hauſturum

„ hauſturum fuiſſe? Prælio abſtinere
„ ûtplurimùm rectè poſſe, qui ſpem,
„ non deſperationem in conſilium ad-
„ hibeat, at extrema inter mala, in-
„ ter gladios, & ignes, & circumple-
„ xa cuncta periculis, ſi valeat electio,
„ utcumque experiri fortunam in illo
„ articulo rerum, aut minus eſſe pro-
„ fectò malum, aut majoris compara-
„ tione periculi melius. Nec adeò ſa-
„ nè difficilem, ſi non offuſa certè de-
„ ſipiat metus caligine mens, ingre-
„ dientibus pugnam oſtendi Luſitanis
„ victoriam, cùm pavorem, & fugam
„ eo præcipiti curſu ſignificet hoſtis,
„ at metu perculſis non arces, non
„ edita juga, non firmiora quæcumque
„ præſidia ſatis pro munimento eſſe. In
„ medullis hærentem circunferre teter-
„ rimum hoſtem, qui inter plana, atque
„ abrupta, in ſolitudine, in acie, inter
„ flores, & arma nullo boni, vel mali di-
„ ſcrimine, quem ſemel ceperit, oppri-
„ mat. Situm præterea, quem totus te-
„ neret hoſtis, ita compoſitum eſſe, ut
„ pedes, qui in collis vertice ſtabat infra,
„ atque in plano jacenti ægrè valeat,
„ cùm peteretur, equiti ſubvenire, ſi-
„ mul, & pediti eques, ſic alium ab alio
„ intercluſum, ac ſeparatum minori ne-
„ gotio circumveniri poſſe. Ex equiti-
„ bus etiam eos, qui ſiniſtrum imple-
„ bant cornu, ut iniquo poſitos loco,
„ & virgultis, ac ceſpite paſſim inciſo
„ inutiles quidem cùm gerenda res eſ-
„ ſet, futuros, nec alteri cotnui, dum
„ peteretur, facilè opem præſtare poſſe.
„ Super hæc plures illorum equites, qui
„ prælium tam ſerò futurum non cre-
„ didiſſent, temerè ultrò, vel Ducis juſ-
„ ſu dilapſos jam eſſe. Quid plura Nu-
„ men, quod in Eboræ invaſione men-
„ tem hoſtibus abſtuliſſet, errore quo-
„ que continuo, intellectúſque, ac re-
„ rum omniū confuſione eoſdem tranſ-
„ verſos, ac propè ſenſibus captos agere
„ Caſtellenſes videri, ut eos ad hoſtium
ſaturitatem, ac temeritatis pœnam “
puniret. Tunc verò Numē fortunam “
adimere, cùm adimit mentē. Poſtre- “
mò ſi dimicarent, ſe fortè victuros, “
ſin minùs, non ſolùm jam victos, ſed “
profligatos eſſe. Hujus auctoritas “
Ducis, pondúſque ſententiæ quan-
quam priùs reſtitantem, ac viribus ſuis
diffidentem flexit tandem ad pugnam
Sancium, datóque ſubinde militibus
ſigno, ex colle repentè digreſſa tota ſe
explicuit, atque in cornua direxit acies.
Hoc ab hoſtibus viſo, ratio eos pauliſ-
per ancipites tenuit, recta ne hoc illa
ordine pergeret Eſtremotium, an di-
micandi cum animo accederet, cùm
utrumque tunc ſuſpicari inſtitutum per-
mitteret iter. At ex eo cito, & æquali
ſemper inceſſu militum collegêre peri-
tiores, jam extremum appropinquare
cum hoſte conflictum. Tenuerat tota
illa die ſuſpectam ob hoſtis propinqui-
tatem Joannes ad pugnam inſtructos
milites, priuſquam confligere tamen
incipetent, hujuſcemodi codicillis, quos
anteà conſcribi juſſerat per Duces, &
agmina circumlatis omnes cohortatos,
ac monitos voluit. Erecto, atque “
intrepido cum animo milites reputa- “
rent, occaſionem in illa die præ ma- “
nibus eſſe, cui multos ab hinc annos “
ſimilem ferè nunquam Hiſpano Im- “
perio fortuna tuliſſet, quippè quæ “
ipſius Ducis, & ſingulorum militum “
nomen, & gloriam, & inclyta geſta “
eodem erat ſublatura momento, vel “
momento ſubverſura. Simul cùm “
Deus ſupremus belli Judex, & Arbi- “
ter ſit, ut ea bene res, ac fœliciter eve- “
niret, ejus potiſſimùm imploranda, “
atque exoranda ſubſidia militibus eſ- “
ſe, quæ votis, ſana fiducia, impavido “
animo, conſcientiæ candore, ac jure “
maximè cauſæ, non degeneri metu, “
aut læſo in rebus officio compararen- “
tur; præterea ſi quis eo fortè animo “
ſit affectus qui dedeceat Hiſpanum “

„ Regíſque Philippi militem , ſecum
„ ipſe conſideret, qui formidine captus,
„ & fugæ cupidus retrò volvere,
„ aut aliò flectere gradum cogitaviſſet,
„ quocumque tendere vellet, cùm
„ undique omnia teneret hoſtis, effuſo
„ ab acie veſtigio, captivitatis ludibria,
„ aut tumulum inventurum. Ad
„ extremum tria neceſſaria ſcitu, ac
„ diſciplinæ bellicæ conſentanea memoria
„ repeterent, quod ſi, ut merito
„ expectabatur, victoria Caſtellenſibus
„ arriſiſſet, nemo eorum ſolveret
„ ordines, quamvis hoſtiles initio vidiſſet
„ diſſipatos, ac fractos; neque
„ niſi clarior, ac certior, & jam matura
„ victoria fuiſſet, à cæde, ac vulneribus
„ manus ad prædas, & ſpolia captivóſque
„ trahendos converterentur.
„ Tandem, qui vivum cepiſſet Sancium
„ Emanuëlem Luſitani exercitus Ducem,
„ is ſciret, ſuper alia ampliſſima
„ Regis Catholici arbitrio ſibi fundenda
„ præmia, continuò ipſum ad
„ gradum militiæ, ei quem tunc occuparet,
„ proximum extollendum. Hæc
ad unguem expreſſa codicillorum ſententia erat.

Inter hæc quàm citiſſimè præliaturus Luſitanus exercitus accedebat. In Linas partiti pergebant equites alas, qui ordo ordini reſpondebat, quo Caſtellenſis eo tempore inſtructus obviam iturus aggredientibus videbatur. Itaque primò lævum Luſitani equitatus cornu cum dextro Caſtellenſium concurrit. Aderant hîc Luſitanis duo Generales equitum Duces Dionyſius videlicet Melus, & Emanuël pariter Freirus, ſimul Petrus Jaquius Magallanius Caſtrorum Præfectus, multíque præclari nominis Duces adhortatores iidem, ac vindices bellatorum ſuorum, ídque lateris pleniùs, ac firmiùs conſultò referſerant hoſtes, illi enim oppoſitum Caſtellenſium lateri erat, quod ſemel imminutum, aut fractum fore perfacilè videbatur quæſitæ victoriæ reliquum contracturum. Præerat huic Caſtellenſium dextero cornui Jacobus Mazacanus Italus, implebant primas certaminis partes Auſtriaci cuſtodes corporis, Ducíſque Sangermanenſis, hinc equeſtris roboris nervus, ac flos ex tota militia collectus invaleſcebat. Ubi igitur tanto robore, tantíſque animis prælium in primis accenſum eſt, varia, atque incerta diù ex utraque parte fortuna, virtúſque pependit, nunc cedente, poſt Luſitano rurſus inſtante, atque eodem, quo proruperat impetu frequenter cum equitibus ipſo revecto, impulſóque acriori donec coacta ex iteratis, ac ſæpè refractis incurſibus ira, utrique mox pertinaciùs ad pugnam incubuere. Itaque fiſtulas modò ferreas excutere, modò ſtringere gladios, aliàs in equos furentes equos impingere, his à ferocibus equis, ab hominibus aliis extruſis, paſſim fremitus, clamor, fragor, & fulgor armorum, multiplices ictus, victores cum victis, cæſi cum cædentibus implicati, omnia caſus, & furor ubique confundere. Jámque diutiùs quàm ira pati, vel impetus poteſt trux illa, protracta pugna pergebat, cùm integro adhuc animo tamen, integra vi, & rebus utrinque dubiis tam fugæ plerique quàm ſalutis immemores aut cædere, aut cadere, & mori in eodem immoti veſtigio, locóque perſeverabant, cùm Emanuël Freirus magiſter equitum Luſitanus paucis ab dextero cornu ſubductis equitibus, aliíſque fortè ſolutis, & obvüs curſim adjunctis è fronte ſublatus, & aliquantulum circumvectus in hoſtis latus improviſus incurrit, quod cùm protinùs diſſolviſſet, inde vehementiùs prima perculit agmina, quæ ex Auſtriaci, Sangermaníque Ducis conflata cuſtodiis ferociùs hucuſque pugnaverant, & hoſtium impetũ ſuſtinuerant.

Alæ

Alæ hujus equeſtris Duces in hoc cornu eminentis erant Comes Spinardus Hiſpanus, & Sanctæ Chriſtinæ Dominus Italus, hic Sangermani cuſtodiæ Præfectus, ille Joannis Auſtriaci, qui à fronte, atque latere cùm vidiſſent ſuos milites circumventos, & primo quidem impetu fluctuantes, mox cedentes, eorúmque turbatione, impulſúque reliquos qui adhuc integri ſteterant, fuſos, viribus ipſi quanquam tunc enervati, quos tamen in animo nervos habebant, magnitudine ſpiritus intendentes ſuos milites intercurrere, minitari, obſecrare, ut pavorem, ut fugam ſiſterent, modò ſuos retinere, modò occurrere hoſti; tandem cùm omninò formido, quæ nedum hortamenta cogit, ſed arma quoque præſidia ſalutis abjicere, affectos animos pervaſiſſet, re deſperata Duces, avidè ſibi, & cum vitæ quoque jactura aliquod belli decus petebant, quod jam in fugam converſa ipſorum agmina amiſerant. Comes ergo Spinardus concitato calcaribus equo, cruentámque ſibi inter hoſtes ferro, curſúque ſemitam ſternens in Freirum infeſtus, ac præceps agitur. Fit in medio inter eos ſingulare quaſi certamen, Freirus multis poſtremò vulneribus ictus delabitur equo, atque acie ſubductus paulò poſt moritur. Equo ſuffoſſo Spinardus, & graviter ſaucius è prælio diſceſſit. Hujus conſpectum lethale repenrè vulnus, caſúſque, cúmque expiranti ſimilis ſervorum inter manus abduceretur, pavorem & fugam militum auxit, ejúſque præſertim agmen penitùs fregit. Pari quoque fortuna jactatos milites Ducis Sangermanenſis, quos regebat Sanctæ Chriſtinæ Dominus, non tamen armis inultos fugas, ſeu cædes abſtulit, ipſéque tandem poſt multa virtutis experimenta, eáque vulneribus inſignita vivus ab acie ſublatus eſt. His agminibus fœdè cæſis, aut fuſis, ac reliquis paſſim ordinibus ſciſſis, atque implicatis, cùm ferè omnes primi compreſſi lateris milites trepidi fugam arriperent, ſive ſpectarent, una ſupererat equitum ala, Franciſco Aghiarro Duce, quæ in arcto poſitis fortè rebus, atque extremis retenta ſubſidiis hucuſque quieverat. Seriùs hæc poſteà, quàm oportebat, ad ſociis jam fractis ſuccurrendum immiſſa, hinc incitatiùs ab hoſte impellente, hinc à ſociorum fuga, tumultu, impetúque raptata, atque acerrimè illiſa, tot una incumbentium ſe, ſéque ante, retróque jactantium concurſu denique abrepta, ac profligata momento eſt; Franciſco Aghiarro Duce, dum ſtrenuè pugnabat, confoſſo. Sub hæc Didacus Cavallerus qui & ſupremi Caſtrorum Præfecti, & Magiſtri equitum munere gravi cum rerum militarium incommodo fungebatur, dum in vertice collis peditibus præſidebat, miſit, qui lævi equitibus cornu adhuc integris imperaret, ut dextero cornui jam undique preſſo, ac labanti ultimam opem citiſſimè afferrent. Hæc tardiùs ob loci diſtantiam, atque interpoſita impedimenta cùm perlata mandata eſſent, ſimul in medio via circunciſa, implicita dumis, extricatúque ſanè difficilis effecit loco, ac tempore iniquo tranſvecti equites, cùm inire pugnam deberent, corruptam ibi rem offendentes, nec ſibi ſatis, nec ſociis auxilio ferendo eſſent; ſparſa tunc temporis fœdum in modum jacebat humi ſtrages armorum, hominum, equorúmque & ipſa clades, cladiſque funeſtæ reliquiæ, horum, qui novi ad dimicandum acceſſerant, horrorem oculis, formidinem animis, etiam offendicula pedibus ingerebant; cohærentes præterea, ſe ſéque ſtipantes hoſtes,

& undique circunfuſi cœperant jam appropinquantes equites intercludere; qui ſeriùs porrò convenerant equites Caſtellenſes, afflictis hucuſque rebus, cùm ſtatariam incipere pugnam auſi nequaquam eſſent, continuò ſoluti, vagíque ſine imperio, ſine ullo ordine errantes plurimi defluxere, pauci, qui reſtitere velitantium in morem prout occaſio ferebat, aut impetus palam, aut furtim cum Luſitano congrediebantur. Fuere inter eos memoria præcipua digni Comes Boëttus Italus, Brunúſque Burgundus, quorum hic alacriter pugnans equo demum excuſſus, ac cæſus eſt, ille ſuo, & hoſtium cruore ſatis oppletus, & laſſus tandem captivus abducitur. Dum ita in planitie equeſtris exarſerat pugna, haud minùs acris, ac pertinax illa erat, quæ propè collium faſtigia utriuſque partis pedites exercebat. Erat tunc princeps Luſitani peditis Ductor Comes Scombergius, cui cùm ad hoſtem nimis in alto ſitum aggrediendum non minori labore, quàm periculo eſſet, & collium altitudo, & aſcenſus aſperitas ſuperanda, non deficere modò vires audaciæ, ſed ne animus quidem audaciæ ſufficere videbatur. Ex militibus tandem aut vitæ contemptione, aut gloriæ cupidine incenſis, ac mutua inter ſe adhortatione firmatis Angli primi fuere, qui ſtolidè in ſpeciem ambitioſi, aut feroces immaniter viribus ſcabroſum, & valde lubricum iter illud ingreſſi temeritatis exemplo cæteros excitarunt. Subibant pecudum modo genu, ac manibus potiùs per fragoſa, & abrupta, quàm pedibus nixi; porrò temerè ſubeuntium multi fallente veſtigio, multi in præceps ab hoſtibus acti; quamplures ruina antecedentium ablati proximos quoque trahebant, viſúque profectò deformis, ac miſerabilis facies erat in ea volutatione armorum hominúmque ruentium cernere plures eminentium ſaxorum offenſione, caſúſque vertigine magis, quàm ictibus hoſtium cruentos, ac laceros, cautéſque cruore ſtillantes, armíſque disjectis undique ſparſas, pauci tamen qui per aſpera fortiùs enixi, ſéque invicem adjuvantes, ſublevantéſque ſummo labore cacumen attigerant, ſtrenuè dum ibi pugnant, dum prælio occupatum diſtinent hoſtem, dedere, & alii ponè ſcandentibus locum, ut impunè ſuccederent. Poſtremò tres Luſitanæ legiones incolumes, & mollioribus quoque ſubvectæ locis cùm in verticem evaſiſſent in æquo ibi ſtatim explicitæ loco vehementer invadunt primam Caſtellenſium peditum aciem, quam Agnellus Guſmanus, & Ludovicus Friaſius regebant. Caſtellenſes vix tum ſemel ſclopis in hoſtes exoneratis, nullo inſtante, nullo impellente, animo citiùs, quàm viribus deſtituti, armis ſtatim abjectis, ſe ſe impudenter in fugam præcipitant. Id porrò in conceptam, ex felici hoſtis temeritate præter omnium opinionem jugi altitudinem prætervecti, formidinem quidam auctores referunt, alii, ſed verius, in caſu, ac temerè emiſſam à Duce quodam timido vocem, eſſe ſcilicet ipſos jam ab hoſtibus intercluſos, quibus, & ipſam, adde, quæ ita ſola in exercitu erat, militiæ partem ex tyrone compoſitam milite, & quæ ut hoſtium ardorem & impetum exceptura, atque in fronte robuſtior, ac fortior eſſe debebat, tanquam ignavam, bellíque rudem, terrore inſolito adjecto, primis ictibus conſternatam faciliùs dilapſam eſſe. Joannes Auſtriacus ubi turpem ſuorum, & effuſam peditum fugam cernit, deſilit equo, arreptam uni militum haſtam accipit, infeſtámque adverſus militum ejus pectora cuſpidem dirigens clamore, precibus, minis nequicquam elaborabat ſiſtere fugientes

gientes cùm actiùs in terga pugnaret hoſtis, impreſſúſque in animo pavor exanimatos urgeret. Ea quoque Caſtellenſium militum fuga, & aliorum ſine imperio, ſine ordine inter ſocios, & hoſtes ſe volutanrium militum multitudo alias extemplò acies, quam in medio Germani, & extremam quam Itali ſuſtentabant, immiſcuit, immiſtas ſubinde diſſolvit, diſſolutas penitùs fudit, atque disjecit, eóque ruptis, diſturbatíſque paſſim ordinibus Luſitanus hoſtiles acies intercurſando, ac remeando progreſſus eſt, ut victis cum victoribus irretitis, atque confuſis, perſæpè hoſtis hoſti velut ſocio, & amico præcepta dederit, aliàs proprium in cuneum ad eum defendendum exceperit. Interim agmen equitum Luſitanum, pulſo jam equite Caſtellenſe, aut occiſo, longiori, planioríque via circunductum, jubente Sancio, in reliquam peditum aciem jam errantem, ac fractam impellitur. Terror hic ultimus res Caſtellenſes omninò proſtravit, cùm prima acie in fugam effuſa, reliqua perturbata, aut ejecta eos, qui in campo fortè perſtiterant ſimul à ſociis, ſimul ab hoſte compulſos, & inter prælium, & fugam, quæ nec omninò patebat ancipites, & undique circumactos hinc pedes, hinc eques Luſitanus urgeret, & alii fugam, alii vitam eriperet. Itaque omiſſa denique pugna, cùm omnia Caſtellenſibus ruerent, ſæviſſimè cædes incaluit. Dum ita exercitus cædebatur, & multa fœda ibi iræ edebantur multa crudelitatis exempla, Sangermanenſis, Joannis qui juſſu locum caſtris proximis deſignatum perrexerat, eo ſtrepitu armorum, tormentorúmque belli fragore, quem concava montium reflexa horribilius multiplicabant, audito, confeſtim regreſſus, primò fugientium longè, latéque diffuſas turmas, deinde fœdè humi ſtratam invenit Caſtellæ aciem, ſimul ipſum Auſtriacum inter cumulos corporum, armorúmque, & ubique exultantes, inſultantéſque hoſtes extrema nequicquam audentem, gravíque ibi etiam periculo implicitum ſeu vitæ amittendæ, ſeu libertatis. Hoc viſo, ne inſigniorem fortuna cladem tanti jactura Principis redderet, hunc diù reſtitantem, reluctantémque Sangermanenſis ab extremo periculo abduxit; inde unà ipſi Duces cum admodum paucis, quos hoſtis defatigatio, aut fiducia, aut acervorum cadaverum obices interjecti reſiduos cædibus fecerant, Arroncium citato gradu ſe receperunt. Inter hæc colludente quoque fortuna, Jacobus Mazacanus, qui cum integra turma ab equeſtri conflictu poſt multa inania virtutis experimenta, in primis evaſerat, plures ubi paſſim vagantes equites videt, permultóſque cornu ſiniſtri equites, quod laxatis ſtatim ordinibus ex ſe ipſo momento penè ſolutum, ac diſſipatum fuerat, eos omnes conglobatos, atq̃ue in orbem compoſitos, ſe ſe impigro Duce ad belli fortunam rurſus experiendam hortatur. Volitare incompoſitos hoſtes; victoriæ ſuperbia, ac nimia fiducia tumentes adhuc patere periculis; majora his inter arma ludibria, nec utique raró præſtitiſſe fortunam. Conducere ſaltem, etſi ulteriùs ſævire fortuna pergat, magis cruentam, & luctuoſam victoriam hoſtibus facere, & quod virium, cruoríſque ſupereſt reddere ferro, aut commilitonum vicem ulciſci. His verbis Caſtellenſes inſtincti vertunt habenas, equóſque in hoſtes malè ordinatos admittunt, confluunt, & alii quos fuga diſperſerat, exemplo perculſi, & quantum per tempus viréſque licebat, certamen inſtaurant. Vis tamen majori ſtatim oppreſſa vi, impetúſque refractus eſt. Nam Luſitanus, in fugam impulſis,

pulſis, aut cæſis Caſtellæ peditibus, fuſo, fractóque equitatu, ſignis, belliſque tormentis abſtractis, jam plena opimáque potitus ipſe victoria tunc equite, ac pedite raptim collecto in ſe condenſatus, ac ſtrictus occurrit, mox patefacta repentè acie, quia numerus affluebat, cladis reliquias circumeundo complexus, ita premendo, dimicandóque clauſit, ut fuga paucis elapſis, quos ſatietas cruoris, aut laſſitudo tandem ſervavit, captivitas duxerit. Cæſi in hac pugna ſunt Caſtellenſes ad quatuor millia, plures fuere numero ſaucii, capti ſupra ter mille, inter quos altioris notæ gradúſque, atque è magnatibus unus enumeratur Marchio Carpenſis, major natu Ludovici de Aro filius, ingentis ſpiritus juvenis, animo militaris, atque in paterna domo quæ jura dabat Imperio Politicis artibus innutritus, ac mirificè quondam cultus, qui ſtrenuè rotando haſtam hoſtibus circunfuſus, cùm non minus hoſtilis hauſiſſet, quàm ſui dediſſet cruoris, ne libertatem ſaluti præferret, hoſtis violentia qua raptus eſt, impedimento fuit; & Agnellus Guſmanus Tribunus militum filius Turrianæ Med'næ Ducis; pluris etiam Tribuni, Ducéſque merito, ac genere clari, cùm magna ex parte cæteri præliantes occubuiſſent. Luſitani circiter mille peremti ſunt; Ducéſque eorum plerique ſaucii, cæsíve pugnando fuere, ſarcinæ omnes, omníſque belli apparatus, item magnifica, ac regia ſupellex Auſtriaci in victoriæ prædam, ac præmium conceſſit. Hæc eſt Canalia celebris pugna ex loci nomine ſic appellata, & clade Caſtellæ nobilis, ubi mirari profectò licet, quæ fuerit vis, atque vigor animi Luſitani in toties ea laceſſita, atque obſtinatiùs intenta cum hoſtibus pugna adverſus imparem, ac ſanè reformidandam, tótque inſtructam equitibus aciem, cujus in bello potiſſimùm nervus afferre plerumque victoriam ſolet; quàm arduus, quàm celſus, ac turribus ſimilis duplex inſeſſus fuiſſet à Caſtellenſibus locus, & ſuperatus; quæ per diem ferè totum inter laboris, ac temporis æſtus tracta pertinaciter pugna ſit, ac nocte ſimul palmæque acceſſione dirempta, quo uno quidem propitio prælio vacillans atque hactenus fluctuans regni diadema Bregantio penè firmatum eſt. Hîc etiam plerique ut ſupra quoque tetigimus Joannem reprehendunt, quod nec pro egregii, ut latè ſonabat, nomine Ducis, nec pro recta diſciplina militiæ cum ingentibus copiis ultra quindecim ipſe leucas hoſtici prætergreſſus, à tergo vel ſponte præcluſus, reliquerit Eſtremotium, Campomajorem, Elvum munitiſſimas regni arces, & quamvis ille, quod Rex innuebat, in animo volutaſſet, prælio uno proſperè geſto, debellatum omninò fore, id tamen non adeò iniquè, non adeò abruptè quærendum cum inextricabili propè periculo fore, in viſceribus ſcilicet Luſitaniæ, inter uncos, & ungulas hoſtium, in faucibus propè famis, ſine certis ſubſidiis, ſine alimenti copia, ubi omnia undique hoſtilia infeſtáque eſſent hærenti. Hinc Eborenſem porrò victoriam inverſam, ac tam citò corruptam; hinc elatos animos hoſtium, ſociorúmque demiſſos; hinc poſteà non prælium, ſed cladem quæſitam eſſe. Sic errore, aut inſcitia Joannis Luſitanos intumuiſſe, frange modò inſolentiam, tunde ferociam hoſtis, ſi quid animi, aut virium ex funeſtiſſima clade ſupereſt. Hos æmulorum aculeos, & morſus, vulgatáſque latè querelas in hunc modum diluebat Auſtriacus. Eboram ſcilicet obſidentem Joannem ſpem ipſum fefelliſſe Caſtellenſis ad rem apud Gades paratæ claſſis, quæ pro inflatis ab aula promiſſis in tempore adeſſe debebat propinquo eidem

eidem Eboræ portui, urbem ille cùm ſubegiſſet, ſi ſtetiſſet hominibus fides, nec vana ipſe expectatione deceptus eſſet, claſſis eo tempore amicæ cum recepta nuper urbe commercium, & copiis, & loco uberes commeatus, ac prompta præſidia facturum fuiſſe. Hanc autem amiſſam ſpem, hanc fallacem omninò fidem omnia ſibi peſſum dediſſe. Nihilominus vera, uſúque trita ſententia eſt, nervos, atque artus eſſe ſapientiæ non temere credere, quæ ad conſuetas, nimíſque ſegnes miniſtrorum Hiſpanorum dilationes, egeſtatem ærarii, bellíque momenta contracta volubilem quoque fidem minuere in Auſtriaco debebant. Cæterùm ad Arroncium cum paucis militibus vectus Auſtriacus reliquias ibi deleti exercitus colligebat, dum Eſtremotium Sancius victricibus copiis adductis humo tegi cæſorum corpora juſſerat. Quod cùm religioſè, ac more militiæ perpetraretur, eodem tempore accidit, ut Pirovani Marchionis Mediolanenſis, qui Tribunus pro pugna ceciderat, homo quidam familiaris extincti corpus amici ſtudioſiùs, quò ei juſta perſolveret, quæreret; oris præterea, atque habitus ſigna dederat, pretiúmque haud exiguum aliquibus conſtituerat quæſiti, inventíque fortaſsè corporis. Difficilè tamen erat, in tam lata, ac referta cadaverum ſtrage, viſuúmque deformium cruore, tabóque fluentium ſimilitudine, & fragmentorum humanorum acervis tum corpus, tum aliam ab alia corrupti vultus figuram diſcernere. Hæc ille porrò ſollicitus obiens, ac ſedulò circunſpiciens videt tandem ſibimetipſi notum defuncti Pirovani canem, qui uni cadaverum aſſidebat, triſtique ululatu latratus, & quaſi voces, ac gemitus commiſcebat. Eò ſtatim homo canis indicio commotus accurrit, offendítque jacentis amici corpus exangue, cujus deformitas, color, miſtúſque ſordibus ſanguis, adeò oris notas, & lineamenta confuderat, ut fallere quemlibet potuiſſet, niſi ipſum hærentis canis veſtigium, & lugubrè ululantis ſonitus proderet: ita inventum, ita redemptum amici corpus paulò poſt honorificè tumulat. Porrò autem idipſum dicitur animal, cùm prælium arderet, Dominúſque confligeret, dudum aſſultibus illum, unguibus, morſibus protexiſſe, poſteà jacenti, extinctóque jejunum, noctem diémque aſtitiſſe, confuſiſque dolore ululatibus propemodum defleviſſe, tandem vigilia, atque inedia conſumptum expiraviſſe. Cujus rei monumentum nec leve nos, nec inutile ſanè duximus ob jam ſupra modum vulgaris humanæ ingratitudinis improperium. Cùm igitur ita ſepulta cæſorum corpora eſſent, captivi ſubinde, ſuo cuíque pro merito, & gradu honóre, cultúque reddito longo ordine Uliſipponem trahuntur, qui ne ab infeſto, concitatóque fortaſsè populo in exoſæ nationis ludibrium, & odium convicio, aut manibus læderentur, nocte intempeſta Uliſipponem inducti ſunt; nam profligari, diſſipatíque exercitus Caſtellenſis, cùm pridiè adveniſſet Uliſipponem nuncius, ut ea ipſa qua ad iram mobilitate, atque ardore, etiam ad gaudium incenſus plerumque rapitur populus, præ nimia effuſa repentè lætitia, cùm deletos audiſſet hoſtes, is rurſus, & frequens, nimíſque commotus, atque hilariter turbulentus circumlatus per urbem eſt, poſtquam totam tandem emenſam clamore, & curſibus urbem ſub Antiſtitis ædibus conſtitit. Ibi ſolutis dum geſtibus, ſibilis, atque horriſonis vocibus populus obſtrepebat, huic ille duo millia nummûm ex feneſtra projiciens: Accipite, inquit, amici, quod mihi reſiduum ex recenti rapina feciſtis; cùm ſci-

licet plebs ob iram Eboræ amiſſæ, ut ſupra narravimus, domum ejus vaſtaverat.

His conſtitutis in urbe principe rebus, Bregantius ad auferendam Eboram hoſtibus tunc maximè induſtriam, & animum contulit, cùm ſcilicet ob cladem recentem viribus, animóque concuſſum torpere putabat hoſtem, ſimul alacrem Luſitanum ſecundùm fortunæ propitiæ curſum ſpes, & animos extendiſſe, nec dum aſſuetudine, aut ſimulatis illecebris, quibus uti poterat hoſtis, veterem in Caſtellenſes invidiam brevi pro tempore civitatem diminuiſſe. Nihil propterea cunctandum ratus, cohortes, quas ad populi frænos, Cantagnedæ Comite Duce collegerat, jam illo inteſtino ſecluſo metu præcepit, cùm Sancii copiis quàm citò conjunctas ire ad Eboram oppugnandam, ibíque duos ſummos Duces, exercitu protinùs aucto, rem maximè urgere. Itaque ſtatim urbis obſidio proceſſit. Jacti, ſed ſparſim aggeres ſunt, obſidionales acceſſus ducti, tormentorum plures in orbem erectæ ſedes, mœnium ruinæ, irruptiones, cuniculi, omnia belli applicita exitia, peſtéſque ſunt. Meliori tamen conſilio temperatóque animorum ardore cum diſciplina, quam Luſitani primùm amiſerant, Regis Philippi milites, qui Itali erant plerique Eboram defendebant. Nam Comitem Sartinæ, cujus potiſſimùm oneris erat circunſeſſæ tutela urbis, cæteróſque commilitones longa hujuſmodi ſchola militiæ, ac modus præcipuè obſidendi, atque obſeſſa tutandi oppida apud Inſubres erudierat. Priùs itaque Comes ſuſpicioſos, atque inutiles homines, ubi primùm obſidio patuit, Ebora exegit; primos quidem, ne arma illi, cùm in re dura, atque turbida licuiſſet, in exteros verterent, reliquos verò, ne infructuosè alimenta conſumerent, quorum inopia laborabatur; omnia deinde eſculenta, omnémque rem frumentariam ex privato paratam, atque congeſtam publico addixit, ita ille curans, ut rata pro parte quotidie cibaria ſingulis dividendo, his nec omninò quiſquam deficeret, nec afflueret. Vetuit prætereà comeſſationum, colluſorum, ſodalitatum ſacrarum cœtus, & ſolemnium etiam dierum concurſum, & pompam, quominus fuco, obtentúque rerum ſacrarum, aut animi relaxandi circulorum occaſiones, partiúmque in occulto ſemina foverentur; aliáque multa ſimiliter, quæ in fidei ancipitis civitate proviſu digna cenſebat, effecit; eo tempore tamen ignarus, quem regio exercitui fortuna exitum ſtatuiſſet. Frequentibus etiam, & validis ab Ebora urbe impreſſionibus factis cum magno paſſim illato tumultu Comes, & rerum, hominúmque ruina milites Luſitanos, atque oppugnationis artifices affligebat; non ibi militibus Dux, nec Duci milites deerant; vis conſiliúmque vigebat; temeritas aberat. Inter hæc Sancius Emanuël quaſdam litteras intercepit clam à Duce Sangermanenſi ad Sartiranæ Comitem miſſas, quarum exemplar eſt. *Regias paulò ante copias circa Eſtremotium à Luſitano fractas, quos tamen fuga, aut prælii fortuna, quorum plurimi eſſent, ſuperſtites cladi feciſſet, cum illis conjunctos, qui eo tempore curſim, magnóque numero legebantur, conficere citiùs exercitum poſſe, qui copioſis, promptiſque ſubſidiis in Eboræ lite jam partam victoriam hoſtibus funeſtaret; ne ergo deficeret animo eo belli caſu concuſſus, quem ſæpè reciprocare tam varia, atque fallax inter arma fortuna ſoleat. Se prælio quidem non bello victos, nec ſarciendas, aut cumulandas pro mille exercitibus opes deeſſe Catholico Regi, nec una, levíque clade Hiſpaniæ fundum exhauſtum eſſe.* Litterarum hic ſenſus erat, ut nempè

aliquandiù certa quanquam urbis deditio prolararetur. Adeò fluxæ, atque incertæ res bellicæ habenrur, ut inter æſtus, & fluctus deperditæ propè rei vel momentum captare temporis uſui eſſe fortaſsè poſſit. Hujuſmodi epiſtola primùm à Sancio, & Cantagnedæ Comire viſa, ac diligenter excuſſa Ducibus dubium injecit expediret necne, quos deprehenderanr codicillos cum notitia deleti exercitus ad Sartiranæ Comitem reddi, an poriùs deſerere ipſum illa cura planè ſolurum, & animo vacuum, atque in rerum ſuarum caligine perperam conſulenrem. Hinc ſcientia cladis acceptæ ſpes, & animos videbatur eſſe repentè Italicis abjectura, ſegnioréſque deinceps factura Duces ad urbis defenſionem, hinc autem inſciria, quippè quæ validi proximíque ſubſidii inanem paſcerer hoſtibus ſpem, eos minus deinde ad tutelam ſolertes, ac providos præſtitura milites videbatur, quò cruori, quæſiríſque ſæpè periculis parcerent, & hominum alimentis, quemadmodum accuratiùs caveri pro diururna urbis obſidione, productóque ſubſidio ſolet: ſucceſſus ignaros inanis illos fiducia, contemptúſque periculorum, gnaros cum ſollicitudine merus cepiſſet, at faciliùs profectò eſſe perdere omnia imprudentia, quàm prudentiam cum indigentia rerum omnium in arcto poſitam frangi. His in conſilio agitatis, Impertiendam hanc eſſe confeſtim Sartiranenſi notitiam Sancius, ſupprimendam Cantagnedæ Comes cenſebat; uterque poſtremò alrercationibus laſſus magis, quàm victus mediam ſententiam amplectitur, convenírque inter eos, ut moneretur de exercitus clade Comes Sartiranenſis, at aliquantò ſeriùs, quando ille ſcilicet, qui temporis curſus, qui fuiſſet exitus rerum ignarus extracto per errorem obſidio multum hauſiſſet pugnando militum, multum tempus terendo cibariorum, ac deſperatio tandem proximi auxilii cum certa rerum inopia copularetur. His ſtabiliris, inrer hæc novus Eboræ Gubernator, cùm dies, noctéſque jam provocantes, jam ſe ſe defendentes certamini ſemper intentos, ſuccedentéſque per vices omnes milites tenuiſſet, iiſdem ſæpiùs erumpentibus urbe, cùm in meliori quamquam fortuna attriræ paulatim quoridie tamen defluerent copiæ, ſimul quæ urbi impendebant, cùm per vim occupata cœnobia eſſent, crebríſque tormentorum ruinis jam lacera mœnia fatiſcerent, undecimo tandem ab Ebora obſeſſa, atque oppugnata die Luſitani permiſſione priorem arte retentam, & inſuper aliam hujuſcemodi exempli miſſam accepit Auſtriaci nomine epiſtolam. *Præſcriptas ab ipſo pro ea circunſeſſa civitate ſuppetias ob cladem recenter acceptam, incurrentéſque improvisò difficultates, diutiùs, quàm anteà crediderat, protrahi; quando igitur ille ita afflictæ jam Eboræ non valeret, vel ſtrenuo præſidio conſuleret.* Attoniro ſimilis legit has litreras Comes Sartiranenſis, & repenrino, gravíque dolore perculſus, ubi ſecum ipſe revolvir, Caſtellæ exercitum cæſum, nec alium certè ram citò futurum in prompru, qui illi æqualis, ac viribus integer Luſitanis jam nervis, & animo auctis opponeretur, ſéque intus eſurie, foris armorum ictibus premi, circunfuſum præintereà ſolo undique hoſtili, armis obſeprum in planè ſuſpecta, vel urbe potiùs infida, neque arte ipſa, neque narura ſatis munira, & mœnibus inſuper quaſſa, multíſque in locis ruinarum acceſſibus pervia, ad extremum juxta mentem Auſtriaci, quò bonum ſaltem præſidium non interiret, néve conſilium quod ſummi Ducis auctoritas, ac ferrea ipſa neceſſitas ſubjeciſſet in communem perniciem aſpernaretur cum

Sancio

Sancio Emanuele, & Cantagnedæ Comite urbis deditionem pactus hiſce legibus eſt. Armis inſtructi, ornatíque abirent Ebora hoſtes, in Luſitania tamen commoraturi donec decurreret æſtas. Omnia prærerquam arma, & quæ ſinguli ſecum transferre poſſent, in urbe relinquerent. Octo prætereà Ducis arbitrio milites lecti, quibus inde larvatis quò ire liberè placuiſſet, iter fide publica patuit. In hunc modum amiſſa, brevíque deinde recepta Luſitanis Ebora eſt, his maximè uſis ertoribus hoſtis, qui in adeò egregium, ac peritum armorum Ducem, & puerum militem quondam, uſúque ac peritia duratum exercitum cadere poſſe minimè videbantur, niſi etiam errare aliquando, labíque propè ipſa irata, atque adverſa fortuna cogat.

Joannes Auſtriacus collectis ex fuga, cladiſque naufragio militibus cùm nec ſatis adeſſe ſibi præſidii cognoſceret quo lapſuræ jam Eboræ ſubveniret, acriórque eumdem inſuper cura repungeret, ſuæ exiſtimationis, famæque reſarciendæ,quam ab utriuſque infortunii vulnere læſam noverat, in hoc æſtu, animíque jactatione capere furtim Elvum conſtituit, exiſtimans ſeu nuper adeptæ victoriæ fiducia deſides hoſtes, ſeu cura, & labore Eborenſis obſidionis implicitos negligentiùs eſſe cæteris proviſuros. Miſit igitur Didacum Cavallerum cum multis equitum, multiſque peditum turmis, qui poſt cladem Canaliam ſerò ex Gallæcia convenerant, ut rem ex ſententia tranſigeret. Hi tenebrarum ſilentio Badacocio profecti, cùm adhuc nox interflueret, haud procul ab Elvo conſiſtunt: ibi vias intercludunt, obvios etiam occidunt, aut capiunt, ne accedere ad urbem inſidiarum indicium poſſet, deinde ſcalas, & arma furtiva parant, poſt pedetentim accedunt, aliis cum ſilentio præmiſſis, aliis retrò expectantibus ſignum, quo in tempore ſubvenirent. Sed ea res fruſtra fuit. Comitis quippè Sabugalii, qui tum urbem regebat, ſollicitudo cùm omnia ubique explorata, atque attentiſſimè cuſtodita teneret, jam fraudem præſenſerat hoſtium; intenſiùs propreteà ea ipſa nocte duci vigilias juſſerat, excubantium numerum duplicem eſſe, ad buccinæ ſonitum, ad campanarum pulſum confluere ad mœnia ſtatim armatos cum militibus cives. Itaque hoſtium dum oſcitantium incuria, ac negligentia freti temerè Caſtellenſes urbis mœnibus appropinquant primò clamore vigilum perturbati, mox tormentorum contortis fulminibus icti, tandem rejecti, atque expectatione deluſi Badaçocium irriti reverterunt. Alia ſubinde nec exigui momenti clades ut perinde felices, ac infelices, ne à ſuo tam citò tenore deſiſtat, mos eſt fortunæ, repetere ictus, partibus regiis acceſſit. Arroncium per arma tribus ante annis, ut diximus, Luſitanis ereptum rerum ab Auſtriaco in Luſitania geſtarum bene primitias pro bello poſuit; ídque celeriter runc munitionis inopia ſublatum, quia bello inter hoſtes trahendo opportuniſſimum videbatur, impenſius Joannes muniri juſſerat; fraudulento verò conſilio, aut ibi fortuitò potiùs evenit, ut ignis injectus bellico pulveri, qui eo tempore multus in arce ſepoſitus erat, mortiferam ubi peſtem concepit, ruptíſque ſaxorum clauſtris evomuit ſua vi, ſuo impetu revolutus, atque retortus everteret funditùs arcem; ſimul etiam effuſum rapidè incendium, cùm hærentia, & contigua quæque munimenta corriperet, cuncta, quæ afflaverat, ingenti ruina, atque ſtrage proſterneret. Sed miſerabilior, atque deformior profectò fuit tum præſidii, tum oppidanorum hominum internecio quos flamma

ma peruſſit, aut quos per ignis impulſum rotata deſuper ſaxa partim occiderunt, alios contuderunt, plurimos mutilarunt, quos etiam mortalis animo infixus repentè confecit horror, quibúſque ſubſtratis, & adhuc viventibus animam lapidum moles, & cumulus interclusit. Jacuit horribilis, altáque ſtrages. Supra duo hominum millia eo dicuntur impetu hauſta, vel graviter læſa. Cæterùm eo tempore armatum ſi fortè ſe Luſitanus tantæ ruinæ celeriter oſtendiſſet factu planè facillimum videbatur, ut boni oppidi acceſſione partas nuper victorias congeminaret. Is tamen ſalubri quodam temperamento ſatis hucuſque quæ adverſus potentiorem, virtute, aut fortuna aſpirante, geſſerat, habens ſalibus tantum jocatus calamitati ejus oppidi alluſit, ſcilicet cùm propter inſignem adeptam de hoſte victoriam tota jam Luſitania gratulabundis, lætíſque paſſim arderet flammis, idémque feſtivus iniquè fulgor ejuſdem regni oppido negaretur, hoc ideò funereis pro lætis torrida ſaxa facibus ſubjeciſſe.

Dum ergo in hunc modum Luſitanus undique exultans, hoſtilis deleti exercitus, Eboræque ſtatim receptæ victoriam duplicem agitabat, alia profectò ſpecies, mentíſque tumultus, ac perturbatio animorum, & quæſtus aulam Catholicam occupaverant, Luſitaniæ nimirum ea tempeſtate recuperandæ jam fractiorem illo ictu cernentem ſpem, graviorique ſenſu doloris affectam, quod ea repentè ſpe decidiſſet, quam ſibi ampliorem res paulò ante bellando geſtæ conflaverant. Auſtriaco præſertim irati, infeſtíque erant aulici ferè omnes quod longè periculoſum, atque inextricabile emenſus cum militibus iter armis Eboram quæſiviſſet, tam captu facilem urbem, quàm brevius amiſſu, & quocumque etiam fortuna inclinaſſet, tanti laboris, periculi, ſumptúſque tanti mercedem nimis exiguam. Magnopere quoque lædere, & lædi Joannes in illa epiſtola viſus eſt, qua luctuoſum prælii exitum, atque exercitus cladem referens Regi ſtomachi plenus, & iracundiæ his verbis initium juveniliter duxit. *Nemo, Rex, ut decebat, in hoc certamine Ducum ſui muneris partes implevit, nec ego quidem*, velut urbano more loquendi uſus adjunxit, *ſiquidem calor, & ſpiritus adhuc his oſſibus hæret, nec profluenti calamitati, ac reliquorum exitio militum, ruinæque reipublicæ ultrò me ipſum comitem dederim.* Eo enim celeri, incauto, ac nimiùm acuto ſcribendi ſtylo Joannis in vulgus effuſo, alii vehementer perciti Duces ſtudioſiùs annitebantur in auctorem maledicta rejicere. Quod vitio præthereà, & conſuetudine tritum in omnibus ferè præliis infelicibus accidit, nempè alium in alium, atque in Duces præcipuè deonerare facinoris culpam, aut ſortem, hoc acriores ſermone illo Joannis invidiæ, ac vindictæ ſubjecit aculeos, cùm eadem, quæ duplex ureret Duces offenſionis, defenſioníſque cauſa, eos quoque inflammatiùs in illum urgeret. Acceſſerant etiam veteres obtrectatores Auſtriaci, qui, quem injuria allatrare ſoliti erant, nunc jure mordere non negligebant, & qui in aula promiſcuè deprimere bonos, elevare immeritos ſtudent per fas, atque nefas eſſe cunctos ſimiles ſibi aut infra ſe cupientes, quíque arida manu, hebeti intellectu, at vivida lingua carpere omnia virulenti ſuevere, quibus impares ſunt; eóque tandem populares inſectationes, atque quærelæ in Auſtriacum provectæ ſunt, ut fama, quæ de induſtria illuderet vulgò, ſeu dubia, & incerto, ut fit ſæpè numero, auctore manaverit, in armorum contra Luſitaniam imperium à Rege Joanni ſucceſſorem

curaret Urtatus, juſſerat, quomodocumque ac celeriter poſſet, ſpes, conatúſque Oſſunenſis infringi. Joannes autem Auſtriacus, qui tunc Badacocium ab aula redierat, ubi animo volvit, à Duce Oſſunenſi ſuſceptum improvidè opus ultricia quamprimùm Luſitana eſſe arma revocaturum, excitatúmque rurſus & circum armorum incendium, ac dilatatum ob loci propinquitatem ſui quoque juris, ſuæque tutelæ addictos corripere terminos poſſe, tam de ſuo, quàm de Oſſunenſis periculo anxius, miſit Comitem Boëttum, qui captivi cujuſdam mutatione paulò ante ſolutus ab hoſte fuerat, ut cum aliquot equitum turmis cuſtodiæ, ac præſidio Alcantaræ finibus eſſet, & ſubſidio Oſſunenſi à Luſitanis fortaſsè circa muniminis fabricam appetito. Intereà Oſſunenſis propugnaculi extructionem, & operarios à tergo habens in loco munito conſederat, aderánt que tum illi peditum ſeptem circiter millia, equitum ſupra duo millia, ac totidem ferè inſtructos ad pugnam, atque in caſtra receptos è regione milites Luſitanus habebat, ſpatio tormenti ferè bellici jactus inter ſtationes oppoſitas interjecto. Cæterùm Caſtellenſis, cùm nec aleam adire manúſve cum hoſte conſerere, ſed eorum defenſionem, qui munimentum ſtruebant primo loco reſpiceret, re planè pacata, operarum, caſtrorúmque tutela contentus conſilium immotus, ac tutus perſequebatur. Idipſum reputans Luſitanus ſuo tegendo ſcilicet operi intentum pugnandi copiam non facere hoſtem, nec ſecus illi expedire, ſimul invadere ipſum caſtrorum præſidiis, ac ſeptis incluſum præcipitis fore conſilii, nec minùs periculoſi, caſtra hoſtium integra præterlabi, ac rectè operas adoriri, cùm terga ita præberet, ut ipſa impunè cederet hoſtis, tum ædificii præſidiis occaſionem, qua Luſitani penè interclusi animoſius frontem urgerent, ideóque inutilem ſibi moram, hoſtique opportunam in loco pergere putans, dum munimenti conſtructio, quæ interturbari debebat, nec poterat, jam ſine obice creſceret, his illé argumentis adductus ſua ſtatim deſerere caſtra conſtituit, atque in Caſtellam populabundus ingreſſus incendio, cæde, rapinis, intercluſione, atque inopia alimenti cogere Caſtellenſem, ut æquo certamen quæreret loco, aut fabricam intermitteret. Itaque Alfonſus Urtatus agmina quædam equitum, qui paucorum contracta dierum, ad alendam in hoſtico aciem alimenta conveherent; Almeidam immiſit. Hos è ſpecula progredi equites cùm Oſſunenſis aſpiceret à reliquo exercitu ſeparatos, continuò caſtris egreſſus aggreditur, majorem inde ſecum equitum partem ducens, atque ea ſimul auxilia, quæ Auſtriacus illi pro pugna ineunda contulerat, iiſque copiis in tria ſtatim agmina diſtributis cum hoſte certamen intendit. Tunc Luſitanus majori, ac repentè hoſtium numero circunfuſus, primóque impetu penè obrutus, ac ſtatariæ proinde, certæque trahendæ pugnæ diffuſus nunc ſimulare fugam; poſt regredi, nunc ſpargi, nunc redigi in orbem, aliàs exterius per latera incurrere, atque ita ille circumeundo, eludendo ſæpè irruentem, ac ſæpè prementem ſuſtinuit curſus ambagibus hoſtem, donec cæteri equites cum cohortibus in ſubſidium à Luſitano Duce, qui ſociorum periculum viderat, miſſi ſupervenere. Horum acceſſione in ſe collectis, ordinatíſque quos adhuc metus abjecerat, aut ſimulata fuga diſtraxerat, ſtatim ex more directa acies, æquatúmque primum certamen eſt. At militibus Luſitanis præter recentium adjectum equitum robur, alii

quoque interpoſiti ſclopetarii, alii haſtati pedites frontem, & latera muniebant, ita, ut haſtæ directæ, ac ſæpiùs in illo contortæ tumultu modò inter ſe colliderent equos, modo equorum præciderent curſum, multos in præceps interdum volvérent equites. Acriùs igitur in illa duo, quæ exporrectis cornibus prima ſimúlque ſe objecerant Caſtellenſium agmina impetum facientes, intendentéſque Luſitani diſſolvunt, ac fundunt. Supererat tertium, & jam integrum agmen militum, Caſtellenſium, quod diſcriminis aleam hactenus non adierat. Hoc tamen primi, & alterius effuſa Caſtellenſis agminis fuga, & per ſocios, per hoſtes illiſi, ſuperante quoque pavore, diffugere connitentis, turbatis ordinibus miſcuiſſet, niſi Hieronymus Garcia, Coméſque Boëttus, qui ſubſidiariis hiſce militibus præerant, imperaviſſent, equeſtrem ſic alam extendi, ut intervalla eſſent, per quæ fugientibus aditus incorruptis agminibus præberetur. Inter hæc accidit, ut in illo inſectantium, elabentiúmque tumultu ablatis jam hoſtibus ſignis, arrepto loco, & aliis prædæ, aliis cruoris cupidine implicitis, fortè tunc Luſitanus divelleret ordines, cùm prælio hucuſque paratum, & integrum ſtabat nervoſius, ac firmius, quia veteranum erat, tertium Caſtellæ, quod diximus agmen. Hoc ipſum etiam ita partim locatum in illo ſitu ob tumulorum objectum erat, ut difficilè cognitu foret hoſti, quem hominum numerum tumulorum tranſverſa tegerent. Adhæc ex fuga, & errore palantes, nec longè diſtracti milites, cùm inſcitia viarum incertos eoſdem, quò irent, averteret, ac ſolidum illud ſuorum militum agmen fortè incideret oculis, eidem ſponte ſe ſe ad unum ſalutis effugium adjunxerant. Ubi igitur temerè ſparſos, & incompoſitos hoſtes, ſuámque recentem, & adventitio quoque milite auctam conſpicit alam Boëttus cohortatus alacriter ſocios illo impetu, illa vi animi fertur in hoſtes, ut multò quàm anteà ferociùs renovatum certamen fuerit hinc ordine, & arte belli, temperatóque prudentiæ monitis impetu, ſimul demendæ ignominiæ Caſtellenſibus cauſa, illinc majori numero, atque fiducia incumbentibus Luſitanis. Dum latiùs hîc itaque furit, ardétque conflictus, alternáque militum cædes, Joannes Aïala Caſtellenſium equitum turmæ Ductor, qui cum pedeſtribus copiis, ac nonnullis equitum turmis pro caſtrorum relictus præſidio erat, ita jubente Oſſunenſi, cum iis, quas ſecum habebat, copiarum reliquiis irrumpit in caſtra propinqua hoſtium, illa tum imminuta, ac propemodum vacua ratus, majores cùm vires exercitus Luſitanus in pugnam equitum conjeciſſet; quapropter, aut inde erat ad caſtrorum tutelam hoſtem eo conatu Oſſunenſis evocaturus, aut caſtra neglecta ſuperaturus. Nec porrò hæc Oſſunenſem fefellit opinio; nam de caſtrorum invaſione, ac tumultu in primis ſollicitus Alfonſus Urtatus Dux Luſitanus, cùm opulenta eſſent, & capta amplioris victoriæ ſtrepitum edidiſſent, dum in vulnera, & cædes avidiùs hinc inde milites ruunt, cænóque, ac ſudore permiſtus latè ubique manabat ſanguis, aliis ferro cæſis, multis equorum impetu obtritis, & dum adhuc ambiguum certamen pendebat, ad caſtra tuenda converſus remittere ardorem, laxare pugnam, ac ſenſim compoſito gradu retrocedere cæpit. Paulatim inde cedentem noluit premere Oſſunæ Dux tum aliquid laſſis, languidiſque militibus timens, tum fortunæ viciſſitu

viciſſitudines, quæ primò adverſa, mox ferè proſpera, cùm etiam afflaret, minitabunda quoque ſuis converſionibus apparebat. In hunc modum equeſtre diremptum certamen eſt; ex quo ſingularis quidem audaciæ laudem, vitæque contemptus retulit Oſſunenſis, nec minùs profectò Hieronymo Ganiæ, Comitíque Boëtto, qui auxiliarias Auſtriaci copias regebant, commendationis, ac meriti acceſſit, arte ſcilicet eluſiſſe, ſuſtinuiſſe conſtantia, penè virtute viciſſe hoſtem, omninò illi extorta de manibus palma. Pari propè cæde utrinque promiſcuè ad octingentos equites cæſi, longe minor peditum numerus, ſed fortiores ex Luſitanis, multi præterea capti, inter quos & Legatus equitum Luſitanus, qui cuſtodibus pretio corruptis ſtatim elapſus eſt. Hujus certaminis finis, quæ in caſtris nuper exarſerat, illicò pugnam avertit, neutris, jam omnibus fractis, ac feſſis, variáque fortuna jactatis, in tanto diſcrimine expediente, retentare conflictum. Cæterùm Oſſunenſis belli cauſa, ac terrore non intermiſſo viris, armíſque ſuccinctus ad propugnaculum deſudabat, ibi tria minora propugnacula adjecta, ſimul foſſa, & criptæ, tectíque meatus, ſed immodico ſumptu, ac labore protracta, cùm his temporibus turbines, cœlíque imbres, aquarúmque ex prono collium, atque humido ſolo collecta fluenta perſæpè coagmentatam, recentémque materiam lacerarent, ac ſolverent, & reficere crebriùs neceſſe erat, quodvis aquarum, cœlíque tempeſtas divulſerat. Aſperæ factu rei ſpes quoque aſperior acceſſerat. Procul enim à Caſtellæ commercio, & inter ungulas hoſtium eo propugnaculo ſito, inde vis, inde inſidiæ, ac ſemper infeſta propinquitas imminebat. Idcircò ſæpè vi aperta, ac repentè, ſæpè furtim opifices diſturbabant, & operas evertebant. Interim Ducis Oſſunæ uxor ſpecie, juventa genere mulier inſignis virum viſendi gratia, atque illa opera inſpiciendi, quæ ad ſui nominis monumentum, & gloriam tunc conſtiruere Dux videbatur, ampliſſima pompa, & comitatus ornatu ad exercitum venit. Excepta ibi fœmina Princeps eſt ingenti acclamatione plauſúque totius exercitus Caſtellenſis, qui ſuos inter ordines dimicantis more compoſitus quâ nitorem, & elegantiam armorum, ac ſedulò compta, explicatáque ſigna oſtentabat, qua turbarum, timpanorúmque concentum eliciebat. Comediæ ſubinde inter milites actæ, & muſicorum greges adjecti, & lautiora convivia paſſim extructa, adeò, ut animi, aurium, & gulæ ſupra modum cumulatis illecebris, ille bellicus apparatus jam in popinas, & ludicram ſcenam converſus eo uſque militaria officia tranſverterit, ut altioris quoque virtutis, ac meliori exercitos diciplina emollire, atque enervare milites potuiſſet. Audit hæc apud Almeidam Dux Luſitanus; miratur mulierùm turbas militibus miſtas, & comeſſabundum, ac planè mollem inter ludos, & jocos incedere Caſtellenſem; intelligit etiam, quàm factu facillimum foret, temulentia animíque laſcivia fluentem conficere, aut tundere ſaltem hoſtem. Occaſionem tamen agendæ rei fortuita res quædam corrupit. Nam Petrus Magallanius nondum per id temporis erat gravi corporis ægritudine explicitus; aberat tunc Urtatus, qui vices ejus impleverat, & Petrus nec moleſta valetudine omninò, necdum viribus recreatus in ipſa meditatione, & conſilio obeundi necne ſui muneris militaris pendebat animi, ipſius ſcilicet corporis infirmitate cum alte-

rius vigore Ducis, & ſuorum collata militum diſciplina, cum illorum intemperantia, poſſet-ne bonus, ſed Duce imbecillo miles, effœminato, ſed cum integro Duce, in bello militi prævalere. Occaſione igitur prætermiſſa, nobilis mulier poſt paucorum dierum in campo moram ad Civitatem Roderici reverſa eſt, quò & Dux Oſſunenſis paulò poſt abiit, propugnaculo jam perfecto, ejúſque cum egregio præſidio tuendi Gregorio Tapiæ tormentorum Præfecto commiſſa cura.

Intereà cum ea animorum commotione, & nocendi, prædandíque cupidine paſſim obſtreperent arma, tumultuarius quidam apud Jereſium, & cauſa prædarum inchoatus fortè conflictus truciorem, quàm initio ex re credebatur, eventum ſortitus eſt. Luſitanus è Serpæ Moræque finibus multis cum equitum turmis populabundus egreſſurus urere cæpit, atque vaſtare finitimos agros, ingentémque armentorum abducere prædam illo furore, illo impetu belli non pecori, non arbuſtis, non hominibus parcens, cædibus, igne, rapinis latè cuncta permiſta erant. Præſidebat hac tempeſtate Jereſio Petrus de Rota, ejúſque militari quoque præſidio bina tum aderant equitum agmina aliud Hiſpanum, Italum aliud, huic Dominico Olæa, illi Petro Fonreſio impoſito, una atque plenior ibidem Hiſpanica legio erat, quam idem Tribunus, & oppidi Præſes Petrus de Rota curabat. Hic tum prædabundos cùm eſſet intuitus latéque exultantes per agros diſcurrere hoſtes, has quas ſecum in oppido habebat diſpoſitas copias illos per arma contuſum, ac prædas ſimul ereptum celeriter mittit. Qui, ut juſſi erant, properè euntes hoſtibus obviam propè dum eos aſſequuntur, ſe ſeque alacriter ad pugnam expediunt, tunc Luſitanus à tergo ſepoſita præda, ordine firmus, ac ſtabilis, multóque viribus fortior, & conſtipatior, quàm adverſarius incurrens Caſtellenſem primo penè impetu obruit, paucíſque primo proſtratis incurſu, cæteris fuga ſaluti fuit. Eques igitur ita fractus, pedes, quia ſeriùs perrexerat, nec equeſtri certamini affuerat, res ubi perditas vidit, illibatus, & integer rediit. Hinc Luſitanus rapti commeatus abundè, atque opima pecoris præda congeſta Luſitaniam repetere cœpit modico tamen gradu, & fortuita rerúmque improviſa deſpiciens velut parta victoria tutus, & rapinarum etiam impedimentis, & onere implicitus. Lentè ſic incedentem nox in utriuſque regni limite oppreſſit. Itaque tracto ipſe certamine, viæque languore plane laſſatus, ac ſomno deditus in tuguria partim agreſtia, partim in ſarcinas procubuerat, ingens in medio quæ erepta Caſtellenſibus fuerat, coacervata præda ſurgebat. Hoc Petrus de Rota cùm per exploratores edoctus eſſet, illuc advolare confeſtim equites juſſit, hoſtémque, ut veriſimile fore putabat ſopitum, vel oſcitanter agentem, vel incautè fortè diffuſum per vim, aut inſidias circumvenire. Equites ſtatim ab Jereſio proficiſcuntur, curſum quàm maximè accelerant, brevíque Luſitanos inveniunt ſine ullo ordine, ſine excubiis, hinc, & inde promiſcuè ſtratos, arctioríque pleroſque ſopore complexos, humíque fuſos, ſimul arma, equos, armenta, plauſtra jacentia, prædarum cumulos, paſſim omnia ſoluta, atque omninò neglecta vident. Itaque Olæa, Fonteſiúſque Duces deſcendere ab equis, extemplò milites jubent, ipſóſque gladiis armatos, & ignibus ruere fidenter in hoſtem, & primùm longè, latéque conjectus, & ſicca, aridáque mapaliorum illa materia,

materia, ſtramentíſque innutritus, ac vento afflatus ignis affulſit; eo deinde excitatus fragore, vel ignis ardore hoſtis, & hinc ferro, inde flamma, & cuneis hominum interſeptus, tum ſomno torpidus, ac ferè ſenſibus alienatus, priuſquam vires, mentémque colligeret, magna ex parte conciſus, ſive peruſtus eſt, nonnullis cum interitu ſomnus perpetuatur, alii incompoſiti, ac trepidi errantes, dum ſe conjungere ſociis, conglobatíque vires intendere quærunt, in via ipſa præciſi gladiis excipiuntur; pauci tamen eo temporis intervallo contracti, condenſatíque Caſtellenſibus obſtitere, quibus quò minor erat ſaluris ſpes, & lucis uſuræ cura, eò fortior valebat animus, atque intenſior collata vigebat pro pugna vis. Ergo dum hi deſperati, & furore quaſi correpti coëunt, occurrunt ſeſéque more cæcorum in arma infeſta projiciunt, plúſque alieni hauriunt, quàm proprii cruoris effundunt à Caſtellenſibus tandem, qui cætera ſtraverant circunfuſi ferè omnes, ſed minimè inulti, in veſtigio perempti ſunt; multis ex parte Caſtellæ in hoc extremo, obſtinatóque congreſſu cæſis, pluribus ſauciis, inter quos & Dux Oſæa brachio graviter ictus eo ipſo perpetuò captus in poſterum vixit; præda in totum recepta, ſummóque omnium gaudio Ierelium tranſlata, nec poſteà Dominis reſtituta, ad alias ab aliis prædatorum manus tranſmiſſa eſt.

Sub idem ferè tempus Dux Sangermani commeatum à Rege petiit acceſſurus ad aulam, ut eas ibi præſens criminationes excuteret, quæ ei per injuriam ab æmulis fuerant ob cladem Canaliam afflictæ. Increbuerat hæc ſupra modum in aula contra inſontem hominem inſectatio, námque Duci ad calumnias, & contumelias præter virtutem, claríque nominis gloriam ſemper livori, & invidiæ tanquam fati lege inhærentem, acceſſerat quoque eſſe eum externum & Italum ideóque æmulatione perſonæ, gentíſque tanquam ex duplici capite ſpargebat virus invidia. Super hæc paulò ante Auſtriacus de cauſa Canaliæ cladis cùm ſe apud Regem purgare laboraviſſet, facti ejus invidiam, & maculam ſubdolè trajeciſſe, quemadmodum ſupra tetigimus, dicitur in Ducem Sangermanenſem, quippè qui ſenior erat, primúmque militiæ munus poſt Auſtriacum adminiſtrabat. Idcircò manante ſubinde ſecreto, aptiúſque in affectos jam animos illabente, per fora, per circulos, in angulis Regiæ multi maledico dente carpere Ducem, alii ſubreptam ab illo pecuniam, alii ob ejuſdem invidioſum, ulceratúmque nimis animum in Ioannem, quidam etiam ignavia, & præ timido, & pluſquam ſatis cauto, atque improſpero ejus ingenio truculentam cladem acceptam eſſe jactare. Fuere prætereà altioris homines notæ, ut nihil inauſum, intentatúmque, ſe ſatis ut expleat, præterit æmulatio, qui Regi quotidie aſſuetos mimos aulicos ſubornarent, ut odio per artem diſſimulato argutis coram Rege dicteriis traducerent Ducem Sangermanenſem, quorum quidem in aula morſui, ut facetiarum, & ſalium melle reſperſo, & tanquam ex latebris inceſſenrium cum gratia, & impunitas ineſt, tum acrimonia. Tot æmulos, tot ſimul invidos oppreſſurus ad aulam ſe confert Sangermanenſis: Regi Catholico ibi, primíſque regni proceribus aperit, nec Eboram quidem ſuo conſilio petitam eſſe, nec ſe aſſentiente, prælium cum hoſte commiſſum, totiúſque rei geſtæ ſeriem, ſi ejus ſententia valeret, retexendam fuiſſe; clades verò cum accidiſſet, ſe tunc abfuiſſe, ſitum, jam nocte appetente,

caſtrorum ab eodem Joanne parare juſſum. Itaque ſe neque imprudenter gerendæ rei, ut diſſuaſorem ejuſdem, neque improſperè geſtæ, ut abſentem inſimulari meritò poſſe; & ex officio rem diſſuaſiſſe, & ex præcepto abfuiſſe. Hæc, & ſimilia quo jure adminiſtris Regique Catholico ſua ipſe tunc eſſet defenſione purgatus allegabat Sangermanenſis. Cùm tamen ut plurimùm ubi res infeliciter accidit contra inſontes, omniſque labis expertes, ira, vel metu affectibus conturbatis, calumnia quoque livórque valeant, tum more ſuo detractores, quos rectè lædere nequeunt, injuriis fortunæ ſoleant, aut alienis criminibus onerare, ſimul in tanta clade, ut mortalium opinioni, & populi quæſtubus ſatisfieret cùm aliquod caput quanquam innoxium more Principum eſſet invidiæ publicæ devovendum, res tandem à verbis longe diverſas, etſi vehementer in cauſam incumberet, Sangermanenſis retulit à miniſtris; in ſpeciem enim & lenociniis, aucupióque verborum argumenta defenſionis ejus admiſſa, & magnificè ad pompam in aula honoratus, cultúſque eſt, ſed planè re ipſa i le militiæ munere devolutus, atque arma in Luſitaniam reſumere vetitus eſt. Scilicet hoc tantæ cladis ſarcire ruinam, hoc expungere dedecus fuit, perinde quaſi magis privato, quàm Regi, aut cauſæ publicæ officeret in tam aſpero bello tam perito carere Duce.

Per eoſdem dies Alexander Farneſius Ducis Parmenſis frater, ut Regi Catholico in Luſitano bello ſerviret ab Italia Mantuam Carpetanam advenit. Is à Rege honorificè exceptus, permiſsúſque capite operto Hiſpanorum cum honore magnatum coram Rege conſiſtere, & alloqui, urbanitatis deinde, & vocalis tituli gratia in illorum offenſiones. Hiſpanis quippè ſummatibus, qui æquale anctoritatis faſtigium cum Principibus Italis, Germaniſque Imperii, generiſque tumore potiùs, quam jure ipſo affectantes tum ipſos Principes Italos, tum eorum maximos natu liberos Celſitudinis nomine dicere, aut ſcribere dedignantur, duriùs profectò erat cæteros filios extra ſortem dominii genitos, ut Alexander erat, hoc alto titulo commendare. Igitur Alexander cùm nondum novi tituli conſuetudo, ac deſuetudo veteris inſolentiam, ut paulò poſt accidit, ejus auribus mitigaſſet, nec tunc de ſuo jure, aut decore decedere, nec ideò ſe inviſum vellet Hiſpanis, quos foret ſubinde meritorum ſuorum arbitros habiturus, poſtremò delegit admodum paucis, hiſque maximè externis familiariter uti, & quos otii, aut ſolitudinis levamentum, aut negotii neceſſitas poſtulaſſet. Hoc ita compoſito, mox idem Farneſius conſilium adventus ſui palam expoſuit Catholico Regi, flagitavitque ut in exercitu, qui Luſitaniæ minitabatur, quoniam per id temporis occupata clariora erant militiæ munia, neque decebat, tantæ amplitudinis Principem honore, atque inſignibus vacuum gregario militi commiſceri, externi equitatus magiſter renunciaretur. Rex nihil ob viri nobilitatem, rarúmque militaris ſervitii in ſimili Principe exemplum à conſueto more deflectens porrectum à Farneſio libellum ad Status Senatum confeſtim miſit, ut illum videret, atque diſcuteret. Senatus decreto Regis accepto ſumma pro cauſa altercatione interpoſita rem illam exagitavit. Multi enim ex illo ordine referebant. Cardinali Henrico Luſitaniæ Rege demortuo, cùm ea per Europam celebris diſceptatio tam ingenia Doctorum, quàm ſpes, & curas Principum acuiſſet, quiſnam ex turba competitorum

„ torum orbo eo tempore regno eſſet
„ legitimè ſucceſſurus, Bononienſes,
„ ac Peruſinos juriſconſultos pro Par-
„ mæ Principe cenſuiſſe, ut jura ma-
„ tris repræſentante, Mariæ ſcilicet
„ Portugalliæ Odoardi Portugallii fi-
„ liæ, ac ſororis quondam Bregantiæ
„ Ducis, imò verſari Farneſium, in
„ gradu, ac reſpectu ſuperiori, cùm hic
„ à grandiori natu Maria, Bregantius
„ verò à minori filia Odoardi origi-
„ nem ducat, & jura regnandi. Hu-
„ jus quidem propaginis germen Ale-
„ xandrum eſſe Farneſium eadem vi-
„ delicet jura, eadem legis ſuffragia,
„ eadem viſceribus inſita vota, ejuſ-
„ dem familiæ pignora ſecum feren-
„ tem in Luſitaniam. Quapropter,
„ ſeu quodam afflatu, impetúque ſem-
„ per inquietæ, ambitioſæque naturæ,
„ ſeu verecundiæ quodam colore, &
„ criminis fuco, ne abjecti ſe ſpiritus
„ ille, néve degenerem probet, jure in
„ dubium vocari poſſe, utrum ſibi ip-
„ ſe malit pro jure explicito regnum,
„ aut cùm hoc ipſi inacceſſibile ſit, an
„ id ipſum conſanguineo Bregantio
„ malit, quàm alienigenæ cedere.
„ Suſpicionem per ſe validam eſſe hau-
„ ſtam ex fonte naturæ, periculum du-
„ plex occurrere, cúmque adeò variè,
„ & incertè, & fortuitis, inſperatíſque
„ intercurrētibus rebus volvatur omni-
„ nò bellum, tótque involucris ſimu-
„ lationum obductum humanum la-
„ teat ingenium, quid non incidere
„ cauſam poſſe, qua Princeps eodem
„ à Rege ſibi commiſſo equitatu pro
„ ſe, vel Bregantio, & contra Regem,
„ ſi ita vellet abuti poſſet? Fingere ſi-
„ bi pericula, creare quoque ſuſpicio-
„ nes, ut quàm longè proſpiciant, fas
„ bene conſulentibus eſſe, hîc autem
„ ultrò ſe offerre ex fortunæ nempè lu-
„ dibriis ex memoria rerum actarum,
„ ex humana ipſa indole profluentia,
„ híſque ire obviam, & antevertere
cauſas, è republica eſſe. Nec eſſe „
tantopere rationem habendam ſpe- „
ciei virtutis, ac morum, quæ niteret „
in Alexandro, ſuavíſque coloris, vul- „
túſque, ac frontis hilaritatis, quan- „
quam hæc ſæpè ad morum effigiem „
natura componat, ut prorſus obli- „
vio Politicum illud documentum „
abſtulerit, nullam eſſe illi credendam „
reipublicæ partem, pro cujus fide, „
atque officio exigendo, in ipſo utili- „
tas cum honeſto, aut res privata „
cum publica pugnet. Ebullire pro- „
fectò in mortalium pectore ſangui- „
nem, at pro remotis minùs, quàm „
pro ſe, ſuíſque gentilibus incaleſce- „
re. Morum candorem aut fuco ple- „
rumque liniri, aut temporibus im- „
mutari; & pulchrè ſentire, aut ſpe- „
rare de optimo viro æquitatis poſce- „
re jus, ſed extemæ ſtultitiæ eſſe illi „
ipſi, quando aliter res non cogat, „
cùm rationabili metu, ac periculo „
fidere. Hæc conſultò in Status Sena- „
tu à ſenioribus jacta ſua tamen aucto-
ritate, ac facundia disjecit Turrianæ
Medinæ Dux, quia is Alexandro erat
per utrique communem Aldobrandi-
nam familiam affinitate, atque amici-
tia conjunctus. Dixit enim Alexan- „
drum Farneſium alterius cenſuræ, & „
imperio ſubjectum equitatus externi „
curam, cùm Rex ita juſſiſſet, geſtu- „
rum eſſe. Hos equites Germanos, „
vel Italos eſſe, ipſique Farneſio pror- „
ſus ignotos, nec ullo ipſi vel ſpei, „
vel præſentis utilitatis, vel meriti „
vinculo obſtrictos; non illi præterea „
clientes, non pecunias, non vires, „
non rerum ibi ſuppetere copiam, „
quibus, & ſi malè animatus in Re- „
gem eſſet, quod aſſerere nefas eſt, „
audere, aut moliri quidquam per „
vim, & inſidias pro ſe, vel Bregan- „
tio propinquo liceret. Quod ſi ex „
diſtantibus adeò cauſis eruere con- „
ſilia, ac dilatare argumenta fas eſſet, „

Kk 4 tetráſ

„ tetráſque terroris imagines ex vanis „ phantaſmatibus ducere, vero quidem ſimilius ratiocinantibus eſſe, „ per hoc Farneſio collatum militiæ „ munus plus Luſitanis creari periculi, „ plus ſuſpicionis intendi, cùm vir illis „ armatus opponeretur meliori, quàm „ Bregantius ſubſidio juris in regni lite, ac certamine conſtitutus, quique novas ſuſcitare diſcordias, nováſque inducere partes in eodem „ regno jam ſuis fluctibus agitato haud „ difficilè potuiſſet, ſicuti pari quoque „ conſilio impulſum mentio in hunc „ ordinem quondam illata eſſet. Vocandam in Hiſpaniam egentem, vagámque per Orbem Antonii Portugallii progeniem, quæ jus jactabat „ in Luſitaniam, eámque ornandam, „ atque extollendam, ſigníſque & auſpiciis Catholici Regis in Bregantium armandam eſſe. Satis hæc utique dicta videri ad contrariam labefactandam ſententiam. Cæterùm & „ ſi in tanto ſplendore virtutum, quæ „ hunc juvenem exornarent, inclytíſque Farneſiæ familiæ meritis, conſtantíque ſemper perſpecta in Regem Catholicum fide tanta quodammodo hærere ſuſpicio poſſet, „ nonne æquè, vel ampliùs fortaſsè „ foret periculoſum cum contumelia „ repulſæ, indignatúmque & inanem „ dimittere Principem tot in Italia „ clientelis, tot opibus nixum? quo „ planè tempore allicere maximè juvet, nec ut anteà, nec parum peccátum eſſet, diffidentiæ, contemptúſque argumentis exteros Principes „ alienare, cùm ſuis ita nervis, ac viribus deſtituta nunc Hiſpana res jaceat, ut ſine firmis amicorum præſidiis, ac ſtudiis ampliùs conſiſtere „ minimè queat. Hoc ſuffragium, ſed ornatiùs ac fuſiùs à Turrianæ Medinæ Duce prolatum belli quæſitum à Rege pro Principe munus extorſit, iſque mox Badacocium profectus pro primo rudimento militiæ externi equitatus Præfecturam ſuſcepit.

Inter hæc Luſitanus Vere jam redeunte cum quindecim peditum millibus, quatuor ferè equitibus mille Cantagnedæ Comite Duce ab Eſtremotio digreditur. Illo exercitu, illo Duce cùm jam fractæ, abjectæque Caſtellæ opes tam inferendæ, quàm vi propulſandæ parum utiles cenſerentur, rumor apud hoſtes increbuit tentaturum pro viribus Luſitanum recipere Olivençam, aut Jurumeniam anno præterito amiſſam, aut ſimiles regni arces arripere Caſtellenſibus, priuſquam ex maxima accepta clade reficere vires, aut colligere poſſent animos; alius tamen armorum ſenſus, alia conſilii ratio non ex afflatu fortunæ tumens, ſed mediocritate ſanè contractior, atque in ſecundis propè timida rebus Luſitanum afficiebat; quamvis enim in acie, inter gladios quaſi contemnere Caſtellenſem, & confidenter in illum incurrere videretur, illum tamen ante conflictum reformidabat, tot nempè theſauris, tot regnis Catholici Regis occurrentibus oculis, nec porrò deeſſe potentiam æmulo, nec fortunæ viciſſitudines, eò magis ſuſpectæ, quo derepentè magis propitiæ. Igitur cunctabundus, ac lentè vincere Luſitanus, nec ſuperbè laceſſere Caſtellenſem intentus Valentiam Alcantaræ tandem hoc exercitu petere ſtatuit, natura quidem munitum oppidum, ſed nullo ſatis regulari, novóque munimento vallatum, quo in poteſtatem fortè redacto tutiora deinde ſibi adjacentia, ſi cecidiſſent, ac finitima forent. Hoc conſilio ab Eſtremotio Luſitanus egreſſus exercitus diebus aliquot primùm Caiæ circa pontem Badacocio oppoſitus ſubſtitit, illinc inſtructa, variíſque converſa flexibus acie velut provocans ad conflictum

ctum, atque expectatione propoſiti ancipitem', trepidúmque intra ſepta murorum continens hoſtem. Joannes eo tempore Auſtriacus quanquam equitibus abundabat, peditibus tamen, ac reliquo belli apparatu, quæ præterita clades abſumpſerat, indigebat. Proinde cùm integrum ipſi non eſſet plena, & juſta cum acie procedere hoſtibus obviam, quod unum reliquum erat inopia rerum adſtricto quæ propiora periculo circumjacebant oppida impenſiùs muniri juſſerat, quibuſdam ſecum retentis velitaribus copiis, quas, quò opportunitas ferret, pro ſubſidiis emitteret. Viſo tum ergo repentè hoſte Joannes occurrere illi equitatum confeſtim juſſit, ſimul defendere agros verno ſcilicet tempore fœtu ſegetum pingues, & per tumultuaria ſæpè interjecta certamina cautè contra annitentem, & vagum eludere hoſtem, juſto prælio abſtinere. Verumtamen Luſitanus cùm ex Caiæ ponte profectus eſſet, adverſus Valentiam, ut anteà deliberaverat, cum exercitu flexit. In hujus oppidi aſpectu conſtitit, tentoria tetendit, atque protinùs rem aggreſſuros in loca opportuna diſtribuit milites. Interrupto, ac fragoſo jacet oppidum loco, rapidóque torrente foris alluitur, ex parte ejus Septentrionali vaſta planities procumbit; carebat illud, ut dictum eſt artificioſo, novóque munimine belli; agger tamen, & foſſa, aliæque raptim munitiones adjectæ cum naturalis additamento ſitus obſidione quidem diuturnum, nec adeò expugnatu facilè oppidum faciebant. Erat ejuſdem oppidi Gubernator Fabritius Roſſeus Italus vetus, acris ingenii magníque pectoris miles, aderant alii quoque Tribuni militares Hiſpani, quos citra execrabilem militum morem in loci defenſione concordes, nec vanis tituli, aut juris nominibus diſſidentes, quæ perdere ſæpiùs negotia Principis valent, per arma timor hoſtilis, animi temperantia, & erga Regem obſequium tenuit. Huc porrò cum omnibus copiis Cantagnedæ Comes appulſus, Valentiam ubi ipſe videt propter duritiem aſperi ſitus imperviam ægrè quati cuniculis poſſe, nec ſatis etiam per cæcos irrumpentium militum impetus ex propinquo agitari, cùm egregiæ intus eſſent Italorum cohortes, quorum exemplo virtutis Caſtellenſes cum militibus oppidani magis erecti, afflatíque cruentas ſimul interdum Luſitanis impreſſiones intulerant, indefeſſum præthereà illorum Ducum laborem, & præſentem ubique animi audaciam deprecandi laboris veniam, metúmque ad omnia tentanda militibus ſuſtuliſſe, pergere ex eo cunctabundus, & opere cautus Luſitanus inſtituit pro rerum peritia ratus tantus ardor, ac tanta ferocitas hoſtis, quando illi, ut credebat, nec prompta ſubſidia, nec, unde illa extunderet, eſſet, brevi fore, ut ſe ipſa, bellíque munitionem conſumerent. Igitur Luſitanus Divi Franciſci ſitum extra urbem cœnobium, ac planè deſertum facilè capit, ibíque adverſus oppidum quia intra jactum tormenti erat, tormentariam ſedem conſtituit, mox alii paſſim idoneis in locis tormentarii ſuggeſtus erecti ſunt, itinera undique infeſta, & viæ commeatibus intercluſæ, omníſque hoſtilis vis, conatúſque in vallorum, quæ obverſabantur, confractionem, mœniúmque ruinas intendebatur. Pugnabat tamen in Luſitanos inæqualitas, loci & crepidinum oppoſitio, & conſtantia, virtúſque propugnatorum, repellentium ibi non minùs, quàm vim inferentium conatus invaleſcebat; ſoli ferè palmaris occupatus quicumque locus largo cruore, cædibúſque conſtabat, quos enim temeritas aliquando proximè hoſtem mœnia, ſeu valla tuentem

tuentem impulerat, iidem armis idoneis, aut jactis ignibus hauriebantur. Auſtriacus intereà poſtquam Valentiæ ab arctiori obſidione periculum intellexit, eò citò ad opem ferendam contendere juſſit Didacum Corream equitatus Gubernatorem, prope omnibus, quos habebat, equitibus ſumptis; ſecreta verò mandata erant, ut ſubſidii proximi facta ſpe circunſeſſis adderet animos, idque, ſi per tempora licuiſſet alacriter introduceret. Equeſtres inter has turmas cum externi equitatus parte Alexander Farneſius agebat, qui cùm Didaci Correæ velut ſibi in officio, atque militiæ gradu poſtpoſiti, imperio ſubjici recuſaret, moderatiùs propterea duxit, ab ea ſe expeditione abſtinere, quàm jurgia, ac diſſidia inter ſocios tempore iniquo excitare. Hac ita ſublata inter Duces contentione, alia deinde acriórque de ordine, & loco altercatio inter ipſos Hiſpanos, & Italos equites incidit, ſingulos primos militaris inceſſus ordines ambientes, & clamore, atque ſtrepitu poſtulantes. Ducis tandem interpoſito arbitrio pacificè convenire, ut alternatim viam ineuntes modò primam, modò ſecundam alam tenerent. Ita igitur Caſtellæ equitatus cùm ante Valentiæ, Luſitaníque exercitus oculos conſtitiſſet, conſultum eſt inter Duces, utrùm, & qua ratione conduceret in ultimo laboranti, & jam propè labenti ſuccurrere oppido. Hujus omiſſio detrimento ſibi, ac dedecori videbatur, ſuppetiæ equitatui perdendo fore, cùm enim Caſtellæ equitatus nudus omninò peditibus eſſet, is oppoſitus Luſitano hinc equite, inde pedite ac longè utrinque majori numero inſtructo, velut pecora hoſtibus trucidandus objectaretur; nonnulli tamen eorum pertinaciter contendebant, ut milites bini ſingulis equis impoſiti numero omnes prorſus bis mille prima luce adhuc dubia ad aggeres hoſtis accederent, pugnáque tumultuaria partim equeſtri, partim pedeſtri quam ſi daret occaſio, deſilientes adjecti equitibus milites præſtitiſſent, per re ipſa improviſa perculſos, ac trepidos hoſtes in Valentiam irrumperent. Veriſimile quippè eſſet, luce incerta, cura, metúque vacuos, ſimul equitum ſtrepitum, peditúmque clamorem, atque tumultum, ac primam effuſam ſcloporum procellam Luſitanos accipientes judicio fortaſsè falſos, quod in ipſos repentè exercitus totus incubuiſſet, eouſque turbari, atque diſtrahi, ut ea trepidatio, hominúmque tumultus liberum aperiret ſubſidiariis militibus aditum. Res quidem civiles circunſpectione, mora, ſolertia; militares celeritate, atque audacia, promptiſque conſiliis meliùs utplurimùm expediri, talíque belli commento Condæo Principi quondam uſo ariſiſſe quoque fortunam in obſidio Cameracenſi.

At Didacus Correa, qui nihil profectò caſui, aut fortunæ volebat res inter ancipites, & extrema quoque pericula datum, ut nimis duram, & inſolentem hanc ſententiam repudiavit. Itaque ad vanam duntaxat terroris imaginem circa hoſtis vallum equitatum appellere juſſit, contra, atque fruſtra annitente Joanne Rivera equitum Commiſſario, qui ita equites ſpargi, & per induſtriam collocari cenſebat, ut neque numerum, neque eos enervatos peditibus eſſe tam clarè ex propinquo diſpicere poſſet hoſtis, & ex adverſo Didaco referente, quò propiùs viſa ab oppido auxilia, eò magis in fide laboriſque conſtantia oppidanos confirmatura. Proinde uſque ad aggerem hoſtium totam explicuit equitũ aciem, nimirum inſtabilem, trepidam non munimento ſibi, non ſociis ſubſidio futuram. Dux Luſitanus ubi primùm in ſe venientes procul aſpicit hoſtes, illos

illos viribus integros, atque ad ſubſidia ferenda paratos accedere putans, ſeu prima formidine, ſeu nimia ad certamen ſe comparandi celeritate commotus totas extemplò permiſcuit omninò ſollicitus copias; inde avulſa ſtatim tentoria, & fluctuantia conſpecta ſigna, & armorum confuſio, & perturbatio hominum, equorúmque in ſuis ſe ordinibus implicantium expectare, an occurrere hoſti; arma an ſententias priùs opus eſſet ea tempeſtate tractare diverſi agitabant, cùm re ipſa improviſa, qui hoſtium conſilia exploraret, adhuc ſuſpenſa pendebant mandata Ducis. Interim modico gradu Caſtellenſis accedit, intuitúſque tunc Luſitanus rara agmina equitum, nec ea ſuffulta peditibus, non lacertorum vim, non animorum alacritatem ſprevit adventum hoſtium, oppidóque premendo intentus ejuſdem ruinarum, ac multiformis ſociorum interitus dudum Caſtellenſes equites ſpectatores, ac teſtes habuit. A meridie uſque ad ſolis occaſum ante oculos hoſtium in oppidum vim intendentium otioſus, ac deſes eques Caſtellæ jacuit; irritus poſteà gradúque compoſitus ſenſim recedere cæpit. Jámque extra hoſtis proſpectum erant noctíſque tenebræ circunfuſæ equitibus iter impediebant; curare tunc milites corpora Didacus jubet, Comitémque Boëttum uno cum equitum agmine mittit, ut de via æſtúque militibus feſſis alimenta conquireret. Dimiſſo Boëtto, magna humo repentè excitata pulveris vis, ventorum impetu elata, ac longè, latéque diffuſa, ſimul luce tunc intermortua, quæ res eſſet, diſcretu difficilis, inanem incuſſit Caſtellenſibus metum perinde quaſi cum eis pugnaturus pulverulentus, ac citus jam Luſitanus appropinquaret, addidítque pavorem, quod id temporis fortè ad alimoniæ prædas abeſſet inſignis equitum nervus, ſublatíque pulveris orbe, & circumjacta caligine jam ſe circumventos arbitrabantur. Cùm ergo tam ſibi modò inæqualis, ſi verè pugnandum eſſet ea futura pugna fuiſſet, perterriti equites ſtatim per colles fugam arripiunt eo terrore, ac tumultu, ea animorum perturbatione jactati, ut paſſim errantes, ac etiam ſarcinas evolventes, haud parvi negotii Didaco fuerit, cognito errore, diſcuſſo metu, colligere milites. Paulò poſt præda congeſta, & commeatibus gravis redit ad caſtra Boëttus, ea planè deſerta videt, ſimul undique fuſas, & humi incompoſitas ſarcinarum reliquias eſſe. Hinc fugæ veſtigia deprehendit, & quid ſubitæ rei mirabundus ſtrenuos tot equites conſternaſſet, & per totam idcirco noctem incerto itinere tortus & vagus diluculo tandem nactus eſt ſocios, qui fuga provecti ultra tumulos caſtra poſuerant; inde ſimul inanes Badacocium regrediuntur. Sic ſpes ſubſidiorum effluxit; Valentia pertinaciter oppugnatur. Nam Cantagnedæ Comes Dux Luſitanus in mœnium ruinas, & labes enixiùs incumbens, ubi eas acervorum cumulis undique ſtratas, atque acceſſui militibus proximas cernit, tunc monet Gubernatorem, ut deditionem in tempore faceret, cùm ſpes jam nulla ſalutis ab externis eſſet auxiliis, interna quotidiè fluerent, & ex omni parte quaſſari, ac fatiſcere mœnia videret. Oppidi Gubernator, qui temporis tantummodo moras per ambages redimere ſatagebat, ſi obſcura, atque improviſa fortaſsè ſubſidii ſpes ex uſu temporis, ex fortunæ converſione, ex repentinis belli caſibus affulſiſſet, negotium in ſpeciem admittit, at eas ſuperbas, aſperáſque, ut tunc temporis ſuperanti Luſitano conditiones propoſuit, ut hic ipſas & ſuorum, & hoſtium fortunæ longè diſſimiles arbitratus cum ludibrio, ſtomachóque rejecerit. Validiorem idcircò cumulatas

tas per humi ruinas, & armorum, & corporum ſtragem impreſſionem in oppidum fieri præcepit. Ita vis geminatur, propiúſque conatus intenditur. Ea verò tam ſtrenuè, tam conſtanter hoſtilis excepta vis à defenſoribus eſt, ut militari omninò poſita diſciplina, & rerum ordine ſpreto, omnia temeritas ibi, omnia ferocia, caſúſque agitaret; nam Italorum plerique murorum ambitum prætervecti, ipſáſque ruinas temerè ſubeuntes, aut murorum hiatibus inſidentes, cùm pro gradu locus inſtabilis, atque inſidentibus lubricus eſſet; tunc ex ruinoſo magis pendentes, quàm ſtantes, alii genu, quidam altero pede nixi aſſilientes turmatim hoſtes præcipitabant, atque cædebant, iiſdem plerunque ſuper eos, quos oppreſſere collapſis, ac mutua cæde conſumptis. Roſſeus præſertim oppidi Gubernator inter omnes inſignis, ac nihil minùs in illo animi, ac pugnæ ardore quàm de ſalute ſollicitus per ruinas, per muros, inter cuſpides, inter pilas præliando, hortandóque adeò ferox, ac rapidus ferebatur, multa quoque rorantia in corpore vulnera ſpernens, ut pudor cæteros oneraret, ne proprii ſanguinis parcus quiſquam militum videretur, cùm tam prodigus eſſet Dux. Sic poſt multam illatam utrinque ſtragem, nec animos minùs quàm vires obſtinato certamine attritas, cùm deſperatam rem eſſe cerneret Luſitanus, cruorémque ſterilem fundi, ſignum receptui dedit, ſuóque periculo jam edoctus illo, aut illi ſimili impetu ægrè oppidum capi ob defenſorum virtutem poſſe, per vias obliquas, & obſidionales acceſſus paulatim deinde oppugnationem inſtitui juſſit. Quæ cùm aſſiduo labore, ac tempore tererentur, ac leviorum interea momenta certaminum utroſque ſæpè committerent, carperéntque, municipes denique militéſque quos adhuc alacritas, & animi vigor inter pericula non defecerat, nitrati pulveris, bellíque munitio defecit, ea modica tamen quæ crebris incurſibus ſuperfuerat, parciùs, & cautè dividebatur, ne extremam certámque perniciem, quæ breviùs afflictis inſtaret, animadverteret hoſtis. Inter hæc cùm ad cæſorum corpora, ut mos eſt, tumulanda, unius diei conveniſſent induciæ, hujus facultate colloquii Luſitanus appoſitè uſus verba nonnulla de compoſitione, & concordia velut obiter jecit, hanc, niſi labefactatis omninò rebus, admitteretur, præter morem honeſtam, & amplam Caſtellenſi futuram pollicitus. Roſſeus oppidi Præſes, qui per id tempus hoſtis errore, atque inſcitia, quæ nec poterat eſſe diuturna, ſimul arte, ac ſolertia quæ cum tempore quoque fallunt, in ultimis rerum conſtitutis anguſtiis, jam conclamata defenſione, in horas ſingulas periturus cum animi angore ſe ſuſtentabat, cùm Luſitanum audiſſet, animo quidem, ac mente lætus, ſed in fronte difficilis, aſper hærere primo indignari, execrari, propoſitam rem; non corporis, non animi robore militem refert, non commeatu, non conſilio, non armis adhuc oppidum indigere, ac ſi omnia deficerent, omnia ſupplere commilitonum animos poſſe. Urget nihilominus Luſitanus, tantáque verborum copia, & rationum illecebris ſermonem de re produxit, ut laſſus in ſpeciem potiuſquam rationibus victus dixerit denique Roſſeus, ſi res conveniſſet, ampliſſimis ſe conditionibus conventurum, ac ſi quatriduum permiſſum inſuper eſſet, quo Auſtriacus ſtatim admonitus, ſtatu rerum comperto, aut ſatis ille ſubſidii mitteret, aut ſe dedere pateretur. Temeraria ea poſtulatio æquè gnaris, atque ignaris habitus oppidi videbatur. Cæterùm eodem tempore Luſitanus cum peſtifero quaſi morbo qui ab æſtu, cœli intemperie ſolóque

caloribus torrido ſcatens paſſim depaſci nudos umbraculo milites cœperat, cum pertinaci virtute hoſtis, cum aſpero ſitu, cum oppidi ſtatus inſcitia colluctabatur; incertam prætereà, ac planè fragilem fore putabat deſiderati ſubſidii ſpem, plúſque à Roſſeo deditionis abolendæ ignominiæ, atque excuſationis habendæ cauſa, quàm verè, & ingenuè ſollicitatam fuiſſe; ſciebat enim carere omninò pedite Caſtellenſem, ac ſi raptim fortaſsè hic ex propinquo cogendus eſſet, ne id quidem hoſti permiſſum ſpatium temporis ſufſecturum. Hoc propterea intervallo, ut petebat, ſtatim conceſſo, Roſſeus cùm induciæ intereſſent, hæc omnia Joanni per internuncium expoſuit. Qui re audita, tria millia peditum properè ex certis præſidiis, arcibúſque deducta ad Didacum Corream Gubernatorem equitum miſit, ut cum his, ſi ita ei videretur, Valentiæ inferendas ſuppetias tentaret. His copiis acceptis Didacus, equeſtribúſque conjunctis, citato curſu ad Valentiam contendit: rem tamen impoſitam aggreſſuro, cùm natura ſua ſtudioſior præcepta Ducis interpretandi, quàm exequendi eſſet, tum verò juſſa Ducis ambigua, néve ſuo fortaſsè periculo, ac nota in rebus adverſis explicarentur cùm ſupra modum metueret, ſimul congreſſus imparitatem hoſtiles adverſus copias, victrices, ſpei plenas, ſuperiori fortuna tumidas, & pedeſtri, atque equeſtri milite redundantes, placuit duntaxat fulgorem armorum, & inſtabilem aciem per inanes circuitus, ac ſpecies oſtendere hoſti, diſcrimen ſubire noluit. Quatriduo itaque lapſo, ut pacto convenerat, inter Fabritium Roſſeum Valentiæ Gubernatorem, & Comitem Cantagnedæ Luſitani exercitus Ducem in hunc modum contracta deditio eſt. Cum omnibus ſignis, armis, & militari apparatu, atque pompa liber ab oppido commeatus Caſtellæ militibus ſit. Incolæ nihil in bonis, aut corpore læſi, cùm ira velint in oppido maneant; ſua ſponte digreſſis ſuas inde ſecum transferre fortunas liceat, & quas ſtatim extrahere facultas non eſſet, ad bimenſis tempus prorogaretur, híſque etiam vaſa, atque plauſtra Luſitani præberent, in quibus ægri, atque ſaucii, & promiſcuè incolarum, atque militum bona comportarentur. Duobus denique hominibus perſonatis, ſi ita cujuſquam fortè modeſtia, aut pudor exigeret, oppido abire fas eſſet. Hæc omnia Cantagnedæ Comes promiſit, útque promiſerat, præſtitit, atque hoc maximè modo in Valentiæ poſſeſſionem pro Bregantio traductus eſt.

Cæterùm quantùm ob ſortis adverſitatem, rerúmque in exercitu inopiam famæ, gloriæque ornamento quotidie decreſcere videbatur Auſtriacus, tantum increſcendi cupido Ducem Oſſunenſem inceſſerat. Hic igitur ſeu æmulatione virtutis, ſeu vivido, pugnacíque impulſus ingenio, ſeu quoniam, ut paulò ipſe ſcripſerat Regi domi non habens unde milites aleret, ad rapto bellíque acquiſito peculio vivendum, quanquam invitus in hoſticum duceret, exiguis profectò copiis, cùm æſtas arderet Caſtellum Roderici oppidum Luſitanum adoriri conſtituit. Huc properè evectus ſeptem millia, quæ ipſi aderant propè peditum ad impreſſionem in oppidum faciendam diſtribuit, ad prædas equites circummiſit propter militum commeatum ex finitimis contrahendas, ferè omnia tumultuariè magis, quàm cautus agebat. Erat oppidum vetuſto muro, ſed valido, ac multiplici vallo cinctum, fortiùs tamen innitebatur virtute, ac militari peritia Præſidis ejus Joannis Ferreiræ Tribuni militum, qui loco aſſidebat

cum fortiſſima legione. Hoc ipſum impetu capere primus Oſſunenſis conatus, & animus fuerat, ſed magna cum hominũ cæde, atque ſtrage quàm ſæpè repulſus, ac fractus exceſſerat. Varia deinde, anceps, & plerumque fortuita quaſi oppugnatio in oppidum agebatur, nunc furtim, nunc palam, interdum per mœnium intenta ruinas, belliq́ue ſæpiùs tormentorum ictibus intermiſſis, ſcalæ repentè, aliæque murales machinæ admotæ mœnibus ſunt, quæ aut fractæ, aut illiſæ, aut ſuperiùs incenſæ, combuſtos, afflictos, cæſóſve homines cõtinenti ruina, multipliciq́ue ſtrage trahebant. Poſt dierum aliquot quietem, eóque interpoſitam aſtu, ut velle tunc videretur re infecta diſcedere hoſtis, quadam nocte præſertim cum ea contecta nubibus eſſet, atque intermiſſa oppugnatio, & ſpecies ituri quam adumbraverat hoſtis minùs intentos vigiles effeciſſent, evenit, ut quidam ſelecti juvenes, ita Oſſunæ jubente Duce, ſuſpenſis lentiſque veſtigiis eum per inſidias arreptum murorum locum incederent, quem illis ſecretò Dux deſignaverat; retrò interim nec longè Oſſunenſis occultus cum magna militum manu conſederat, ibi ſignum expectans, quod cùm murum cepiſſent, dare imperatum militibus fuerat. Illi verò cùm nec luce, quæ nulla erat, nec ſtrepitu armorum ut leviſſimè armati, nec veſtigiis quæ circunſpecta erant, ac trepida proderentur, tutiſſimè gradientes jam ambitum foſſæ, aggeriſque tranſierant, & cùm murum tunc attigiſſent ſe ſe invicem adhortantes mutuámque ferentes opem alius poſt alium nitebantur inſurgere. Milites Luſitani, quorum muneris erat hanc obſervare murorum partem, illorum officio eo tempore freti, qui in aggere, ac foſſa procul excubias agebant, hìc ferè nihil paventes, atque oſcitantibus ſimiles vigilabant, qui verò vallum, & foſſam cuſtodiebant, nimia fiducia ulterioris cuſtodiæ tanquam pluribus curas impertientes ipſi remiſſius munus obibant; ſic inter mutua fiducia deceptos, ſegnioríque propterea fungentes cuſtodia ſimul noctis caligine patuit hoſtibus iter; præterea ſi murmuris quicquam, aut greſſuum motus circa vigilias obſtrepuiſſet, id hoſtile, & externum, an domeſticum foret, diſpicere noctis obſcuritas non ſinebat. Juvenes itaque Caſtellenſes mœnibus tandem hærentes, & alii aliis innixi, ſeque invicem ſublevantes jam propè in murorum faſtigium evaſerant: verùm, qui ordine primus aſcenderat, cui & viſum tenebræ ademerant, cæca dum manu, quod primò arriperet, tentat, temere illam injecit ſuper quemdam cuſtodem militem, qui tunc ſopore ſolutus in ea muri parte jacebat. Is ictu excitatus, perturbatúſque repentè clamorem edit; hæc vox cohærentium quoque clamorem vigilum ſuſtulit, deinde eo clamore, eo ſtrepitu concitata tota ſe ſtatim in ſubſidium effudit legio. Concurrunt, tumultus auctorem, & cauſam quærunt, lapides, arma, faces in loco ſuſpecto comparant. Tunc milites Caſtellenſes, quos fraus conſtituta fefellerat, clamoribus, ſaxis, ignibus, armis ſimul impulſi fuga præcipites auferuntur, ipſorum nonnulli per tenebras miſſis in caſum ſcloporum ictibus corruunt, alii inter foſſam, & aggerem intercepti, reliquos fuga ſuſcepta juvit. Ut ſatis ergo conſtitit Oſſunenſi, quod per celerem vim ſive inſidias cadere oppidum ægrè poſſet, ad longiorem oppugnationis, obſidioníſque formam converſus perpetuò diſplodi belli tormenta juſſit; jacti frequentes, ac terribiles ictus, tormenta belli, quæ fulminabant inſolitæ magnitudinis, atque vis, ea ſcilicet ipſa, quæ ad Hiſpaniam ſubvecta Carolus V. Imperator

rator Germanis Principibus victor abſtulerat; oppidi munimenta, nec ſatis ampla, nec ſolida erant, plúſque ipſa brachiis, & robore militum, quàm ſua firmitudine ſuſtentata, ideò ſi tempus, & ratio conatibus ſuffeciſſet, hoc denique videbatur excidium oppidi moliturum.

Cùm ita Caſtellum Roderici à Caſtellenſibus premeretur, Petrus Magallanius, ad cujus regiminis jus tutela ejus oppidi pertinebat, conjunctis, auctíſque ex tota provincia copiis, eidem celeriter ſubventurus acceſſit; & primùm in colle quodam oppido obverſo diſtributis aſtutè militibus ſedit, ſi dubio fortaſsè tactus, vel Oſſunenſis errore deceptus pugnæ, aut ſubſidii proximi metu obſidionem abſtraheret. Quod ita ſanè, ut Petrus puraverat, contigit. Quippè Oſſunenſem tunc hoſtium diſcernere numerum inæqualitas loci, atque interjecta virgulta prohibebant; in rerum inſcitia, & caligine poſito tutiora non niſi conſilia conveniebant, & Petrus, qui Caſtellenſem exercitum noverat in dies ſupplementum ab Auſtriaco pollicitum expectare, viribus diminutus in arte, conſilio, agendíque celeritate meliores ſpes ſuas reponebat. Igitur Oſſunenſis ſuorum paucitatem militum timens, & pleniora etiam, quàm erant, ad inferenda ſubſidia hoſtium agmina ratus, quæ ne ſummiſſi quidem exploratores inſpicere ſatis ob loci difficultatem potuerant, obſidionem protinùs ſolvit; & Petrus Magallanius appoſito aſtu feliciter uſus, antequam Caſtellenſis acceſſuris ſubinde copiis augeſceret, ineundi certaminis cupidus ſtatuit eumdem quàm citò, ac ſollicitè perſequi, ac ſi fortè prælium effugeret, aſſultibus irritare. At impigro, ferocíque Duci Oſſunenſi, & qui plus caſui, & fortunæ quàm conſilio, & viribus tribuebat, non erat tunc detrectandi certaminis animus, & poſt palam quoque conſpecta utriuſque partis æqualitas propè virium acriores ſua ſponte incitato jam animo ſtimulos ſubdidit. Igitur iter tantiſper accelerans, dum medium trajiceret rivum, ſolúmque paluſtre, ne in tranſitu forte miles deprehenderetur, ubi in patentem, aptúmque certamini locum evaſit, ibi totam protinùs aciem inſtruxit, hinc, & inde equitibus fultam, alíſque latè magis, quàm densè porrectam. Dux ipſe à tergo cum ſelectorum equitum turma conſtitit improviſis pugnæ caſibus affuturus. Simili propè modò Luſitana dirigitur acies, atque ita ad conſerendas pro prælio manus inſtructis paríque ardore ſuccenſis, omníque gloriæ, odiorum, cupiditatis ultionis incitamento ſatis, ſuperque animis laceſſitis, certaminis ſignum tormentorum utrinque fragor obſtrepuit. Prior Caſtellenſis incurrit, ſed furioſo, atque inſano quodam impetu tractus, adeò enim inſtabilis, incompoſitus ſclopos, & fiſtulas alias ferreas, quæ in primo agmine erant, exoneravit, ut vehemens potiùs, quàm cauta vel utilis prima illa fieret impreſſio, hoſtiúmque perpaucis volantium glandium numero exceptis, non ea ſtataria, atque juſta, ſed pugna quædam fortuita, ac tumultibus ſimilis appareret. Hæc tam ſubita in hoſtibùs perturbatio, ac voluntaria primi ordinis diſſolutio ſuſtulit animos Luſitanis, & vires etiam ad pugnam intendit. Proinde alacriùs invecti, atque obvios implicatóſque in ſuis ordinibus pedites perrumpentes inde in eos qui ſclopetarios tegebant, equites irruunt, momento profligant, profligatos in fugam avertunt, fugientium quoque terga reſcindunt. Abjectis ſubinde de manibus ſclopis, & majori utriſque impetu illatis, & un-

 dique

dique preſſis cum pedite pedes gladiis, haſtiſque concurrit; verùm alio tum inclinata fortuna belli, nec æquo jam marte, ſed longè deterior conditione Caſtellenſis allaborabat, jam fuſo equitatu, jam acie nudata, ordinúmque inter motus, æſtúſque trepida, ex adverſo jam animo, & viribus Luſitano ſupra modum elato inflatóque, qui & circuire facilè poſſet hoſtem, niſi animi ardore ac fiducia id agere neglexiſſet. A fronte igitur Luſitani ferociter incumbentes primo ordines hoſtium, qui adhuc integri ſteterant, laxant, mox fluctuantes impellunt, poſtremò fugant, cædúntque; qui verò fugerant, ab illis equitibus intercepti, qui à primi fuſi agminis hoſte perſequendo redibant, plerique capti, aut interfecti ſunt. Oſſunenſis, qui militis veriùs quàm Ducis in re gerenda functus officio fuerat ſæpè in hoſtes invectus ſæpè revectus, & jam hoſtibus circumfuſus, ac penè deprehenſus, jam ſua virtute, atque animo elapſus, poſtquam omnia fuga paſſim deformia, omninò cruenta, ac cæde proſtrata vidit, tum demum neceſſaria ſibi fuga conſuluit: Cæſa in eo prælio Caſtellenſium duo circiter millia, quingenti fermè capti, ex victoribus ferè octingenti deſiderati ſunt, majora tormenta, ſarcinæ militares, optima Ducis ſupellex Luſitano ceſſere. Hæc prima æſtate ineunte peracta ſunt, acrius deinde flagrante temporis æſtu ab armis utrinque ceſſatum eſt.

At in aula Catholica magni quidem momenti ſub idem ferè tempus à Rege ipſiúſque ab intimo ſinu miniſtris negotium agitabatur, de armorum imperio ſcilicet, quod Joannes Auſtriacus pro Luſitania recuperanda ſuſceperat, abrogando. Jamdudum hoc tacitus ſecum ipſe volverat Rex, ejúſque penitùs tandem inſederat animo, agendæ rei tamen erat eo tempore in mora, cùm ſolita ejuſdem in operando cunctatio, anxium judicium, animíque ſollicitudo, tum ſucceſſoris etiam electio illo nempè tunc rerum Imperii negotio maximo digni, quíque ampliſſimis animi dotibus ſummi Ducis Joannis virtutes æquaret, vel qui ejuſdem in illo infelici cognita bello, vel vitia fortunæ corrigeret. Hujus porrò mutationis in bello cauſas nondum jactatas ſermonibus vulgi ex aulæ arcanorum erutas ſcriniis nos tales fuiſſe comperimus. Luſitani, veteréſque Joannis obtrectatores, ut eumdem Joannem in populi invidiam, Regíſque patris ſuſpicionem, & odium adducerent, rem malignè non minùs, quàm ſubdolè fictam effuderant, Regem illum Luſitanum larvatum diutiùs in regno latentem, & fabulæ ſimilem in Orbe quondam vulgatum, primúmque Regi Sebaſtiano tanquam incolumi, poſteà Bregãtio ſuperſtitioſo titulo adſcriptum, nunc inter arma fallaci quadam interpretatione pro ſe, & contra Regem torſiſſe Joannem, quo ſcilicet falſa captum religione populum Luſitanum ſibimetipſi faciliùs addiceret, ſéque detracta denique larva legitimum Regem, velut jam vaticinio conſumpto, ſtatueret. His acceſſerant, & falſorum hominum blandimenta, & aulicæ quoque aſſentationes, ac domeſticæ potiùs inſidiæ ab ipſa nempè Auſtriaci familia manantes, qui ipſorum utilitati, falſæve ſpei illecebris, magis quàm periculo Principis attendentes, quas temerè jactas debebant refellere, aut premere, aut jocis eludere voces, ipſi quoque ex compoſito alebant, ac divulgabant. Cæterùm quod Joanni crimini dabant, eſſe in animo ſcilicet nefaria per arma Luſitaniæ intervertere regnum, etſi Catholico Regi penè incredibile videbatur, nec ſanè ignorabat nihil clauſum, nihil immune, aut inviolatum, ne inter ſacra pignora

quidem

quidem mortaliũ relinquere invidiam, aut loquacem vulgi licentiam, fingi tamen hoc tali tempore, dici, vel ſuſpici poſſe etiam periculoſum exiſtimabat. Multos rumores falsò, caſúque, aut humana malitia diffuſos veros ſæpè numero cecidiſſe, alios interdum ad explorandis hominum voluntates conſultò à Principibus ortos, quoſdam, etſi vileant in ore vulgi, quid fieri opus eſſet non rarò Principes monuiſſe, hóſque plerunque monitis paruiſſe. Primum regnandíque præceptum maximum eſſe, nemini omninò fidere. Hæc cùm anxiè Rex ſecum, ac ſollicitè volutaret, à Joannis inſuper æmulis contortis aliunde argumentis ſuſpicioſi rumoris vim, & invidiam augentibus urgebatur, trahere nimirum illum ex compoſito bellum, ac ſubdolè moras ducere, quò armis perpetuò legionibúſque munitus, ſibíq; ſemper obſtricto, addictóque largitionibus milite, ſi fortuna aliquando annuiſſet, eos ſenſus reconditos explicaret, quos quidem ingẽtes in animo coquere, plurima indicia quamvis ſolerter abdantur per facta, per dicta ejus, quæ caſu excidiſſent, tanquam per rimas effluere; ſimul intempeſtivam Eboræ obſidionẽ, Canaliam inflictam cladem, municipia fortiſſima regni, arcéſque validas, ac finitimas prætermiſſas, omnia imprudẽter in bello, & contẽptim, ac ſegniter acta, hæc ipſa ex fallaci, tortóque Joannis profecta conſilio ſuſpicioſè, & cupidè potiùs, quàm graviter arguebant. Adjuvit etiam Joannis æmulos Cæſar, ejúſque in aula Catholica Orator Comes Petingius, qui occultè Regi ſignificavit, ipſius valetudinem quanquam non multum exegiſſet annorum, eſſe ſua tamen externis contracta cauſis imbecillitate vergentem; nimis tenuem, ac fragilem Principis filii ætatem, injuriæ opportunam, atque inter infantiæ ludibria, ac diſcrimina rerum jacentem, nec porrò conducere in illa Patris, in illa filii habitudine arma tractare, aut nimiùm florere gloria illegitimum filium, cujus arbitrii poteſtatíſque foret, dare poſſe, cùm vellet, aut tollere fratri Principi regnum. Quid à circumfuſis cupiditatibus, quid ab impiis ſuaſoribus, quid à fictis amicis, quid à ſeculi genio, quid ab ipſa occaſione peccandi cum ambitionis incitamento conjuncta metuendum egregio juveni ſit in propatulo eſſe. Exarmare tandem, cùm liceat, ambitionem multò melius præſtare, quàm gratis cum illa confligere velle, præſertim cùm tam ampla certaminis merces ſit, ac tam frequentes conſiliorum irriſiones alieno arbitrio nimis fidentibus pateant. Inflammabat hæc quoque apud Regem Mortaræ Marchio, qui cùm in Catalaunia ſimul cum ipſo Joanne armorum olim diviſum regimen habuiſſet, & provinciam recuperaſſet, ob crebras ibidem interjectas offenſiones, quas æmulatio virtutis, & gloriæ multóque magis imperii ſocietas pepererat, nunquam animo, & voluntate, multa licet uterque fingeret, ſincerè in gratiam cum illo redire potuerat, nunc autem Marchio occaſionem, cauſámque validam nactus premendi graviter æmulum, ne dum contumeliis, & probris Auſtriaci inter arma fortunam inſectabatur, ſed animum etiam, ac bellicã diſciplinam. His obtrectatorum incitamentis, & miniſtrorum etiam aculeis, & ſuo quoque admodum ſuſpicaci, ac pavido ingenio permotus Rex, certúſque Joannem exauctorandi per Ludovicum Oianguurenium, primum miniſtrum è ſecretis conſilii Status, ipſum Joannem ſecretò monuit cordi eſſe ſibi, ídque ex republica maximè peti, ut ultro abdicatis militiæ curis, Conſocram, quod juris ejus oppidum erat, ſedéſque Prioratus Divi Joannis, continuò ſecederet. Metuerat hunc ictum ex longo intervallo Joannes, & pro viribus etiam præcavere ſtuduerat, revera tamen aliquando librari,

paterna tutela, ſuíſque virtutibus fretus, nunquam ſatis ipſe crediderat. Cæterùm non Patri Regi, non æmulis, non temporibus palam iratus, aut querelis ſordidè abjectus, aut triſtior, ſed animo temperato, ac modeſto eam contumeliam, atque ignominiam vir optimus ſuſtulit, imò verò nec illam ſuſpicionem quæ tanta erat, & quæ contra ipſum in animo Regis hærebat, ulla unquam voluit excuſatione corrumpere, crimina quippè ſunt, à quibus ſic ratio, atque pudor in homine abhorret, ut ne purgari ſine periculo, nec declarari ſine ſummo dolore, ac verecundia poſſint. Joannem prætereà ob Caſtellenſes paſſim attritas in diutino bello copias, quæque rerum propter inopiam tam facilè, ac brevi, ut res poſtulabat, ſarciri minimè poſſent, tum æmulos graves, verſatilem Regem, acerrimum hoſtem, ut inter ſe quoque diverſa, & variis diſtracta conſiliis luctantur in animo ſtudia, tædium, ac propè ſatietas militiæ ceperat. Statim ergo reſcripſit occultè ſibi imperatum commeatum à Rege petens. Rex verò ut pro filii auctoritate, ac decore rei clanculum tractæ ordo miſſioníſque improviſæ omninò cauſa lateret, hujus ſententiæ epiſtolam, quæ multum lenocinii fucíque ad capiendas aures, animóſque fallendos habebat, Joanni reddendam curavit.

Cùm ex tuis nuper redditis mihi literis cognoviſſem, te immobiliter ſtatuiſſe, quam adhuc egregiè, ac preclarè per Luſitaniam geſſiſti, armorum Præfecturam deponere velle, quietiſque & otii quærendi cauſâ ad aliquod tui Prioratus oppidum te conferre, adeò ut acerrimè rem inculcando, & rationibus infigendo per litteras aſſeras, ab hoc te poſtulato, ac ſententia quoad votum impleveris, minimè receſſurum, quamvis hæc tua firmior in hoc negotio deliberatio me vehementi dolore affecerit, ſollicitè reputantem non parum mihi, ac tibi, & publicæ utilitati abſentiam tuam ab exercitu detracturam, quantámque ſolidam ſpem hucuſque fortiter actis in Luſitania apud omnes concitaviſti belli penitus profligandi abſciſſam repentè fore, tamen ne te mœrentem, triſtémque nimis omittam, neu videar plus meo ſolatio tribuere quàm tuo, veniam quam abeundi efficaciter petis, quanquam invitus tibi permitto, & inſuper jubeo priuſquam Badacocio diſceſſeris, res ut belli ritè componas, & poſt agenda ex ſententia preſcribas; nam ex tua inclyta diſciplina ſingulari ſtudio, atque fide futuris belli conatibus, ac deſiderio noſtro, & reipublicæ multum acceſſerit. Vale.

Hàc regiâ epiſtolâ acceptâ, & ad pompam, inanémque captandam auram ſecretúmque tegendum in aulam, & extra aulam per multa exemplaria tranſmiſsâ, Joannes Auſtriacus tandem exercitu derelicto, Conſocram ſeceſſit. Interim Comes Marſinus genere Leodienſis, qui è Belgio traductus paulò ante venerat Badacocium, ibidem, donec Joanni ſuccederetur, curam armorum ſubiit. Is ſtatim Arroncium ab Auſtriaco prima belli expeditione captum, & propugnaculum propè Almeidam à Duce Oſſunenſi conſtructum, ita Rege illius monitis annuente, ſolo æquari præcepit; nam propter hoſtium propinquitatem, perpetuas offenſiones, commeatúſque importandi difficultatem illa oneri potiùs, quàm uſui Caſtellenſibus eſſe compertum fuerat, cúmque res ſibi in arcto, calamitoſo quoque tempore forent, contrahere, atque intendere vires, neceſſitas poſtulabat.

DE BELLO LUSITANO LIBRI NONI

SUMMA.

AUSTRIACO ſufficitur Marchio Carazenæ. Is ſententiam expromere juſſus, cenſet Uliſipponem rectà petendum; aut prætermiſſis munitis oppidis, omnia incendio, ferróque vaſtanda. Didacus Correa, dum inhibere prædarum impetum conatur, à Luſitanis, cum quingentis equitibus ſternitur. Comes Marſinus avidè certaminis cauſas quærit. Alexander Farneſius Valentiam intercipere tentat, ſed re vacua diſcedit. Ad primores Ducum Oratio Carazenæ, qui cum exercitu ad Villavitioſam dirigit iter. Oppidum capit, cujus Gubernator Brittus ad arcem confugit. Interrita Carneri Centurionis audacia. Cantagneda ſubſidia laturus obſeſſis, Carazenenſi adventus ſui certitudinem denunciat. Montiſclari pugna, in qua victor Cantagneda, Luſitani tandem diadema regni in Bregantii capite fixit. Obſidio arcis Villavitioſæ ſolvitur. Gravis Regem, ac miniſtros cura percellit, an, & quomodo bellum reparandum. Philippi Regis interpoſita mors, belli conſilia ſuſtollit. Hujus interitum cometes paucis antè menſibus nunciavit. Per dolum mutato Regio codicillo, pro Medinæ Duce, Aitonæ Marchioni, Imperii regimen adſcribitur. Ioannes, ultimos patris amplexus exoraturus, accedens, non admittitur. Philippi mores. Apud Eſcurralium ſepulchro conditur. Teſtamenti ejus ſeries compendiaria. Rege tumulato, prima quæ Reginam Gubernatricem potiſſimùm urſit cura, fuit de Luſitano bello deliberatio. Regina cupidè huic imponere bello finem deſiderat. Favet ejus conſilio Medinæ Dux. Ejus oratio in Status Senatu. Contrà diſſerit Everardus Nitardus. Auſtriaco, Provinciæ Belgicæ demandatur Præfectura. Rex Angliæ, ni pacem amplectantur Hiſpani, Luſitano ſe terrâ, marique affuturum jactat. Reginæ conſenſu, eum Luſitano quæſitæ pacis interventor aſſiſtit. Pacis conditiones. Octavo & vigeſimo poſt defectionem anno, Luſitania ſuo tandem Regi redditur.

BELLI LUSITANI

LIBER NONUS.

1665. IOANNI tandem Auſtriaco, qua in Luſitaniam inter læta, atque triſtia potitus erat, armorum Præfectura defuncto, Conſilii ſubinde ſtatus decreto, Regíſque Catholici juſſu Marchio Carazenæ ſuffectus eſt. A Belgio, ubi eam provinciam adminiſtrabat vocatus ad aulam Marchio ſumma ſpe civium, & rumore propitio populi hunc magiſtratum inierat propter res belli egregiè apud Inſubres geſtas, & quia inter arma innutritus non gratia, ut plerique, aut favore, aut intercepti

meriti furto in belli honores irrepſerat, ſed ſudore, atque induſtria honorem honore, gradúmque gradu, virtute duce, periculo ſocio, & ante miles, quàm Dux in longa ſibi miliria peperat. Igitur poſt ſalutatum Regem, eíque gratias de more pro muneris ornamento relatas, quoniam tum ipſe Status Senaror erat, in eodem conſeſſu de futuro bello conſulere, maturámque ſententiam expromere juſſus in hunc modum locutus fertur.

„ Dicere coram viris ampliſſimis co- „ gor de via, & ratione Luſitani amiſ- „ ſi regni recipiendi, quod obſtinata in- „ colarum perfidia, adhuc infeſta poſt „ tot acceptas in bello clades fortuna „ comperta, tot ſummis fruſtra incum- „ bentibus Ducibus, & cum dedecore „ tandem amotis, tanto exhauſto cruo- „ re, tanta profuſa pecunia, etiam in- „ tegrum nobis, & ingens huc uſque „ bellum, ſpe prope excuſſa, aucta „ nimis formidine præbet, cùm facere „ potiùs, quàm dicere, Ducis, quàm „ Oratoris obire munus, ingenio, vel „ uſu mihi in toto curriculo vitæ con- „ tigerit; tamen ut obedire, quod eſt „ primum militis inſtitutum, jam à „ puero aſſuetus, & hic mandato coa- „ ctus equidem dicam quod ipſe ſen- „ tio. Cæterùm, ſi ea vos quæ dixero „ neglexeritis, me præſtiti quidem of- „ ficii, actioníſque non pœnitebit, ip- „ ſos fortaſsè poterit aliquando ſpreti „ conſilii mei veſtríque ſuperbi pœni- „ tere judicii. Mihi planè, ut in cau- „ ſa proloqui incipiam hoc Luſitaniæ „ bellum diuturnum, Caſtellæ grave, „ diſpendioſum, omninò cruentum „ ejúſque rationes, & cauſas conſide- „ ranti duæ tantum occurrunt viæ, qui- „ bus aut excidium patere nobis, aut „ regni receptio valeat. Prima profe- „ ctò erit, collectis omnibus copiis, „ & viribus ire ſtatim, & arctiùs Uli- „ ſipponem obſeſſum regni, bellíque „ initium, & caput, inde enim conſilia, juſſa, pecuniæ, militares dele- „ ctus, & copiæ, inde vigor, & ſpiritus „ in reliquum belli corpus, & univerſa „ regni membra diffunditur, qua via „ intercluſa, & undique obſeſſa ruere „ omnia, & confundi labíque unà cum „ capite preſſo, aut exciſo neceſſe eſt. „ Ita ſanè cùm Julius Cæſar Italiam & „ Romanum eſſet Imperium, Scipio „ Africam ſubacturus, hic Carthaginem primò cepit, ille Romam. Contrà Annibal Pœnus arma dum procul „ à capite per quoſdam anfractus, ac „ diverticula tulit, eluſus magis quàm „ victus in extremo Italiæ ſinu conſenuir, & ne vetera fortè videar, quaſi recentibus egens, rerum exempla „ colligere ſatis comperrum eſt Mediolani, aut Neapolis urbium concuſſarum per arma ruinam, eorum quoque juri cohærentia oppida arcéſque „ velut eodem traxiſſe lapſu; vidimus „ ipſi prætereà, Barcinoni nuper receptæ totum regnum protinùs conſenſiſſe, ſalus à capite pendet, truncóque „ ſemel abſciſſo, atque abſtracto, & „ rami ſimul, & folia, & arboris vita „ quæ à ſtipite fluit, amputatur. Si Elvum, ſi Villavitioſam obſederis, his „ ſtatim Uliſippò ſuccurret, cùm preſſa, armiſque conſtricta ſit Uliſippo, „ nihil conſilii, nihil opis externæ aderit, aut interire, aut ſervire, aut arbitrium cogetur ſubire victoris; nam „ ſi intus prævalidæ vires fuerint ſe ipſæ „ conficient, ſi tenues faciliùs vis externa corrumpet, ſi factionibus fortè ſciſſæ breviſſimè dilabentur, nec „ unquam, aut raro tam magna, & „ fama, atque opibus potens ulla civitas extitit, quæ omni externo deſtituta præſidio diutiùs propriæ defenſioni, cùm urgeret obſidio, cum internis duntaxat viribus ſuffeciſſet. „ Dixeris contrà fortaſsè, terreſtres nobis, & opes maritimæ deſunt huic „ extremo, ac vehementi conatui pares. Cùm hæc ratio, nec ipſa levis in „ ſpeciem

,, ſpeciem ex adverſo propoſita ſit, eam
,, mihi nec affirmare, nec refellere in
,, animo eſt; fatendum eſt tamen, quod
,, ſi tantum laboris, pecuniæ, militum,
,, quod hoc bellum tot per annos in-
,, fructuoſè cum noſtro dedecore, ac
,, ſanguine abſorbuit, in Uliſipponem
,, rectè petendam collatum fuiſſet, uti-
,, lius, ac certè prudentiùs huic bello
,, gerendo conſultum foret, quemad-
,, modum etiam ſi id ipſum modo in-
,, terrumpere liceat, ut collectæ, atque
,, auctæ paulatim in otio vires, & co-
,, piæ majori deinde conatu, & judicio
,, in urbem Principem applicentur. In
,, hoc tamen errore humano ſeu mens,
,, ſeu fortuna potiùs ſubvertendo con-
,, ſilia deliquerit, ſi adhuc correctio
,, non habet locum, bellúmque dein-
,, ceps non intermiſſū Uliſippone pro-
,, cul agendum eſt, alteram tantum,
,, prima ſecluſa, his copiis militaribus
,, viam, quæ ad regni ferat poſſeſſionem
,, exiſtimo ſupereſſe, cùm ſcilicet arci-
,, bus regni, munitiſque oppidis præ-
,, termiſſis maximè infeſta Caſtellæ
,, acies in Luſitaniam irrumpens om-
,, nia prorſus incendio, ferróque vaſta-
,, re, ac diripere pergat, ubique paſſim
,, ruinas, orbitatem, ſolitudinem infe-
,, rens, ita enim omninò corrupta ſe-
,, gete, arbuſtis evulſis, pagiſque &
,, caſtellis undique exciſis, incenſiſque
,, fame, ac rerum uſualium inopia, ac
,, terrore malorum omnium ſuperbus,
,, ac pertinax Luſitanus in afflicto, de-
,, ſerto, regnóque fumanti, ac paſſim
,, exinanito conſtrictus, meo quidem
,, judicio, aut nulla alia te poterit tan-
,, dem aliquando debilitari, frangíque,
,, ſiquidem nec terra ille jam noſtris
,, circunſeſſa limitibus, nec mari, niſi
,, tardiùs, incertè, atque modicè poteſt
,, alimenta recipere; regnum ipſum
,, exiguum eſt, quod ne florens qui-
,, dem nedum ita contuſum, ac fractum
,, ſatis ſibi præſidio, ſatis pabulo eſt;

pertinacia, quam non ira, non metus, «
non cupiditas vincit, fami concedit. «
Hic autem & fames armata pugna- «
bit, & vis egeſtati ſe junget, & eorum «
niſi alterum valeat, utrumque deni- «
que foret perfidos homines con- «
ſumpturum. Atqui fortè inauditum, «
ac novum, imò & barbarum vobis «
videbitur in Hiſpania hoc belli tra- «
ctandi genus, ſcilicet fame, & rerum «
omnium clade, atque exitio regnum «
integrum oppugnare, coacervatíſque «
ruinis velut buſtum ex regno facere. «
Hoc tamen nobis ſuadet hoſtis con- «
ditio, opportunitas regni, uſus com- «
munis, præteritæ clades, rerum præ- «
ſentium duriſſima conſtitutio, nec «
impia, aut crudelis eſt illa quidem «
cenſenda ratio qua finis petitur opti- «
mus, qualis utique foret Caſtellæ ſe- «
curitas, amiſſi regni recuperatio, aut «
extinctio, juſta in rebelles animad- «
verſio. At, inquies, poſt hæc diru- «
ta oppida, civitates everſas, peeu- «
des, homines fame, vel igne peremp- «
tos lacera omnia, & cruenta, ac ſi- «
mul torrida flammis, poſt totum «
regnum exterminatum, & cadaveris «
facie projectum, ubi deinde Rex erit «
niſi in ruinas, & cineres regnaturus. «
His porrò ſubjicio, poſſe aliquando «
Regem vincere Luſitaniam, at Lu- «
ſitanos animos minimè poſſe, poſſe «
quandoque aridum regni ſolum, are- «
nas, ſolitudines, ſaxa, & ſpatia ina- «
nia camporum, ſed nunquam tevera «
poſſe Luſitanos animos poſſidere; «
tanta hæret in illis durities, ac pecto- «
ris obſtinatio, tanta in Caſtellæ im- «
perium, ac mores invidia, atque «
animi deteſtatio. Hanc pertinaciæ «
cotem ubi ſæpiùs impacta ac rejecta «
Caſtellenſium hucuſque arma tefra- «
cta ſunt, ut hæc ipſa reſcinderent, «
ingenium intendi belliíque rationem «
mutari neceſſe eſt. Congenitum pro- «
pè genti nunquam extinguitur o- «
dium,

„ dium, niſi ipſa prorſus extincta gen-
„ te, taliſque obfirmatos homines odio
„ tam vincere, quàm imperare victis
„ difficile eſt. Ideò ſemper mihi diſ-
„ plicuit illa Philippi ſecundi ſive in-
„ conſulta modeſtia, ſive timidi nimis
„ propoſiti ratio, qua per Chriſtopho-
„ rum Moram compoſita quaſi pace
„ cum Luſitano per largitiones, cumu-
„ latáque beneficia leniendo ipſe ani-
„ mos captandóque ferè per eſcam,
„ quàm ſeverè,atque rigidè invadere in
„ regnum maluit, ex eo tẽpore jam tur-
„ bulentis humoribus turgidũ,ſubactó-
„ que paulò poſt regno nec chirurgia,
„ nec dieta,ut dicitur uſus evacuare re-
„ pletos, aut causâ expellere morbi ſtu-
„ duit. Illa importuna pietas,illa inepta
„ Philippi clementia,quæ alias poſt alias
„ ſubinde affecto corpori corruptelas
„ ingenuit, hanc nobis extremam il-
„ lorum peperit contumaciam, cui niſi
„ ferro, atque flamma in præſenti me-
„ deri libeat, in hac perpetua ignomi-
„ nia cum Luſitano bello in hoc gravi,
„ æternóque periculo volutabimur. Po-
„ ſtremò regnum attritum, conculca-
„ tum, aduſtum, incolis propè vacuum
„ eſt aliquando fortaſsè Rex Catholi-
„ cus habiturus, plenum, & integrum
„ ſemper deploraturus; utilius eſt au-
„ tem nobis nullam eſſe Luſitaniam,
„ quàm eſſe nobis inimicam, propin-
„ quam, & primo quoque tempore ul-
„ tricem, & gravem, cùm occaſio de-
„ derit, affuturam.

Hæc in Status Senatu Marchio Carazenæ diſſeruit. Omnium ea tamen ferè conſenſu ut militaris, ac præfervidi nimis ingenii, civiliſque egentis temperamento, ſtatim expuncta ſententia eſt. Obſtabat illi præterea inſita Regi clementia, diúque in Hiſpania receptus belli gerendi uſus. Eſt enim adeò inconcuſſum, ac ſtabile Hiſpanis per majorum tradita exempla, & ſignata quaſi veſtigia res tum civiles, tum bellicas temperare, ut in negotiis excutiendis hæreat, ac pendeat ibi deliberatio, cùm non præluceat exemplum; fallit hoc tamen perſæpè inſtitutum, cum novis rebus, inſolitiſque periculis per novas artes, ac nova rerum commenta, ubi uſitata non ſuppetunt, ire obviam neceſſe ſit, præſertim cùm genus humanum ad majorem quotidie ſolertiam, atque malitiam exacuatur. Decretum eſt igitur in Senatu, quod ratum ſubinde Rex fecit, pro Luſitano gerendo bello nihil barbari, aut novi, aut præter Hiſpanorum firmatum armorum uſum induceretur. Velle Regem, cùm poſſet, amore terroribus miſto lapſos errore clientes ad officium reducere.

Dum hæc geruntur in aula Catholica, Comes Marſinus, qui interim Badacocii militibus præſidebat, hoſtem, audito, cum equitum turmis agros, pagóſque latè depopulari, ingentémque illinc abducere pecorum prædam, & obvios homines interficere, juſſit extemplò Didacum Corream equitatus Gubernatorem, quingentis equitibus ſumptis, obviam procedere Luſitano, hiſque ruſticorum cædes ulciſci, & prædarum imperum inhibere. Correa tunc oblatum adire diſcrimen, Ducíque parere minimè recuſavit, paucitatem tantummodò militum in rem aſperam ſibi commiſſam tantummodò animadvertens monuit Marſinum. Veriſimile quidem eſſe non negligenter, aut ſine robore, & caſu, ſed magnis cum copiis eò uſque infeſtum progredi Luſitanum in terram hoſtilem auſum, pugnæ ideò impares ineundæ ſibi ipſi videri eas deſtinatas equitum turmas, poſſe & majores cogi brevitcr vires, quæ pugnaturis equitibus nervos, agriſque omninò ſecuritatem præſtarent. His ſubiratus Marſinus, quæ virtus, inquit, qui militum numerus ſit non in ſtativis, ſed patenti

campo

campo diſcerni, nec victoriam ad calculos dari. Tunc ea improviſa reſponſione perculſus adjecit Didacus, quod ad ſe pertinebat ſe confeſtim declaraturum nec ſibi, nec militibus in provocato quoque periculo defuiſſe. Cætera ad aurium magis oblectamenta, quàm dexteræ vim, rerúmque proviſionem effundi. Ita equites ſtatim ad hoſtium occurſum movit. Luſitanus cum equitibus pluſquam mille cæde, & rapinis implicitus vicos, agróſque pervolitabat, tum verò cum illo numeto diminutum prælióque paratum accedere Caſtellenſem aſpiceret, velociter dividit, quos ſecum habebat, equites, partim inter arbores, & virgulta latentes ſubſiſtere, partim libero campo incurrere in hoſtem juſſos; inſidiæ numerum augent, duplicatur fiducia hoſti. Inter hæc propiùs, ac lento gradu Caſtellenſis appulſus, poſtquam videt fermè æquatum utrinque militum numerum, miſſa formidine, alacriùs in Luſitanum impellitur. Primò impetu quaſi perruperat aciem, ac trepidam loco moverat; alis ſubinde diſtentis, circuire, & concludere cœperat hoſtes, atque in latera cædere. Hæc molientes repentè ab inſidiis emerſi equites Luſitani, & à tergo, & à latere circunfuſi Caſtellenſes aggrediuntur; rei imprudentia deprehenſis in medio terrorem, pernicies aſperitas auget. Luſitani, qui in acie primò perculſi, implicatíque pedem referre cœperant, jam equis immiſſis, atque ordinibus reſtitutis animoſius ſimul inſtant, & urgenr. Sic Caſtellenſes undique circumventi ſternuntur ampliori tunc hoſtium numero, fraude, iniquo planè certamine oppreſſi. Igitur paucis exceptis, quos fortè ſuperſtites fuga diſtraxit, reliqui capti vel interfecti ſunt, captúſque egregiè dimicans eſt Ferdinandus Avalus Marſini Comitis cuſtodiæ corporis Dux, cæſus etiam Alexander Morera, aliíque inſignes equitum Duces. Didacus Correa cum cladis hujus reliquiis Badacocium effugit, minùs fortaſsè, quàm ſecus debebat eo infelici ſucceſſu triſtis, quòd vera ab initio Duci vaticinatus nimia fiducia, aut inſolentia ejus offenderat. Nihil hac tamen Comes Marſinus clade improviſa perterritus cùm promptus conſilio, atque acer animo eſſet, cadentémque Præfecturam armorum, quam paulò poſt erat Marchioni Carazenæ ceſſurus, averet aliquo facto memorabilem ponere, avidiùs idcircò certaminis cauſas quærebat. Cùm omnia igitur circunſpiceret, comperit tandem Valentiam anno præterito captam contemptim per id tempus ab hoſte, ac planè ſegniter cuſtodiri, ſpémque ex eo fore, improviſo ut impetu rueret, ſi citiùs, ac diligentiùs, ut oportebat, impreſſio in oppidum fieret. Urgebant hoc facinus apud Caſtellæ Ducem quidam municipes exules, Valentia, ut ſuſpecti novíſque ſtudentes rebus à Luſitanis exacti, addebántque propterea hoc intus etiam ſecum ſentire pleroſque oppidanos genere, & animo ad Regem propenſos, eoſdémque ubi ſigna Caſtellæ vidiſſent intetnas externis adnectere copias, & vires non minùs paratos, quàm animatos eſſe. Vitio inſuper exulantium, qui patriæ ſibi reddito amore ſæpè ipſi fallentes, aut ſua cupidine falſi majora promittunt, fraude, vel errore judicii vera falſis admiſta, ut ejus animum inclinarent, Valentini apud Ducem efficaciùs intenderant. Itaque Comes Marſinus Alexandro Farneſio negotium dat, ut clanculum copiis, aliíſque inſtrumentis, quæ ad rem uſui forent, aſſumptis, cùm nox acceſſiſſet, Valentiam pergeret interceptum; ſecreta monita dantur; exules proſequuntur. Alexander alacriter juſſa Ducis exequitur, & Badacocio procul, ne efflueret fortè ſuſpicio,

cio, milite, ac rebus omnibus comparatis Valentiam contendit. Adhuc noctis, at in lucem vergentis obſcuritas milites adumbrabat cum jam ſociis à Duce detecto conſilio magnæ ſpei pleni propè Valentiam appellunt. Rem tamen militibus aggreſſuris durior tunc ipſa tractatu, exitu mox luctuoſior, quàm mente primo conceperant, aut ore jactaverant, in limine viſa eſt; non enim promiſſa, aut indicia planè conſtabant, quibus auctis, extorres ad expeditionem Ducem impulerant; nam fluvius qui adjacet oppido, tunc inſolenter inflatus erat, trajectúque difficilis; ſcalæ anguſtæ, atque breves pro murorum menſura compertæ ſunt; nullum proditionis occultæ ſignum, ut intererat fides, ex oppido prodebatur; caligo prætereà noctis cum matutina confuſa luce jam albeſcere cæperat, ſtationéſque ſubinde excitari, armaríque levi, quocumque emiſſo ſtrepitu poterant; arx denique infeſtior appropinquantibus impendebat, nec belli ſepoſito furto, palam quidquam audere, aut agere in hoſtem cum eo exiguo militum numero, ac tumultuaria propemodum manu niſi temeritas ſuſtuliſſet. In hoc rerum ſtatu Alexander, & ſi clarior res erat, quàm, quæ in dubium vocari poſſet, ut tamen externus, invidiæque morſibus opportunior, eam ſeriò agitatam inter veteres Duces voluit. Vocato concilio, Emanuël Carafa, qui fama, & virtute inter cæteros eminebat, quíque faciliùs audacia poſſe, quàm animi inopia labi in opinione, atque ore militum erat, id facinoris ut temerarium, abruptum, exulum fraude promotum, tótque exitio commilitonum, ſi forſitan tentaretur, fœdum exitum habiturum, aut inanis incæpti dedecus reprehendenti, quàm diſſuadenti ſimilior explodit. Huic Hiſpani, Italíque cæteri Duces aſſentiuntur. Alexander ſublatis copiis re vacua diſcedit. Comes tandem Marſinus hac ultimà ſpe devolutus, nec ullo virtutis, aut laudis pro ſtrenui, ac veteris fama Ducis in Luſitania relicto veſtigio paulò poſt Mantuam Carpetanorum, inde Belgium repetiit.

Marchio quippè Carazenæ huic, ſicut diximus, ſubeundæ poſt Auſtriacum provinciæ à Rege Catholico deſignatus jam ab aula Badacocium pervenerat, ibíque præcepto Regis Didacum Cavallerum ſupremum Caſtrorum Præfectum, Didacum verò Corream magiſtrum equitum dixerat. Verſus deinde ad belli res componendas à Badacocio ultra Anam flumen perrexit è regione Campomajoris Xevotæ juxta rivum, quod aquis, ſolíque deliciis afflueret conſitus paſſim arboribus locus, ut in arida terra petebat æſtivi temporis ardor. Hic inito militum numero peditum duodecim circiter millia, ſex equitum millia ſupra quingentos à Duce reperta ſunt, ibique exercitus conſtitit, donec commeatus, belli tormenta, ac reliquæ ſarcinæ militares comportarentur. Tandem rebus ex ſententia paratis, atque compoſitis primores Ducum ſepoſitos Marchio in hunc prope modum alloquitur. Multa à ſe tot per an- " nos ſummo labore, atque induſtria " militiæ decora, ornamenta collecta, " in hoc Luſitano ſuſcepto bello fu- " gacia, interitura ſimul, ac dehone- " ſtamento proxima cernere; non " enim ſatis pro pugna militis noſſe, " non ſatis pro milite commeatus, " nec pecuniam etiam, nec arma, nec " cætera belli inſtrumenta ſufficere, " quæ abundè paulò ſibi ante fuerant " coram Rege pollicita, & quæ in " Inſubria, atque Belgio, & ubique " propè terrarum tutior, ac vetus bel- " landi mos ſtabilierat. Claſſem præ- " tereà tantopere neceſſariam ad reg- "

num

„ num maritimum ſubigendum, cùm „ in ancoris expedita jamdudum ſibi „ promiſſa fuiſſet, ſcire profectò ad- „ huc imparatam, neglectam, incul- „ tam jam otio, ſitúque marceſcere „ Gadibus, quò planè terra ſatis Luſi- „ tanus haberet,unde has exiguas ſper- „ neret copias,& mare totum unde ſub- „ ſidia, & alimenta reciperet, in pote- „ ſtate. His conſiderationibus addi, „ Luſitanos quoq; natura ſuperbos,ani- „ mo audaces, totque adeptis victoriis „ tumidos, ac toties Caſtellenſiũ cruo- „ re perfuſos, nunc ferociùs inſtare, ac „ fortioribus nervis,ac Regiorum præ- „ ſertim, ex longo intervallo com- „ perta ſocordia ſubnixos. Poſtremò „ alia ſe in Status Senatu dediſſe cōſilia, „ alia hîc exequi cogi, ne ſuis quidem „ ad ea complenda adjumentis ab illo- „ rum auctoribus roborata. Ita igitur „ jam omnia caſibus eſſe, fortunæque „ projecta ludibrio, quæ cùm adhuc „ irata, atque infeſta per multiplices „ clades experta, atque perſpecta Ca- „ ſtellenſibus fuerit, illi inſuper mol- „ liendæ non lenocinia, non artes, quæ „ ſudor, conſtantia, ac ſedulitas ſunt, „ ſed quædam potiùs irritamenta, & „ quaſi irarum novarum aculeos hac „ rerum in bello gerendarum incuria, „ vel fatali quadam torpedine ſubjici. „ Cæterùm fas cùm non ampliùs, nec „ locus ſit jam inchoatam expeditio- „ nem retrahere, aut diſtorta con- „ ſilia flectere, ipſi Duces viderent, „ decernerentque quodnam facinus „ videretur hoc tempore, his copiis, „ hiſce viribus dignum, quando non „ ſatis adeſſe ſibi virium agnoſcat ad „ ruinam eluctandam, atque ex ani- „ mo ducere nervos oporteat, niſi fa- „ to ſibi quoque ſtatutum ſit com- „ muni belli hujus invidia, atque pu- „ blico odio cum ſimilibus ſibi Duci- „ bus conflagrare. Rogatis poſthæc ſententiis, quidam Valentiam Alcantaræ nonnulli Eſtremotium, alii Villavitioſam hoc exercitu aggrediendam exiſtimabant. Has ſententias excurit Marchio, & Valentiam primò rejiciens ut nimis facilem, Eſtremotium, ut expugnatu difficile, Villavitioſam ut mediam amplexus eſt, ita modo ſententiam temperans, ne efferri nimis fiducia, cujus cauſa tunc non extaret, néve metu, quem recondere debuiſſet, apud milites dejici videretur; eóque dirigere ſtatim iter exercitum juſſit. Igitur obviis curſim vaſtatis, uſtíſque hoſtilibus agris, tandem ad Villavitioſam Caſtellenſium acies pervenit. Sedes hoc oppidum eſt, vetúſque ditio antiquorum Bregantiæ Ducum, Villaviriosa diſertè dicta propter cœli temperiem, ubertatem agrorum, nemorum pulchritudinem cæterámque inſignis, mollíſque cultus amœnitatem etiam artificio acceſitam; nam nimiæ deliciarum illecebræ aut vitioſæ natura ſunt, aut vitiorum incitamenta. Sedet oppidum in edito colle ſitum tripliciq́ue forma conſtructum, prima pars in ſuburbia quaſi diſtenta cœnobia continet, officinas, plurimas domos, ipſáſque Bregantii magnificas ædes. Huic perveruſtis mœnibus cinctum nectitur oppidum, raríſque id incolis habitatum. Deſuper eminet arx, eáque ſatis pro tempore inſtructa, cùm inreriores meatus haberet, & foſſam, & ſublunare munimen, & vallum. Erat tunc oppidi Gubernator Chriſtophorus Brittus ab aliis adjutus Ducibus veteranis; ac præter aptos pugnæ municipes, qui plurimi erant, propè mille militibus ad oppidi defenſionem impoſitis. Brittus verò poſtquam eò infeſtum tendere hoſtem agnovit, tria primùm idonea extra oppidi mœnia loca poſita munit, ampliſſimam ſcilicet Bregantii domum arcis in ſpeciem ædificatam, propugnaculum Divi Bene-

dicti, & portam Nò, ſic vulgari nuncupatam vocabulo, experiri ita ratus initio meliùs virtutem hoſtis, ac ſi per vim licuiſſet, in parvo negotio minuere fiduciam, vel ita vires, & animos hebetare, ut debilior, ac fractior mox impetus ejus interiùs admoveretur. Porrò decem, & octo ſclopetariorum Caſtellenſes progreſſæ partitæque cohortes, tria, ſicut diximus, illa extra oppidi ſita muros, quæ à Luſitanis inſeſſa, ac ſtrenuè loca munita fuerant eodem tẽpore cum clamore, atq; impetu adoriuntur. Atrox, quia primus, recentíſque vis, animíque, ac ferè tumultuarius erat ille conatus hoſtium, ac tripartitò conflictus fit, perſtititque aſſiduus, concitatúſque utrinque pugnandi ardor, ac fermè æqualis illata cædes à meridie ad primas uſque tenebras noctis, ſtrenuè non minùs ab his oppugnato, quàm à Luſitanis retento loco. Nocte ineunte cùm ſecum volveret Brittus, ea pro terrore, ac munimine oppoſita loca hoſti nimis longinqua, cruenta, ſubſidiis inciſa videri, ac ſi ulterius inſtaret hoſtis quamprimùm ſuorum militum cladibus collapſura, præterea ſi à præliorum initiis deſumitur omen, bene inde auſpicatum; ſi comparatio virtutis, nihil eouſque accidiſſe, cur ipſe diffideret; ſi ſpes, & alacritas animi ſatisfactum omninò eſſe, eadem idcircò nocte inde repente milites revocavit, deſertíſque quæ extra oppidum erant, munimentis, atque inutili multitudine, ſimul omnium fortunis prædæ, ac libidini expoſitis hoſtium intra murorum ambitum defenſionem intendit. Ubi illuxit milites Caſtellenſes Roderico Moxica Duce, adjacentes oppido ædes ingrediuntur, nullóque obſiſtente, cùm miles, & arma contracta in oppidum eſſent, nec ulla mœnia, aut obices eſſent, quæ inhiberent impetum hoſtium, ea ibi luxuriæ, avaritiæ, crudelitatis exempla nefariè congeſta ſunt, quæ militaris furor, atque impunè aliquando irritata cupiditas edere ſolent; non pueris, non ſenibus, non pudicitiæ virginum parcitur; Sacra alia polluta, alia rapta, alia fracta, alia in cinerem verſa, cùm ex alia in aliam domum applicitus ignis etiam templa, ac cœnobia corriperet, cremarétque undecunque inſultare, prædari milites cædere, latrocinii, ac ſanguinis avidi circuire; tum & irrita fuga erat, cùm ſtrata omnia, aut obſeſſa teneret hoſtis. Has inter ruinas incendii, & cæſorum hominum ſtrages, omníſque militaris effrænatæ nimiùm licentiæ, viri quidam religioſi, qui furentium fortè minis, & flammis elapſi Carazenæ Marchionem convenerant, immanem illam militum feritatem, & ſacrorum ludibria, & inter ipſa cœnobia defloratas eſſe Virgines conqueruntur. Si belli jure liceret etiam in Numen inſurgere, vi quoque ipſum ineluctabili ulturum injurias ſuas. Ad quos, non eſſe cur mirarentur, reſpondit, ex diverſarum gentium barbarie, atque vitiis conflatam illius exercitus fœcem eſſe, utcumque tamen ſe curaturum, ut ſacrilegiis, ac cædibus milites temperarent. Cæterùm ſeu primo, ut ſolet, impetu excuſſo, ſeu Ducis imperio, ſeu ſcelerum ſatietate à cruore, & rapinis deinde ceſſatum eſt.

Exteriori ſic oppidi tractu in poteſtatem accepto intenſior ſtatim in idem oppidum Caſtellenſium conatus incubuit. Tormentariæ itaque ſedes erectæ, ſuffoſſi cuniculi, obſidionales acceſſus ducti, viæ, tramites, colles, loca omnia prærepta ſunt, quæ procul, ac propè infeſtare, ac premere poſſent oppidũ. Hæc verò, quæ ad longiorẽ obſidionem cõparabantur cùm in primis Caſtellæ Duci rei celeritas cordi eſſet, vis quoq; impetúſque in oppidum applicãdi propiora pericula non laxabant; nam pyloclaſtro majori oppidi portæ cõſtanter affixo, eam nitebãtur ſubvertere hoſtes, ſcalis

lis deinde muris appoſitis illam murorum aſcendere partem, ubi plus præliantium exarſerat impetus, contendebant. Confluunt tunc undique Luſitani, circa portam dum acrius, & circa mœnia periculum erat, ollas incenſas, granata, atque alia ignea artificia certatim ex mœnibus jaciunt; nunc ſclopis, nunc longioribus haſtis, qui portam obſederant, aut muros ſubibant ad deturbandos hoſtes utuntur. Sic tandem vim Caſtellenſium eludunt, & fruſtra igneo inſtrumento portam, ſcalis mœnia petentes expellunt. Cùm hic primus, & propior in irritum impetus cecidiſſet, Dux Caſtellenſis, ſubductis copiis, productos ad oppidi mœnia cuniculos tunc conflagrare, atque erumpere juſſit, ſed cùm ſolum ineptum eſſet, retrorſum ignis effuſus hoſtibus multò minùs quàm Caſtellenſibus nocuit. Inter hæc cùm aſſiduis concuſſa tormentorum ictibus mœnia, & lacera paſſim munimenta fatiſcerent, ingentéſque ruinarum cumulos tollerent, per eas Marchio ruinas, labéſque murorum milites jubet impreſſionem in oppidum facere. Itali primi juſſu Ducis irrumpunt. Hos Luſitani pari quidem ferocia animi, conatúque recipiunt; ſæva ibi,& feralis conſeritur pugna. Etenim Luſitani pars mœnium ſumma pars per ruinarum fragmenta ſparſi, ruinarum alii extrema tenentes confertis cuneis, nudato corpore intrepidi hoſtilem impetum propulſabant, nec vulnera, aut cædes, aut æſtus, ſive profluens utrinque ſanguis his ferociter intendendi, illis acriter vim retundendi impedimento erat. At Itali quanquam illis virtute, atque animo pares, diſciplina tamen, ac numero prævalebant, rejectúmque perſæpè hoſtem, & mox audaciter redeuntem, impulſúſque reciprocantem fregiſſent tandem, ruináſque tranſgreſſi ſe mœnibus applicaſſent, niſi eodem momento temporis ſcalæ temerè defeciſſent, primis námque fractis ab hoſtibus ſcalis, atque combuſtis, etſi aliæ tunc celeriter parabantur, lapſo temporis puncto jam inutiles erant. Hoc itaque omiſſo propter militum laſſitudinem, & rerum inopiam certamine, id tantum per ſummum laborem obtinuit Italus, quod propiùs jam feſſa mœnia gradum, ſedémque eo experimento poſuit. Cùm inter mœnium ruinas, & armorum, & hominum clades ſic propè oppidum certaretur, haud minori quidem ardore impetúque quia bellatoribus abundabat, ejuſdem oppidi arcem ab alia parte Caſtellenſis premebat. Novum enim ipſe ibi excitaverat aggerem, crebríſque inde incurſibus arcis in orbem jacta ſuperare munimina contendebat. Semel ea tamen, quàm aliàs atrociùs pugna recruduit, dum præſens Carazenæ ipſe Marchio adhortando, obſecrando, impellendo, ſtrenuè ipſe pugnando milites accendebat, eóque imitatione, periculo Ducis inſtinctus validior accurrerat Caſtellenſis militiæ nervus. Eminùs, cominúſque confligebatur, cùm imas alii munitiones inferius, alii arcis ſuperius defenderent pinnas, réſque propterea ſclopis, granatis ignitis, lapidibus, haſtis alacriter gereretur, utrinque ſæpè cadentibus multis ferro, aut ignibus hauſtis, quemadmodum varia, implicatáque pugna erat. Jamque flacceſcere tandem, animóque ac viribus labi cæperant Luſitani, ac timidè pedem referre, acriùs eo tempore inſtantium cum vi, tum hoſtium multitudine circumfuſi, ac propemodum obruti. Videt hoc Brittus, cohortatúſque quos in latere habebat tribunos, ac reliquos Duces, ſimúlque progreſſus occupat ipſe primam certaminis frontem, ibi profectò cum ceteris Ducibus periturus niſi formid nem pudor ejus militibus abſtuliſſet. Quippè tunc majorum exem-

plo Ducum impulſi vires, & animos colligunt Luſitani, promovent gr-dum, regreſſi certamen inſtaurant, quíque jam fluere, ac cedere cæperant vehementius invecti clamore, ſtrepitu, armorum, & corporum niſu ipſos repentè cogunt retrocedere Caſtellenſes, creſcit adverſa nunc inclinata conſpecta acie Luſitanis fiducia; lacertos fiducia corroborat; impetus incaleſcit. Tunc ampliùs obſiſtere hoſti; jam Marchio Carazenæ diffiſus cani ſtatim receptui juſſit; revocat etiam à prælio ſuos milites Luſitanus, cùm impetum illum injecta velut hoſtibus rabie inſuperabilem Marchio crediderit, & lucro duxerit Brittus, quod circumacti certaminis vices æquare ad ultimum potuiſſet. Jacuit immenſa propemodum ſtrages, ac Luſitano cruentior, cùm eorum optimus quiſque dum inclinatam reddere pugnam pro viribus ſtuduit cæſus, aut vulneratus eo ancipiti prælio fuerit, inter quos Brittus oppidi, arcíſque Præſes tribus vulneribus ictus. Emanuël Lorcatus Pintus facie granato conciſa, ac fœdiùs ambuſta receſſit, reliqui Duces graviter ſaucii ſe ſe in munimenta recipiunt; mitiùs deinde producta in arcem, & oppidum eſt oppugnatio ob tantum ſudoris, tantùmque ſanguinis latè fuſum his militaribus flammis aliquantulum imminutis; nihilo tamen minùs nec impeti à longe arx per belli diſploſa tormenta, nec quaſi mœnia deſtiterant, invigilante quoque ſupremo Duce, ut ea quæſita militibus quies, ac certaminis intervalla in graviorem hoſtium perniciem, ac peſtem relaberentur. Sub hæc nunciatur exercitum Luſitanum jam Eſtremotio digreſſum ad ferendam obſeſſis opem iter inſtituiſſe. Perculſus hoc nuncio Carazenenſis, & maximè anxius cùm duplici cura, & labore ſimul arcis, ſimul oppidi potiundi diſtractas eo tempore vires haberet, relicta denique arce, ac tempori reſervata, omnes tunc belli conatus, aſtúſque in Villavitioſam convertit, ſi priùs extricare ſe fortè poſſet ab hujus oppidi obſidio, quàm cum hoſtibus ſigna conferret, quandoquidem arx aſperioris, longioríſque negotii res videretur. Copias igitur omnes è ſuis ſtationibus acceſſitas tripartitò Marchio diſtribuit ad oppidum undique conſtringendum, multos etiam congeri juſſit virentium viminum faſces, qui miſſa ignea deſuper artificia deluderent; mœnia quoque cùm opus eſſet, occupaturis multitudo ſcalarum parata erat; ſparſíque paſſim fractorum murorum acervi, & plures hiantes in mœnibus labes externo partim impulſu, partim cohærentium murorum ruinis impreſſæ multos acceſſus invadentibus aperuerant. Ea porrò triplex invecta, pars in murorum ruinas, Itali omnes erant, urgebat acies, pars ſed numero minor in militari arcis ſepe, ſtaccatam milites vocant, hærebat, & circunſeſſam in otio tenebat arcem, ut inde interruptus, qui in ejus præſidio erat, nequaquam poſſet, cùm vellet, egredi, ac municipes adjuvare; reliqui ſæpè, & nequicquam intentam majorem oppidi portam evellere, aut ſcindere ſumma ope connitebantur. Dum ita ſingula obire injunctum à Duce opus militum agmina ſtudent, Luſitani adeò acerba, ac multiplici pugna disjuncti, variáſque in partes quæ eodem tempore laborabant, abſtracti, enervatíque cùm neque numero pares eſſent, quod unus contra multos pugnaret hoſtes, neque viribus etiam, quòd non eſſent ob paucitatem, qui ſuccederent feſſis, aut morientium vices exciperent, nec denique loco, quòd quaſſata verberibus mœnia vel lubrica pedes fallerent, vel diruta, aut ſciſſa

ſuperſtan

ſuperſtantes opprimerent, tunc animi ardore magis, & impetu, quàm ſuis ſe viribus ſuſtentabant. Truciùs tamen qua Itali parte vim intendebant, certamen incaluit; nam ruinas penè trajecerant, & muris ſcalas admoverant, altiúſque corporibus aſſurgentes jaculis, haſtis, incendiiſque multiplici peſte repulſi tranſverſis plerique veſtigiis præcipites ibant, pauci qui mœnium ſumma tetigerant, aut à ſociis ibi relicti interibant, aut ſe ſaltibus ſolo reddebant. Cùm igitur ſcalæ paſſim, & homines ſimul evolverentur, atque iniquior ſuccederet Italis, ut enudato ſupernis ictibus corpore, pugna, cúmque lapſos cæſóſque tamen recentes Itali exciperent, urgerénrque illúcque ut in majus totius conflictus diſcrimen, & ultimam oppidi ſpem tota ferme vis propugnantium, pugnantiúmque converſa eſſet; tunc Emanuël Caraſa eò circunductam cohortem Italicam movit, ubi minori metu periculi minùs erant providi Luſitani, & quia alibi res ardebat majori cum hominum copia, nec ea Luſitanis pro locis omnibus ſuppetebat, ibi ad cuſtodiam pauci reſtiterant. Eò itaque aſſultim Itali properantes obvios, & raros in loco Luſitanos expellunt, ſubinde alii, atque alii turmatim accurrunt muróſque repentè ſcandunt; qui verò ab altera muri parte ſubeuntibus adhuc ſcalas obſtiterant Luſitani cùm circa ſe plenas nunc hoſtium ruinas, fractos aggeres, muros diſciſſos, vim, numerum hoſtium, confidentiam, audaciam ſuper murorum, & ſtragem corporum inſultantium viderent, ex altera parte captum jam murum, ſéque averſos, adverſóſque à Caſtellenſibus premi, oppido ſtatim relicto, nec paucis intra fugam exceptis ad arcem confugiunt. Eo quoque tempore cùm acciſas res hoſtium aſpiceret, contra militarem arcis ſepem pugnabat agmen alterum Caſtellenſium, nec illam adhuc perrumpere ferro, aut ignium jactu cremare potuerat, Italici tandem fuſis, fugatíſque ab oppido Luſitanis ſe ſe prælantibus addunt, accedit tumultus, & fuga eorum, qui gladiis elapſi arcis ſuffugium petebat; inter tumultum, & pugnam capitur ſepes. Ita Luſitani reliqua cura, præſidum, tutelæ ſpes cùm in arcis duntaxat circunſcripta limitibus eſſet, cúmque etiam puteo, quem omninò putabat Marchio aquam intus ſufficere obſeſſis, jam idem potitus eſſet, tubicinem miſit, qui de opportuna arcis obſidione moneret Brittum Gubernatorem; nocere tempus, peſtiferas eſſe moras, ſi occaſio merendæ clementiæ præterfluxiſſet, victorem ſubinde inexorabilem fore. Tum Brittus, ne de illo expugnato facilè oppido, tubicini retulit, Carazenenſis immodicè lætaretur, quod præ murorum fragilitate, temporúmque ruinis, multò aſperiùs, quàm opus fuiſſet, negotium illi curámque faceſſerat. Stare adhuc integram arcem, ibíque etiam puriori ſtagnantem aqua incluſam ciſternam eſſe. Ita eluſus Carazenenſis, ideóque in arcis oppugnationem ſollicitiùs intentus, occupatúſque ſublimis in vertice templi, cui titulus erat Immaculatæ Conceptionis, adverſus arcem tormentariam ſedem extolli juſſit. Erat etiam in ipſo templo inſignis quædam, ac vetus Deiparæ imago, quam, memorant Luſitani, eſſe principem in Hiſpania illibatæ Conceptionis memoriæ, claróque nomini conſecratam. Hanc ab initio Brittus obſidionis ne inter armorum confuſionem, militúmque licentiam, ac libertatem irreverentiæ, barbarive contemptus aliquid pateretur ex templo in arcem transferri curaverat; nunc verò cùm ab ejuſdem Virginis templo per hoſtem arx, atque miles præſidiarius crebris

ictibus peteretur, ſacram Deo ſedem eo armorum miniſterio pollutam, ac profanatam improbans hoſti, paciſque ſacrarium in tartaream belli officinam converſam eſſe, ſeverè præcepit, ne quis tormentum, aut ſclopum, aut aliquid miſſile in templum jaceret, ſuam ipſi ſedem, ſuum ipſi cultum Virgini curæ fore, eóque ſacrilego ſcelere inflatam Virginis iram contra illos vertendam eſſe, in quibus non pudor, non verecundia, non jus erga homines, nec religio, nec pietas erga cœlicolas inſaniæ, ac libidini frænos injecerat. Narrant inſuper Luſitani cùm per majora tormenta belli ex templo in arcem fulminantibus hoſtibus ſacra ipſa imago ſolemni, ac pio comitatu intra arcis muros circunferretur, cúmque obvia incedentium, & modulantium miſta laudibus carmina multitudo objecta gregatim funeribus eſſet, tunc mortales quamplures emiſſos è templi vertice globos irritos cecidiſſe, ſacram pompam, qui ſequebantur intactis omnibus circunductam.

Dum ita urgetur à Caſtellenſibus arx, Cantagnedæ Comes Luſitani exercitus Dux, cùm certiorem facere vellet Brittum, magnis ſe copiis inſtructum in arcis auxilium quamprimùm eſſe venturum, diffiderétque inter milites invenire, qui circumplexam, ac reſtrictam omninò arcem auderet inter pilas, & cuſpides penetrare, nec ipſe propterea ad certam quaſi perniciem cogere quemquam fas eſſe duceret, jocanti ſimilis inter milites jecit, eſſet necne in ſuo exercitu Luſitanus cui adeò valeret animus, ut interritus hoſtium agmina pertranſiret, Brittóque intra arcem ſecreta mandata perferret. Hoc vulgato ſtatim ſermone, haud ægrè repertus eſt, qui id ſe illicò audere profiteretur, Franciſcus nempè Carnerus fortis Centurio. Is itaque binis ejus centuriæ militibus ſumptis, equíſque ſtatim conſcenſis ad arcem hoſtibus circunfuſam, aditúſque Caſtellis, ac molibus ſeptos cum ſociis alacriter ſubit; ibi mandata Ducis exponit, ibíque duo illi gregarii milites, relicto, ut juſſum erat Centurione, per idem obſeptum, ſtratúmque ferè mucronibus iter incolumes tranſeuntes ad Cantagnedæ Comitem redeunt; adeò præcipiti eorum ad arcem acceſſu, atque receſſu, velut miraculo audaciæ defixis, ac propè attonitis hoſtibus, víxque illi hoſtes, an ſocii eſſent, præ ſummo ſtupore diſpicientibus. His rebus ita proviſis, cæteros ſimul coactos primores Ducum conſuluit exercitus Dux, an expediret, ferre ſuppetias ad extremum concuſſæ arci, atque ideò conferre cum hoſtibus arma, eas ſine dubio ad ultimum virium impedituris. Latis in orbem ſententiis, nemo ex tot ſimul diverſæ licet indolis Ducibus extitit, qui feſtinatis ſubſidiis, pugnæque, ſi occaſionem offerret hoſtis, protinùs ineundæ refragaretur. Quanquam enim vetus adhuc hærebat Luſitanis inſita ratio, effugere ſemper, dum ita poſſent, cum hoſte conflictum, extrema ni ſecus vitanda calamitas, ultimúmque diſcrimen poſceret, quòd in uno commiſſo prælio totius Luſitaniæ ſimul diſceptante fortuna, imperii, aut ſervitutis conditio vertebat, nec tanti præterea momenti arx illa cum oppido erat, ut irreparabilis ejus ruina, cùm denique cecidiſſet, putanda eſſet, aut ea mereretur, cum extremo univerſi regni periculo comparari, ereptum hanc tamen arcem, & oppidum hoſti eo conſenſu, atque animorum ardore tribus de cauſis concurſum eſt, primò quia ſemel & iterùm Luſitanus cum belli fortuna uſus feliciter eſſet jam tenebras illas excuſſerat, quas ex Caſtellæ potentia, cumuliſque propè regnorum metus offuderat animis, contemptúſque propterea ceperat hoſtis, deinde quia neque ampliores

hucuſque

hucuſque copias, neque meliorem ad prælium Ducem emiſerat; poſtremò, quia cùm Villavirioſa cariora inter pignora cenſeretur hæreditariæ Bregantiæ Domus, ſi eam Caſtellenſis obtinuiſſet, æquè familiaris, ac publica Bregantiæ Ducis jactura, luctúſque, ac populi rumor obverſabatur. Comes itaque Cantagnedæ poſtquam inferenda citò ſubſidia, & cum hoſtibus pugna, per unanimes Duces decreta ſunt, militúmque ſubinde clamorem, & plauſum pugnæ decretæ nomen expreſſit, Carazenenſi ſtatim denunciavit adventus ſui certitudinem, ſibíque gratiſſimum fore juſta quamprimùm acie cum tam celebri Duce congredi.

Marchio tum, quamvis tacitè ſecum tanta jactantia, hoſtíſque ſuperba fiducia repungeretur, & ipſe eo tempore quoque parum ſuis viribus fideret, contemnere tamen fronte coacta, vultúque ad rem ficto provocationem oſtentans quaſi jocum tubicini illuſit, levitatem eſſe fiduciam, tumorem animi robur, ac vires in ſpeciem inrerpretatus. Vocat ſubinde Duces & utrum, & quomodo eſſet prælium hoſtibus interrogat anxius, ſcilicet an arx obſidione tenenda, an deſerenda, an potiùs diviſis copiis pars arcem obſideat, pars ſubſidia acceſſura coërceat. Non erant talia profectò ibi militum nervus, & copia, quæ ſatis in illo diſcrimine forent ſimul premendæ arci, ſimul diviſim obviam eundo hoſti, nec erant præterea circumjacti valli circuitus, aut propugnacula obverſa, quibus protectus inſidens miles ſe ſe, arcis obſidionem, ac munimina ſuſtentaret; idcircò plurimi ſentiebant, viam atque tranſitum, qua ad arcis ſuppetias fuiſſet hoſtilis exercitus perrecturus, præoccupandum militibus eſſe, ſparſi enim hinc erant & inde, qui viam diſtinguerent, colles;his porrò inſeſſis, & communitis excidium ſubinde arci, ut præciſæ, orbatæque ſubſidio, & ex edito loco tutela militi pararetur, cùm exercitus Luſitanus montibus, & vallibus intercluſus nec confligere poſſet ibi, nec facilè regredi, multóque minùs, ut arci ſuccurreret, progredi. Hujuſmodi tamen longa oratione ſententiam disjecit Marchio ut medium arctíſque in rebus, & arduis plerumque deteriorem. Quippè diutiùs in collium verticibus immorari non patiebatur alimentorum inopia, Luſitanus velut in proprio, ac libero campo commeatibus affluebat. Arx deſtituta, aut laxata conatibus remanebat, quæ niſi acerrimè premeretur ob loci ſitum, defenſorum virtutem, & modo ſubſidii ſpe proximi auctam ſegniorem profectò quamcumque defenſionem labefactaſſet. Qualis eſſet igitur hæc ſententia, quæ ſi forſitan probaretur, famis eſſet interitum Caſtellenſibus, palmam ſedentibus Luſitanis, libertatem arci, & oppido collatura? Utilis ſanè videri, aut in re ancipiti minùs periculoſum per jactam modò certaminis aleam ſpes omnes ipſos, & curas in ſinu fortunæ, quæ eſſet utriſque communis, & ante exitum ſemper incerta, deponere, quàm voluntario periculo ſtultos per detorta, atque abrupta nimis conſilia certum ſe ipſis exitium, ac peſtem accelerare. His accedere juſſa Regis Conſilii Status auctoritate ſancita, quæ nullo propè relicto arbitrio ſupremæ ſibi pugnæ periculum inculcarent, nec certè ſi res ſecus accideret, minùs ſibi terroris irata, atque infeſta Senatorum ſuffragia, quàm belli fulmina incutere. His dictis Marchio jam pugna decreta, conſilióque dimiſſo, proximum collem aſcendit, loci inde ſitum contemplaturus, quem tragicam Martis furialibus ſtimulis ſcenam paulò poſt præbiturum eſſe putabat. Luſtrat inde, notátque oculis locum, pergere

Mm 4 tandem

tandem hoſtibus obviam in campum ſubjectum milites jubet; mille,& quingentos circiter pedites, quibus Canſani Dux Italus, & Joannes Carrera Hiſpanus cum ſingulis legionibus præſidebant, in arcis obſeſſæ cuſtodia relinquit; nam ambitus arcis anguſtus, & undique circunſeptus pro temporaria defenſione, cùm prælio ſubſidia tunc arcerentur, nihil ampliùs virium requirere videbatur.

Propè Villavitioſam planities quædam effunditur, quæ vulgò dicitur Montiſclari,ex eo cœnobio,atque templo tracto fortaſsè vocabulo, quod ibidem aſſurgit, Beatæque virginis à luce populariter nuncupatur. Planum colles per gyrum, & ſaxorum aſperitates obſepiunt, frondenti, amœnóque magna ex parte diffuſo tractu, & ſupra, atque infra hinc vineris, hinc arboribus interjectis; planities ipſa inæqualis, & variis anfractibus ſecta eſt, via omnis quà tortuoſa, quà recta, multíſque tramitibus ſciſſa. Prior in hunc locum Luſitanus ingreditur ſupra ſexdecim millia peditum, ſex mille equites omnes pugnæ paratos, & alacres ducens; numero, ac viribus longè minor ad prælium acceſſerat Caſtellenſis, magnam enim exercitus partem primò confecerat vel infirmaverat, nunc implicabat arcis obſidio. Intellexerat Marchio Carazenenſis, quò magis hoſtis appropinquaret, eò meliorem ad pugnam præreprum venire locum, quáque ille tunc incedebat, ægrè ſe poſſe conflictui expedire, eum propterea antecaptum ire celeriter locum milites juſſit latera collium longo agmine pedites, planitiem à læva tenentes equites. Terruit hæc primo quidem aſpectu celeritas hoſtis, atque animi promptitudo Comitem Cantagnedæ, multóque ipſa magis, quia per id tempus aberat pediratus, & cum illo tormenta belli, ſimul iniquitas loci nimis contrahere, atque implicare militum ordines adigebat; hoſtémque jam incurſurum moleſtè ferebat ex loci, ſitúſque prærogativa dimicationis initium ſumere; in tempore tamen ab ipſo Comes Schombergius admonitus tanta celeritate maturare peditem iter, & tormenrorum ſubſequi plauſtra curavit ut priuſquam certamen inciperet, ab arctioribus locis emerſa jam tota explicata, atque ad prælium inſtructa Luſitana pateret acies. Porrò Marchio Carazenæ ſic Caſtellenſes diſtribuit copias. In duas acies pedites dividit, in quinque alas equites aliam poſt aliam poſitas, adeò, ut inde frons minùs porrigeretur, quod terræ defectu accidit; Siniſtrum equitum cornu externi milites occupabant plerique Itali, aliquot Galli, plures Germani, inter quos vetera, ac fortia Germanorum agmina ſtabanr, quæ in bello Ungarico contra Turcas longo tempore exercita gubernabat Comes Rebarius, híſque Alexander Farneſius extemi equitatus magiſter præerat. Id autem lateris prorſus nudatum peditibus erat, quòd ſatis ſibi, ſatíſque prælio ſuo robore equeſtri firmatum temerè, ut mox exitus docuit, creditum fuerit. In dextero exercitus cornu, quod Didacus Correa magiſter equitum temperabat cum univerſo peditatu Caſtellenſes equites hæſerant. Aderant ibi Didacus Vera, Rodericus Moxica, ibi Fabritius Roſſeus, alíique ſelecti cum ſuis legionibus Duces. Tormenta belli in utroque latere ſita, nonnulla etiam in vertice collium, qui exercitibus prominebant erecta ſunt. Luſitanus verò in hunc modum direxit aciem. Dexterum cornu equites ferè omnes, ſiniſtrum pedites tenuere; quippè aſperitas ſitus, brevibúſque quibuſdam coarctata limiribus nequaquam ſinebat utraque ex parte equitatum extendi, prima tamen equitum frons, cui prior, acriórque excipiendus impetus erat, latiùs

tiùs porrecta erat, delectíſque manibus peditum, qui rari, ſparſíque aderant, intermiſta, altera exercitus pars ſolis peditibus conſtituta in binas erat partita acies peræquè plenas, & conſtipatas, cùm abundaret peditibus Luſitanus. Illud præcipuè ex diſciplina militiæ rectè proviſum fuerat, quod per artem ita ordinatus cum equite pedes erat, ut egens alter alterius auxilio ſuccurrere mutuò, & coïre, & cum res poſtulaſſet disjungi facilè poſſet. Auxerant quoque exercitus hujus virtutem, & numerum Petrus Jaquius Magallanius Simeon Vaſconcellus, Petrus Cæſar Meneſius, aliique Duces egregii, qui in longinquis, variíſque regionibus regni militiæ partem adminiſtrantes, huc modo armorum, ac nobilis pugnæ ſtrepitu impulſi, deſertis fermè præſidiis convenerant. His ita pro pugna compoſitis; poſt belli utrinque diſploſa tormenta Dux Caſtellenſis in primis jubet Alexandrum Farneſium ab lævo cornu in dexterum Luſitanum incurrere, quod tanto vigore, & animi audacia, tantóque impetu cum ſuis equitibus præſtitit Alexander, ut primum agmen hoſtile eo impetu ſciſſum, ac penè jam profligatum ipſe in extremam intruſerit aciem. Inde effuſis Caſtellenſes inſtantes, curſímque ordines diſſolventes in arrectas peditũ haſtas, qui idem firmabant latus offendunt: ſtrenuè illi tunc cùm ſe ſe haſtis, & corporibus objeciſſent curſu, & animi ardore hoſtium equitibus incitatis, dum equorum, & hominum impetum haſtarum cuſpidibus remorantur, ſpatium dedere ſociis ſemetipſos recipiendi, aliíſque citò collectis tum peditum, tum equitum turmis acrioribus iterum nervis obviam hoſtibus prodeundi. Sic repentè fortuna voluit, quique anteà propè jam vicerant, verſa nunc belli vice, trepidant, fluctuant, partim cæduntur, partim effugiunt, partim mox elapſuris, aut perituris in ſpeciem vires, & animus languet. Ut verò Comes Rebatius ſuos quoque priorum impulſibus preſſos cedere, & fluere, ac propè fugam ſpectare milites cernit, equo ipſe tranſvectus, & oculis torvus, ac minax Germanos increpitans, "Ubi decus, ubi animus, ubi fides, ubi fas diſciplinæ milites? inquit, fugientibus ne integram vobis honeſtatem, & vitam futuram eſſe cenſetis? an tutius, & glorioſiùs forſaſsè fuerit terga, & cervices, quàm ora vel pectus oſtendere hoſti? an vos honoratiùs eritis perituri, cùm perire neceſſe ſit, niſi adverſis vulneribus concidatis? Qui in Germania vincendo conſenuiſtis, & plures de Barbaris partas cumulatáſque victorias, quàm ætatis propè annos enumeratis quo nunc attonitis veneficio, qua improviſa formidine tactis, aut vi fortè, invincibili abreptis ferrum vobis hebeſcit, aut dexteræ torpent adverſus rudes hos Luſitanos, imbelles, qui inſania, & furore magis quàm arte, & conſilio, aut fortitudine pugnant? Hic vincere, aut mori vobis, mihíque commilitones expediet, vitámque quam unà juvenes toties præliando contempſimus jam propè exactam, nec minùs triumphis, quàm curſu annorum effætam honeſta reddere morte, quàm periculoſa turpíque fuga redimere ſatiùs eſt." Alia ex parte Farneſius orando, increpando ſparſos à fuga, trepidóſque cogebat milites, ſtatim deinde ordinibus reſtitutis, & fortiùs corroboratis majori vehementia, atque impetu in Luſitanum, qui prævalebat, incurritur. Redit utrinque conflictus eò luctuoſior, ac pervicacior, quò recollectis, plúſque irritatis per dicta, per facta viribus recalebat. Jam verò ita prævalent Caſtellenſes, ut primo, & altero, ac tertio incurſibus obvio primi lateris agmine impulſo, ac propemodum

dum fracto tunc extremam pervaderent aciem, Germanique præcipuè mediam dextri lateris aciem, quidquid obvium in medio erat ſternentes, tranſgreſſi converterant arma in Luſitani cornu ſiniſtrum. Improvisò eò rem devolutam ubi videt Dux Luſitanus, illuc ſubſidia confeſtim accurrere jubet, advolántque mandato Ducis Comes Scombergius, Comes Sancti Joannis aliíque principes Duces. Hi tunc arctiùs cohærere, cum aliis qui ab ordine effluxerant conſtipare, plus ubi periculi erat, offerre ſe, turmæ aliæ prætereà equeſtres, aliæ pedeſtres ex lævo cornu in ſiniſtrum traductæ convenerant. Duæ propè acies in unam confluunt; magna profectò certaminis moles in Caſtellenſes jam propè feſſos incubuit. Ruere porrò cum equis ſolvere ordines, concidere ferro, aut in fugam averti ſuperiores paulò ante nunc graviter preſſæ Caſtellæ cæperant copiæ, vario belli negotio eas inter vices, turbáſque cruentos colludente fortuna, & nunc propenſiùs in Luſitanos milites inclinante. Tunc intuitus Carazenenſis jam verſam adjectis ab hoſte viribus pugnam, ſuíſque feſſis, adſtrictis, & undique circunfuſis ſubſidio, ne eo impetu, & fluctibus perderentur, opus eſſe militibus, juſſa iterum, atque iterum miſit ad Didacum Corream, qui in dextero cornu imparis pugnæ ſpectator aſtabat, ut ſubveniret quàm citò Farneſio, aut hoſtes, ab illo, qui opprimebatur, ſiniſtrum eorum latus aggrediendo diſtraheret, jam prope duo intentis viribus cornua in unum, ac penè fractum incubuiſſe, obrui quàm citò poſſe, niſi citiùs ſubventum eſſet. Non paruit imperio, non Ducis monito Didacus, id ſive ignavia, ſive perfidia, ſive loci difficultate peragere neglexiſſet; proinde bonis, & planè deſertis in laniena militibus hoc tantum pro ſua virtute, atque animi magnitudine reſtitit, ne interirent inulti, néve incruentam, nimíſque lætam præberent victoribus lauream. Dum enim in illos valde corroboratus Luſitanus invehitur, & majores præſentes contemptis periculis Duces clamore, & exemplo minores confirmant, recénſque ſuccedit agmini agmen adverſos jam laſſos, concluſos, omníque prorſus deſtitutos auxilio, tandem Itali, Germaníque in medio deprehenſi, & undique impulſi alii impetu equorum protriti, alii armis dilaniati, efflictim plerique eorum pugnantes occubuere, ita prorſus Germanorum agmine ſtrato, eorúmque Duce Rebatio, cùm ſtrenuè confligeret, cæſo. Hujuſce victoriæ pars haud parvo impendio conſtitit Luſitanis; nam præter vulgaris militis cladem eorum Duces fortiſſimi ceciderunt, Comeſque Scombergius ante prima dimicans ſigna equo ſuffoſſo tandem evaſit. Sic lævo Caſtellenſium disjecto cornu, dextrum ſubinde concurrit. Sed difficilis primò erat ſe ſe ultrà inferentibus tranſitus cùm cæſorum corporum ſtrues, ſparſa humi, confractáque arma, paſſímque diffuſus equorum, & hominum cruor impedimento, & horrori equis intercurrentibus eſſet. Stabant etiam frequentis in ſpeciem ſilvæ haſtatæ cohortes appropinquantes equos infeſtis cuſpidibus excepturæ, quorum aliquos conſternaverant, alios everterant, alios caſu impetentes eviſceraverant, ita, ut equitatus inſtabilis, trepidus ſæpè ipſe illatus, ſæpè relatus pulſúſque fuerit, & interdum concurſatione potiùs, quàm vi ſe ſe hoſtem provocans circuntulerit, inconcuſſo, firmóque, ac preſſo in veſtigio haſtatorum adhuc agmine permanente; tandem Caſtellæ equitatus veteranis peditibus fultus eo impetu in haſtatos Luſitanos impegit, ut his protinus diſſipatis, eodem quo ferebatur impulſu acriorem

acriorem ibi pugnam accenderit.; & Luſitanus quidem eo prælio toties jactatus, ac reſtitutus illic magnum diſcrimen adit, illatáque initio vis illa hoſtium ineluctabilis apparebat; cùm Caſtellenſes nunc agiles eſſent, & viribus integri, Luſitani autem recenti quo omnes propè concurrerant prælio, æſtúque fluentes, laſſique, nec pedites quoque tunc Caſtellenſibus deerant firmandis equitibus interpoſiti, quorum paulò ante defectus cornu ſiniſtrum afflixerat. Poſtquam ergo Cantagnedæ Comes Dux Luſitanus eo hoſtium conatu impetúque propè jam ordines ſolvi, ſimul fluctuantem, & vagam conſpexit aciem, atque in illam ita perculſam enixiùs urgere hoſtes cum iis, qui ejuſdem cuſtodiæ erant, equitibus prætervectus, & ſimul Ducis, ſimul gregarii ibi militis partes admiſcens præliando, adhortando animare, ac laborantes erigere milites ſatagebat; monentíque eumdem Centurioni, non eſſe illum, quem tunc occupabat, Ducis ſupremi locum, reſpondit, extrema quæque pericula rerum ordinem vertere, quodque in alea ſubjecta ſors ſtatuiſſet, ad ſe maximè pertinere. Hæc ſummi Ducis audacia, atque animi promptitudo temerè ſe in ardorem certaminis, & confertas manus militum invehentis, cùm omnium in ſe oculos convertiſſet, tum demum jacentem Luſitanam virtutem ſuſtulit, & corporibus vires, & ſtimulos addere animis viſa eſt. Porrò inclinata primùm fortuna, nunc æquabilis, juſta peræquè partibus ſpem, timorémque librabat. Acres acies utrinque erant; ſatis utriſque ad vires exacuendas incitamenti, nec remiſſiùs Caſtellenſes pro gloria, quàm Luſitani pro libertate certabant. Cæterùm duas, quæ jam Luſitanis meliorem certaminis exitum præſtituerat, ſubjecit tandem fortuna res, quibus everſus, & undique afflictus Caſtellenſis omninò jacuit, nimirum Corream equitatus magiſtrum ab hoſte repentè captum, tranſitionémque improviſam ad hoſtes Helvetiorum ob non ſoluta, aut nimis dilata, ut dicebatur quoque, ſtipendia. Proinde quà perfidia militum enervatum, quà capite mutilum, cùm prælium ferociùs arderet, ſe ſe equeſtri Caſtellæ corpore contuente, extemplò turbari ordines, excidere vires, langueſcere cæpit acies, & qui paulò ante gradum intulerant, referunt. Inſtant cedentibus Luſitani, & quia eouſque implicata, nec omninò confecta res, imò fortunæ ſubjecta caſibus erat, qui vicerant vetitis tunc Luſitanis ulterius perſequi hoſtes, hi fuſi potiùs, quàm planè fugati ſe ſe à certamine avertunt. Pulſo equitatu, Caſtellæ ſupererat pedes, íſque prorſus equitibus enudatus, cúmque prælium iniret, deteriori quoque conditione cum pedite pedes ſubinde concurrit, quòd cœnobio Comes Scombergius cum peditibus occupato, illíque proxima pariter domo, ſimul vinetis, quæ circumjacebant, inſeſſis loco ſuperior, & numero quaſi ex propugnaculis decertabat; præterea ſæpè inde ſparſim cohortibus jactis, aliàs per latera circunductis à fronte, & à tergo premebat hoſtes, qui primum impetum fruſtra in objecta munimenta frangentes, mox repulſi, & faciliùs attriti pectora ſimul, ac terga defendere cogebantur, víxque ulla effugii ſpes erat, cum ſitu, ac multitudine hoſtis, reíque bene geſtæ fiducia alacriter inſultaret. Septem jam horas inceſſanter pugnatum erat, labore, cædibus, æſtu utriſque denique reſolutis, ac laſſis, ſimul cumulis corporum, armorúmque militibus tranſitum, & ſi ultra furere vellent, intercludentibus, nec ampliùs etiam corporibus vires, nec crudelitati materies ſuppetere videbatur cùm nihil ampliùs Caſtellenſibus ſupereſſet,

ſet, niſi quod victoris impetum ſubterfugerat, aut cædis ſatietas abjecerat. Huic tamen, ac tantæ cladi ſuperſtites Caſtellenſes, qui nec parvo quidem numero evaſerant, non enim à pugna pedites, non equites fugientes perſequi longius Luſitanus inſtiterat, celeri gradu recedere cœperant, eóque cæteri confluentes, quos latè fuga, terrórque diſperſerat, haud contemnendum conflaverant agmen, & niſi hoſtium offenſioni, vel receptus munimini ſuffecturum. Hoc videns Dux Luſitanus, & ne ſtragis quidem reliquias ire ſoſpites paſſus, imperat Vaſconcello, Joanníque Silvæ Legato equitum, ut hic cum agminibus equitum, ille cum cohortibus expeditis ultra cœnobium flectendo iter elapſos quærerent hoſtes, adeptos prælio, aut tumultu in via implicitos detinerent, donec ipſe acceſſiſſet cum omnibus copiis. Hoc impigrè, ut juſſerat, factum eſt. Ita porrò curſu dum proſpeto Luſitanus premit, excipítque veſtigia hoſtis, íſque in via præpeditus brevia, & fugacia ſuſtinet prælia, ac breviter concurſando laborat progreſſionis moleſtias aut eludere, aut vincere, major repentè, itinere inciſo, circunfluens vis militum ingruit, quàm Cantagnedæ Comes regebat. Caſtellenſes tunc interceptos hinc montes, hinc hoſtes claudunt, bis propè victis lubrica ſpes, numerus longè minor, via euntibus intercluſa. Cùm igitur ſpes nulla pugnando ſalutis, & fugæ difficilis eſſet, obſtinatis ibi animis confligentes, atque interitum provocantes penitus victi, atque proſtrati ſunt. Ibi Emanuël Carafa, & Gaſpar Arus Caſtrilii Comitis filius mortaliter icti paulò poſt mortem oppetiere, quatuor ferè promiſcuæ nationis peditum millia, qui antequam circumventi Caſtellæ pedites forent ab anguſtiis emerſerant, nec longè obvium quoddam ceperant munimentum ibi ſeſe pro loco, ac tempore defenſuri, poſt reliqui auditam circumſeſſi exercitus cladem hoſtis ſe tandem arbitrio permittunt, & cum ſignis militaribus quadraginta captivitatem, ne vitam amitterent, ſubeunt. Mille etiam hominum qui ex toto conflictu ad nemorum latebras ab hoſtium furore, cædibúſque confugerant, alii inde captivi Uliſipponem abſtracti, fame nonnulli in ſolitario, atque incognito loco, jactatione vulnerum plures abſumpti ſunt. Caſtellenſium hic cæſa quinque circiter millia narrantur, paulò minor numerus captivorum, & magna ex parte clarorum Ducum, ac genere inſignium; neque incruenta Luſitanis victoria fuit cùm illorum duo amplius millia ceciderint, permultis etiam, & primariis præcipuè Ducibus ſauciis. Hæc eſt clades Montiſclari, quæ Luſitani tandem diadema regni in Bregantii capite fixit, & ſeu utilitatis incremento, ſeu gloriæ inter primas Luſitanæ virtutis, atque fortunæ celebris.

Cæterùm Marchio Carazenenſis, ubi haud dubiam hoſtium fortunam eſſe cognovit, & priuſquam circumventos in itinere, ac fuga ſocios extrema pernicies opprimeret, è colle deſcendens, unde proximè cuncta ſpectans, exemptúſque periculo juſſa militibus dabat, Villavitioſam perrexit, accitóque Boëtto Comite, qui in Borbæ cuſtodiam, ut magni momenti loci, cum equitum turmis aſtiterat, quindecim poſt diebus ſolvere arcis obſidionem reliquos milites juſſit, ne eoſdem mox Luſitani perinſigni parta victoria tumidi confluentes obruerent. Igitur belli tormentis ſumma celeritate ſubtractis, Luſitaníſque ſæpè rejectis, qui in aggerem primùm invadere, & militares ſarcinas tollere, poſt abeuntium lædere latus, & terga, iter quoque intercipere perſæpè, ac fruſtra conniſi ſunt, incolumes

lumes denique Caſtellenſes Jurumeniam ſeſe recipiunt, inde mox Badacocium veterem belli ſedem. Huc catervatim etiam profugit exigua deleti exercitus pars, & Marchio Carazenenſis, cùm alienis abreptus conſiliis, genióque ſiniſtro hujus ſuſcepti belli, ac longè minori, quàm ibi erat opus, militiæ apparatu rem cum Luſitano gerere cogeretur, priſtinum gloriæ, famæque ſplendorem, vertente cum ætate fortuna, in ſenectute corrupit. Infelicis deinde totius certaminis exitus Mantuam Carpetanam allato nuncio, cùm cogitatio, ſenſus, queſtúſque trucis acceptæ cladis omnium mentes, & ora hominum complevisſent, proceres, aulici, etiam infimæ ſortis homines, qui cuncta in deterius interpretari more inſito ſolent, circunſtrepebant, irriſos, an victos, an ſeſe proditos eſſe quærentes, & fabulæ ne, an aurium præſtigiæ eſſent, quæ de eo prælio memorarentur? Unde enim Luſitanis in regno adeò anguſto, deſerto tanta animorum, & virium reſurgere poſſet copia, perpetuis qua cladibus Hiſpanum Imperium urgerent? Vulgus præcipuè, cui aſtrictior ut ratio, atque intellectio eſt, ita liberior in queſtubus vox, veterem viam ingreſſus viros nobiles criminandi modò ajebat, corruptos pecunia Duces publicam cauſam labefactaſſe, modò nolle magnates Luſitaniam Bregantio ereptam, ut vana conſanguinei Regis jactantia, faſtúque ejúſque certo ad Luſitaniam effugio, ſi illis iraſci quandoque Rex contigiſſet, abuterentur; aliàs dicebat, conſultos Hiſpanos hoc ferè æternum ducere bellum, quo perenni pro bello tributis ex plebis viſceribus hauſtis ipſi, & ærario potiſſimùm incubantes inter cædes, & clades magiſtratus ſaginarentur; cúmque ex magna populi parte factus repentè concurſus ad Regiam eſſet hinc clamantis, hinc obſtrepentis, hinc querelas & probra in togatos, in milites, in Regis quoque patientiam, ſive ſocordiam conjicientis, fortè tunc è Regis cubiculo egreſſus Paſtranæ Dux, cùm plebem in area dolentem, ac propè tumultuantem aſpiceret, ut illam ſolando deciperet, aut doloris fortaſsè primum impetum frangeret, voce, & epiſtola, quam caſu inter manus habebat, elata: fruſtra, inquit, & falsò fremere illos, atque animo angi, victos eſſe Luſitanos, teſtémque eamdem epiſtolam eſſe nuper Regi Catholico traditam. Suſpendit pauliſper hoc curas, & populi motus inane ſolatium. At citò refriguit, doloríſque quaſi reciprocans æſtus vehementiùs paulò poſt inundavit. Cumulus enim tot litterarum recenter Badacocio datarum manifeſtè dicta Ducis redarguebat, paſſimque vulgata per domos funera, qui cara ſibi intercepta pignora, ſucciſaſque ſpes ſuas querebantur, in communi ſqualore, atque lachrimis cladis ingentis ſpeciem expreſſerant, eóque inani mendacio parùm viſus eſt Paſtranenſis illam callere artem, qua per artes, & fucos ſæpè Politici ſolent cum populo ludere. Rex autem cùm pugnæ infelicis eventum noſſet, permiſta ſuſpirio voce in hunc modum locutus fertur. Culparum nempè ſuarum ita à ſe pœnas repetere Numen, à noxio ſcilicet capite ad innoxios milites verſas.

Verumtamen gravior miniſtros, ac Regem pro tempore cura perculerat, an eſſet, & quomodo hujuſmodi bellum toties omiſſum, atque remiſſum, ac funeſtè ſemper intentum velut Diis, hominibúſque adverſantibus reparandum; non enim idoneus, ac promptus ea tempeſtate miles, non ærario pecunia, non onerandis ampliùs tributis via ſive modus, nec porrò ſic armis expertus,

aut fortuna, vel animo valens Dux occurrebat, de quo ſatis inflictas ſarcire clades, Luſitaníque contundere audaciam ſperari poſſet, cùm multi ibi inſignes defloruiſſent, novorúmque experiri virtutem, aut ſortem, cruenta, ac propè continua calamitatis exempla terrerent. His urgentibus cauſis, nemo tamen conſiliatiorum audebat jam ſatis perſpectum animum Regis Luſitanæ receptionis cupiditate flagrantem contratiis, ac veris argumentis abducere; multi proptereà tam concinnè, tam fictè in hac cauſa facundi erant, ur non judicio, non fidei, ſed aurium illecebtis, atque affectibus ſervientes, quod nequaquam ſentirent, diſertiſſimè perſuaderent. Illi itaque convenerunt, præſenri cladi minimè ſuccumbendum, tantam Hiſpani Imperii latitudinem eſſe, anguſtiam Luſitani, ut hic Luſitanus ſenſim etiam vincendo attritus, niſi acie quandóque victus, cadere tandem propriis exhauſtus viribus, obrutúſque triumphis poſſet. Proindè longè, latéque regiis mandatis expoſitis hîc cogere pecuniam, hîc imperare frumentum, conſcribere milites, feſtinare, parare, nihil omittere quod immani, trunculentóque bello neceſſe foret, cùm intetim Philippi IV. Regis interpoſita mors hos apparatus, bellíque conſilia funditùs ſuſtulit. Hujus porrò Regis interitum diro ſparſo crine Cometes, quem non ſatis claro, ſed fuſco, ac cinereo quodam aſpectu totam Europam complexum fuiſſe relatum eſt, paucis ante menſibus nũciavit. Prodidit etiam quidam nauclerus, qui per id tempus ab Indiis Uliſipponem appulerat, quod dum per Oceanum navigationis curſum conficeret, nocte ſubluſtri efferre ſe ſurſum informe quoddã lucis volumen vidiſſet, cœlóque, errantibus tunc per admiſtæ quaſi nubis candorẽ radiis, ſubito affigi, ex quo repentè Cometes, & ſidus ab illo non ante viſum effulſerit, & crinem etiam extendetit; ibíque ſubducta temporis ratione comperrum eſt, tunc primùm apparuiſſe in Hiſpania Cometem, cùm aſpexerat illum nauclerus ex radiorum, & vaporum quaſi involucro ſuper Oceanum explicita, ac fuſa luce conflatum. Cæterùm cum ſæpè numero viſi, exploratíque Cometes jacta inter alia præſagia rerum, utplurimùm eſſe credantur magnarum animarum vehicula, ſuſpectúmque, ac minacem torum eorum ab ortu labentem ſignificent annum, hic, definito in ſpatio Cometes cum aliis Europæ Ptincipibus etiam Catholicum Regem rapuit. Singulis quidem noctibus verſo propè in Regiam ferali crine Cometes irradiabat, eóque multiplici cogitatione ſuſpenſos, garrulos, avidóſque in futuri caliginem mentem inſinuandi tenebat omnes; nullus tamen aulicorum, aut procerum, aur eorum qui ſervitii, ſive negotii cauſa verſabantur in Regia ſatis animi habuit, ut hoc infauſto, ingraróque ſemper Regibus nuncio regias Philippi aures attingeret, ignaro proptereà, ac diurius omni cura ſoluto penitus Rege, quod in ejus contemplationem, atque intellectum intra, atque extra Hiſpaniam omnium ſermones, oculóſque converterat. Scurræ domeſtici tandem, cujus per ſeria, vel jocos multa patere plerumque Regibus ſolent, quæ adulatio, vel fides affecta tegit, ſeveris quanquam præceptis, ur hoc ſileret, adſtricti elapſa temerè vox, qui tunc Regi impendebat, Cometem expoſuit: cui Rex nullo turbationis colore, aut fronte, aut oculis edito ſigtio, ſtatim reſpondit, clariùs ſibi ſanè portandi propinquum ſuæ vitæ finem ex fracta ipſius corporis valetudine, ac feſſos laboribus animo, quàm luce Cometis. Mox in cruorem alvo ſoluta, febriúmque ardore correptus Rex moriturus

turus decubuit. Occulere hoc primò, ut nondum gravioris peſtis indicio ſuſpectum diligenter ſtudebant aulici, meliúſque ſe Regem habere, æſtúmque remitti falsò rumore jactabant, cùm eo tenui, & fragili quanquam hominis filo tot rerum momenta penderent, poſt ubi vis morbi mortalius increbuit, nec erat ibi latebræ locus, cùm ex ejuſdem Regiæ ſqualore, triſtitia, ſilentio ſecretum ipſum efflueret, tum multa prætereà quæ temporis ratio monebat, exteriùs, ac procul providenda miniſtris eſſent, vulgatum eſt tandem jam deplorata ſalute, atque extrema ægritudine feſſum languere Catholicum Regem. Mos eſt in Hiſpania qua tempeſtate ſublato Rege, filius ejus, vel hæres præ ætate ſit impotens regni, adeſſe Regi puero tutores per teſtamenti tabulas declaratos, quíque ſplendore generis viri, uſu rerum, integritate ſpectati imperii gubernacula teneant, donec Rex parvus capacem regiminis mentem, ac parem ætatem aſſumpſerit. Affecto itaque Rege, & ultimam voluntatem per teſtamentum ex poſituro hunc alioris muneris apicem occupandi pleroſque magnates certamen arrexerat, illum nempè inter ipſos ut genere, hunc ut moribus meliorem alium, ut rerum expetientia, aut partium favore præſtantem, tantóque magis in cauſa nobilium exarſerat ambitus, quod Princeps Hiſpaniæ ad regni vocatus auſpicia nondum quartum ſuæ ætatis annum expleverat, Regina cui jure eo tempore filiũ, Imperiúque tutela conſtabat, mater erat ætate rudis, ſexu imbecillis, genere externa, & quæ nullam hucuſque reipublicæ partem tractaverat, omninò propterea ſibi proceres perſuaſerant Regem, & matrem regiam umbra, atque nomine Regem tantummodo acturos, imperii vim, atque molem eorum deſignatorum arbitrio, ac legibus eſſe, ementitis vocabulis, temperandam. Præcellebat hos inter ampliſſimi competitores officii Turrianæ Medinæ Dux, maturus videlicet annis, ſpectatus prudentia, & ſuo quoque ingenio, rerúmque peritia oppido excultus ad regimen capeſſendum, & plures quanquam ſinceriores in illo affectus, morúmque candorẽ deſiderarent, quædam hominis tamen artificioſa tum in agendo, tum in loquendo & illita fuco oſtentatio, multarúmque ornamenta virtutum, cætera velut fortunæ, aut temporis vitia jam penè obruebant. His acceſſerat gratia Regis, quæ lucem etiam, & pretium rebus obſcuris, ac ſordidis quodammodo addit, ſimul vetus cum eodẽ exercita, & quæ in omnis domeſtici, atque Politici arcani conſcientiam illum adſciverat conſuetudo, neque abſurdum prætereà videri Regibus, cùm magis ingenium & ſapientiã, quàm cultus, & morum, vitæque concentũ in miniſtrorum electione requirunt, tanquam aurum ſecernentes ſibi virtutum, malitiæ ſcoriam hominibus relinquentes. Itaque Rex cum paucis aliis collegis Medinæ Ducem etiam ſtatuerat univerſi regiminis adminiſtrum, ídque ſua manu in quodam ſecreto codicillo perſcripſerat. Interim cùm diſſiderent acriter æmuli, ac frequentes in rem inſtarent, illos ſpe dubia paſtos, ſibíque minùs offenſos, aut querulos Rex ipſe ſilendo uſque ad obitum ſuſtentabat. Nemini hoc notum ſecretum erat in aula præterquam uni Caſtrillio Comiti; idem enim Caſtrillius de re ipſa ſeorſum conſultus à Rege, etſi in illa tutela, ac regiminis parte Turrianæ Medinæ Ducem, quocum vetus ſimultas ardebat, habere ſocium ægrè, ac moleſtè ferebat, ne invidia livórque tamen, & cum ſtomacho Regis, ſi apertè rem diſſuaſiſſet, fortaſsè pateret, aſſenſus eſt Regi; ſed paulò poſt

idem negotium, cujus & ipſe auctor per pudorem extorto conſilio fuerat, nihil aliud agendo, quòd hoc ſatis propoſito duceret, quàm velut caſu prodendo, ſubvertit; effuſo quippè Caſtrillii fraude ſecreto, poſtquam Aitone Marchio Regis cubicularius ipſique in primis longa aſſuetudine acceptus, eas ſpes, quas dudum in animo ſibi diuturnum ſervitium Regis perſpecta dilectio, error quoque judicii nimiùm cuique in ſuo negotio aſſentantis indiderat, jam in Turrianæ Medinæ Ducem tranſlatas eſſe cognovit, tunc amicorum inſtinctu, utilitate, ſimul ardore æmulationis accenſus dolum hujuſmodi pro re intervertenda compoſuit. Aſſidebat ægritudine afflicto, & ſine ulla humana jacenti ſpe Regi quidem religioſus è Diſcalceatis Sanctæ Mariæ de Mercede, qui ſuavitate ſermonis, animæ laxamento, rerúmque divinarum blanditiis adeò ſe in gratiam Regis ſuprema ſola jam meditantis immiſerat, ut multa, magníque momenti in eo articulo Rex illius hortamento, & conſilio perfecerit, tanquam meliùs ſibi conſuleret, aut conſcientiam exoneraret. Hunc cœnobitam arripuit, & plura cum eo de ſuperbia Medinæ Ducis, de avaritia, vanitate, fallacia, & morum inſolentia conqueſtus adjecit, malè Regem Imperio, & peiùs animæ conſulturum fuiſſe, ſi extollere vellet Medinæ Ducem ad tutelam, regiménque regnorum, tótque & tanta nefarii hominis vitia calore potentiæ ſuccenderet, atque in omnium exitium, vel fraudem auctoritate publica armaret, minus eſſe quidem in republica malum negligi bonos, quàm improbos ſubvehi, hos námque elevari, ut ſuo more præcipites eant, eorúmque ruina rempublicam opprimi; ſatis verò ſibi præconio, ſatis præmio virtutem eſſe. Pergeret itaque ſtatim ad Regem, admoneretque utrùm Medinæ Ducem an Marchionem Aitonæ, cùm ille ſatis utrumque noſſet, digniorem eo munere judicaret, & num ea præpoſtera electione Marchionis decus, & fama, regiminis diſciplina cœnobitæ conſcientia, & Regis inſuper anima in dubio eſſet. Imbutum his ſenſibus candidum cœnobitam, ac levitate facilè tortum alii ſubinde optimates, qui Duci Medinæ invidebant, aggrediuntur, & velut gravius impuri hominis odio, ac reipublicæ malo commoti acerbiùs collectas à Marchione calumnias onerant, aggravántque, rudémque hominem jam ſua ſponte incitatum atque calentem dicendi inſuper copia, atque acumine turbant. Is igitur ut aulicæ artis ignarus, fallaciúmque ſeſe jactantium in illa partium anfractuum, præſtigiarúmque verborum, ſimul plurium conſenſu, & contumeliarum colore deceptus ad deturbandum Medinæ Ducem magno animo vadit ad Regem; apud pſum quanquam morbo defatigatum, religione, juſtitia, *diris in* ore, oculíſque inflammatus cælitibus inferos miſcet, contumelias, & probra omnia contra Medinæ Ducem ab ore inimico miſſa, impetu quodam verborum, ac flumine fundit, inſtat precibus, urget minis, adeóque numinis metu, atque extremi, proximíque terrore judicii conſtrictum perculit Regem, ut hic tandem codicillo mutato pro Duce Medinæ Marchionem Aitonæ Imperii tutelæ, ac regimini adſcripſerit. Ita porrò Caſtrillii aſtu, Marchionis ambitione, & Monachi ſimplicitate dejectus eſt Turrianæ Medinæ Dux, effecítque ibi, quod alibi ſæpè ſuevit invidioſa, atque aulica concertatio, ut pro certaminis prœmio minus officio dignus digniori præponeretur, quorum in aula diſſidiorum Princeps qui ab aliis exigere pœnas debet, ſuo ſæpè capite luit.

His ita compoſitis, etiam Galli Regis Orator, cùm audiviſſet Regis valetudi

valetudinem ingraveſcere, primarios miniſtros per internunrium commonuit, cum Rege Catholico agerent, ut tutor Principi filio Rex quoque Gallus vel ad pompam delegaretur, id profectò decerer Regem, ejuſdem ſororis Philippi filium & generum; diſtantia quoque locorum plus oſtentationis, & gratiæ rei, quàm momenti, vel oneris attuliſſet; poſtremò arctius quoddam cum hac ſpecie fiduciæ vinculum acceſſiſſet ad ratam jam inter Principes amicitiam,& pacem perpetuò ſtabiliendam. Quid porrò concinnius? quid gratius? quàm ex pulchro, nudóque nomine, ac titulo, quod nihil omninò nocere poſſet Hiſpanis, tantum utilitatis haurire. Nihilominus hæc ſtatim exploſa Galli petitio eſt; retulerúntque Oratori, cùm ea ipſa neceſſitudinis pignora, atque ex re publica ductæ cauſæ Ludovico decimo quarto Philippum quoque quartum obſtringerent, non ideò ab ejus parente tutorem illi Philippum fuiſſe pro teſtamento legatum. Ad hæc vehementer etiam offenſum Cæſarem iri, cùm Rege Galliæ in tutelæ ſpeciem adſcito, planè ipſe Cæſar genere, jure, ac merito Regi propior omitteretur. Tandem Hiſpanorum ceſſionem regnorum, quæ ad Galliæ Reginam, Hiſpano manente jure, ut fœminam pertinebant,& quam illa in Hiſpania nuptiarum conventione præſtiterat, cùm hactenus ratam Lutetiæ, ut in Hiſpania promiſerat non feciſſet, prima non reddita fide, hanc rurſus vel in ſpeciem tentare ſupervacaneum videri. Sic Galliæ Oratoris quæſitum per miniſtros Hiſpanos oppreſſum eſt, atque ea potiſſimùm ratione, quia hujuſmodi exemplum, in cujus contemplatione ſemper hærentes, niſi inde lucem ad operandum accipiant, in ſuis deliberationibus propè torpent, in tabulario non invenerunt. Poſtremò in extremis jam Rex conſtitutus aulicos, proceres, altioriſque notæ miniſtros accitos pio, miríque ſermone compellat parvuli filii commendans ætatem, amplíque perpendens diſcrimina Imperii vix Atlantis cervicibus patris, ac deinceps infantis humero innixi. Si obſequium, & fidem in ipſum, “ dicebat, ſi ſtudium, atque conſtantiam ad extremum uſque ſpiritum coluiſſent, ea fidelius nunc petere officia annis tenerrimũ Regem vix loquendo, ne dum imperando ſatis, & cui gratia & opinio, & auctoritas deſit, præſidia firmiſſima imperii. Inde res novas hominibus turbidis, alacritatem hoſti, inſolentiam, atque ſuperbiam, prædandíque cupidinem magiſtratibus naſci, & quia unus, ad quem ſpectat regnare planè non poteſt, omnes propè regnare velle. Inde etiam cùm ab omnibus quæritur dominatio, falsíſque tueri nominibus dicitur, ab omnibus perdi, quique minùs meretur, minúſque ſapit, hunc plus audere, ac tali tempore ambire. Id eſſe profectò cauſæ cur ſub Rege pupillo dum honoribus multi proficere factione, atque opibus certant, & ideò per fas, atque nefas curas publicas uſurpare ex rerum novarum fluctibus magnis in regno turbis, ac tempeſtatibus concitatis ipſi poſtremò & ſuarum, & publicarum rerum interitu concida t. Hæc autem omnium exitia peſtéſque regnorum pace, & concordia coërceri tantummodo poſſe, quæ ideò eximia inter proceres, inter regni adminiſtros coaleſcere major deberet, ſcilicet ne arrogantia, ne pravo ſtudio, aut concertandi ardore jus ſive ratio à meta deflectat, néve in Senatu ſuffragium libidine, aut odio labefactetur quæ ſunt fructus diſcordiæ, ac perdendarum ſemina rerum. Prætereà, qui ſibi jure commiſſa negotia publica

„ ſuſtinerent, neque rei familiari, ne-
„ que clientum, neque amicorum ma-
„ gis vacarent, quàm publicæ; talis
„ enim naturæ in Hiſpania præſertim
„ eſſe multitudinem miniſtrorum, quæ
„ & ſupervacua pluribus videretur, ut
„ ſi eadem fidelis erat, & moribus in-
„ tegra plurimùm valitura ad Imperii
„ tutelam, & incrementum eſſet, ſin
„ autem infida, moribúſque corrupta,
„ hoc citiùs diſſolutura. In primis ve-
„ rò religionem, atque juſtitiam híſ-
„ que virtutes admiſtas, ut totius fun-
„ damenta, atque ornamenta reipubli-
„ cæ ſtudioſè amplectendas, conſtan-
„ térque tenendas eſſe, cùm nullum
„ diutiùs ingentis, & vaſtæ quantum-
„ vis molis Imperium ſteterit pravita-
„ ti, impietati, cæteríſque flagitiis ob-
„ noxium; alia ſecus Imperia initiis
„ quanquam exiguis oborta, at vir-
„ tutibus temperata híſque mirabiliter
„ aucta, multis quoque tempeſtatibus
„ inconcuſſa in perpetuum fortaſsè du-
„ ratura fuiſſe, mali ni tandem mo-
„ res quos, & ipſa felicitas invehit, eru-
„ perint, vel niſi fatales eſſent omnium
„ regnorum converſiones. Ad hæc,
„ ne à ſignatis majorum veſtigiis, ac
„ veteribus inſtitutis pro regimine di-
„ rigendo aberrarent, iis legibus, iis
„ diſciplinis, quibus Hiſpanum Impe-
„ rium eſſet à majoribus conſtitutum
„ conſervari, ac florere perquam opti-
„ mè poſſe. Veram ſapientiam, &
„ perſpicacius ingenii lumen priſci, ſan-
„ ctioríſque moris hominibus affulſiſ-
„ ſe, recentiores velut jam laſſa, atque
„ effœta tot ſeculorum actorum orbe
„ natura, acutos videri magis, quàm ſa-
„ pientes, quodque ipſi conſultius aſſe-
„ qui rectà poſſent, per circuitus, ac di-
„ verticula amittere. Sic veterum ſatie-
„ tate, rerum deſiderio novarum, falſá-
„ que vanitatis imagine, ac voluptate
„ deluſos, dum in melius mutare rem-
„ publicam quærunt, eamdem prorſus
affligere. Ad extremum à præſenti- “
bus, atque abſentibus ſuorum regno- “
rum ſubditis, ſi quid ut errore labilis “
homo, non certè ex animo deliquiſ- “
ſet, repetere veniam jam regni cura “
defunctum, ac ſi eadem hæreret diviſæ “
quoque animæ affectio, non animo “
patris. Ita porrò gubernationem vide- “
ri ſibi, ita vitam inſtituiſſe, ut dignus “
eſſet, cujus grata memoria bonis, nec “
odioſa etiam improbis eſſet. Cæterùm “
Chriſtiani muneris eſſe ne dum cre- “
dere morienti, atque ignoſcere mor- “
tuo, verùm etiam ipſum inferiis, atque “
ſuffragiis ad luſtralium flammarum li- “
mina proſequi. Rex poſt hæc inſito “
quidē mortis dolore confuſa, ac ſæpè in-
termiſſa laſſitudine verba, ſed quæ pon-
dus haberent, conventum dimiſit; mox
Principem filium ad ſe vocavit, illíque
poſtquam more tradito benedixit, amo-
re, ac mœrore pariter tactus adjecit; Me-
liori fortuna, atque auſpicio te nate *Im-
perium accipiat, quàm diù me tenuit.*
Joannes Auſtriacus deinde inſcio Rege,
ac Regina à Conſocra oppido occultus
ad Regiam acceſſit ultimos patris am-
plexus exoraturus, quod per amicos
maximè intendit, ſed cùm hic ultrò
non vocatus à patre veniſſet, nec illa
injuſſa cum Rege congreſſio probata
Reginæ fuiſſet, exinde porrò illegiti-
mum filium ætate adulta, bellicoſum
ingenio in legitimi Regis infantia te-
torto jam oculo aſpicienti, idcircò non
placuit Joannem ad Regem admitti; íſ-
que illa ſpe devolutus, quæ altior erat,
quàm apparebat, ac Reginæ maximè
offenſus Conſocram rediit. Rogatus
poſtremò Rex quid de regno Luſitaniæ
jam moriturus ſtatueret, reſpondit,
quibus à ſe traditis codicillis ea de re.
ſatis eſſe Reginam inſtructam; mox
lethali morbo magis gravatus, ac
preſſus communi omnium deſide-
rio, ac dolore Rex Philippus extin-
guitur.

Fuit

Fuit in Philippo IV. Hiſpaniarum, atque Indiarum Rege ſumma intergritas, religiò, juſtitia, verecundia, modeſtia, intérque adverſas fortunæ procellas, ac fluctus, quæ clavum ipſo tenente, acerbiſſimè redundarunt, mira æquabilitas, atque animi magnitudo. His acceſſit perſpicacitas ſingularis, mentis acies, acumen ingenii cujuſcumque negotii capax, rerúmque agendarum tam ſublimis intelligentia, ut ferè nunquam, ne in minimis quidem rebus offenderit, quandoque & perrarò ſuo ipſe ingenio, atque conſilio uſus. Cæterùm ingenito quodam ne in errorem incideret metu, ideoque ex hac parte animo nimis abjectus, ac fractus, ac miniſtrorum arbitrio, nutúque pro moderando regimine pendens, cùm Regis vices cum miniſtri confunderet, qua ratione ſibi ipſe imperare, ac regiminis lapſus immediatè cautus effugere ſtuduit, aliorum obſequi erroribus ac voluntati ſervire compulſus eſt. Sic adeò ingentes animi dotes timiditate interceptæ aruerunt abſque ullo reipublicæ fructu: Imperium filio reliquit multis membris, ac partibus diminutum, effuſa namque auferendi, largiendíque licentia tum avarè, tum inſolenter ea turba miniſtrorum abuſa, eoúſque divitias, ac redditus regios, Rex idem cùm noſſet, & conniveret, mercedis, aut ſtipis, aut præmii vocabulo hauſit, ac malè diſtribuit ut Rege exhauſto, privatis paſſim expletis maximè nunc ærarii egeſtate periclitetur Imperium. Notatur etiam juvenilitas Regis ut nimiùm ſenſus deliciis, amatoriiſque lenitatibus dedita, & cujus intemperantia enervatum, ac debile corpus nondum maturæ ſenectuti tradiderit. At hujus profectò virii, ſive luſus ætatis aſtus illorum præcipuè ſuſtinet culpam, qui otioſis eo tempore curis Regem implicitum voluerunt, ut ipſi publicas uſurparent. Illo tamen prioris, ac lubricæ ætatis ardore reſtincto, & qui hæc vitia incendebant jam ſatis ſupérque potentibus rerum gravitatem Philippus & pudicitiam mirificè coluit. Tandem qui pro ſua indole, ac genio miniſtrum aut privatum optimum præſtitiſſet, in Regis perſona feſellit. Philippi funeri juſtis regio de more ſolutis, & apud Eſcurrialium in magnifico, ac veteri Regum Hiſpaniæ ſepulchro condito, teſtamentum ejus paucis coram primiſque procerum recitatur, cujus ſummam, quia vulgatum non eſt, & plurima continet regimini ſalutaria, atque eximia pietatis exempla hîc apponere juvat.

A religione, ac Numinis reverentia Philippus Rex auſpicatus, ſtudium in primis commendat, & cultum Catholicæ fidei, Apoſtolicæ ſedis obſequium, ſanctæ Inquiſirionis officii contra hæreticam pravitatem aſſiduam tutelam, & curam; quapropter ſi quis fortè aliquando ex ſucceſſoribus regni averſus à Catholica fide in hæreſim cecidiſſet, hunc ſtatim expoſuit regni jure delapſum, ſua ſponte ejuratum, & limite regni, Regiſque faſcibus protinùs exigendum. Monet deinde filium hæredem, Regémque æquitatem cum juſtitia, cum manſuetudine gravitatem, metum attemperet cum amore, ut curæ affectúſque ſimilitudine verius in Rege clientes, patrem habere, quàm Dominum, cuſtodem quàm vindices ſentiant, ita enim homines nati, ita educati ſunt ut nec deforme ſervitium, nec nimiam pati licentiam poſſent. Præterea in ſententiis, atque conſiliis, quæ pro jure regiminis tractarentur, ne illa ratio Politica, quæ ſtatus appellaretur bono, honeſtóque anteiret; pura, atque integra ingenii, mentíſque acie clariùs, & longè initia, curſus, & rerum eventus proſpicientibus patuiſſe, hoc delectabile, & utile

quod brevi ex nefario conſilio perciperetur, denique aceſcere, & vota, atque exitum deſtituere. Graviorum poſtremò agendorum negotiorum, & in conſultationem venientium de more ſilentium jam ſtrictiùs inter Hiſpanos antiqua Regum diſciplina ſancitum & ſervare ipſe, & ſervari diligentiſſimè incumberet, arcanorum enim effuſio inanes, ſtultóſque vulgò rumores, & miniſtris ludibria, & tumultum rebus ipſis deliberandis, ac peragendis, & cauſam præberet æmulis, hoſtibúſque antevertendi conſilia, vel perturbandi, multáque egregiè ſæpè conſulta, quia immaturè detecta, corrupta ſint. Subindè Hiſpanorum regnorum ſucceſſioni Philippus hunc ordinem ſtatuit. Primus ut ſobolis jure proximus Carolus filius ſuccederet. Hunc abſque prole fortè ſublatum ſoror ejus ſubſequeretur Margarita Auſtriaca Cæſari tunc deſponſata; Margaritam nati ejus, & progenies inde virilis, ſive muliebris, ſerie quoque ſucceſſionis ſuis gradibus conſtituta. Quod ſi Margaritam, & Carolum interire abſque liberis contigiſſet, tunc Dux Sabaudiæ ratione Catharinæ quondam Auſtriacæ, cujus connubio Auſtriaca domui Sabaudiæ ſanguine, & jure conjuncta erat ſuccederet; Hiſpanóque Auſtriacæ familiæ cum illo duntaxat ramo quem ex Hiſpaniana in Germaniam Margarita referret, aliquando ſucciſò ſtipite, regnorum omnium hæreditatem Sabaudium genus exciperet. Maria Tereſa Auſtriaca Regina Galliæ natu licet major Philippi filia ab Hiſpanorum regnorum ſucceſſione omninò etiam maneat ex vi tabularum excluſa. Hujuſmodi enim conditione Anna Auſtriaca ejuſdem Philippi ſoror Ludovico tertio decimo nupſerat. Idipſum quoque præter legem, & acta conventionis jurata dixerat Maria Tereſia, priuſquam Ludovico etiam Regi in matrimonium collocaretur. Perperam enim ſecus Hiſpanis conſultum foret, ſi iidem per Salicam legem à Galliæ hæreditate prohibiti per inæqualia fæminarum connubia Gallos ultrò vocarent ad Hiſpaniæ poſſeſſionem, & fœminæ darent imperia, non redderent. Ad utriuſque præterea Imperii durationem, & robur maximè pertinere, ne quoquo pacto hæc duo ampliſſima regna connecterentur, quia ubi immenſa latitudine creſcit Imperium, variáſque apud ſe nationes, linguas, mores, & jura complectitur laborioſum hoc multò plus, quàm diuturnum ſuáque corporis mole, ac nimiis propè viribus conflictatum citiùs ruiturum exiſtimetur. His & addi animorum contentionem inter ſe tantam, & tantam ingenii morúmque diſſimilitudinem diſtrahere, atque afficere Hiſpanos, Gallóſque populos, ut ſi eos contra impetum illum animi, ac repugnantiam morum ſub uno jugo, ſub uno Principe convenire aptaríque coëgeris, utraque in ſe conturbata, permiſtáque regna, primò diſcordiis expoſita, poſt defeſſa, & inter ſe lacerata facilè externis prædæ futura ſint. Quocirca Maria Tereſia hæc duo ne implicaret Imperio jure optimo exhæredata, atque excluſa viro ſi quando ac liberis vidua ad Hiſpaniam regrederetur, Regíſque fratris rurſus arbitrio nuberet, prioris intercepta conjugio regni tunc jura reſumeret, modò ne illa ad quemquam Principem Gallum ſecundas per nuptias tranſmitterentur. Aureorum præterea quingenta millia Tereſiæ pro acceſſione pollicita dotis, nec, quoniam abdicationem, ut initio convenerat, Hiſpaniæ regnorum nondum ratam Lutetiæ habuiſſet, hucuſque ſoluta, illi tamen numerarentur, cùm ſatis fiduciæ eſſet, quod ita communiter intereſſet datam fidem exoluturam. Cæterùm, qui Hiſpanum utcunque Imperium ſuſcepturus

pturus fuiſſet, caveret præſertim ne hoc unquam divideretur, neve ſciſſum atque in membra conciſum Tyrannos, aut Regulos conſtitueret, & quia ſimul cohærentia imperare regna neſcierint, diſtracta tandem, omninò debilitata atque aſſultibus opportuna ne jugum, & leges ab externis acciperent. Imò verò quod in poſterum reſtitutum, aut partum jure, vel bello Hiſpaniæ regnis adjunctum fuiſſet, indiſſolubilis hoc vinculi lege conſtrictum inſeparabile permaneret. Imperii, ac regiminis caput, ac ſedem ſicut more vetuſto hucuſque ſervatum eſt, Caſtella teneat. Nam præterquam quod nec decori, nec uſui utique eſſent frequentes aulæ mutationes, nec qui tandiù aſſueverant aulæ deliciis, congreſſu, aſpectúque Principis frui, illo carere ſine periculo poſſent, cùm in immenſos quoque bellorum ſumptus, regiámque tuendam magnificentiam, longè plus Caſtellenſes, quàm reliqui ſubditi contuliſſent, æquum erat in illos intendere officia, ipſorum commoda augere. Gubernatio autem Imperiíque tutela molli, rudíque ætate Regis interfluente hac regula inſtituatur. Suſtineat in primis Gubernatricis auctoritatem ac molem Regina mater abſque ulla rerum gerendarum exceptione. Aſſideant illi res publicas temperanti ſex præcipui Conſiliarii, ſcilicet Caſtellæ Aragoniæque Senatus Præſides, ſimul cum his Toletanus Antiſtes, fidei ſupremus Quæſitor è Senatus Statu Pegnorandæ Comes electus, ex numero verò magnatum Marchio Aitonenſis, quorum hominum aliquo, caſu, aut interitu ablato, aut in criminis pœnam expuncto, ex eodem gradu, aut collegio, in quo primus intercidiſſet, alius ſtatim aſſumptus, & ſubſtitutus deſcriptum numerum impleat uſque dum Rex quartum decimum egerit annum, mentémque docilem præ ſe tulerit, & habilem imperando. Si inter tutelæ ac regiminis curas fortè diem ſuum obire Reginam contigerit, iidem ſelecti ex Ordinibus adminiſtri tutorum officio atque nomine Regi puero ſtatuto tempore ſerviant, ſin Rex interierit iidem ſimiliter res publicas adminiſtrent, donec legitimus Regni ſucceſſor ad Hiſpaniam migrarit, nec ille impar etiam præ ætate fuerit Imperii oneri ſubeundo. Cæterùm quorum conſilio, aut arbitrio tantæ volvenda adminiſtrationis machina incumberet, his maximè curæ ſit, ut ad dignitates atque altiora magiſtratus officia per gradus fieret aſcenſus; minora enim officia rudimenta majoribus erant, & humanos errores, lapſúſque in re exigua, quam in magna fortaſſe experiri, aut in partis errando diſcere ſatius erat, nevè ea dignior digno, aut quod deterius profectò eſſet, invideret indigno, vel incolis tribui ſolita munera alienigenæ invaderent. Monuit etiam hoc teſtamento Rex, quantum per impetus rerúmque ordinem licuiſſet, exonerari tributis populis, reddi Ordinibus Militaribus, quæ illis antea per Reges erepta fuiſſent, bona regia oppignerata redimi, ærario ablata reſtitui, æs alienum à ſe contractum extingui, mercedes pecuniarias perſonis meritorum ratione collatas, ne hæreditariæ fortaſſe fierent, illarum morte diſſolvi. Reginæ nuptialem ſupra redditam dotem trecenta nummûm millia per ſingulos annos, dum viveret, aſſignari, volentíque in aliquam regnorum Caſtellæ partem ſua ſponte ſecedere, ejus ipſi regimen urbis tradi, quam ſibi in ſedem elegiſſet. Erat inſuper Regi aurea quædam è cruce Chriſti pendentis minúſque materia, quam artis pulchritudine inſignis imago, cujus in crucis amplexu Carolus Quintus Cæſar efflaverat animam. Hoc ſummum Chriſtianæ

ſtianæ pietatis argumentum, & pignus à Carolo poſtea Quinto ad Philippum Secundum, ad Philippum pariter Tertium cum tempore, ac fide tranſlatum in ultimo vitæ agone tres maximos Reges adjuverat. Ea porrò nunc religionis, Patrúmque ſecutus in extremo vitæ curſu veſtigia Philippus Quartus præceperat, ne ſacra illa imago, antequam ipſe expiraret, ab ejuſdem brachiis avelleretur, ac ſimul teſtamento mandavit, ut eamdem Chriſti patientis effigiem fideicommiſſo alligatam filius ſibi, atque poſteris aſſervaret, ea ipſa ad ſacrum illud miniſterium prò extremi anhelitus tempore uſuris. Sacras alias ſanctorum reliquias auro, gemmíſque diſtinctas, quarum, & copia, & elegantia mirifica erat, Reginæ reliquit, meminítque Joannis Auſtriaci in illo duntaxat, ne quid ipſi fortè deeſſet, quod ad cultum, vitæque ſplendorem regiæ ſtirpis perſonam deceret, ne palam ſuſpectum, ſive contemptum redderet filium ſi omninò tacitus præteriſſet, neve ad honores, & publicas curas extolleret, è cujus fortaſſe capite, ſi quid turbulenti in Imperium propter Regis pueritiam influeret fore ut emanaret, prudenter intelligebat. Tandem Regum Caſtellæ vetera teſtamenta adhuc neglecta, ac longo propè tempore abolita, executi ipſe executioníque mandari juſſit, de ſuo, qui curarent, quoſdam aulicos, atque proceres, quorum fidei maximè tribuebat, nominavit. Hæc eſt ſeries compendiaria teſtamenti Philippi IV. Hiſpaniarum Regis.

Poſtquam verò defuncto, ac tumulato ſubinde Rege impoſitum ſibi Regina Gubernatricis munus, ac titulum ſumpſit, prima, & quæ miniſtros, & illam maximè urgebat, potiſſima cura fuit de Luſitano bello deliberatio. Hujus enim omiſſio, vel belli continuatio, ut multa ingeniorum, & commodorũ quoque diverſitas in variæ fortis hominibus verſabatur, variè in aula Statúſque Senatu probata improbatave erat. Quamplures animo erecti, intentíque Principatus mutati vitio explorare judicii dotes, ingenium novorum Gubernatorum, verba, conſilia, facta, timari, ſimul etiam detrahere calumniis, mordacibúſque facetiis, quæ ut obliquè, ac per riſum contortæ acriùs quàm ſtimuli ſæpiſſimè fodiunt, atque ex eo Imperium everti, queri, quod iidem eſſent à regiminis curis excluſi. Infeſti, adverſíque huic maximè bello, at ipſi latenter, Hiſpani magnates erant, ſicut Bregantio plerique amicitiæ, propinquitatis, rationum ſuarum nexibus juncti. Defeſſus tributis, ac vectigalibus populus, & orbitate in familias per multiplices clades invecta à bello iſto abhorrebat tanquam à ſcopulo fortunarum, domorúmque ſuarum; regníque adminiſtris luctuoſa, & crudelis hujus toties experta fortuna militiæ graviorem ſub Rege pupillo metum incutiebat, cùm liberior eo tempore ut ſine Rege populus, procaciores hominum linguæ, ſolutiores ambirioſi, rerúmque novarum avidi, & homines turbidi vagarentur. Nemo omnium tamen ipſa Regina cupidiùs huic imponere bello finem deſiderabat, quippe quæ trepida ſecum conſiderabat, nec feliciùs, nec diligentiùs eſſe quidem res militares ſub fœminæ cura, & auſpiciis habendas, quàm ſub Rege Philippo fuerint, ac ſi meliùs illis fortaſſe, quàm anteà, proviſum fuiſſet, quis rationes conſiliorum, ac militares artes, non belli fortunæ comites, ſed planè Duces, ut fatuè velle populus videbatur efficeret? Neque præterea tantùm auctoritatis, & gratiæ, tantùm roboris eſſe ſibi, quò ſi clades fortaſsè præteritis ſimiles incidiſſent, ea tempeſtate poſſet fortunæ, vulgus, & æmulorum impetum ipſa

fœmina ſuſtinere; præſertim acerbiori ſi aliqua accepta clade invidioſiùs, atque vehementiùs per cauſam obtentam in illam animi conſpirarent. Verumtamen mœſta, & ſollicita quoque in eodem negotio ſententiam oppoſitam librans hærebat, ne per ſe modo Gubernatricem tam citò cum Luſitanis compoſita pace, tunc ſciſſione nobilis regni ipſa ab Hiſpanis laceraretur, ſuam nempè opinionem, Caſtellæ nomen, ac decus ſuíque initia regiminis turpiter ſigillaſſe; ſimul inertem artibus belli mulierem, inertiorem Politicis fore, cùm aliæ aliarum in gubernando adminiculo egerent; & nimis citò ſenſiſſe Hiſpaniam Regis Philippi mortem, & malè fœminam auſpicatam à regni jactura eſſe. Neque etiam Reginam latebat, qui modò ſecum pacis hortatores vehemenrer agebant, cùm eam impetraſſent, obtrectatores ſubinde futuros, & more ſuo vulgum circunferre ſententiam, & vota ſolitum, ut fallerent proceres conſultò mentiri. Hæc volutanti poſtremò Reginæ ſuccurrit, conficere pacem cum Luſirano, ſed fallaci quodam ambitu uſura, primò ne otii cupidos deterreret, pacis ſe ipſam bellíque mediam oſtendere ſtatuit, poſt miniſtrorum inclinatione perſpecta palam, ſed fictè contradicere paci, hanc denique amplecti, ſed tanquam invitam, & miniſtrorum conſiliis, ac precibus expugnatam. Favebat in primis huic ſecreto Reginæ conſilio Turrianæ Medinæ Dux, qui ſemper ipſe adverſatus huic bello gerendo fuerat; nunc verò, quia filium Ulisippone captivum habebat, & quem non poterat pecunia redimere per pacem recipere ſatagebat, captatis temporibus acriùs invehebatur in bellum. Igitur per ſecreta, per conſulta publica Dux inſtare Reginæ, ad pacem miniſtros impellere, nunc collegas, nunc proceres convenire, iiſque ampliſſimè oſtendere, bellum hoc Luſitanum aut pace, aut excidio Caſtellæ terminum habiturum; contempti temerè, ac ſæpiùs hujus conſilii ſui tot cladibus, tot ruinis everſæ, atque afflictæ propè reipublicæ cum mœrore, ac dedecore ſatis pœnarum oppoſitos ſibi ſolviſſe miniſtros. Cura, & vigilia multò magis quàm anteà oculata eſſe nunc res moderantibus opus, lubrico jam ſub Rege pupillo Imperio, ac forma regiminis conturbata. Aſtrepebant, & alii palam ita forſitan ſentientes, aut falsò Duci Medinæ aſſentantes, aut aliis utilitatibus ſervientes, eóque vulgò jactata, flagrantibúſque ſtudiis incenſa ea conſpitatio ſententiarũ inter primores hominum eſt, ut multis nec dicere quod ſentirent, nec planè tacere liceret. Igitur cùm eò devoluta res eſſet, quo cautè ab initio per aſtus Regina ſpectaverat, cúmque ideò ipſa paci obluctata adhuc acriter eſſet, tandem velut omnium raptata conſenſu ſcripſit ad univerſorum Ordinum Præſides, qui apud aulam immorabantur, ut omnium Senatorum ſententias in ſingulis conciliis ſeriò, ac diligenter excuſſas de ſcripto prolatas ſibi tranſmitterent, decernentes pacem an bellum cum Luſitanis habere mallent. Ea res, ut Regina præceperat cùm agitata communiter eſſet, omnes omnium conventuum Conſiliarii planè concordiam, & pacem Reginæ conſuluerunt præter Status Senatum Luſitanum, qui ex Luſitanis fidiſſimis conſtitutus adhuc priſco retento more in aula perſeverabat. Ille quippè de re conſultus modum, & cauſas, & copiam Reginæ perhibuit, quibus ducere bellum ſi placuiſſet fas, nec factu quidem difficile eſſet; ſin minùs, bellum remitti, aut intermitti cenſuit, contumelioſam, turbulentam, infamem fore cum obſtinatis rebellibus pacem dictirans. Arroganter quibuſdam ea Luſitani Senatus ſententia

ſenrentia, in ludibrium nonnullis ſive temerè prodita viſa eſt, ranquam homines Luſitani univerſis Caſtellenſibus reclamanres in Caſtellæ rerum emolumentis, & cauſis excutiendis majori quàm omnes Caſtelleu⁻s aut judicio præditi eſſent, aut charir e flagrarent. Rem tamen ſolertiùs, ac mitiùs intetprerantes, eam veriùs cautam, & providam, quàm inſolentem ſententiam reputavere, etenim à Luſitanis pro Luſitanis propoſita pax, ut humanos inter affectus ſuperare cenſetur patria, ut indelebile eſſe inter nationes æmulas odium, ſemper invidioſa, nimíſque ſuſpecta Caſtellenſibus extitiſſet. Ita res ſæpè occurrunt, quæ utcumque tractenrur vellicationes, aut morſus hominum ſubterfugere nequeanr, tam latè malitia pater, támque ipſa infelix, ac dura tractatio reipublicæ eſt. Seriùs omninò tandem apud Starus Senatum agitata res eſt, ubi ſenrentiam rogatus, ſic ferè locutus fertut Turrianæ Medinæ Dux.

„ Ftequentet equidem verba in hoc
„ otdine faciens Luſitani belli ut terer-
„ rimi atque Imperio ſummè execrabi-
„ lis perpetuus, ac diſſuaſor acerrimus
„ inſtiri cum pertinacia, arque virtute
„ gentis impulſus, tum copiarum ex
„ fœderatis acceſſione, arque ipſa for-
„ tuna belli, quæ furere in nos fatali
„ quodam imperu viſa eſt, rebus au-
„ tem in hunc modum hoc tempore
„ conſtitutis aſſerere cogor, citiùs hoc
„ eſſe mutandum cum pace bellum,
„ ſecus univerſum in præceps Impe-
„ rium concordiæ dilatione tracturum;
„ unam tantummodò huic publico in-
„ cendio, aut rerum omnium naufra-
„ gio ſuccurrere pacem poſſe. Omnia
„ profectò genera belli aut pace, aut
„ ſervitute, aut ruinis, aur Imperii
„ funeribus finem habere neceſſe eſt,
„ aut illa ſaltem conditione, quam im-
„ ponere ſupra victos, iis, qui vicetunt
collibuiſſet. Deſperata itaque nunc "
Luſiraniæ victoria, ut ſatis hucuſque "
mihi, & qui aliquid ſapiunt ſpecta- "
tum eſt, pax niſi maturè cum Luſi- "
tano conveniat, in illas oportet mi- "
ſerias, & rerum calamirates incide- "
re, quas belli ruinoſa, votáxque "
contrahere conditio ſola, aut victo- "
ris ſuperbia, ſive crudelitas ſtaruiſſet; "
tantum enim abeſt, quòd Regi no- "
ſtro Catholico aliena petere regna, "
aut amiſſa recipere his temporibus "
liceat, ut ſua potiùs quæ tenet, & "
jam novitaribus fluctuant, ſtabilire "
neceſſe ſit. Unde ergo ſpes nunc af- "
fulget, ut rem clarius per capita ex- "
ponam, Luſitaniam per arma recú- "
perandi? ex qua rerum copia, ſeu "
propirio forte exploraro fortunæ "
curſu hæc ſtatim ſe nobis victoriæ "
ſuſtulit expectatio? In Elvi obſidio- "
nem, acrius olim, ut planè ſciris ob- "
nixi ſumus, cùm validæ urbem co- "
piæ circunſiderent, urgerétque ipſe "
præſens Ludovicus Arus Hiſpana- "
rum runc arbiter rerum, ſed tandem "
ſolura eſt urbis obſidio, Caſtellæ "
exercitus cæſus, Arúſque improſperè "
Politicarum initio terum fortunam "
expertus, deteriùs deinde belli fortu- "
na jactus eſt. Poſt hæc pacta, tatá- "
que per nuprias Gallo cum Rege pa- "
ce, nos cunctis ſimul coactis Impe- "
rii viribus, æraríique in unum incum- "
bentibus opibus ingentem in ſpem "
erecti conculcandi, obruendi no- "
bis finitimos Luſiranos, hoc animo "
cum exercitu, & fortiſſimo quoque "
Duce propè Eſtremotium Luſitanis "
occurrimus,& clade Canalia proſtra- "
ti ſumus locum illum ignobilem Ca- "
ſtellæ nota, & cruote nobilitantes. "
Nullus tunc tantæ cladis humanis ſe "
offetentibus cauſis, ſuſpicio nec le- "
vis cùm incidiſſet, Caſtellenſes quia "
plerique tyrones erant, vereréſque "
quia ſæpè illi vicetāt longa jam etant "

Luſitano

„ Luſitanorum formidine capti, minus „ fortaſsè appoſitos huic bello ferendo eſſe, veteres ab Italia, atque Belgio traduximus legiones, Germanos „ plures conſcripſimus milites, Helvetióſque animi immanitate, vi corporis aſpectúque Hiſpanis ferè terribiles. Nihilo tamen minùs Hiſpani, „ novi, atque veteres, noſtrates, & alienigenæ, iguavi, feroces, inertes, „ ac peritiſſimi milites omnes à Luſitano iterùm, iterúmque victore circa „ Monclarũ truculentiſſima clade contriti ſunt, atque afflicti. His rebus etiã „ adjicio ſteriles tot annorum labores, „ profuſiores, & irritos ſumptus, quibus quinque, & viginti circiter annos „ cum ſummo detrimento, ac dedecore oppugnata per nos Luſitania non „ modò proterva contumáxque hucuſque reſiſtit, ſed etiam victrix aſſurgit, gravioréſque terrores, ac minas „ ubique jacit. Ibi præterea Marchionem Turrecuſium, ibi Leganeſium, „ ibi Ioannem Garaium, Auſtriacum, „ Carazenæ Marchionem, alióſque „ præclaros, & inclytos Duces fractos, „ aut profligatos fuiſſe aut inde ceſſiſſe „ partis antea laudibus imminutos. Igitur jam exhauſto numis ærario, veterano milite prorſus abſumpto, magni „ nominis Ducibus multis, quorum alii „ interierũt, alii obtorpuerũt, alii tot cladibus eruditi mutati conſilio ſunt, in „ hoc bello continenter afflictis, adhuc „ animus erit nobis id aſſequi nunc ſub „ Rege pupillo aut pervicaciùs perſequi „ velle, quod, & integro Rege Philippo „ ne dum extricatu difficile, ſed etiam „ exitu luctuoſum perſpectum eſt? An „ fortè nos ignoramus, quæ pericula, „ quæ publicę immineãt Imperio clades „ Regem ætate parvulum ſuſtinenti? „ Hiſpanos ſapientiſſimos quoſque Reges peculiaris ferè ſemper in animo „ pupugit cura, ut pueris, & infantibus „ maximè filiis pace, & concordia pacatum relinquerent regnum, ne hoc " ipſum tutelaris regiminis inconſtantia, atque ineptia parvi Principis, per ſe nutans foris quoque periculoſiùs armorum tempeſtates illiderent. Scimus præterea Gallicum " regnum in quæ bellorum turbamenta civilium, atque externorum incurſiones, Orbíſque ludibria nihil " aliud vehementiùs conjecerit, quàm " Regum pueritia, adeo, ut celebris " illa, quæ per multa argumenta variè " diſtrahit Politicos diſceptatio, præſtet ne popularium ſuffragiis, an jure " hæreditatis adſcitum accipere Regem " in eo maximè infirmet tranſmiſſa ſobole regna, quod Regibus pueris plerumque contingat quaſi vacua ſubverti regna priuſquam ea clavo ſufficienti, atque idonea ætate ſuſcipiat " legitimè regnaturus. Hæc paſſim à " noſtri Regis ætate, terúmque præſentium conditione gliſcentia pericula " nobis, una duntaxat coërcere quæ valeat, ſupereſt via pax ſcilicet, & concordia foris, domíque parta, & velis " ut dicitur, remíſque quæſita, nam " apud Hiſpanos coaleſcere mirè ſolet " pax interna cum externa conjuncta, " cùm bellum ſævierit, triſtéſque eventus ingeminaverit, turbæ, & querelæ " ſtatim erumpunt, quaſi negligenter, " aut turpiter à miniſtris regiminis imperetur. Quod ampliùs metuendum " profectò nobis cum Rege minori eſt, " ubi & valet prætextus, ac ſpecies, & " fervet ambitio, & gubernii auctoritas " languet, & omnia opportuna, atque " prona turbulentis hominibus fiunt. " Non adeò quidem aſſerere eſſe nunc " extra hunc Ordinem quoſdam, qui " turbandi, miſcendíque cupidine res " tranſverſa, atque noxia hæc Luſitani " belli conſilia producat, quanquam nihil eſt adeò turpe, quod ad rem ſibi " propoſitam averſetur ambirio. Cæterũ " quid ſibi vult hoc tam obſtinatè pro- "

Oo tractum

,, tractum bellum, tam imprudenter
,, conſultum ſine pecunia, ſine milite,
,, ſine opportuno Duce, hoc gracili Re-
,, ge, hâc adversâ fortunâ, ſpe quoque &
,, opibus noſtris undique profligatis, &
,, quo tempore potiùs tueri ab omni
,, parte Caſtellam oportet, quàm offen-
,, dere Luſitaniam? Conſtat enim ar-
,, morum fragore maximo ſtrepere,
,, clientéſque ciere pro novi belli appa-
,, ratibus Gallum, jure uxoris nitentem,
,, in Reginam ſcilicet Galliæ, Braban-
,, tiam in Belgio eſſe Philippi patris obi-
,, tu devolutam; fœdera idcirco ab ipſo
,, cum Rheni Principibus conſtituta,
,, tractum in partes Regem Suecum,
,, Regémque Britanniæ, totam fermè
,, Germaniam commotam, & ſciſſam
,, eſſe, réſque novas circunſpectantem.
,,. Hujus verò Provinciæ Principes ſibi
,, alios Gallum junxiſſe ſocios, inter ſe
,, alios inſidiis commiſſos in mutuam
,, perniciẽ atterere, per fallacia promiſſa
,, nonnullos cõſopitos, ac ferè torpidos
,, detinere; nihil ab eo inexploratũ, nihil
,, intentatum, nihil omiſſum conſilio,
,, fallacia, induſtria, labore, audacia, pe-
,, cunia, gratia ut amicos ſibi pararet, aut
,, inter hoſtes diſcordias ſereret. Hæc
,, autem armorum procella tot conſiliis,
,, tot clientelis, atque apparatibus gra-
,, vis, atque ex tot regnorum perturba-
,, tione collecta, quorſum jam probabi-
,, liùs videtur vobis, quàm in Hiſpa-
,, niam exoneranda? Pergite itaque ſta-
,, tim in aciem, excitate vos, irritate Lu-
,, ſitanũ Leonem jam dormiẽtem; con-
,, tendite illam audaciã qua toties ob-
,, triti eſtis; diſtrahite firmiſſimas vires,
,, quæ cujuſmodi ſint, eas nunc ſtabilire,
,, atque intendere contra Gallum opor-
,, tet ad extremã uſque perniciẽ Hiſpa-
,, niæ minitabundũ; frãgetis faciliùs im-
,, petũ Luſitani, ſi vos à tergo cæciderit
,, Gallus. Rex Philippus pacem Gallo
,, quamvis iniquã obtulit, ut Luſitanum
,, tandẽ opprimeret, is omninò diffiſus
,, ſatis ſe eo tẽpore Gallo, ſatis Luſitano

oppugnando eſſe, neque porrò tanta "
tunc pertinacia, fortuna, vigor, alacri- "
tas animi tanta, mortiſque contemp- "
tus in Luſitano patebat, ut iteratis po- "
ſteà cladibus patuit, & pax ea quoque "
in Luſitaniæ recipiendæ conſiliũ fru- "
ſtra contracta eſt; nos modò, quæſo, "
duplex, belliſque anceps non pudet, "
aut piget velle ſpontè ſubire onus no- "
ſtro cruore, noſtra ignominia toties "
expertos eſſe bellum Luſitanum Hiſ- "
panici ærarii cladem, Caſtellenſium "
carnificinam, fortunarum noſtrarum "
ſcopulum, voracem Imperii furiam, "
peſtémque multóq; plus animo nos, "
viribúſque complecti poſſe confide- "
re, quàm acerrima ſibi Philippi mens "
ſumpſerit in meliori quidem rerũ, ac "
temporũ curſu? Quid tandem ſi utri- "
que ſuſcepto temerè bello adverſa "
fortuna fuerit? Quid ſi tanto armorũ "
incẽdio ex parte Galliæ, ex parte Luſi- "
taniæ furenti civilium hinc etiam ira- "
rum faces acceſſerint, quas turbidi ſo- "
lent homines in reipublicæ malis ac- "
cendere? Incredibilia, aut valde re- "
motis ſubjecta caſibus ego utiq; non "
commemoro; ſi fato, ſi noſtra ſegni- "
tie, aut nervorum noſtrorum infirmi- "
tate vincunt nos Luſitani, qui longè "
minus, Galli nõ vincẽt, qui plurimùm "
poſſunt? an cum imparibus pares non "
ſumus, ſuperiores valentioribus eri- "
mus? Quid ſi utrique arma, & con- "
ſilia fortaſsè conjunxerint, qui di- "
viſim nos quoque lacerant? Quid ſi "
etiam Angli, ſi Hollãdi infidi ſemper "
amici, ancipites hoſtes acceſſerint? "
Id ne animi in præſens nobis, id robo- "
ris ineſt, ut tantæ impendenti armorũ "
pro bello moli, tantæ domi etiam in- "
ſidiarũ citra ruinam, & rerum omniũ "
exitiũ cervices noſtras opponere va- "
leamus? Dicet fortaſsè aliquis, hanc "
ita ineundam cum perduellibus pa- "
cem ad ſummum videri utilem, at fœ- "
dam ipſam, ac turpem in totius Euro- "
pæ ferè proſpectu cenſendam eſſe: "
modera

„ moderarius itaque fore videri, ſublata pace, bellum ſuſpendi, quo nec belli pernicies nobis, nec turpitudo pacis officeret. Equidem huic homini aſſenſus pacis quoque conſilia damnarem, & commodi loco ducerem, ſi hæc haberi abſque pace belli interruptio poſſet, aut Luſitanos planè conſtaret ab inſidiis, bellíque aſſultibus conquieturos à nobis etiam non laceſſitos. Qui verò tuta,atque integra fide profitebitur nobis, illum tumorem animi Luſitani, hunc ſecundum fortunæ curſum, res tempeſtivas, vetera odia, incitamenta Galli in certam ſententiam nos eos adductura, nos ita enerves, ac fluidos, ac propè capite orbatos poſſe etiam invitos ad pacem petendam cogi, ſe ſéque nunc offerentem, & noſtris ab hoſtibus inculcatam occaſionem aſpernaturos? Porrò hæc tam violenter,tam acerbè, tunc fortaſſis extorta pax, ni deteriùs fortè contingeret, ea ne utilior ſive honeſtior futura eſſet, quæ nunc rebus illorum dubiis,noſtris fractis, nec prorſus afflictis cum Luſitanis cōponi poteſt,& quam ego, ut æquam, ne iniqua illa ſuccederet, & tanquam ad aram tot inſectantibus undique malis effugium conſtantiſſimè perſuadeo? Regio profectò decore, ac majeſtate dignum exiſtimant ſapientes cedere tempori, & quò neceſſitas poſtulat, inclinare,atque inflectere ſe,& ideò nonnunquam,ita ſi poſtulet calculi ratio,affectam,& ægram quoque reipublicæ partem abſcindere,ne belli gradatim ſerpentibus malis, totum denique corrumpatur, ac pereat Imperium. Res certè Hiſpana non ita ruerat, nec puerili, ac muliebri, ut nunc laborat regimine laborabat, cùm infelix, vetúſque Luſitaniæ Philippus pertæſus omninò bellum, nec minùs ſatietate, & faſtidio quàm viribus laſſus hoc revera deſiderabat, ſi aliqua honeſta proponi poſſet,conditione componere, ſed quia & publicâ injuria,& propria erepti ſibi à ſubdito regni ancipiti velut aculeo repungi, ac dolere ſe ſentiebat, ſapienti, utilíque conſilio ira,ſeu pudor in Rege reluctabatur;tunc & pavor Conſiliariis, qui ejus introſpexerant mentem, inceſſerat, vera, ac ſimplicia de bello monendi Regem. Hunc autem Philippi Regis interitu cùm ratio illa quoque privatæ injuriæ interierit, mutata publica ſit, nos hæſitamus,nos modò cunctamur pacem amplecti,cùm ampliùs bellū ſuſtinere non poſſumus,& injurias ulciſci quærimus,dum extemplò mederi reipublicæ vulneri oportet? an Carolus noſter ſecundus cùm adoleverit nec iraſcatur fortè metuimus, quod hæc pacis cum hoſte conventio Hiſpano ab Imperio Luſitaniā avulſerit, quam illi jure cohærentem reliquerat Pater antequam vivis excederet; imò verò cùm jure pupillo tutela ſoluto fas ſit, & noſtra, & acta quoque reſcindere matris, ſi per tempus, viréſque licuerit acta noſtra ſemel delendo inſurgere in Luſitaniam, & armis læſum repetere jus, laudaverit potiùs,nos, matríſque prudens arbitrium per inſidioſam, nutúque fragilem quamdam cum Luſitano compoſitam pacem cætera regna cadentia ſuſtinuiſſe,integrum ipſi jus Luſitaniæ ſervaſſe. Quæ quidem omnia ita inter ſe conſpirantia, cauſæque, ac temporibus congruentia fatalis quædam rerum conſtitutio diſpoſuit, ut nihil hoc Luſitano bello importuniùs, nihil pernicioſiùs conſilia noſtra contrahere, nihil hac pace lætius,ac tempeſtivius conſiliorum moderatricem afferre poſſe fortunam cenſeam.

Hæc Turrianæ Medinæ Dux, contra verò in eodem Senatu diſſeruit Everardus Nitardus ſecretæ tunc pieta-

tis Reginæ miniſter, poſt opera ejuſdem in ſacrum Cardinalium Collegium allectus.

„ Indiſerto, rudíque homini, & pau-
„ cis ante prope diebus è ſacris ad Poli-
„ ticas curas Reginæ gratia, atque im-
„ perio transvecto ſilere in tanti mo-
„ menti negotio forſitan conveniſſet
„ ut in minoribus eruditus per certos
„ quoſdam gradus uſu, ac doctrina re-
„ rum majorum diſplinam acciperet;
„ verùm hanc, & fortiorem fortaſſe
„ cauſam exuperat mecum Reginæ
„ præceptum, quod me hactenus reſti-
„ tantem ac diffidentem ea de re tamen
„ in hoc ordine dicere cogit, ſenſúſ-
„ que & cauſas in medium proferre, ut
„ ab ejuſdem Reginæ ingenio, atque
„ animo delibata, ejúſque ore prope-
„ modum miſſa. Cùm verò duo ſint
„ genera utiliorum conſiliorum, alia ſci-
„ licet orta ex rerum geſtarum expe-
„ rientia, ex aliena alia hiſtoriarúmque
„ præſertim collecta memoriis, atque
„ veſtigiis; equidem ut impolitus inge-
„ nio, jejunus experientiæ curíſq; etiam
„ minoribus impar conſultiùs in dicen-
„ do præluxerim ſuperiorum doctrinæ
„ lucem, ac vetera monumenta ſectan-
„ do. Satis profectò liquet ut ad rem
„ proloqui incipiam, labore, & con-
„ ſtantia gigni, ſervari, florere, & cre-
„ ſcere Imperia; ſimul fama primò pau-
„ latim, opibus, amplitudine aucta, de-
„ inde præ invidia, & livore, qui glo-
„ riam, præ metu qui potentiam, &
„ opes ſemper conſequitur, acres, &
„ plurimos in illorum excidium æmu-
„ los excitare, hinc poſtea turbationes,
„ novarum ſemina rerum, & bella ex
„ bellis oriri, fieríque perſæpè ad va-
„ ſtum oppugnandum Imperium in-
„ gentem Orbis terrarũ concuſſionem,
„ ubi alterum alteri Principi adverſus
„ unum potentiorem occaſio, ratio, ira,
„ aut utilitas copulat, ex quo ſæpè majora
„ Imperia à minoribus quoque impetita

collapſa ſunt. Accedunt & ipſa quaſi “
lege naturæ gloria, & imperio tan- “
dem effæta, caſuráque regna, fatales “
præterea conſeneſcentium, ac per- “
euntium rerum omniũ mutationes; “
quapropter non Imperium mundo, “
cæloque coævum, ſed diuturnũ dun- “
taxat in hujus orbitæ gyro, in hoc or- “
tu, & interitu rerum expetere poſſu- “
mus. Porrò autem longævus, ac felix “
Imperii curſus non ex ejus latitudine, “
ac vaſtitate, non ex rerum affluentia, “
atque copia, non quia ardeât, ceſſént- “
que bella, aut illud ſimul haurire cala- “
mitatum gurgites comminentur; ve- “
rũ ex uſu moderationis in pace, con- “
ſtantiæ pro bello quærendus eſt, ita ut “
quò conſtantiùs, quò moderatiùs gu- “
bernetur Imperium, eò fore diutur- “
niùs, atque florentiùs polliceatur. Hâc “
ego modò conſtantiam, hanc tole- “
rantiam in nobis pro Luſitano tenen- “
do bello repoſco dum vis, atque ro- “
bur lacertis noſtris, ærario pecunia, “
patientiæ, ac laboribus vires ſuffece- “
rint, neve conceptus animo pavor nos “
in ſtultam ſententiam ducat, ordina- “
riæ inconſtantiæ, circularíſque pro- “
pemodum motus adeo fortunam pro “
Luſitanis immemorem eſſe, ut nec “
volvere ſemel, nec retrocedere patia- “
tur; imò verò quò minus cum ratio- “
ne, juſtáque exitus cauſa conjungitur “
talis fortunæ favor inſolitus, eò magis “
per ſe ſuſpectus, ac ſua natura volu- “
bilis eſt. Livius graviſſimus ſcriptor “
Cannenſem dum cladem Romanis “
fœdiſſimè illatam cõmemorat, hánc- “
que confert alteri cladem, qua apud “
Ægates Inſulas prælio navali Cartha- “
ginenſes attriti ad ſervile ſtipendium “
adacti ſunt; quáve bello ſecundo Pu- “
nico per Scipionem extrema in Afri- “
ca pugna Annibale victo, tributóque “
rurſus impoſito in perpetuum afflicti “
ſunt, planè fatetur longè graviorem, “
atrociorémque duabus primò relatis “
cladem

,, cladem Cannenſem fuiſſe, ſed for-
,, tiores animi nervos, quàm corpo-
,, rum majorémque Romanis conſtan-
,, tiam in animo affixam collapſas illis
,, reficere copias dediſſe, ac demùm
,, feliciter debellare. Sic prævalent vires
,, nervíque hominum ubi animus do-
,, minatur, hic ubi languet, florentiſ-
,, ſimæ quæque vires areſcunt. At enim
,, ea ſapienter eſt rebus adhibenda con-
,, ſtantia, atque animi magnitudo, quæ
,, inanis non ſit, nec prorſus viribus
,, deſtituta, quem ratio non librat ob-
,, duratum illum impetum animi, non
,, certè conſtantiæ ſed pertinaciæ po-
,, tiùs, temeritatíſque vocabulum de-
,, cet. Ego utique ſentio Hiſpanum
,, Imperium tot bellorum profuſioni-
,, bus imminutum, ac propè nunc ex-
,, pilatum in magna rerum inopia at-
,, que egeſtate verſari. Verùm enim
,, verò, quo nunc eget Caſtella, abun-
,, dat-ne Luſitana? Sive inopia collata
,, inopiæ utra ſqualidior, & arctior eſt?
,, Utriuſque regni enumerentur inco-
,, læ, computentur regii proventus, ac
,, vectigalia, arma, equi, ac reliqua in-
,, ſtruméta militiæ, híſque perſpectis, ac
,, ſine fraude collatis luce clariùs con-
,, ſtiterit nobis longè excedere Caſtel-
,, lenſes, nec contrariam ſententiam
,, poſſe, niſi temeraria comparatione
,, defendi. Dicam potiſſimùm de pecu-
,, nia quæ validior putatur in bello ner-
,, vus, & quæ ſola ſupplere cæterarum
,, rerum penuriam poteſt, ſive enim
,, hæc congeratur extraordinaria ſub-
,, ditorum collatione, ſive à ſuetis ve-
,, ctigalibus regni, aut cenſibus regiis,
,, aut ex rebus fortuitis, & cõmentiis ad
,, quas extollere ingenium mirè quan-
,, doque neceſſitas ſolet, & in tempo-
,, re ſubvenire, multò profectò plures,
,, ac pleniores Caſtella ſubditos habet,
,, quàm Luſitania, ampliores cenſus, al-
,, tioréſque radices unde pecuniã hau-
,, riat, ita, ut etiam diſſipati Hiſpani

ærarii reliquiæ, perfractíque ejuſdem "
ærarii minuta quæque collecta frag- "
menta majorem certè cumulum fa- "
ciant, quamquam omnes ſimul ſe- "
poſitæ Luſitani regni divitiæ. Quare "
igitur, ſi ita res eſt, reſpondebis, in "
tanta virium infirmitate, atque indi- "
gentia rerum tantis animis tanta fe- "
rocia alacres, victoréſque perſultant, "
ſeſéque tam ſuperbè, tàm inſolenter "
efferunt Luſitani? Primùm ſecunda "
fortuna elati, odio deinde in Caſtel- "
lenſes inſtincti, habet enim in ſe ve- "
tus odium inhærentem, & inſitam "
pertinaciam, pertinacia furorem, fi- "
duciam fortuna gignit, quibus affe- "
ctibus incitati, & tanquam calcaribus "
ad confligendũ impulſi hoſtes animo "
inflato, atque percito rapiuntur. Suo "
more perpetuo tamen infida, lubri- "
ca, & vaga fortuna eſt, ejúſque flu- "
ctus à fortioribus viris, qui ſe con- "
ſtanter illis objiciunt, redundare ve- "
hementius in minus habiles ſolent; "
hunc præterea furorem ſubigere, ani- "
mi talem impetum frangere quem "
efferatum ſuſcitat odium facilè valet "
neceſſitas, tempus, virium defatiga- "
tio, ſe ipſa quoque nimiis paulatim "
conatibus terens violentia, ac tandem "
aliquando conficiens, vorax quem- "
admodum ignis pabuli inopia, & ſua- "
met quaſi ingluvie, & ardore conſu- "
mitur. Conſtantia igitur opus eſt ubi "
ſcopulo tanquam impacti æſtus ira- "
rum, malignarum moles inventio- "
num, minarum procellæ, bellorum "
omnium incurſus disjiciuntur, & "
ideò ſiccitas etiam, quoniàm plus, "
quò reſiſtat in naturæ qualitatibus "
habet, ſimiliſque conſtantiæ virtutis "
eſt, eò valentiùs, atque robuſtius hu- "
mana corpora adverſus externas, & "
validas cauſas affirmat. Titus idem "
Livius luculentam quæſtionem indu- "
cit, utrùm Magnus Alexãder cum illo "
exercitu invicto ad Italiam fortè pro- "

„ greſſus, atque hîc cum Romanis, qui „ belli tum maximè gloria, ac virtute „ florebant congreſſus, eos ſubacturus „ fuiſſet. Et auctor quidẽ Romanæ for- „ titudini, atque excellentiæ nominis „ ſuffragatur duabus præcipuè rationi- „ bus nixus, quod non adeò, ut Roma- „ nis Macedoni ad manus, protractum „ ſi fortè bellum fuiſſet, ſupplementum „ militum foret, & quod prælio uno „ victus Alexander, bello victus, ac „ profligatus penitùs eſſet. Hæc duo „ igitur argumenta ex facili nempè mi- „ litum ſupplemento, bellíque condi- „ tione ſubducta, quæ ſublimi, inte- „ gróque Livii judicio Macedones „ etiam longa militia duratos, victores „ orbis terrarum poſt tot diademata „ everſa, poſt tot urbes exciſas, & Re- „ ges mancipia factos infringere valuiſ- „ ſent, cur hîc ſimul convenientia per- „ domare non poterunt paucos admo- „ dum Luſitanos impotentes, tyrones, „ in quodam Hiſpaniæ angulo inclu- „ ſos, & circunſeptos, quique ſpes, „ atque audacias temeritate, impetú- „ que provectas habent, vi ſua non „ nixas? Intelligite, quæſo, quot per „ totius Luſitaniæ circuitum hominum „ capita numerentur, atque ex iſtis „ alios neceſſariis officinis, ac ſervilibus „ artibus aſſignate, alios omittite ut „ debiles, mutilos ſenio confectos, æta- „ te graciles, imbelléſque permultos „ etiam ſacris, publicíſque miniſteriis „ addicite, & ſatis poſt hæc explorata „ colligite animo, quo fortè modo, „ quáve temporis longitudine novos „ conſcribere milites Luſitanus, inter- „ euntes explere, ſi bellum diſtractum „ in plures regni partes inciderit, ubi- „ que ſatis occurrere, & perpetuo quo- „ que victrices, ac ſpoliis onuſtas ad „ alia prælia reficere copias valeat. Per- „ functoriè deinde conjectis oculis non „ dico in immenſum Hiſpanici Imperii „ corpus, quod Italiam, quod Belgium, quod Indias remotas, quod omnes " Hiſpaniæ partes complectitur, ſed in " ea, quæ proximè vobis occurrunt " regna Caſtellæ tantum, híſque ratio- " ne, animóque luſtratis rebus, poſtre- " mò concludite, cùm ſæpius vincendo " etiam attenuetur paulatim victor ne- " ceſſe ſit, utrum Luſitanus vincendo ſe " potiùs, an Caſtellenſis victus atterere " ſe, atque conſumere tandem belli de- " curſu, ac temporis poſſit; cædere illi " copias, an huic reparare facilius ſit, " & utrum repetita Caſtellenſibus cla- " des, an luctuoſior victoria, ſi extrema " primis annectas Luſitanis futura ſit; " niſi fortè pro Luſitania ſubſidia com- " putentur externa, quæ longa ſuo mo- " re, & incerta multiplici ſumptu, & " latrociniis etiam ærarium pervaſtant, " & regnum, & quæ expectatione ſæpe " concepta, ſæpe fide labuntur, ut nul- " lum unquam diuturniùs Imperium " ſteterit plus alienis, quàm propriis vi- " ribus ſuſtentatum. Huic planè argu- " mento, & illud quod Livii alterum " erat adjicite, quod ſemel victus Luſi- " tanus, itidem debellatus, atque ever- " ſus omninò foret, nec tam durè, & " acerbè Hiſpano Imperio indignata " fortuna cenſenda eſt, nec tam diſſimi- " lis ſemper ſibi ut toties pugnæ pericu- " lum adeuntes ne ſemel ea quidem Lu- " ſitanos falſura ſit, imò potiùs miran- " dum eſt, in multis illos hucuſque præ- " liis minimè feſelliſſe. Hoc ſive caſu, " ſive ingenio, aut virtute ſemel acci- " deret, atque inter nimis multas rerũ " mutabiles vices una duntaxat illa pro- " pitia nobis arrideat, quid amplius im- " pedimento, atque moræ Caſtellenſi " vel ſemel victori fuerit ab acie cruen- " ta Uliſipponem pervadere. Audenti- " bus, atque agentibus non ſeſe mo- " dò præbet, ſed rictum etiam mina- " cem plerumque fortuna mutat, actio, " & induſtria illi pro obſequio, labor " meriti loco ducitur; ſi adverſa reſi- " ſtit,

„ ſtit, patientia laſſatur. Supereſt mihi „ nunc exponendum, quid tandem „ ſit cauſæ cur Philippo ſuperſtite IV. „ cum armis Hiſpaniã hinc Luſitanus, „ hinc Gallus urgeret, mẽtio tunc pacis „ cum Luſitano planè periculoſa, atque „ abominabilis videbatur, ſublato Phi„ lippo, non modò ut perutilis, ac de„ cora; verùm etiam, ut neceſſaria à plu„ ribus uſurpetur; nimirum, quia dubia „ nos inquiunt, gubernacula Imperii „ ſub Rege parvulo ſuſtinemus. Inde „ vires hoſtibus auctæ, Caſtellenſibus „ imminutæ. Inde ratio illa ſuperior ho„ neſti utilitate correcta eſt, aut neceſſi„ tate contorta; ſecetur propterea quam „ citò hæc pars Luſitaniæ, aut avellatur „ à toto corpore Imperii, ne idipſum pe„ nitùs marceat. Singularis, & rara, & ab „ initio attributa reipublicæ Venetæ „ gloria, atque felicitas eſt, eorum Prin„ cipum ſive Ducum in Principatum „ ſucceſſionem nihil uſqueadeo novi in „ regimen ferre, ut Duce cadente ſola „ perſona Ducis non reipublicæ ar„ bitrium ſive mens immutetur, quip„ pè cùm veteres leges, conſuetudines, „ jura inſtituta, eadem quoque Se„ natus conſulta recentia, Duce etiam „ erepto, rata, atque integra maneant, „ nihil Venetis innovandi ex fato Prin„ cipis copia eſt, ejúſque tantummodo „ interitu unius hominis corpus, ſicut „ cætera humana, quæ ipſa compegit, „ natura diſſolvit. Hujus nobilis, pru„ dentíſque imitandæ reipublicæ uſum „ nobis reliquit Regis Philippi mors; „ mortem enim oppetens Rex cùm ni„ hil aliud præſtiterit, quàm cœlitibus „ animam, ac terram reddere terræ, vi„ vens verò nihil utique aliud, quàm „ perpetuò ſubſcribere omnia decreta „ ſententiáſque Senatus, eadem poſt „ obitum ejus Senatus intelligentia iiſ„ démque doctrinis, ac diſciplinis im„ buti, ut anteà, incorrupta, atque ſolida „ permanente, quid inter negotia mu„ tandæ, ſeu rei corrigendæ nobis po-

tuerint Philippi manes afferre, niſi ob- " ſcurior aliqua cauſa, & ex conſultan- " tium libidine orta ſeſe callidè intruſe- " rit? Atqui etiam opinio, ac dignitas " nominis, imperiíque majeſtas, eos qui " curas nunc publicas ſuſtinent, deficit " nempè à Regis ætatula diminuta, in " rebus enim humanis æquè vera, atque " inanis magnam ſibi partem opinio, ac " populi rumor attribuit. Profectò qua- " lis ob Luſitanas res decernendas hic " rumor, & opinio popularis effluxerit " nihil detrahit vel adjicit nobis, quos " hoſtium, & noſtros metiri duntaxat " nervos, & vires, ſpernere vulgi ru- " mores oportet. Imò verò ſi tanti " valet opinio, & ideò opinionem " cum opinione, & cum judicio judi- " cium conferre placet. Nocet nunc " res temperantibus nobis Regis infan- " tis repræſentatio; ſed alia eáque de- " terior etiam opinio, nova huic inje- " cta regimini plaga, erit, ſi pax cum " Luſitano convenerit, & hæc Luſita- " niam avulſerit, emerſura. Utraque ſa- " ne opinio in regiminis ratione, & cõ- " temptu, viriúmq; perſpecta infirmita- " te verſatur; at prior imbecillitatis exi- " ſtimatio vulgaris, & frivola eſt, even- " tíſque refelli poteſt, altera cum jactu- " ra, ac dedecoris quoque nota cõjun- " cta eſt, & præterquã quod ipſa revera " turpior, atque damnoſior, & cum fun- " damento in reipſa concepta eſſet, pri- " mam etiam abjectam opinionem à " Rege pupillo deductam fœdo illo " exitu confirmaret, quæ reipublicæ " labes cùm ſerpere palam, ac pro- " gredi ſemel cepiſſet, regno uno ab " Imperio volentibus nobis abſciſſo, " quid de cæterorum regnorum fide, " & conſtantia cùm ita iniquum, ut " æquum in animo valeat exemplum, " cenſendum eſt. Si ægrotat Imperii " corpus, ſi malè inter ſe regnorum " membra cohærent, ſi regiminis ſpi- " ritus puſillo cum Rege deffluit, non " vitalium hoc partium, & virium "

„ omnium inciſione, ſed cura, atque „ ſtudio, & remediis lenioribus repare„ tur. Dominium quò latiùs patet, eò „ bello majores ſuppeditat opes. Cor„ ruer, denique corruet, credite mihi, „ ſi inſiſtere quoque labore,& conſtan„ tia pergamus, in ſemet revolutus hic „ impetus Luſitani, & virium inopia, „ aut fortunæ ſatietate laſſabitur. Ut „ parvuli piſces à grandioribus come„ duntur, ita ampliſſima quæque regna „ minora paulatim, ac citiùs finitima „ abſorbent. Has bene fundatas ſpes, „ hæc publica vota, & regiminis in„ crementa, ſi temerè pacem cum Lu„ ſitano contrahimus, judicii lapſus in „ nobis aut ægrè affecti animi rabes „ obruet.

His porrò in Senatu pro Luſitano bello ſententiis, & contra bellum acerrimè dictis,nihil ferè Procerum animos Nitardi ſuffragium movit, ita illud intelligentium, ut morem Reginæ gereret ſtudioſè à Nitardo prolatum eſſe, quod ex ejus orationis contextu, & ex eo quod palam initio dicendi profeſſus erat, intulerant. Perculit etiam Conſiliarios, quod ſpecie objurgantis ille acriùs inculcaviſſet, cur ea pax, quæ teterrima putaretur, regnorum Philippo gubernacula moderante, hæc mox Regina tenente, turpitudinem abjeciſſet. Perinde quaſi vel tunc, vel nunc omnia falſa, atque inſidioſè ficta locuti proceres eſſent. Proinde nonnulli, ejúſque maximè obtrectatores Reginam inſimulabant, cur enim Luſitanam pacem tractandam Senatus calculis objeciſſet, quam ipſa tantopere averſaretur? Nihil aliud profectò fuiſſe niſi tentare Senatum, rimaríque latebras mentium, populíque calumniis conſultores opponere; nam ſi Imperii pax intereſſet, eámque ideò rectè miniſtri conſulerent, conſiliúmque Regina, ut illo ſeriò uteretur, nec ut illud deſpiceret, flagitaſſet, quid modò partes officii, aut rationem conſilii fortaſsè utilem in ludibrio Regina, aut criminis loco ponebat? tanquam excutere à ſe per ambages invidiam, atque illam trajicere in conſultores intenderet, qui juſſi fuerant ab ipſa de pace, vel bello ſententiam ferre. Planè cùm vulgi latratus, ac futiles hominum queſtus timidam nimis Reginam, atque in republica ſegniorem ad res arduas deliberandas Reginam efficiant, nimis ſui ſtudioſam videri mulierem, plúſque ſibi, quàm rebus communibus conſulentem. Has præter effuſas querelas, & voces, quia incipientis tunc accidentia regiminis erant, introſpicere ingenium, & mores, dimetiri Reginæ animum curioſi, atque aulici homines cupiebant, & ſcire unuſquiſque quid metuere, quid expectare, quid arte, aut induſtria captare hoc in deterius labenti regiminis curſu poſſet. Inde animum omnes, & oculos tanquam arcum in illam intentos habebant. Ex adverſo Regina ſuos retrudere ſenſus, prætextus in cauſas, & ſpecies rerum pro rebus adducere, cunctatius, & cautè, nec minùs ſollicitè cuncta perficere, jam Germana ſinceritate inter Hiſpanas, & aulicas artes longa aſſuetudine, ac temporis vitio corrupta; cúmque jure, aut injuria perpetuo carpi, rodíque velut fatale imperitantibus ſit, neque id Regina neſciret, in leviores ſaltem reprehenſiones incurrere providebat. Idcircò ſuſpenſa pace, ſuſpenſo bello, in Status Senatus conſultis, in procerum monitis hæſitante Regina, cùm ſuppreſſo in pectore arcano ſe tantum in ſpeciem ſimulatio jactaret, nullus Senator rurſus audebat aut palam aſſerere bellum, aut pacem negare. Evenit intereà, ut ab eadem Regina Provinciæ Belgicæ præfectura Joanni Auſtriaco demandaretur. Is fictè illam

admittere

admittere primò pollicitus eſt: at gravius eo tempore offendere ſe prætexebat in ægeſtatem ærarii jam Luſitano pro bello profuſi, Gallóque ut fama etiam erat, ſubinde accedente, celeriùs exhauriendi. Itaque iturum ſe ad Belgium cum onere impoſito Joannes aſſeverabat, modò conſulta cum Luſitano pax conveniſſet, ſecus forè, ſubjiciebat ut ipſe velut enervis cum armorum dedecore victus in Belgio caderet, Hiſpania per Luſitanos conflictaretur. Concuſſit vehementer Reginam hæc tortuoſa Joannis oratio, atque adeò, ut etiam ſi ipſa miniſtrorum conſenſui in pacis conventione verè, & ex animo reclamaret, una tamen, qua maximè ardebat, Joannem ablegandi cupido, ut diſceſſionem ad pacem faceret, illam planè ſubigere potuiſſet; nam & ideò quaſi novercæ in illum affecta erat, & itidem metuebat, ne manens in aula Joannes ob regii ſplendorem ſanguinis, virilis ſexus prærogativam, rerum experientiam, ampliatæque factionis præſidia dum ejuſdem Reginæ obtrectaret auctoritati, & gubernationis fortaſsè vitia per calumnias extenderet, in illam tandem invadere. Torſerat quoque Reginam acerbior, ac vetus animi ſenſus qui ipſam coquebat, plúſque reliquas incendebat, aſperabátque in animo curas, ſcilicet an Joannes in alto regiminis gradu poſitus, eo contentus omninò fuiſſet, nec ſpes altiores, quas amici, & occaſio illi ſubjicere potuiſſent, & fota quoque atque aucta dominio cupiditas inflammare, opportunè ſubduceret. Harum laxamenta curarum, quæ ad Reginæ Regiíſque præcipuè filii rationes ſpectabant, & quæ duriori quacumque conditione interjecta ab Auſtriaci abſentia impetrare Regina maximè cupiebat, jucundè illi, atque appoſitè cecidit per pacem Luſitanis indultam, ad quam & ſuo tacito quoque inſtinctu cupidè ferebatur, accipere. Stimulus etiam ad pacem Reginæ inter alios acerrimus erat Rex Anglus, qui procerum Hiſpanorum conſpiratione, impulſúque permotus, niſi iidem Hiſpani propoſitam pacem amplecterentur, ferale bellum denuncians cum omnibus copiis, ut affinem, amicum & ſocium ſe terra, maríque affuturum Bregantio jactabat. Illíque Auſtriacus ſuffragator adjunctus, à generis claritudine, ab aura ſecunda populi evectus ſic ſtudia paſſim, ac partes, ac propè turbas intenderat, ut niſi foris Regina pacem conceſſam hoſtibus vellet, domi proptereà bellum habitura fuiſſet. Tot ergo, tantíſque exagitata Regina ſtimulis, tanquam invita, & coacta, flectere tandem ad pacem omnibus viſa eſt, non minùs profectò cautè, quàm feliciter aſſecuta, ut in eo ipſa prolixiùs rogitaretur, quod intus ardebat, & ſua intereſſe in primis exiſtimabat. Juſſit idcircò verè de pace cum Luſitano, & quonam pacto ea conſtitui deberet, ſedulò agi. Multis igitur in Status Senatu diebus per inanes, ac varias altercationes abſumptis Reginæ denique aſſenſu ſtatutum eſt; ut cautor, interventórque cum Luſitano quæſitæ pacis Rex Anglus aſſiſteret, procuratio verò ex parte Caſtellæ Marchioni Carpenſi committeretur, qui jure belli captivus Uliſippone tunc morabatur, præ ingenio ſuperior negotio vir, multarúmq; rimarũ, quas ad hæc præſertim negotia feliciter perpetranda ſtudioſiùs prudentia conquirere ſolet, quibus & aliis à Luſitanis ad conſtituendam pacẽ electis, ita denique inter Regem Caſtellæ, Regémq; Luſitaniæ concordia ſancita eſt. Arces urbes, & oppida, ſpatia terrarũ ad utraq; regna attinẽtia, & quæ utrinque per bellum erepta fuiſſent legitimo Regi concederent, præter Ceutam in ora Africæ ſitam urbẽ, quam juſta de cauſa ad Regem Catholicum pertinere, aut cum Olivença mutari,

industria

induſtria Carpenſis obtinuit. Bona utriuſque Regis ſubditis, & in utroque regno jure belli ſublata pacis gratia reddantur. Negotiationes, acceſſus, atque receſſus, amborum regnorum commercia clientium pervia, ac planè libera mutuò ſint, fruantúrque Luſitani his privilegiis, & juribus in ambitu Hiſpaniæ qui Anglis hominibus indulgentur, eaſdémque immunitates, & commoda in Luſitania deinceps repeterent ſubditi Catholici Regis, quibus Sebaſtiano quondam regnante utebantur. Captivi ex utraque parte libertatem gratis accipiant. Hæreditates, opes, & jura bonorum, quæ regni utriuſque ſubditis belli odio ſuſpenſa, interverſa, ſive ſublata in alieno ſolo fuiſſent, illis firma, atque rata ad quos pertinere conſtiterit, pace interpoſita, ſtate pronuntientur, quíque in hac parte ſe aliquomodo gravatum, aut læſum cenſeat, is intra anni curriculum teneatur jus ſuum legitimè profiteri. Luſitanis ſi terra fortè maríve contigerit per Catholici Regis dominium ire hoſtibus obviam, hinc inoffenſus tranſitus pateat. Diſceptationes, & lites ex mercatorum negotiis, & fraudibus terra, mariq; prætentis emergere ſolitæ, non armis, ſed judicio, aut pacato Regum arbitrio dirimerentur. Icto jam cum Britanno, & Catholico Rege fœderi, Luſitano quoque, ſi velit, accedere liceat. Reliqua ex Sebaſtiani Regis memoria, ac tempore repetita, atque in uſum denuò relata, quemadmodum ea tempeſtate tractata ſunt, ſub Alfonſo Rege obſerventur. Quæ denique omnia ut pacis hujus interceſſor, cautórque plenè, atque integrè Rege ab utroque exigere curet Rex Anglus, & quæ obiter miſſa, nec ſatis fortaſsè cauta, vel omninò proviſa lapſu temporis intercurrerent, pax ne turbetur, æqua ratione componere. Hæc ſtabilitæ ſunt acta pacis inter Carolum Catholicum Regem, Alfonſúmq; Regem Luſitanum Britannici Regis auctoritate, arbitrióq; confecta, atque ita octavo, & vigeſimo poſt defectionem anno Luſitania à Caſtellæ jure, & Corona dirempta ſuo tandem Regi reddita eſt.

DE
BELLO LUSITANO
LIBRI DECIMI

SUMMA.

BELLO externo compoſito, quaſi civile in Luſitania prorumpit. Regis Alfonſi vita, inſtituta & mores. Odemiræ Comiti traditur erudiendus. Antonius Contius ſubdolè captat Alfonſi benevolentiam. Stolidâ fortitudinis oſtentatione, in mortis diſcrimen bis ſe Rex implicat. Per Status Senatum publico nomine monitus, vitia mutat, non mores. Partes & factiones in Aula fovet Contius. Inter filium & matrem contentiones exoriuntur. Senatus decreto, Contius, omnéſque ejus impuræ factionis clientes, ad Braſiliam exules ejiciuntur. Aloiſia quod diutiùs tenere non poterat, Imperium Alfonſo dimittit. Aſſumptæ dominationis initia. Comes Caſtelmeliorius, Comes Autogiæ, Caſárque Meneſeus ad Imperium ſibi tenendum, Triumviratus ſimilitudinem conſtituunt. Regis tandem, regníque unicus moderator remanet Caſtelmeliorius. Primarios regni cives exilio multat. Conſilium orditur opprimendæ Aloiſiæ, quæ juſſu Regis à Regia diſcedit. Alfonſus, nullo adverſante ad priſtina facinora redit. Marchionem Fontanum ad interitum quærit. Sicarii Regis impetum faciunt in Comitem Encerenſem. Ab iis Noronia lethali confectus vulnere, extinguitur. Religio in ludibrium adducta. Contius Vliſipponem revocatus in regni fines expellitur, artibus Caſtelmeliorii, cujus potentia decreſcere cœpit. Pulcherrimo vitæ inſtituto, moderationis laudem ſibi promeretur Petrus Alfonſi frater. Regis cum Principe Nemurtia connubium. Aloiſiæ Guſmanæ mors, & animi dotes. Inter Regem & Petrum ingraveſcunt diſſidia. Regina, à viro ludibriis, à Caſtelmeliorio injuriis affecta, ad Petri partes accedit. Is Caſtelmeliorii expulſionem à Regia, depoſcit. Senatus ſuper ea re variæ ſententiæ. Proceres, urbiſque Patricii à Petro convocati, illius ſe cauſæ alacriter aſſuturos reſpondent. In ejus favorem tumultuatur Vliſippo. Caſtelmeliorius ſe ab Aula furibundus proripit. Henricus Miranda, & Antonius Souſa nocte intempeſta diffugiunt. In ſumma rerum confuſione, regni Comitia coguntur. Regina ad Franciſcanarum Monialium Cœnobium divertit. Litem de matrimonii reſciſſione apud Eccleſiæ Iudices inchoat. Exutus imperio, cuſtodiæ traditur Alfonſus. Omnia imperii jura, præter Regias faſces & nomen, Petrus aſſumit. Regina, dirempto cum Rege matrimonio, ordinum conſenſu Petro nubit. Rex ex Inſulis Tertiis revectus prope Vliſipponem degit, attentiſſimè cuſtoditus.

BELLI LUSITANI

LIBER DECIMUS.

BELLO externo compoſito, quaſi civile ſubinde in Luſitania prorupit, cujus valido impulſu tandem Rex eſt Luſitanus Alfonſus regni regimine devolutus. Hæc porrò, nec ipſa parum utilia Principibus documenta, quo clariora percurrentibus fiant, altiùs nos repetita narratione de Regis hujus vita, inſtitutis, ac moribus juvat aliqua tradere, qua videlicet cauſa legitimus Rex ſuo auſpicio victor, regníque periclitantis aſſertor, tam felix militiæ quàm domi ſuæ infelix inter aulicos fluctus, inverſíque regiminis æſtus imperium, uxorem, ac libertatem tandem amiſerit. Alfonſo Regi Luſitaniæ anno fluente ſuæ ætatis tertio, adhuc Theodoſio ſuperſtite fratre, cui ut natu majori tunc expectatio incumbebat imperii, paralyſis morbo correpto tota ferè debilitata, quæ dextrum latus complectitur, pars corporis aruit. Peſtis cùm tanta invaſiſſet infantis gracilè corpus, & conquiſita longè remedia ad rapidam morbi vim edomandam applicita eſſent, morti denique Alfonſus ereptus eſt. Poſt ætate progrediente, ubi vegetius jam corpus ſtrenua remedia non recuſabat, balnea, & eximia ab Indiis Orientalibus accerſita, quæ morbi reliquias expellerent, ægro corpori pharmaca adhibita ſunt: & his quidem adjectis, diſſolutio membrorum aliquantulum ipſa contracta, ac ferè diſcuſſa torpedo eſt. Reſtitit tamen dexteræ manus implicitus uſus, & reliqua corporis membra paralyſi quondam tacta ægrè deinde officiis vitalibus fungebantur. Quod autem homines magis ıcuerat, eóſque ſollicitos magis habebat, quædam erat in Alfonſo ſuſpecta cerebri læſio, ac depravati, paululúmque corrupti judicii ſpecies, quæ quanquam eo viridi tempore ſub geſtis, ac nugis puerilibus latitabat, ſuſpicionem tamen vehementem incuſſerat Luſitanis, ægritudinem mentis in puero corporis ægritudini conſenſiſſe. Cæterùm has anxiè ſuſceptas de Alfonſi valetudine curas Theodoſii tunc indoles ſolabatur, magnæ ſpei juvenis, & qui ex primis ætatis igniculis, ubi futuri perſæpè argumenta ſcintillant, haud dubiè mereri videbatur imperium, quod ſortè ipſi quoque natalium obtigerat. Verùm diem ſuum immaturè mox obeunte Theodoſio, tantáque virtutis ſpecie, priuſquam prodeſſe reipublicæ poſſet, extincta, cùm Alfonſus regno proximus ſupereſſet, nec illo ipſe dignus cum affecti habitudine corporis, tum mentis caligine putaretur, infauſta, nimíſque infelicia plerique jactabant præſagia futuri regni, ac ſimul in ore, ſenſúque prudentiorum hominum erat, occurrendum maturè periculo eſſe, ne ſerò malis appoſita medicina tempore aſperior, vel irrita foret. Non cauſa, non gratia Regum eſſe condita regna, ſed illorum cuſtodiæ ſubſidióque Reges tanquam in ſpecula conſtitutos, eodem populo aſſentiente, vel ſaltem non repugnante, aut cum regia ſobole miſſo jure, aut jure ſuffragii accerſiri, qui certè haud impares, ineptíque tam celſo, operoſóque muneri cenſeantur; nunc autem Alfonſo debilitate corporis imminuto, hebetudine mentis inhabili ea lege videri tantummodò regnum permitti poſſe, qua non judicio ſed caſibus regi, & omnibus ultrò liceret unà cum Rege perire. Huic imminenti regno dedecori, & publico detrimento, atque exitio ſine ſtrepitu, ſine tumultu tunc Luſitanis obviam conſultiùs eundum, cùm regius hucuſque puer aſſentantium illecebris, contagióque

tagióque ambitionis intactus, quod neceſſariò, atque acerbiùs ſit aliquando amiſſurus amittere citiùs propter ætatem non ſentiat, vertíque facilius ad alia inſtituta, atque ſtudia ea ipſa ignara, ac flexibilis ætas poſſit. Idcircò regni Comitiis Uliſippone coactis cùm ibi ageretur in Alfonſi verba jurare, ut regno cadenti jam proximè ſucceſſuri, altercatio inter partes exarſit; Alfonſo ne an Petro potiùs ejuſdem Alfonſi natu minoris fratri jus deferendum eſſet imperii, corporis ſcilicet, atque animi vitia an adeò grauia, ac deformia paterent jam in Alfonſo natalibus antegreſſo, ut in lege uſúque imperandi fas eſſet ſpei clariori, ac virtutibus Petri alterius ætatis prærogativâ poſtponere, atque ideò utilitatis, ac meriti ratio in publica cauſa fortunæ ſuffragio antecelleret. Cur enim, illi dicebant, cogerentur ritè Comitia, & calculi, & urnæ repeterentur, ſi ratio ipſa nativitatis immobilis faſcibus ſummi imperii conſtrictos, ſolióque inhærentes ætate majores teneat? Publicorum procuratorum officii eſſe profectò partes non aliū poſt alium pecudum ritu cenſendo naturæ ſubſequi inſtinctum, & motum, & inſulsè caſúque decernere; at videre, explorare, ſcrutari, ac ſerius omninò eligere tanti laboris, tantæ mentis capacem virum, nec mole minorem, qui niſi eſſet in regnatrice domo, extra illam certè, ne omnia per principem ruerent, quærendus eſſet. Diſtractis in hunc modum ſententiis, vicit tandem Bregantii Patris auctoritas, qui in eodem conventu ſpecie Regis auguſtior, & in librorum cauſa Judex æquiſſimus ab omnibus æſtimatus cæterorum ſentētias obruit. Ille enim æquitate quadam, & caſu pluſquam conſilio, & rationibus uſus dum animo volvit, rata, atque certa hinc inter fratres diſſidia, perpetuáſque in regno diſcordias hanc juris, inſuetámque regni tranſlationem comparaturam fuiſſe, hinc ſpem aliquam fore, ut exercitatione, tempore, & cura filii ſe corpus quandoque meliùs haberet, judicium uſu rerum, exemplo, ac diſciplina proficeret, eáque ſpe plus illectus quàm obverſo periculo terrefactus in illis Comitiis obtinuit, Alfonſum eo tempore Principem, imperiíque proximi ſucceſſorem inſtitui, ac de more jurari.

Poſt hæc demortuo Bregantio, atque Aloiſia Guſmana vidua liberorum tutelam regníque regimen ineunte erudiendus Alfonſus Franciſco Faro Odemiræ Comiti traditur, qui propter generis claritudinem regio quoque ſtipiti admiſti, ſimul ſcientiam & gravitatem morum eo in primis educationis munere dignus occurrit. Is igitur ne minus fortaſsè Rex cum magiſtri quoq; dedecore ſaperet, accuratiùs primùm intendit regiis adoleſcentē moribus imbui, ediſcere literas, quantùm deceret Regem, Politicas artes, quātùm caperet ætas, apprehēdere, idcircò ſæpè monere Regem, ad altioris evecti culminis gradū facta, dictáque viri magis clara & perſpicua acrioríque ſubjecta mortaliū cenſuræ fore; regiam majeſtatem non virtutibus modò nudam, ſed admirationis quoque plauſúſque quæ ab eximia, ac ſingulari virtute concepta opinio quædam magnifica ſuſcitat, vacuam diſcrimini ſibi contemptui clientibus eſſe; ubi plurimùm fortunæ, ibi plurimùm periculi, ibíque minus actionibus libertatis, minus licentiæ in vitæ cultu, ac moribus eſſe, quò denique latius pateat imperium, eò magis ſibi Principem imperare, ſe frangere, patientiam, obſequium, animi ſervitutem exercere debere. At irritis quidem monitis apud ſurdas Principis aures aſſiduus præceptor ſtrepebat; prava námque in Rege mentis affectio, atque illa indolis contumacia ad diſſimilia conditioni ſtudia, & vilia, & abjecta quædam nugarum oblectamenta labefactum jam

animum rapiebat; puerorum nempè turbis immiſtus quatere arundines, fundas torquere, cum inæqualibus modò contendere curſu, modò fuſtium, ac lapidum jactu; aliis jocis, ac luſibus etiam puerum dedecentibus Regem conterere tempus, & otium; hoc planè modo, promiſcuæ, ſordidæque aſſuetudine turbæ ad inhoneſta, ac propè turpia exercitia regio decore projecto. Quod genus libertatis in Rege, aut hoc paulò minùs etſi alibi forſan excuſat diverſitas morum, in Hiſpania ubi rigor, & gravitas morum, & oſtentatio rerum inanium magno apud proceres pretio habetur, hoc valde exectabile, ac nefas eſt. Hæc circa Regiam otia in loco ſepoſito ſæpè tractabat Alfonſus, ludis interdum ſpectator aſtabat, ibíque taberna erat Antonii Contii Uliſippone nati, ſed origine Januenſis, qui venales ibidem merces ad queſtum ex longo tempore habuerat. Is poſtquam Regis naturam, & indolem intellexit, in quo minus quidem deceret, inter ea jocularia laudare, atque plaudere cæpit Regi, tum maximè & illam colludentium puerorum catervam colliſu palmarum, geſtuúmque jactatione, vocibúſque juvare, atque efferre, ad quam impenetrabili quodam ingenii motu per ſe inclinare præſenſerat Regem; multa præterea hujuſmodi Contius agebat inepta, puerilia, fallacia, & quæ ab ejuſdem etiam ætate, atque officii ratione abhorrebant, ut in his ipſe morem gereret Regi. Qua porrò genii indulgentia per aſtus, crebróque cùm Regi blanditus eſſet Antonius Contius, illius ſenſim captare benevolétiam, ſurripere gratiam cæpit, ídque hilari quoque facie, & nutibus illi, ſcintillantíque in oculis riſu plerunque Rex oſtendebat. Antonius quia erat ingenio ſupra conditionem ambitioſus, ac ſubdolus, tunc in fronte, vultúque Regis arridere ſibi fortunam ratus, & culram ipſam, conſociatámque ulteriùs, & facilè progredi poſſe, quæ afflare jam proſperè cæperat omninò deinceps illi vela permittere ſtatuit. Itaque impenſiùs, ac propiùs cæpit colere Regem, acuere blanditias, intendere maximè dolos, quibus ea rudis, ac mollis decipitur ætas, híſque ex ſententia fluentibus ſibi, auſus eſt denique Antonius ſecreta munuſcula dare cariſſima Regi, ut inſtrumenta puerilium luſuum in quibus ſummè delectabatur. Inſolentis, ſuperbi, regiíque præſertim eſt moris ſua multò plus excitari, afficíque quàm aliena munificentia, & velle ſe potiùs dona credere, quàm debere; ratio quaſi meriti magis in dato valeat, quàm in munere accepto. Secus tamen cum Rege uſu venit Antonio: Rex enim tenacius exiguis illis adſtrictus in animo officiis, & voluntate captus amorem, & ſtudium in illum intendit. Crebriores itaque ejuſdem ad Regem aditus, remiſſa quædam, ac facilis converſatio, repetita colloquia, quæ cùm ſine obice veli, ſine janitoris arbitrio, ſolo Rege, horíſque ſæpè non congruis agitarentur, impuritas hominis magnatibus odio, favor nimius invidiæ, & deſpectui quoque ignobilitas erat. Eo uſque tandem per eam increſcentem quotidie licentiam, aulicorum inſectationes, & vulgares ex ea querelas devoluta res eſt, ut Odemitæ Comes, & ſuo jure, & Aloiſiæ regiæ matris imperio prohiberet omninò Regem ab uſu, & conſuetudine mercatoris. Valuit hoc primum in Rege mandatum, non ut prorſus Antonii congreſſionem abnueret, ſed eam ut cautus deinde requireret, inſito poſteà ipſius rei veritæ affectu, regiíque animi tacito impetu Rex magis impulſus tanquam omnia licerent Regi, pudorem, & metum omninò ſolvit, & ſæpè numero clam, atque palam, neglecta matre, rejecto magiſtro Antonio Cõtio familia

familiariter utebatur. Tunc Odemiræ Comes, Regiſque mater, qui tantum ſibi uſurpare poteſtatis in Regem poterant, quantum ille permiſſum jure ſuo vellet, cùm inter ſe conferrent, atque animo volutarent, ex primo à ſe fruſtra impoſito Regi mandato lætam ſibi ipſis auctoritatem, verecundiam Regi imminutam, auctam Antonio gratiam, & quod ſi idem rurſus & acriùs irriti præcepiſſent, reverentiæ denique frænis in matrem, reſpectus in præceptorem prorſus excuſſis, Rex ſolutior impoſterùm, & ſuo more intractabilis raperetur, rem planè miſſam fecerunt, eo ſecus freti, quod quemadmodum ad Alfonſum Antonio Contio aditus interdictus regiam auxerat voluntatem, ac deſiderium intenderat, ita injuria deinde, atque aditus laxamentum inducere fòrſan, ut ſæpè fit, & in lutulentis maximè rebus, ex nimia indulgentia faſtidium, ac ſatietatem poterat. Hac ancipiti ratione ea tunc imprudenter neglecta, & quæ oppreſſu facilior cum primò favilla ſurgeret videbatur, in magnum denique incendium, ac regni propè perniciem exarſit. Quippè Antonius ubi cognovit ultra magiſtri, matriſque conatus, & ſtudia erga ſe Regis invaleſcere gratiam, alacrior deinceps, ac promptior animo factus, ac ſpe concepta tumidior, quibus initiis turpibus cæperat, creverátque, iiſdem ad arctiùs obſtringendum ſibi Regem incubuit. Erat jam eo tempore potens præ ætate Rex regere equum, nec affecti corporis imbecillitas liberius eumdem habenas tractare, aut veſtigium in ſtapede ſiſtere impediebat. Equeſtri propterea, ac verè dignæ Regibus diſciplinæ Odemiræ ipſe Comes, quo à ſordidis, & puerilibus quoque ſtudiis degenerem animum avocaret, vacare ſedulò Regem inſtituit. Et primis quidem elapſis diebus ritè, & conſultò proviſum à magiſtro fuiſſe in cauſa Regis apparuit; ingenuæque arti malas eluſas in Regè artes extemplò ceſſiſſe; ſed paulò poſt primo illo quaſi novitatis ardore, ſenſúque reſtincto cùm vitiata per ſe natura, & fomes, & homo, qui impelleret, eſſet, recidere tandem in ſuos priſtinos mores ægrè retentus, & in contraria exercitia tortus malè inclinatus animus viſus eſt. Rex enim ubi de more equitabat, cùm propior ibi ſecretáque ſedes eſſet eò Antonium Contium, atque ejuſdem notæ, ſectæque juvenes impuræ voluptatis miniſtros introducebat, quibus & Mauri nonnunquam fœda mancipia tetra facie, ac teterrimis moribus miſcebantur. Hos inter homines, genere, fama, moribúſque pollutos, ac fœtidos turpia erant facta, obſcænioráque verba, facinorúmque ſpectator, plauſórque quaſi palpo ſedebat Rex, ipſe etiam interdum luctæ, ac tripudii contentione deformiùs auguſtum nomen, ac regia ornamenta conſpurcans, quæ porrò magis pudenda per id temporis erant, ac reprehendenda Regi cùm ab ætate jam grandiori ſcurriles inter has levitates nullam, ut anteà, excuſationem acciperet. Hæc, & talia Comiti Odemiræ comperta ipſius in primis animum cruciabant cùm Regem dolentis puerorum deliramentis, indigníſque voluptatibus irretitum, tum maximè quòd jam vitio labentis Principis culpam in ejus vitæ magiſtrum errore populi transferente, ipſius quoque periculo, ac publica nota tunc videretur peccare Rex. Igitur Comes, ſuæ ut etiam famæ, decoríque conſulerer Regis, impavidè ſemel locum, ea ubi colluvies præſente Rege debacchabatur ingreſſus, probris, miníſque vehementer congeſtis plebeiam turbam exegit, Antoniúmque ut illorum criminum caput, terrore quoque mortis injecto, Regiæ ab ingreſſu ſeverè prohibuit. Rex autè rubore ſuffuſus, fractóque pudore

vultu, ac tacitus ceſſit, verecundia ac re illa improviſa ipſum præpediente, ne offenſionem manifeſtaret; ea tamen altius pectori ejus immiſſa cùm iræ ſuſceptæ, & quotidiè in Rege creſcentis indicia ex geſtis, ex ore clarè manaret, tunc, qui etiam per rimas inſpicere ſolent in aula occultos Principis ſenſus, occaſioníque imminere, ubi vergere in illo Odemiræ Comitis gratiam agnoſcunt, alii Regi adulantes, alii magiſtro invidentes, multi ingenita levitate, ac rerum novarum ſtudio regias ad aures inſtillare ſenſim incipiunt. *Regum libidinem ſibi eſſe legem, aut vi legis ſuperiorem, ſummæ fortunæ ſummam congruere licentiam; fallacibus monitis velle ſæpè privatos homines Principum libertatem, ſi parerent, obnoxiam, ſin minùs, formidine adſtrictam, ac ſi melius res cecidiſſet, omnino imminutam alienóque ſubactam arbitrio.*

His, & ſimilibus argumentis improbi homines eam quæ in ſe ipſa ſatis inflata, ac turgida erat, inſuper Regis vanitatem implentes denique obtinuere, ut Rex in dies acriùs Odemiræ Comiti adverſus in Antonium Contium Regiæ quamprimùm, & ſuo conſpectui reddendum imperio, ac minarum ſimul terrore perſiſteret. Ea planè res hæſitantes, ac triſtes, multiplicíque malorum cogitatione diſtractos diù Regis magiſtrum, matrémque tenuit; nam ſolutis regiæ libidini frænis, Regem, regnúmque perditum ibant, his verò utcumque contractis, periculum impendebat, ne eos Rex, & deteriùs animi impatientia, ac ſuprema poteſtate diſrumperet. Diutiùs idcircò imminentium horum malorum collatione, ac propè menſura perplexis, cunctantibúſque cùm minùs è malis eligere malum liceret, placuit tandem remotum ex Antonii familiaritate periculum, cui aliunde forſitan videbatur, quod multa ſupplet, ſuccurrere poſſe tempus, poſt habere periculo proximo iræ Regis, ni deflagraret, in monſtrum aliquod erupturæ. Revocatur itaque Antonius Contius, nec modò Palatio, ſed Regis etiam familiaritati, ac fiduciæ, ut eluctatus difficultates, victórque ipſe æmulorum arctiori vinculo reſtituitur. Arqui cautior deinceps ſuo capite factus Antonius, & quaſi periculis eruditus circunſpectionem, falſitatem, ac tacitos dolos adverſus Alfonſi matrem aſſumpſit, didicítque inter aulæ fragoſa, & abrupta, ne pes inſtabilis falleret, acuendum potiùs ingenium, quàm genio indulgendum, aut inflandum animum eſſe. Introſpexerat ille Regem ad turpia non ſolum, ac fœda, ſed ad fera quoque & crudelia ſuo animo pronum, impetúque naturæ præcipitem. Sciebat etiam plus hærere cuique dedecoris ex corporis petulantia, ac laſcivia; plus terroris, ac fugæ in oſtentata ſævitia eſſe, cujus ſi ſpecimen Rex per ſeria, vel joca palam exhibuiſſet, aulicis inde formido, ſibi, Regíque loco ludibrii orta ex timore ſecuritas pararetur. Hoc pravo ſanè conſilio ad diverſa, eáque trucia exercitia, atque otia transferens Regem Antonius Palatii inter ambitum ludos inſtituit, in quibus feroces, ac rabidi canes, equíque ſimul indomiti aliis cum pecudibus concurrentes ſeſe invicem morſibus, unguibus, ungulis, calcibus laniabant, & proterebant; illíque extra ſepta ſuo interdum impetu effuſi etiam homines lacerabãt, applaudebátq; ſpectaculo vulgus, quaſi in Regis, aut populi voluptatem homo diſcerperetur. Statuit prætereà in ampliſſima Regiæ planitie quædam certamina funditorum, néve inanis barbarus labor eſſet, præmia concertantibus poſuit. Hinc ab errantibus ſaxis plerumque deprehenſi, qui urbis ſemitas ambulabant, & corpore afflicti livores, membrorum

brorum contuſiones, & vulnera, nec rarò mortem in joci gratiam ſubibant. Quin & cæteri juvenes exemplo Regis arrecti cruentos hos ludos variis in urbis locis agebant; ita porrò velut in partes diviſa civitas lapides undique pluere, funditorum diſcurrere turbas, & per eas conventicula, vias, urbana opera diſturbari, cruentarique in tranſitu cives conſpiciebat. Adeò raptare poteſt puerilis etiam levitas Regis, adeóque homines rectè, vel ſecus Regis ad morum imaginem effinguntur, cùm affecto Alfonſi Regis ingenio hæc noxia alimenta præberet Antonius. Remiſit hunc poſt aliquantulum, niſi prorſus barbaricum morem ſolvit ars interpoſita gladiatoria, qua, Odemiræ Comite inſtante, tunc primùm ſe Rex imbuendum inſigni laniſtæ tradidit. Hujus enim diſcendæ artis opportunitatem cùm amplexus eſſet Antonius arma uſu illicita, occaſione periculoſa, nocendi acumine varia, & inſignia, quæ clam, & abundè in Palatium convecta aſſuetudine, & uſu quoque ſuopte ingenio ferocem Regis indolem irritabant, docuit ille frequentiùs, libentiúſque tractare Regem. Erat & horum malorum acceſſio, quod malè, vel benè moratorum adoleſcentium gregi, qui frequentes ad Regiam ibant, colludentem ſpecie videndi Regem, aut cum ipſo digladiandi, alios furtim miſcebat Antonius, nimirum gerrones, ſcurras, ſicarios, profligati pudoris homines, qui cùm mala multa feciſſent, plura tamen, tanquam commendationem à ſcelere peterent, ipſi feciſſe jactabant, quàm fecerant. Ex peſtifera horum hominum conſuetudine, & uſu didicerat Rex, in laude crimina poni nullum eſſe diſcrimen inter magnam infamiam, & famam, ſive terror ab illa, ſive laus ab hac captaretur; temperãtiam, pudorem, juris æqualitatem, atque modeſtiam non à ſpiritus celſitudine, & morum, animíque concentu, ſed ab inertia, metúque pœnarum, & contumeliæ fortuna duntaxat, & animo abjectis, fractíſque hominibus gigni, & jus impotentes utplurimùm appellare, & cùm ſordes exuerint, negligere; inter opes ſtrepitúmque fortunæ cedere in melius omnia, & omnia Regum libidini conformari. Ea petulantium effusè juvenum, & perditorum conflata manus, perpetuò quæ erat regio lateri affixa lutulentis his moribus maculans, impúſque dogmatibus influens in animum Regis, quod illi ex morbo ſupererat humanitatis, & lumen judicii, aut veſtigium honeſtæ famæ ferè in totum extinguere viſa eſt. Stupra enim, & cædes, quæ Uliſippone ab illis exercebantur, quia impunè, nullo prohibente, & frequenter eveniebant, & ea impedire, ſi vellet, facilè Rex potuiſſet, ut malignior ſemper interpres garrire ſolitat vulgus, ab eodem Rege probata, aut præcepta, aut gratia ejus quæſita ſcelera vulgabantur. Criminationes ex eo publicæ in Regem, & acriora paſſim gliſcebant in urbe Principe odia, & ſe extra quoque jactabãt, quíque prius per ſe levis, obtuſi, ingeniíque volubilis nota, & ſuis inſitis viriis, alienis modò flagitiis apperebatur.

Eadem in Regia, iiſdem temporibus Petrus agebat Regis Alfonſi frater, ætate minor, indole melior, ingenio excitatior, & cultior. Aderat etiam utriuſque Aloiſia Guſmana mater, & minus profectò illa rationibus prolis, quàm imperio, & aulico faſtui, fumóque ſervandæque ſibi potentiæ in actionibus tribuens. Hæc filiorum diſpares mores, & habitum fœmina intuens anxio ſecum animo volutabat, qua ratione, qua induſtria inter hujuſmodi corruptelas, & illecebras vitiorum fratres amore domi conjunctos, errore disjunctos haberet; néve alterius indoli exemplum,

néve naturæ officerer diſciplina; ſocietas enim, & conſuetudo majoris minoris candorem inficere videbatur, duriores etiam conditiones, & odia adoleſcentibus illatura tanquam invicem ſe caverent, & ſe invicem ſuſpectarent, videbatur diſſociatio; quas conſuetas inter æmulos fratres diſcordias caſu, vel genio, vel ambitu gradus exortas hîc inſuper regni certamen, ac præmium in medio acerbius quidem inflammaviſſet, & quod in re miſerrimum eſſet, ea propè ſcena ſubjecta oculis potentiſſimi Regis, & hoſtis, qui Luſitaniæ ex fratrum diſſidio, atque odio influentes calamitates in ampliſſima regni ſui commoda converſurus fuiſſet. Hæc agitanti, quanquam rerum extrema vitando cum moderamine, & cura utriuſque fratris diſpenſare congreſſus, notare colloquia, limitare convictum, ut poſteà peregit, fœminæ placuiſſet; Petrus tamen omninò parciùs fratris congreſſu cùm uteretur, difficilè utcunque poterat illas offenſiones, animíque amaritudines declinare, quas morum diſſimilitudo, ingeniorum inter fratres diverſitas, & oppoſita ſtudia contraxerant. Dum enim fœda ſua Rex, ſuorúmque ſatellitum opera commendabat, ſuſpecta laus, ingrata fratris minoris reprehenſio erat, ſilentium deteriorem in ſenſum detorquebatur. Utrique prætereà ſtudio, vel joco cùm altercari contingeret, refelli dolebat Alfonſus, fratríque minori primas concedere ingenii; ſi gladio ludebant, ut corpore agilior vincebat Petrus; in aliis etiam certaminibus ludicris fortunæ præſertim arbitrio, nutúque pendentibus, velut hæc retruſæ in futurum, atque intus abditæ gloriæ quaſdam per rimas quaſi ſcintillas effunderet, utplurimùm Petro favebat. Ita porrò quidquid diceret, quídve ſeriùs, aut ludibundus efficeret Petrus, ut ingenii acumine, eloquio, ac fortuna ſuperior dolore invidiæ, atque ſtomacho Regem fratrem paris ſibi, nedum majoris impatientem urebat; atque ira perinde coïre inter ſe, ac uſu dirimere fratres moleſtum, & anceps erat. His acceſſerant adulatores, delatoréſque & cæteræ labes, & aulæ monſtra, quorum ut quiſque ſtudio, aut ſervitio fratrum alteri proximus, & fortunæ quoque implicatus ſuſtulerat ſpes, ex præcipitio cujuſque fratris altiora ſibi emolumenta quærentium, alius quidem Petri animi, & corporis dotes in regni contentione terribiles Regi repræſentabat, alius Petrum concitando inflammabat, diutiùs videlicet tolerandum minimè fore ingenuis hominibus Regem furioſum, mollem, enervem, omninò fatuum, nec minùs animo arentem, quàm corpore. Hoc, & ſimili quoque modò præ æmulatione, atque oppoſito ingenio ſua ſponte jam diſſidentibus fratribus, turbulenta inſuper aulici ſemina jaciebant, quibus perpetuas ex diſcordiis diſcordias, & majora ex minoribus mala cum exitio publico elicerent. Efflorebat intereà, quæ ejuſdem artibus alta, ac mirificè culta quotidie augebatur, gratia Regis Antonius Contius, cúmque ipſe ſciret in illo faſtigio natalium præcipuè ſqualore ſe vilipenſum haberi, curſum quem nimis propitia fortuna monſtrabat expeditiùs perſecuturus, cùm eſſet Ventimillia oriundus, quæ in Januenſi ripa maritima ſita eſt, cognomen, ac patriam mentitus illuſtre in Sicilia Vigintimillibus genus per venales adhibitos teſtes, & tabularum fidem corruptam errore nominis intercepit. In ſtemma proptereà, atque inſignia alienæque familiæ ſplendorem, ac nomen furtivus invaſit. Igitur extra alia, quæ circunfuſa illi blandimenta fortunæ erant, utpote novi etiam aſſumpti generis arrogantia ſubnixus ad altiora contendens Antonius, tanquam abſterſæ jam ſordes

des eſſent, quæ illi exprobrari tantummodò poterant, ſtudioſiùs idcircò fovere, atque intendere cæpit in Regia partes, in negotia publica irrepere, Regem à matre, atque fratre jamdudum animo averſum, ac reluctantem alieniorem quotidie per cumulatas inſidias reddere, eóque per opes, aſtúſque vir ille proceſſit utplures in aula graviùs Antonio primùm infeſti, & qui ejus moliri ruinam tentabant, ubi ipſum jam vident in gratia Regis, in apice rerum hærentem, & matris, fratríſque regii, tótque æmulorum ictibus inconcuſſum, ac ſtabilem, mutata deinde ſententia in ejus partes æquo animo tranſeuntes ſeſe unà cùm illo ſuſtentare curarent, quidam, ſed admodum pauci, quos nempè regni, Regíſque tetigerat cura, ut ex præſentibus malis, ſi utile quidquam foret, decerperent, conſultò obſequerentur Antonio, ad hoc, ut per illum inflecterent Regem, quod ratio, & cauſa reipublicæ poſtulaſſet. Interim ætate, atque robore corporis Rex adoleverat, cœperátque jam acriùs venereis ſtimulis pungi, & quod deerat ingenio, ſive aptitudini ætatis eſca, & inſidiis explebat Antonius haud inſcius; nullo hoc venereo arctiori teneri nexu, trahíque ſuperbum Regis arbitrium poſſe, immanémque famæ & honoris, quæ ambitio dicitur, bellua, & quæ tanta cum Orbis clade, ac fragore in Principibus furit, amoris tantum veneficio ſopiri poſſe, aut imperio domari.

Erat tunc Regi intra Regiam unà cum matre Aloiſia convictus, aſtabántque regiæ matri Aloiſiæ de more ſervitii cauſa, conſuetíque oſtentationis obſequii pulchritudine eximiæ claróque genere Virgines commendatæ. In earum nonnullas teneriùs, ac dulciùs quàm antea ſolebat injicere Alfonſus jam cæperat oculos, & illorum præcipuè jocoſo, ſeu familiari colloquio magnopere delectari, & quanquam ob matris timorem palam animi rigor, faſtidium utrinque vultúſque gravitas fingebatur, vibrantes tamen lubricè oculi, & ſupercilium quandoque repentè laxatum cordis interdum ſecreta prodebant. Intererant etiam furtiva munuſcula, & plura viciſſim amoris ablata, ac reddita pignora, tum litterulæ, & amatoriæ contentiones ſæpè compoſitæ, ſæpè reſciſſæ, & amoris ſubinde incremento reſartæ, eóque ea juvenilia decurrerant otia, ut locus tantummodò, aut pudor, aut temporis immaturitas videretur impedimento eſſe, ne verecundiæ, ac modeſtiæ, quas liberalis comíſque mos aulæ in amatoria lege præſcribit, pudicitia fines tranſgrederetur. Cognitum hoc Aloiſiæ, ſimul animo volvens quantum ponderis, atque gratiæ muliebri nimíſque in ſe affectæ fragilitati venereo in eo ludo fuiſſet Regis inſuper fulgor, ac dignitas adjectura, famam præterea noménque Regis palam ſatíſque proſciſſum, matris quoque ignominiam, ac dedecus congeſturum, ſi illuſæ fortaſſe Regiæ, polluti tanquam ſacrarii odor extrinſecùs emanaſſet, quò filii exiſtimationi, ac notæ quoque domeſticæ ſubveniret, in aliam à ſua ſeparatam Palatii partem tranſtulit Regem filium, illíque diviſim regium obſequium, & cultum, regiámque familiam, citiùs propterea, quàm ſecum ipſa ſtatuerat, ex regni optimatibus poſuit. Hoc verò propè coactè ſuſceptum ea tempeſtate conſilium, & de die in diem per ambages longo tempore ductum callidè hucuſque Aloiſia protraxerat, ne regia ſcilicet pompa, atque ſtrepitu circunfuſus Alfonſus, & ſpiritu idcircò, animóque inſolentiùs quàm adhuc ſe ipſe jactaſſet, erectus, celerius eriperet illi gubernationem imperii, quod tutelæ nomine temperabat, néve ad hoc etiam

Alfonſum famuli proceres perpetui ejus comites incitarent, publicarum nempè partes curarum pro ſervitii merito repoſcentes. Cæterùm. ipſa Aloiſia quod hactenus ſibi à magnatibus caverat, cùm graviùs à Contio, & clientibus ejus tunc impendere proſpiceret, cúmque filium etiam videret, tranſverſis hominum ſordidorum veſtigiis abreptum ruere ad aliud ab alio flagitium, & nec Regiæ quidem honori, nec dignitati maternæ parcere, comparatione periculi minus dolendum exiſtimavit, ſeſe, utrinque invidiæ intumeſcentibus fluctibus, dum clavo aſſideret, illiſam, cùm ire ſemel præcipitem oporteret, à magnatibus potiùs quàm hominum fæce devolvi; & interim bonis Rex moribus erudiri per viros nobiles poſſet, & ipſa quoque ſeducto Rege, familiæ ſuæ cui potiſſimùm incumbebat, pudicitiæ conſulere. Sede propterea in Palatio mutata Regis, eíque magnifico, & valde lauto, quod Regi par erat, famulitio, cultúque præſcripto, inter eas venerationes, & adorantium hominum turbas velut Rex experrectus inſolito quodam mote aliquibus viſus, aliis, & veriùs tegere potiùs, quàm radicata jam vitia diſcutere. Aſſiduus enim ad latus erat Antonius Contius, qui cùm effuſa morum licentia, ac libertate vitæ gratiam Regis adeptus eſſet, impigrè operam dabat, ne iis, quibus cæperat, ſuccreverátque malarum artium ablatis ſortè ſubſidiis, illa ſenſim dilaberetur. Igitur hoc incitante, hoc hortante, hoc eſca, & illecebris, blandiente, pertæſus tandem Alfonſus illud procerum ſervientium obſequium, & conſuetudinem effrænatorum, & vilium catervas juvenum, quos pauliſper non Regis, ſed procerum verecundia retraxerat, iterùm appetebat, prætextus, & cauſas idcircò ſæpè nectebat Rex, quibus juſſi redirent, ſuetáſque genio delitias, & corruptelas ætati ſuppeditarent. Frequentiùs ſe Rex cum illis hominibus exercebat, equitando, venando, gladiis, aut jaculis colludendo: at ludus armorum ſæpè cruentus, temeraria venatio, curſus equorum adeò ſemper violentus, ac præcipitio proximus erat, ut altiori intellectu nonnulli, quibus omnia Principis dicta, ſeu facta totquete myſterio mos eſt, intelligerent, velle per eam laborioſam, ac nimis, lubricam vitam Alfonſum ſævitia timorem animi, inſolentia laboris defecti corporis vitia diſſimulare. Semel præſertim in vaſta ultra Tagum planitie, cùm admiſſo curreret equo, ſtolidéque ut ſolebat, homines pecudéſque laceſſeret, jam ira ſpumantem, pulſúque pedum, ut priùs laceſſitum, ſe contorquentem in taurum incurrit. Aberant tunc ejus comites aulici, non enim tam facilè obliquas, & celerrimas fugas Regis, devióſq; tranſcurſus plerumque ſectari poterant. Taurus verò primùm Regis clamore, ſtrepitúque irritatus, inde haſta ictus, ut eo vulnere rabiem, irámque totam collegit infeſta cornua in equi ventrem impingens equum, Regémque proſtravit, ac fœdè illo impetu afflixit. Ad ſpectaculum, quod animos procul, oculóſque percuſſerat convolant proceres Regémque inveniunt jacentem, ſuo, equique ſuſoſſi cruore perfuſum, membris confractum, eóque horrore, ac ſtupore mortis attonitum, torpentémque, ut non mens illi, non color, non verba ſatis omninò conſtarent. Mox in lectica poſitum Regem, & cuſtodia vallatum Uliſipponem reducunt. Eo infortunio, ac ſimul periculo Regis ſtatim per urbem diffuſo, eóque amplius rumoribus aucto, cùm planè tota commota, ac perturbata civitas eſſet, ad Regiam confluxit, nec priùs eo loco receſſit, quievítque obſtrepentium, quærentiúmque tumultus, quod vulnus urgeret Regem, quam denique innotuit

tuit meliùs ſe habere Regem, & minus ei detrimenti, quàm metus fortuitam rem intuliſſe. Alfonſus quinquies mox ſecta vena convaluit. Cæterùm hujus temeritas exitus, ut clarius efferatum animum Regis, & cujuſque periculi contemptorem, miſtúmque audaciæ furorem oſtendit, tantum terroris famulis ejus incuſſit, ut nemo illi in poſterum diſſentire, aut ulla in re contradicere auderet; imò verò in ipſorum ſecuritatem cùm omninò quoque tacere non licuiſſet, res ſerias facetiæ, vel ſales ex compoſito eluderent, aſſentatio, & mendacium in gratiam Regis repeteretur. Ita ſuo ingenio æger, & aliorum nefario circumactus arbitrio Rex in ipſo exardentis ætatis impetu, æſtúque ad exitia, & dedecora, nullo tenente, prolabebatur. Uſus equorúmque tractatio delectabat in primis Alfonſum Regem, & quò erant illi ferociores, eidem magis placebant. Evenit cùm Rex ipſe errabundus & à comitibus ſeparatus, ut ſui moris erat per agrorum latitudinem curſitaret, ut in agreſtes homines quoſdam qui Uliſipponem, ſole occidente, pergebant, incideret. Curſus celeritas, habitus, à famulis, à proceribus ſolitudo tantæ majeſtati diſſimilis perſonam Regis abdebant. Nihil illi propterea minus eum quàm, qui erat eſſe credentes, inſalutato, Rege prætereunt. Tunc Rex aut iratus ſe non cognoſci, aut ſuæ, ſicut ſolitus erat, temerariæ oſtentandæ virtutis cupidus impulit equum in homines, nudo illos, quem elatum manu gerebat, gladio vel belluæ per molem, & curſus impetum oppreſſurus, ſed cùm ipſe tumultuariè, nimíſque celeriter ſeſe in ictus componere vellet, pede tunc fortè ſtapeda implicito in planum ſeſe conjecit, ſtrictóque mucrone plenus minarum, plenus ardoris, & iracundiæ, manibus, voce viatores ad necem petebat: Hi gladiis eductis, & neſcii à quo peterentur in defenſionem incumbunt, & cùm circuire, ſtatímque confodere, quia plures in unum coierant, facile poſſent Regem, occulto quodam inſtinctu ac tacito afflatu modeſtiùs, ac mitiùs agendo jure tutelæ utebantur. Inter hæc ſupervenit Garcia Melus primarius famulus Regis, qui, & Regis intellecto periculo, & ſimul hominum ignorantia quo Regem decoris, officii ſubditos commoneret, ſublato clamore procul increpuit, nequaquam fas eſſe Regi inſontes ſubditos interficere. Viatores ad nomen Regis exterriti propè attoniti primùm hæſerunt, ac ſtupentibus ſimiles, collecto ſubinde ſpiritu non metus, nec pudor tamen jam cogniti Regis ſupra ſalutis memoriam, & curam hominibus valuit ut ipſi ſtatim arma deponerent, cùm torvus, & minax & toto corpore concitatus adhuc premeret Rex, ſed retrorſum paulatim, & cautè cedentes, & in vacuum arma jactantes, ut hinc elabendi ſatis intererat ſpatii, tunc gladiis projectis fugam arripiunt.

Hujuſmodi vitæ diſcrimine explicitus tandem Alfonſus, nec ſuo periculo edoctus in aliud ſe ſtatim implicuit, nec præterito minus periculoſum. Inde quippe nocte intempeſta digreſſus cùm ad urbem contenderet per iter audito, in cujuſdam hominis rure, quod in tranſitu erat, equos indomitos paſci, in eos habendi cupidinem actus, illuc, ut equos abduceret properat, cùm tamen in vario, & inconſtanti quidem ingenio ſtudia, affectúſque inter ſe diſſiderent, rerúmque ſapor, & guſtus ſatietate, ac licentia corruptus eſſet, eodem quoque tempore Regis cùm fortè comes ad ejus aures inſuſurraſſet, contra idem rus in religioſorum quorundam cœnobio feroces, immanes ineſſe canes, & venatui fetarum aptiſſimos, equis, quos adeo anhelabat, omiſſis, canes petiturus divertit, noctúque

que magno fragore, atque ſtrepitu fores cœnobii pulſari juſſit. Regem ad oſtium eſſe ex ea virorum frequentia, ac tumultu haudquaquam, fallebat homines cœnobitas, ne eo intempeſtivo tamen, ac turbido ingreſſu ædes præcipuè ſacræ, horáque ſilentii lege ſancita perturbarentur, callidè ſe ſimulabant tot lapidum lignorúmque multiplicis ictus, quo impactæ fores undique perſtrepebant nihil audire. Rex gravius idcircò commotus, & ira cujus impotens erat inflatus januis ſtatim effractis per vim in cœnobium irrumpi juſſit. Proceres ludificare Regis imperium, fingere cuncta quæ ad vim opus eſſent, per moras, per aſtus iræ Regis eludere, dúmque ultrò, citróque volvuntur tanquam oſtio evellendo, aut ſcindendo opportuna inſtrumẽta quærentes brevi illa mora interpoſita feſſus Alfonſus inde ſe ſtatim & ſolus avertit, adítque temerè viam quà Uliſipponem armati tres homines ibant. Hos ubi venire videt Alfonſus ſolitis ſubitò furiis inſtinctus primùm convicio laceſſit, deinde diſtricto aggreditur gladio. Nulla erant in Rege ſplendore, verbis, inceſſu ſupremæ dignitatis indicia, & ſi aliqua forent, noctis obſcuritas obruiſſet. Illi igitur à privato ſe inceſſi, & privatum ſe inceſſere ſiſi, ſimul petulantius effuſæ contumeliæ ſtimulo perciti, gladiis acrius erectis defenſionem, ultionémque repetere parant. Rex ibi ſolus pugnando erat, ſimul altera manu debilis, tum in actione, & corporis motu ocreis, & calcaribus impeditus, in quos inciderat homines, hi numero ſuperabant, & corpora agiliores, vegetioréſque ſeſe in conflictu circumagebant. His porrò expeditiùs, & fortiùs rotantibus gladios, cecidit tandem Rex geminato vulnere ictus, ipſúmque proſtratum, cruore fluentem, & animo penitus deſtitutum reiteratis iidem ictibus confeciſſent, eò niſi fortè, qui Regem quærebat rixantium, ac ſeſe collidentium gladiorum ſtrepitu admonitus currens repentè famulus proclamaſſet, Regem eſſe, qui cecidiſſet. Subinde regii alii famuli, proceréſque conveniunt, quos ille afflictus, ac mœſtus intuitus ſe moriturum aſſeruit, tum ira ac dolore vulneris ardens atrocibus minis, & multo plus de ultione, quàm de ſalute ſollicitus infremebat, ſed jam ignobiles homines ad vocis terrorem, quæ Regem prodiderat, fuga præcipites evolaverant, ſimul tacitè res excuſabilis nec omninò inquirenda optimatibus videbatur, quòd temerarium adverſus Regem, per tam multa ſe ſpontè pericula volutantem, ac ſubditorum ſanguinem ſtolidè ſitientem, brevíque ideò ſua ipſum, vel manu alterius interiturum, juſtam unuſquiſque defenſionem opponeret. Itaque clam, atque ſaucius Alfonſus noctu in Palatium delatus eſt, ſevero, metúque mortis ſucceſſus indicto per aulam ſilentio, ne in omne nefas quotidie ferè labentis, & cum dedecore, ac nota regnantis adoleſcentis populari cum odio creſcente ludibrio vulgus concitaretur, aut aliquando fidem mutaret. Inſpectis deinde vulneribus, nec his lethalibus cognitis, curatíſque ſaluti ſe priſtinæ Rex, priſtiniſque ſe moribus reddidit. Cæterùm non parentis, non fratris, eóque minus famulorum animus ſuſtinebat [illegible]d extremam uſque perniciem cr[illegible]n [illegible]eprehendere Regem, adeò volubili ex ejus pronóque nimis ad iram animo creverat omnibus metus, horrórque. Mater tamen cùm prudentior fœmina eſſet, & ſanguinis jure conjunctior cum gravitate, tum rei fœditate perculſa, & quia per filii Regis ſalutem tot invidentium varietate caſuum ambiguam non parum ab ipſa ac tota republica petebatur, idcircò providit, ut filius per ſtatus Senatũ verecunda quadam reprehẽſione ac publico

blico

blico nomine moneretur. Itaque ſtatus Senatu Regem conveniente Dux Cadavalius ejuſdem Senatus Princeps ſua, & collegarum præſentium auctoritate „ in hunc modum locutus fertur. Eos „ Senatores, quos jam ipſe videret Regis pedibus provolutos, & ad quos „ bona, aut mala quæq; reipublicæ maximè pertinerent, proprii ducere officii eo tempore orare, atque obſecrare „ humiliter Regem, ut mores mutaret. „ Huc etiam matris, fratriſque regii, „ huc omnium regni adminiſtrorum, „ ſubditorúmque communia, & aſſidua „ collata eſſe vota, precéſque ut ejus ſcilicet vitæ conſuleretur à qua omnes „ omnium penderent, & quæ omnes „ ſecum, & ſæpè tot lapſibus traheret „ in caſum, & ſuis quoque irritatis periculis immiſceret, cùm ita præterea „ ſuæ deberet ſalutis tenacem, & parcum vivere Regem, ut neque alienæ „ quæ eidem maximè incumbit, profuſus ſit. Tantam quidem aviditatem, voluptatémque ſui ipſius dandi, & ſubditorum ſanguinis hauriendi, quos pro filiis habere deceret, & „ qui fortunas, qui ſæpè cruorem, & „ vitam in acie pro Principe fundunt, „ crudelem ingratitudinem, & impietatem ſanè maximam redolere, & nedum Luſitano, ſed etiam quocumque Rege Scytharum, & in extrema „ Barbaria genito indignam. Ita quoque alium alio ſubnixum, ac neceſſariò complexum pro ſecundo regiminis curſu debere cum Principe ſubditum eſſe, & ita ſe gerere utrumque „ oportere, ut ſi deeſſet alteri alter, aut „ hinc vel inde quandoque reſpublica „ claudicaret, regnum omninò ſubverteretur. Hunc autem civilis concordiæ nexum, vitæque civilis prope modum ſpiritum, qui amore commiſſus, atque conflatus eſt, odio diſſolvi; ídque ſummum apud ſubdítos cumulari, ubi ſævitia, turbulentiſque geſtis, & per terrores jactata „ potentia, ſperni Rex potiùs, quàm „ commendari, & metui, quàm diligi „ malit. Nullum eſſe profectò animal „ quod homine aſperius ſervitutis recalcitret jugo, & quod magis ipſum regendi ſcientiam, ac diſciplinam ludificet. Quid ſi ingenitæ contumaciæ, atque in arcto prementi ſe „ ſe libertati, obluctantíque non naturalibus frænis contumeliæ tu quoque „ & injuriæ irritamenta ſubjeceris? Aut deflectendum à via iſta lubrica Regi, „ aut univerſum profectò regnum collabentis ab apice Regis ruinam, & „ pondus afflicturum fuiſſe. Daret „ hoc Rex egregiæ matris, fratriſque „ immiſtis precibus lachrimis. Daret „ imperii, ipſiúſque miniſtris, quorum intentæ nequicquam vigiliæ, ac „ fruſtra jactatus in actionibus labor „ contemptu Principis eſſet. Daret ſibi, „ totíque regno, quorum communis in „ republica vita, & individuus propè „ ſpiritus eſſet. Secus utique fore, niſi hæc quàm citò emendaret ut graviùs, ac ſerò mox pœniteret. Hæc „ Cadavalius Senatus nomine. Durius tamen opinione percepta erat via ab illa prava, & longa aſſuetudine trita deducere Regem, quem non ætas, non vis rationis, non fortunæ conditio adjuvabat. Obſtabat etiam Antonius Contius, & corruptarum ejuſdem partium fœda colluvies, quæ illum bonis monitis ſurdum, & vitiorum illecebris irretitum, ac propè obcæcatum tenebant. Eſt & altera quoque in multis Regibus macula, & nota, ſcilicet obſcurioris, quàm clarioris conditionis hominibus gratiores plerumque porrigere aures, in minoris enim ſortis hominibus ſimplicitas quædam oblectat, naturæ candor amatur; in altioris verò metuitur prudentia, cavetur diſſimulatio, ac ſi quid liberiùs audire, vel dicere contigit, ſuffunditur pudor.

pudor. Obtinuit hæc tamen admonitio Senatus, non ut mores Alfonſus, ſed ut vitia mutaret, & à Martio quodammodo illo ad Venereum incendiũ graviùs, quàm antea relaberetur. Cœpit igitur Rex in poſterum inter epulas, ſcorta, & hujuſmodi voluptates illicitas volutari, quod ab initio minùs dolendum viri prudentes exiſtimabant, ut in ſpem ex eo adducti, quod rigidum illud, ac penè ſubruſticum Regis ingenium potuiſſet fortaſſe venereis ictibus emolliri, ac ſuavitate mulceri, perinde, quaſi non ita affinia inter ſe, & cohærentia delicta eſſent, ut aliud ab alio fluerent. Itaque Antonio Duce, & hujus aliis tegentibus latus, aliis turmatim, & ponè ſequentibus, quos ad ſcelera omnes morum ſimilitudo contraxerat, noctu per Regiæ pomarium egreſſus Alfonſus, armíſque ſuccinctus urbis ſemitas peragrabat ad mulierculatum quærendas undique domos, quæ decus, & corpora proſtituerant. Hæc verò cum tanto tumultu, atque ſtrepitu Rex, ejúſque erroris, & imprudentiæ comites agitabant, ut multò plus amores, atque delitias horrere Regis, quàm his delectari, quanquam adeò libidinibus pronæ Uliſipponenſes fœminæ cogerentur. Vias enim, & calles fortè prætereuntes variis moleſtiis, & contumeliis afficiebantur, huic verbera, illi vulnera inflicta, alii amatores minis, alii gladiis abſtracti à fœminarum complexibus erant. Ad ſummam, ſi ad inferendam injuriam impunitas valet, eam quaſi Rex imperabat; ſi vis aderat turba ſatellitum, ſi ingenium, & uſus, pudorem, famam, conſcientiam omninò illi per ſe ſceleſti ſcelerum ſtudio, & conſuetudine attriverant. Sic porrò velut capta, direptáque urbs, aſſentiente Rege, Vliſippo ludibria, dedecora, & cædes nonnunquam humentibus oculis inſpectabat. Hæc verò tam impunè peccandi, graſſandíque licentia, quam velut furta, & inſidiæ à principio, noctíſque latebræ contegebant, paulò poſt vires audacia, ut ſæpiùs exercita colligente, petulantius in lucem erupit, & in publicam contumeliam, námque ad Regiam interdiu greges pellicum ventitabant, nonnullas Alfonſus extra Regiam quærebat, verſiſque rerum nominibus, quæ procacitas erat, ac turpitudo ut animi vigor, & liberalitas jactabatur. Contigit ſemel præſertim, cùm Regi quidam puellæ pulchritudinem oris, & corporis habitum commendaret, & inſuper diceret ad Divi Auguſtini, quod eſſet ibi celebritas, affuturam, non oculis amor, ſed auribus caperetur, ita ad incognitæ deſiderium arſiſſe, ut protinùs Rex cum Antonio Contio, & Franciſco Sequeria in lecticam aſcenderit, petíque raptim laudatam fœminam juſſerit. Venit ad templum Alfonſus, ibíque poſtquam audivit, indealiò abſceſſiſſe puellam, eamdem ipſe perſecuturus illuc ire perrexit. Præcipiti curſu, jubente ita Rege vehiculum ferebatur, cúmque in aliud, dum iret, offenderet, in quo erat Martinus Correa vir quidem nobilis, ac bene de Rege meritus, ídque à via ut celeriùs diverteret, acriùs lecticarii premerent Regis, inſolentérque in arctiori ſemita locum repoſcerent, orto propterea inter utroſque famulos jurgio, è conviciis, & probris ad arma tandem deventum eſt. Jámque tumultus, & clamor erat; iræ ſimul ut vulnera ardebant, micantéſque rorabant ſanguine gladii; hoc viſo, è Regis lectica Franciſcus Sequeria ab ea in qua ipſe erat Martinus deſiliit, opem uterque ſingularum partium hominibus collaturus. Rex hucuſque velis opertus, & abditus, ad armorum quanquam fulgorem, partiúmque jactationem ægrè ſe cogeret, tenerétque ſubſtiterat; at ubi incaleſcere pugnam aſpicit, ſuóſque

partim

tim amiſſis, partim de manu fluentibus armis inter fugam, aut interitum trepidare, ſuo ipſe impetu, ac furore pertractus è vehiculo ruit, in Martinum Corteam, ejúſque pectori fiſtulam ferream admovit, non tamen excuſſit, ſeu caſu, ſeu virtutis, ac meriti vi regiis conatibus interpoſita. Ille jam anteà ſaucius, nunc gladio projecto Regis pedibus advolutus, & in omnem venerationem ſubmiſſus, ac ſupplex ignorantiam tunc primùm comperti Regis excuſat. Ita ſalutem redemit; componitur rixa; Rex adhuc muſſans, nec in ſe ſatis ab ira collectus in lecticam reverſus eſt. Ea res, quia in urbe primaria, clara luce, frequenti loco, & leviſſima ex cauſa in gravis, lectíque intenta viri ludibrium, & cladem acciderat, magno regiæ famæ dehoneſtamento, atque invidia tum levitatem, & iram Regis, tum morum intemperantiam, ac dedecus criminantium vulgata eſt, matrémque Regis imprimis animo afflixit jure dolentem, & anxiam, ne perculſa fortè nobilitas uni eorum inuſtam publicè injuriam in communem contumeliam referret, ſéque palam contemni, atque indignè à furioſo, ac torpido Rege calcari, neu quid novarum in regno rerum exciret inſanus, vel malus palam ex actibus cognitus Rex, cùm tam ex fama mala periculum Regi, quàm ex bona incolumitas conſtet. Cauſa igitur accuratiùs cum regni adminiſtris excuſſa illorum conſenſu Aloiſia denique ſtatuit, otio, ac deſidia ſolutum, atque ideò fortaſsè tranſverſum ad impura, & illicita ablatum imbuere negotiis, curíſque publicis Regem, ſed perfunctoriè tamen, ſumma duntaxat rerum delibaturum, hoc maximè modo putans, ea honeſta per otia à turpibus curis avertere poſſe filium, nec ita allicere illum dulcedine imperii, ut matre tandem ſummota ſolus rerum potiri vellet. Palam itaque Rex unà cum matre Aloiſia ſubditos audiebat, cùm Status Senatus cónſuleret, cùm res ſeorſum mater decerneret libenter Rex aſſidebat, apparebátque ille mentis tumultus, animíque intemperies, ac propè tabes niſi planè correcta, aliquantulum imminuta, aut contrariis eluſa, ſive implicita ſtudiis; neque ob regiminis hauſtum in melius tranſlatis moribus Regis, qui rem unus turbare poterat, Antonius Contius adverſabatur, tempus jam ſibi veniſſe ratus regalis ſcilicet gratiæ, quæ adhuc aridum ipſum, & abſque præmio retortum inter tot periculorum, ac laborum jactaverat æſtus cum imperii apud Regem auſpiciis tandiù exoptatos decerpere fructus, artémque aſſentandi, qua penetrato Regis ingenio jam ſatis erat inſtructus, & qua eò potentiæ ſuffultus excreverat, ut laſcivientem, ſive furentem, ita quoque imperantem decipere poſſe Regem. Hoc conſilium cùm homini placuiſſet, & leve, ac ventoſum idcircò Regis ingenium ambitionis quoque ſtimulis excitaſſet, petere extemplò cœpit à Rege immodica ſibi, amicíſque, hoc ſibi in cauſa propoſito dolo; ſi enim Aloiſia mater annueret, ex voto res illi ceſſiſſet, ſin obſiſteret filio, cauſa, quam avidè quærerét, jam occurrebat Antonio, pervicacia ſcilicet odia, & acriora inter filium, & matrem diſſidia perpetuò diſſeminandi, augendíque, inter quas ſimultates, ac mutuas offenſiones in dies ipſe melior, ac tutior cum opibus fieret. Alfonſus itaque ab Aloiſia matre pro Antonio Contio primò popoſcit Ordinis militaris inſignia, inde alia aliis qui in ejuſdem partibus erant. Tum Aloiſia, cui nec abnuere omnia ne nimio rigore in ſemetipſam peccaret, nec omnia concedere filio licebat ne nimia indulgentia rem-

publicam læderet, ut ratione frangeret, quem nec jure materno, nec verecundia, quæ fragilis erat in filio valebat, rectè monebat Regem. Temerarium, atque præcipitem eſſe quidem obſcuri ad honores hujus hominis propè ſaltum, & inſolens incrementum, & in militaris ſubinde totius equeſtris Ordinis dedecus, & in ejuſdem perniciem hominis erupturum. Sic exhauriri quoque mercedes, ac regia evileſcere præmia, nec in poſterum utique fore, cùm ratio meriti exigeret, quod dignis muneribus viris retribuatur, aut qui etiam vir ipſe nobilis velit loco mercedis jam vulgatos accipere honores. Ita nunc Aloiſia deſideria Regis extrahere, & videre per moras, aſtúſque ſi ea fallere fortè poſſet, ſive in longum protracta ſpe ſuavia inter verba laſſare; ſuo ipſa prætereà ſtabilia conſilio, dignioribus eſſe tantum, & ſenſim, & parcè beneficia diſtribuenda, ne perſonarum conditio polluat, ne ea deleat oblivio, ne copia ſordeſcant; ſpes interim prolatari, mella interfluere verborum; ſuam eſſe ſpei eſcam, ſuam eſſe muneribus, ſuam lenociniis verborum gratiam.

Inter has Aloiſiæ cunctationes Antonius, qui ſatis mulieris perſpexerat animum virulentus, ac ſæpiùs in aurem Regis influere, quod fallaciter idem à matre in illo negotio data opera moras nectente per verborum ambages, ac temporis uſum irrideretur, ut iis effusè donis expletis, qui ejus partes profitebantur, nihil deinde Regis clientibus ſupereſſet, niſi mœror, ac pœnitentia regiarum partium ab ipſis inutiliter electarum, eóque re ipſa poſteà dedocti fortaſsè tranſirent, ubi paſtus ubertas, ubi merces ampliſſima honoris parata ſervientibus eſſet, & quidem æquè ſtultè, ac ſuperbè procedere matrem, quæ filio gratis negaret, quod idem & poſſet adigere imperio; & inconſultò quoque Regem acturum, ſi tunc vacuo, vel picto majeſtatis ſimulacro contentus alteri foret addictus, qui regiminis rationes, & fructus pro ſe, & contra Regem, & Regis amicos inflecteret, nec ſummæ fortunæ paris, altíque ſe ſpiritus retinentem oſtenderet, aut qui ſpem clientibus faceret, poſſe ſe ſimul, & partes cum gubernaculo imperii inter aulæ vortices ſuſtentare. His ſtimulis incitatus Alfonſus euſque minitando, exorando vim, & conatum apud matrem intendit, ut omnia, quæ ab illa petierat, pro Antonio denique extorſerit. In hunc modum Antonius Contius,qui adhuc mercatoris perſonam,ac nomen obſcurus in urbe tulerat modò ignobilis, modò nobilis, jam in numero eſſe, ac ſupra fortunam, & genus efferre ſe inſtituit. Inflatus propter eà,& atrogantiæ faſtúſque plenus, cùm gradus ſublimitas, & ſubitus oculis fulgor, eíque adulatio ſemper adjuncta velut caliginem oculis offudiſſet primi Regis miniſtri ſupercilium, ac ſpeciem jactare cæpit. Itaque apud aulam ad ipſum quotidie cernebant ambientium confluere turbas, ipſi aulicos adulari, eumdem regni miniſtros, ac proceres revereri,atque ipſum conſulere interdum negotia graviſſima regni, ne illa ſecus offenſus ſuperbia, atque inſcitia labefactaret. Eò poſtremò ſublatas Antonii opes, ſtrepiúmque potentiæ longè latéque diffuſum mirabunda Uliſippo conſpexit, ut Aloiſia Guſmana cui nec contemptor mulieri animus, nec imperioſus ſpiritus deerat, aut indolis celſitudo ad obſequii, & illecebræ nota quàm plurima ſigna, quibus Antonium illiceret, procubuerit. Eas nihilominus fictas, ac vi neceſſitatis expreſſas, & cùm primùm ferret occaſio in exitia, ac terrores volvendas illecebras eſſe cùm ſatis, ſupérque ſciret Antonius, contra blanditias blanditiis,& fronte contra hilarem frontem,

frontem, rerúmque inanium permiſſione eaſdem imitatus inſidias ſe diligenter præmuniebat. Igitur prolixioris officii, atque fiduciæ ſpeciem Regis erga matrem oſtentans Antonius Contius, ſimul ad regni, aulæque tenenda inſtrumenta converſus factiones, & partes in eadem aula fovere, atque extendere ſatagebat. Variis ad eas blandimentis, & muneribus captos non ſenes vocabat, non probitate, non genere viros inſignes, ſed juvenes ætate fluxos, molléſque & natalibus ſordidos, qui ſoli ſibi deberent aſcenſus, & opes, quíque faciliùs ad ea, quæ vellet flexibiles ſibi, magíſque ſuſpecti, inviſique, qui ipſi invidebant, proceribus forent. Dum verò per Regem curabat Antonius, his ad honores nuper evectis alios, atque alios ejuſdem maculæ adjungere, atque etiam opibus cumulare, vehemētiùs nunc Aloiſia reluctabatur, indignè collata, ſordidata, projecta eſſe ita honorifica munera inculcans, ex eóque regiæ auctoritatis ludibrium, & populi offenſiones, & omnium Ordinum ignominiam, & reipublicæ detrimentum exaggerans, quippè quæ jam exploratam Antonii mentem habebat, velle ſcilicet illum per ipſam, ut ſtultam, niſi intelligeret, coactam, ſi intellexiſſet, intendere partes, quibus & ipſa citiùs proſterneretur. Proinde acriores inter filium, & matrem contentiones exortæ dilatatæque, jus illam regiminis, hunc proprii dominii jus obtendentem. Ardebat interim varias in factiones divulſa continuis ſimultatibus Regia, hanc Regi, hanc matri, illam, ſed tamen paucorum, neutri patrocinantem, & furias facéſque inteſtinis diſcordiis aſſiduas miniſtrabat Antonius; inſuper regni potentem jam dictitans Regem, minori etiam ætate Luſitanos quondam Reges Dionyſium, Alfonſum Quintum, Sebaſtianum regni regimen invaſiſſe. Auxit hos Antonii fortè conatus, & vota Regis corporis ægritudo, qua gravi cum vitæ periculo implicita multis diebus Aloiſia decubuit, quo tempore aula cùm Regem proceréſque ſpectarent rerum arbitrium omnium ſubinde futurum, & venerationes idcircò, adulantium curvationes, projectáque obſequia, laudes ubique plauſúſque longè ſuetis majora omnia, & niſi aulæ patientiæ curíque defotmia, profunderent, liquidius diſcrimen tunc intellexit Alfonſus, quod ſe inter munus, ac Regis titulum interponeret, ineſcatus propterea imperii ſuavitate, ac libidine, potiendi nunc rerum cupidine ſupra modum inquietus agitabatur.

Poſt ubi febri, & languore diſcuſſo Aloiſia Guſmana convaluit, regníque morbo intermiſſas confeſtim curas reſumpſit, faſtidioſum, ſtomacho plenum ore, & conſuetudine aſperiorem offendit Regem, eóque animoſiùs ab illa regiminis jus repetentem, nec metus, aut pudor deinceps obſtabant Regi, quin id, quod à matre precibus non liceret, fremitu, ac minis tandem arriperet. Hæc mulier ambitioſa cùm ſollicitè reputaret, & dolebat, ſe invitam, ac citiùs, quàm timuiſſet, à regni gubernaculo avelli, & ſimul anxia pervolutabat, quæ irriſiones, quæ contumeliæ, quæ iniquæ inſectationes ſine dubio manerent auctoritate, atque viribus inter æmulos fœminam alienigenam deſtitutam, quibus ſe planè ſubducere malis nulla alia re potuiſſet, niſi fuga, & horrore ſeceſſus, aut ſolitudine voluntaria, tanquam à culmine poteſtatis ad tetræ cuſtodiæ ſimilitudinem devoluta. Cumulabant has mulieri præcipuas etiam publicæ regni curæ, quòd à ſe transferendum eſſet imperium in juvenem furioſum, indocilem neque ſuo ipſum uti ſcientem conſilio, neque alieno niſi

Qq 2 eodem

eodem pernicioſo, & quod impura, atque execrabilis illa familiarium ejus caterva, quæ adhuc Regis perſonam labefactaverat, ejuſdem Regis potentia jam cuncta tenentis elata, atque ad omnem libidinem diſſoluta, in regni perniciem effrænatius volvenda eſſet. Porrò ita de ſua déque regni vice vehementer anxia, triſtiſque Aloiſia poſt multarum refluentium hinc, & inde curarum, animíque jactationem in hunc modum tandem conſtituit artes Antonii Contii, & Regis quoque deſideria fruſtrari. Petrum ſcilicet alterum ejus filium, regníque cum illo adminiſtros nimium ſeſe efferenti, & imperio valde inhianti opponere Alfonſo cujus ſupremæ auctoritatis faſtigio, nominíſque jactantia, ac populi genio per regii fratris, & magiſtratuum, & conſpirantium procerum nervos, ac robus æquatis, ac ferè depreſſis adhæreret inſuper Aloiſia, quæ pondere matris, propriæ factionis ſubſidio, longa imperii poſſeſſione, & opibus confirmatis faciliùs compeſceret Regem filium, ac tum demum Antonium Contium, ejúſque partibus implicatos regno extorres ejiceret. Ad hæc exequenda bene conſilia Rex ut natura penè crudelis & furibundus, ita pavidus videbatur, & ferocitas ipſa quoque inſidiantibus opportuna, & inepta ingenii hebetudo moliminibus fore in promptu eſſe apparebat fratrem cum fratre committere, cùm diverſitas morum, & anceps utrumque regni ſpes, & contentio diſtraheret; ſuſpecta, & ſummopere inviſa ea quæ tunc à juvenibus tentabatur gubernationis, inverſio magiſtratibus accidebat, cum ea, quæ ipſos extulerat, regimine cecidiſſet. Ad hæc novas res molientes, præſentéſque immiſcentes homines erant ignobiles, viles, ipſi corrupti, & corruptores Regis, infames, egentes, ad paſtum duntaxat mendicitatis ſcelerúmque licétiam, officia, gradúſque in regno quærentes, quos facilè quidem fuiſſet infirmato, aut ſublato præſidio Regis judicio terrere, aut ſuppliciis afficere. Hæc ita ratiocinanti cùm fœminæ mens inſediſſet, artificii ſubinde texere telam aggreſſa Petro propoſuit, intereſſe reipublicæ ipſum, & citiùs Principem Luſitaniæ, regníque hæredem per ejuſdem Comitia renunciari, Rex enim Alfonſus ut corpore vitioſus, habendæque ſobolis maximè dubius, & ſi nihil à fide, atque officio torſerat hactenus Luſitanos, hebetabat tamen in illo, ſuſpenſóſque à fortunæ caſibus variis, fluctuantéſque in regno animos relinquebat. Cùm autem ſuſcepta imperantibus proles, quantóque ipſa plenior validius dominationis ſubſidium à ſapientibus cenſeatur, eo carere tunc Luſitaniam in Alfonſo Rege ſubſidio, penè jam ipſo ſpe naturalis ſucceſſionis orbato, & hæc inſuper foris vulgata eſſe, & remedium quamprimùm ex republica poſci, ne longiùs in dubio, populíque cenſura imperii ſucceſſore relicto, datóque imprudenter ad res ideò innovandas turbulentis hominibus pabulo alius fortaſsè aut externus, aut extra regiam familiam ſeſe ad regnum occupandum intruderet; poſtremò ſi alium ipſa Regem infeliciter genuiſſet, mœſtæ, afflictæque ſolamini fore alium filium imperio dignum indigno ſubſtituiſſe. Talibus argumentis & ſibi, & juvandæ quoque reipublicæ accommodatis Petri ſua ſponte, & natura inclinatam ad regnum animum mater extimulabat, eóque altiùs in hominis viſcera hæc jacula penetrabant, quò minus mater credi debebat in alium fingere amorem, in alium filium occulere odia. Hoc porrò negotium quemadmodum ipſa decreverat, tranſactura ingenti ſollicitudine, ac ſtudio aulam, regnúmque miſcebat, & in ſuam

ſententiam

ſententiam trahere imperii adminiſtros elaborabat; ſive enim ex voto, ſive ſecùs ea res cecidiſſet, patefacta jam voluntate, vel ſemper obtinuiſſet alterum filium expectatione, & amore, alterum metu constrictum tenere. Cæterùm factu ipſa aſperiùs, quàm anteà putaverat fœmina comperit ad rem ex mente conficiendam regni Comitia cogere; non enim eo tempore planè certus, atque omnibus exploratus in toro cœlibi, ætate viridi genitivus Regis defectus erat: proptereà jam vigenti, jam integro in ſpeciem Regi ſuſpectæ, atque incertæ ſobolis gratia, cujus rei tempus æquus Judex futurum fuiſſet, alium, & fratrem exæquatura propè Comitia duos quaſi Reges in uno regno conſtituiſſet, duos ſcilicet turbines, atque everſores imperii, cùm acerbior ſubindè æmulatio, & trucior utrinque invidia hinc à ſpe, hinc à formidine vires ſumens ad lacerandum imperium eſſet diſſentientes fratres, ſimúlque cives concitatura. Hac igitur ſpe devoluta Aloiſia, & in aliam ſtatim erecta, ſuperbè lautéque Petrum exornat habitu, & cultu fortunæ regiæ, ut per oſtentationem, & luxum ſuas cogitationes extenderet, & per res quoque inanes vulgi favorem, & auram captaret; deinde à Regia, atque fratre ſeparat Petrum, & quibuſdam in ædibus, quæ Uliſippone quondam Chriſtophori Moræ fuerant, ornatis dilucidè collocat. Hic regio illi more familiam conſtitutam ex proceribus regni æquè fidelibus ſibi, ac Regi ſuſpicioſis appoſuit; poſtremò ei præceptorem, vitæque magiſtrum adjecit, regalis ſanguinis nemini in Luſitania, præterquam Regibus dari ex veteri more ſolitum. His ſibi artibus Petro devincto, addictóque, regique fratri in magnifica, ac regia pompa, in ſpirituum elatione, in regni ſpe proxima objecto, tunc ſe ſimulans Aloiſia velle ſua ſpontè abdicato regimine monialium in quoddam cœnobium animæ procurandæ, & quietis amore ſecedere hujuſmodi codicillos miniſtris, regníque Principibus miſit.

Præſentis meæ vitæ labor, æternæ ſollicitudo, animi trepidatio, res contortæ, ac difficiles, in quibus nunc ego vivendo, & rempublicam gubernando volutor, cogunt me tandem, à vobis ut conſilium, & opem petam, ne in eo potiſſimum errem, quo mihi, & vobis, & regno proſpicere maximè cupio. Equidem nimis auſteram, laboribus feſſam, & miſerabilem vitam duco, dum oſtentoſo præſideo, ac bicipiti propè regno. Placet mihi ratio, æquitas, modus in rebus, hæc diſplicent Regi, qui vel rerum inſcitia, vel certa adverſandi prurigine mihi, vel alieno ſcelere ablatus omnia dicta, & facta mea labefactat; ac ſi contra nitenti efficaciùs obſiſtere auctoritate, ſive ſententia velim, periculum inde patet, ne is omnino profligato pudore inſolentiùs, & contumaciùs, in poſterum mecum acturus ſit. Ita ſanè cum hoc irrito, & vacuo Luſitaniæ Rectricis titulo me onerant modò, premúntque filii Regis ludibria, querelæ in me publicè verſæ reginimis conturbati, æmulorum coacervatæ calumniæ, inſitúſque in animo pavor extremæ abſque dubio calamitatis, quæ rebus eò uſque confuſis, atque permixtis, nunc imminent regno, quandoquidem Regis, ejuſque familiarium licentia, nutúſque omnia vertendo caſibus offert, ſibi nimirum impe ium, ac rerum omnium arbitrium, mihi pericula, ac dedecora comparantium. In ſtatu tam miſero conſtitutæ, nihil ultra mihi reliquum eſſe videtur quàm otio per fugam; & ſolitudine conquiſitis, quàm citò mihi, regnóque præmori. Quod potiſſimùm attendenti cœnobium duntaxat aliquod ad evadentis receptum, & circunſtantium malorum effugium occurrit, ſed qua id ratione pro mea exiſtimatione, ac dignitate me peragere quoque deceat, vos ita quæſo mihi conſulite

ſulite, nempè minimè ut, hinc faceſſere mihi, atque ex tot, qui me undique fluctibus urgent, in ſolitudinis portum me recipere liceat nec-ne, per id quod vobis expoſui in conſultationem adductum intelligatur, ſed modus tantummodo, & forma idipſum rectè conficiendi, ſcilicet, ne honeſtus quidam velut militiæ curſus, quem res hucuſque temperando ſuſtinui, receſſus turpitudine deformetur. Quippe ſi hujus rei dubiam, animique fortè pendentem me quiſquam exiſtimaret, locus profectò daretur adulatoribus, inſidiosè, atque fictè loquendi mecum, ne regnum in lubrico deſeram, ne tot jam ego perfuncta laboribus breve per otium, quod temerè quærerem fructum eorum, & gratiam omnem amiſerim; eſſe enim Alfonſum propter ætatem, animum imbecillum, & multos, eoſdémque pravos conſiliarios tam immani, tam gravi regiminis moli longè imparem ſubeundæ, méque adeò oris, vultuſque falſitate circumvenirent, ut acriùs poſteà, quemadmodum jure metuo, inundantibus malis, non ſpontè ceſſiſſe, ſed regimine ejecta viderer, quandquam ne ſatis quidem hac cautione mederi poſſum, ut, quibus nec copia, nec rima ulla etiam pateat verbis, rebuſque meis detrahendi, hi vel inflectere dicta, vel interiorem carpere mentem parcant. Qui verò conſultò & ex animo ſentiunt, tunc velle me onus projicere imperii cum turbidis rebus, ſtatu aſpero, ſpe graviori ſubſidiis præſertim, & Rectorum conatibus egeat, ideóque me mutare ſententiam malint, his ita hominibus ſatisfacio; quod ſi hac tempeſtate, hoc publico incendio conflagrandum, ac pereundum, ut videtur, omnibus eſt, ſive in labore, & periculo, ſive in otio, atque umbra degentem me fati quoque neceſſitas rerum omnium ruentium impetu rapiet, ac ſi nihilo ſecius cum tanta calamitate, ac periculo in ſqualore, ac triſtitia pro illorum ſententia ne aliter regnum hoc, qualecunque fuerit, adminiculo careat, morte gravior hæc vita mihi tenenda eſt, magno mihi ipſi conſtiterit tam ægra, atque incerta reipublicæ ſalus. Quare vos ſtrenuis, promptiſque remediis jam ita inclinato, ac labenti ſuccurrite regno. Hæc una mihi nunc elabendi ſupereſt via, priuſquam me, qui in præſentia ærumnarum vortices evolvuntur, cùm prorſus vires, animuſque defecerint, obruant.

His per primarios regni miniſtros, & proceres litteris circumlatis, ubi plerique ſagaciùs non ex ſtylo, non ex ſonitu vocis, ſed ex animi affectione, & ingenio Aloiſiæ Guſmanæ ſenſus interpretantur, eos nimirum non dominium cum otio mutandi cupidos, ſed per verborum circuitus, & fucos, revera filium, & quempiam ſummi imperii participem dedignantes, placaríque perfacilè poſſe fœminam putant, ſi Antonius Contius, ejúſque impuræ factionis clientes, qui animum Regis jam ambitionis, jam iræ ſtimulis agitantes contra matrem filium armaverant, extra regnum ablegarentur; præterea ſua quoque intereſſe in eo auctoritatis, ac muneris gradu fœminam contineri, ne rerum omninò potitus Alfonſus eoſdem ſuſpectos, ingratos, ut ab æmula matre promotos excluderet, vel cuncta ſibi arroganter, ac temerè uſurpans ea malè, & contortè moderaretur ſive ſuo, ſive amicorum ſtultorum, ac perditorum arbitrio; poſtremò res novas eſſe illis tantummodo optandas, quibus aut egeſtate preſſis, aut ignominia perculſis, aut horum amplitudine ejectis nonnulla ſpes hæreat, in turbulento aliquid expiſcari, at in alto regiminis culmine conſtitutis quaſcunque rerum converſiones fugiendas, abominandas profectò eſſe, ut lapſus periculo proximas; reſpondent idcircò Aloiſiæ. *Si valetudinis ipſa, ſi procurandæ animæ cauſa, vel exhauſta fortaſsè apud Regem patientia cum tanto reipublicæ incommodo exonerare ſe tandem curis publicis velit, cariórque*

riórque propterea ei ſolitudo fiat, quàm utilitas regni, potiuſque meritò caveat, quo minus offendat ſuis virtutibus æmulos, quàm per eas ipſa curet ſuis clientibus ſatisfacere, nec tam valida ſuppetat ratio, quæ ſatis hoc animo fixum arietare conſilium poſſit, vel antequam ultro ſe ipſa gubernaculis abdicaſſet, ea viliſſima capita, illas reipublicę peſtes, quę omnia tunc perditum ibant à latere Regis abſtraheret, ne eadem abſente, nullóque obſiſtente, licentius deinceps in Regis regnique perniciem incumberent. Læta hoc reſponſo Aloiſia, quod integra oris ejus modeſtia occultæ mentis receſſus exprompſerat, & quod pro obtrectatorum, dominiíque ſibi auctoritatem, & uſum interturbantium expulſione conſpirantes ſecum miniſtros cernebat, ut tamen populariùs, & graviùs more Hiſpano res ageretur, & ſuam quoque ſub alieno conſilio, & publico bono larvam imperandi libido quæreret, hanc priùs Senatus, cujus omninò explorata, ac dedita ſibi ſuffragia noverat, agitatam, firmatámque ſententiam voluit. Frequens ergo Status Senatus cogitur, réque ibi ſeriùs, intenſiúſque diſcuſſa, ubi ſecum proceres conferunt, jam inde à pueritia degenerem Regem non exemplo parentum, non matris præſertim, vitæque magiſtri minis, ac diſciplina, non monitis Status Senatus, aut conſuetudine famulorum genere, ac virtute præſtantium incultos, & horridos mores, qui perſonam, & majeſtatis ſpeciem dedecorabant, hactenus exuiſſe; cúmque ſæpe contingat ſalubria conſilia ſpernentes aut periculis dedoceri, aut excutere tandem fortunæ fuſtibus vitia, Regem Alfonſum qui mortiferos ſæpè lapſus, qui extremas cum belluis, atque hominibus pugnas, qui turbulentas noctes, ac turpiſſimos dies exegiſſet, qui pericula omnia temeritate, ira, caſúve irritaſſet, adhuc protervum, & animo contumacem non cohiberi periculo, non conſilio emendari, non experientia, non ætate proficere, nec ſatietate laſſari, atque ipſum ita profectò immitem, indocilem, praviſque cupidinibus reſolutum, ac mollem conſpici Regem, poſtquam ejuſdem Antonii Contii, ejúſque impiorum ſocietate ſodalium afflatus contagio fuiſſet. Propterea decernunt fœdum hunc cum ſuis ſatellitibus hominem, ut ſeductorem Regis, ut funeſtiſſimam regni facem etiam invito Rege Uliſippone quàm primùm exterminandum, ut ſuo Rex tandem, vel matris ingenio uſus regia ſtudia repeteret, támque indigna, atque vilia Regíſque nimis deformia repudiaret. Fuere tamen, qui in eodem conſeſſu, ſeniorum nonnulli timidè pertentarent cùm acrem Regis offenſionem, ac ſupremæ dignitatis ludibrium, tunc nec parvi quidem momenti mala, quæ nectere ſenſim in regno progreſſu temporis potuiſſet ſemel, & palam ſpreta, ac neglecta Regis auctoritas; ſiquidem nihil miſerius, & unde influere majores in regnum calamitates valeant, conculcato reſpectu Principis ſit, alia tolli fortaſsè via improbum hominem poſſe, quæ incorrupta Regis auctoritate, ac jure majeſtatis illæſo in incerto ejus exitum reliquiſſet. Sed quia matris tunc ſtudioſiùs, quàm Regis per conſiliarios negotium agitabatur, eáque de filii publica contumelia, cùm ſibi imperium aſſeruiſſet, parum admodum laborabat, in dubio filius an mater imperitare deberet, ne vi hæc, ſive ſponte regimine cederet, per hoc Senatus conſultum Aloiſiæ beneficio collatum, quod de regia auctoritate, atque gratia detractum eſt. Igitur Antonii, & ſociorum ejus exilio adverſante etiam Rege decreto, res ita deinde cœpit ex compoſito trahi. Unà cum matre Rex in cubiculo, ubi de more negotia publica pertractabat, incluſus

ſedebat; cuſtodes frequentes in foribus aderant auditu quemquam arcere ſeveriſſimè juſſi. Interim Dux Cadavalius cum militibus, regiíque cuſtodibus corporis ad ſedem perrexit Regis, ubi immorari ſolebat, & tunc verſabatur. Antonius, qui ex turba, atque ſtrepitu minacíque vultu adventantium, & aliquid ingens audentium ruere illos in ipſum velle conjiciens, illicò fugit, atque ad interiorem Palatii ſe partem recepit, clauſíſque ibi fores munivit. Ad vim ſe comparat Dux Cadavalius, & pulſantem, urgentémque iteratis ictibus oſtium ſciſcitatur tandem Antonius Ducem, cur violentus? cur ita præceps pereret ipſum? cur turba ſatellitum circunfuſus? quæri eum ad cuſtodiam, retulit Dux Cadavalius, mandato Regis. Antonius autem ex factorum ſuorum conſcientia, ex odio Aloiſiæ, ex magnatum omnium invidia ſimul fortunæ converſione, & volubili quoque Principum voluntate carcere, & vinclis atrociora ſibi ſanè ſupplicia metuens, quantum per oſtii firmitudinem, & interiora quoque munimina poterat, vi vim illatam repellere contendebat. Cadavalius niſi fores ſtatim aperuiſſet, illas effringere comminatur, tum contumaciæ crimine adjecto pœnas ſe duplices exacturum fuiſſe. Ad ea Antonius valde confuſus, & animo pavidus, conſternatúſque, in illo articulo incertum, ex animo, an dolo, an ob temporis uſum promiſſum exciderit, ſi vim ille remitteret, ultrò ſe dedere pollicetur, incolumi dummodò vita id agere licuiſſet. Spondet hoc protinùs Cadavalius, impetúmque data pro fide relaxat, cùm verò perfidia, ſeu levitate ductus ſtare promiſſis nollet Antonius, tunc ira ſuccenſus Dux Cadavalius ferri inſtrumenta juſſit, quibus fores dejicerentur. Inter hæc Comes Caſtelmeliorius unus ex famulis Regis, cui ejuſdem diei excubiarum fortè vices obtigerant, ſeu Antonii, ſeu Regis gratiam aucupaturus, ſeu quoniam ſui officii certo in die illo duceret vindicare ab aſſultibus Regiam, primò execratus palam rem eſt, illa applicita vi dignitatem perſonæ regiæ violatam, temeratúmque Regiæ ſacrarium dictitans, deinde cucurrit ad Regem ut ejus mandatum, & animum exploraret, at obſeratas fores offendit, ſimul militum multitudinem aditum obſidentium. Regreſſus ergo Caſtelmeliorius ad locum ubi in Antonium Dux Cadavalius cum fabris, & ſatellitibus contra januam vim intendebat, ſatíſque per omnes ſeptos ad Regiam aditus explorato, inſcio Rege illa fieri, contumelioſè, atque acerbè Ducem jactavit, minas prætereà, & pericula inculcans, quæ Regis ei furor, cùm id reſciviſſet, abundè prænunciabat; Antonio tandem ſuam fidem, & operam obtulit, ignaro illa omnia Rege, ſéque omnino improbante agitari alta voce profeſſus: Cadavalius verò plus exequendo præcepto, quàm iræ indulgentiæ, aut linguæ lubricæ tribuens, priùs ſibi fas eſſe, dixit, Aloiſiæ penes quàm tunc eſſent imperii faſces, conficere juſſa, & plectere poſteà, ut par. eſſet, oris ejus intemperantiam. Hic igitur acriùs cùm ſcindere fores, & ſedem illam irrumpere niteretur, jámque oſtii compagibus feſſis, clavíſque ex parte refixis cum Antonius inde evadendi, aut ſe ampliùs tuendi amiſiſſe planè ſpem videretur, tunc illi proponit Dux Cadavalius, vivus, an mortuus abſtrahendus è loco eſſet, utrùm vellet eligeret. Hæc audit Antonius, & ubi revulſa jam propè clauſtra, urgere inimici ſuperioris imperium, & minas videt, nihil prætereà ſibi opis à Rege, nihil huc uſque ab amicis, & clientibus acceſſiſſe, capitales ſubeſſe moras, & quod ibi concordia, & fides quamvis ambigua non impetraſſet, deteriori

ceriori conditione neceſſitatem mox expreſſuram fuiſſe, tum demum ultrò foribus patefactis Cadavalii ſe Ducis poteſtati permittit. Eodem quoque tempore & alii nefarii, locóque ſordido nati homines, qui arctiùs obſtricti Antonii partibus erant, & cariores erant Alfonſo in urbe, aut in Regia cum Antonio comprehenſi, raptímque in navim ad hoc in portu expeditam, impoſiti, exules omnes ad Braſiliam ejecti ſunt.

His rebus celeriter actis poſtquam Aloiſiæ renunciatur factum eſſe, quod imperaſſet, ſurgit ipſa ſtatim cum Rege, illúmque in aulam Regiæ maximam ducit, quò urbis magiſtratus, & Ordines, ſimul prænobiles ſpectatæque virtutis viri à muliere accerſiti convenerant, quorum conventus ex priſco Luſitaniæ tradito more in rebus fortuitis, & arduis Comitiorum vices adimplet. Quæ omnia ex profeſſo adornaverat Aloiſia quò univerſi propè regni conſentientis auctoritas in populari actione tegeret ipſam, metum incuteret Regi, vel iram leniret. Conſtitit ibi Aloiſia mater cum Rege, communíque circunfuſorum Ordinum nomine hujus exempli litteræ recitantur.

De abuſu juſtitiæ querelas vehementes effundere cives, quòd ea paſſim neque incorruptè neque æqualiter miniſtretur, cúmque primùm hoc regni diadematis ornamentum, ara clientium, & reipublicæ columen ſit; propterea Aloiſiam Luſitaniæ Gubernatricem cenſores ſingulis Tribunalibus ſtatuiſſe, qui quæſtubus cauſas, & corruptelis materiem præbentes inquirerent, & acerrimè vindicarent, injuriis affectis jus reſarcirent. Dolere præterea regnum, atque efflictim animo angi, Alfonſum Regem cùm videat præ ætate regni capacem, præ indole negligentem, à publicis curis averſum, & nugatoriis, & vanis implicitum aut malè ſentire, aut nihil omnino de regno curare, cumque pondere annorum, rigidíque gubernii laboribus laſſa mater jam cupiat in filium ætate, ſpiritúque vigentem devolvere onus, exhorrere mulierem tot inter fluctus, & æſtus quibus regnum agitabatur, & gubernacula tradere, qui ea ipſa prorſus ſit contempturus, aut aliis tractanda daturus, qui regnum, quod hactenus vulneraverant, poſt adjecta ſibi potentia planè diſtraherent, affligeréntque ſatis præterea conſtare eoſdem homines natalibus turpes, moribus turpiores, nec aulæ minus, quàm regno infeſtos, cùm ſe in illam dolis, & fraudibus immiſiſſent, jam ſceleribus inquinatam, jactíſque quotidie diſſidiis, & jurgiis inter matrem, & filios, inter fratrem, & fratrem, inter regni miniſtros, & proceres, inter aulicos, aulicóſque eam penè diſcerptam dehoneſtare & conſumere. Nullum inſuper eſſe facinus, quod pudicitiam mulierum, quod juvenilem candorem, quod judiciorum integritatem, quod leges, quod mores, quod humana omnia, quod ſacra Uliſippone jura polluerat quod ab hac tartarea officina non profluxiſſet. Ad hanc malorum in urbe ſentinam exhauriendam, quod videbat, miniſtros, ut erat officii, Aloiſiæ matri conſuluiſſe rogaſſe, ut tot, tantíſque flagitiis, maculíſque coopertos homines à Regia, regníque peſte, & exitio quàm citò depelleret, eámque quod ita fieri expedire altiori intellectu cognoſceret, ſicut illi decreverant, imperaſſe. Proinde ſe denique monitum velle Regem, in hac magni momenti cauſa æquè miniſtros, ac regiam matrem ſuo ritè perfunctos officio eſſe, quod eſſet præſertim cum honore, Regiſque ſalute, communique utilitate conjunctum. Cæterum nemini magis, quàm Regi gratum, lætúmque debere illorum ſupplicium accidere, quòd de nemine magis quàm Rege ipſi infeſtè, & iniquè conſuluiſſent.

His codicillis regni nomine recitatis, miniſtri, procerúmque primores in terram de more demiſſi poſt Regis, matríſque manuum oſcula receſſere. Rex verò improviſa, & re illa inſolita pro-

pè

pè attonitus, anceps, nec quid ſecum in illa ſcena ibi factum, dictúmve eſſet adhuc ſatis mente percipiens inter eas tenebras, & animi æſtus pallore ſuffuſus circunſtantes interrogavit, eſſentne illa regni Comitia, eóuſque odioſa ac ſuſpecta quævis hominum unio, & Comitia præcipuè Regibus ſunt, ut Rex Alfonſus alioquin ingenio rudis, hebéſque naturali quodam afflatu ea viſus ſit expaviſſe? Tunc Garcia Melus, qui propiùs aſtabat, reſpondit Regi, ſubditorum publicas querimonias in Antonium Contium, ejúſque familiares ingenti, atrocíque cumulo ingeſtas coëgiſſe Aloiſiam illos, ut reos manifeſtos, & populariter execratos omnium Tribunalium, Ordinúmque conſenſu exilio multare. His Rex auditis ira flagrans, quam ardentes per oculos, torſionem membrorum, ac totius agitationem corporis evomebat, alta voce Antonium appellabat, eodem ſubinde vultu, torva fronte, citato gradu, ad interius cubiculum advolat, nec ibi inventum Antonium, ira magis excandeſcente, ſe quæſiturum aſſeruit, & quòcumque ejectus, abditúſve fuiſſet, inde per vim extracturum minatus eſt. Incaſſum tunc Regem niti, ſubjunxit Melus, cùm jam navis quæ unà cum ſociis extorrem Antonium ad Braſiliam vehebat, è portu ſolviſſet. Verumtamen ita Rex intelligeret, eò quidem diſcriminis, ultimíque momenti rem eſſe adductam, ut brevi ipſe Antonium, vel regnum amiſſurus fuiſſet. Ad illum regni, quod ſuper omnia ſaltem in terris diligunt Reges, jacturæ ſuſurrum indociles quanquam jactatum ad aures, ſe ipſe ſtatim tenere, & colligere Rex, æſtuantémque paulatim componere vultum oſtendit. Mox Emanuelem Antuneſium accerſit hominem ſibi ex longo intervallo fidum, acceptúmque, & cui ſoli ex ea fæce ſtratarum paulò ante partium Aloiſia temerè ignoverat, aut inconſultò neglexerat. Is atque Comes Caſtelmeliorius, ſecreto, multóque producto cum Rege colloquio, nedum rei perpetratæ ſeriem expoſuerunt, ſed etiam callidius, ac pleniùs amplificarunt, velut ſtimulos iræ in animo Regis, & facibus faces addentes. Cæterùm duo, eáque planè inſueta, atque nova peperit illa Regi ſuborta ex gravi offenſione triſtitia, atque animi perturbatio, ſummam nimirum erga Caſtelmeliorium Comitem fidem, & gratiam, & quæ adhuc peregrina, atque incognita ſibi fuerant nonnulla artificia, & ſimulationum integumenta, ſive hoc afflictatione experrectum ingenium, ſive cupido ultionis, vel novi potiùs magiſtri conſilium attulerit. Itaque ad veſperam Rex velut cura ſolutus, & animo vacuus more ſuo curſum equorum exercuit. Poſtridie, feſtus cùm dies cecidiſſet, quæſita mærorem gravitate diſſimulans ad Regiæ ſacellum rei divinæ interfuturus acceſſit. Hùc porrò nobilium major ſolita multitudo, atque effuſior hominum veneratio cultúſque Regem euntem ſecuta ſunt, ſive arte Aloiſiæ, ſive inſita nobilitati ſuperbia, generiſque jactantia, perinde quaſi ab aulæ conſpectu, à nobilium conſortio impuri, novíque hominis ablegatio ſtudia optimatum exacuiſſet, réſque illo tempore, qui aulæ multiplices neſciunt fucos, & cortices introſpicere, videbantur in melius hoc novo muratæ conſilio, ſimul, & ipſa Aloiſia ſublimis quanquam ingenii mulier, ſpe tamen ambitioſa decepta, ac nimis credula ſibi, revera putabat ſuis jam ſe artibus in regimine ſtabiliram. Verùm enimverò, qua ratione, qua induſtria ad Luſitanum imperium, & regimen prorogandum fæmina incubuit, ea ipſa ſibi hoc abrogandum acceleravit.

Quippe Comes Caſtelmeliorius pro Antonio Contio dejecto in Regis arbitrium

bitrium, & gratiam invaſerat, vir ipſe prudentia, ac genere clarus, cujus ſpiritus avidos dominandi, præter hucuſque facilitatem, ac negligentiam expertam Regis, copia etiam affinium, reíque opulentia, atque aura nobilitatis inflaverat, ceſſerántque dedecora, & ſordes in illo, celeriora venena invidiæ, & publica odia, propter quæ Antonium Contium Regia, regnóque meritò exactum Luſitani cenſebant. Rex quoque violento ex facto matris exacerbatus, atque ad vindictam maximè pronus priſtino ſuo deſiderio arreptum illi imperii regimen occupandi, ardentiores jam ultionis aculeos addiderat, quos intenſiùs inflammare, & acuere Regíſque animo penitùs figere variis Comes incitamentis non deſiſtebat. Puella præterea nobilis, eáque Aloiſiæ ſervitio domeſtico addicta, quam Rex redamabat, & quæ cautè ſolebat omnia dicta, factáque matris malignè detorta, vel aucta in majus filio deferre, clanculum hunc allocuta, dum ira ebulliens, atque in omnes Regis affectus verè, ſeu fictè transfigurata matris inflationem, atque jactantiam, publicam contumeliam, ancillarum omnium offenſionem intendit, novo quaſi œſtro percitum Regem vehementer exagitavit, cujus vel immodicus amor, formoſæque in Rege puellæ placendi voluntas, & ſtudium, etiam ſi minus ſeipſa iracundia valeret, illum maximè commoviſſent. Super hæc Antonii, ejúſque clientium, inconſulto, deluſo Rege, contra ſummum ipſius votorum præcipitata illa expulſio apud aulam, & urbem haud æquis omnino animis, proníſve auribus ferebatur. Seniores enim exiſtimabant injuriam inflictam Regi, & cum ipſius magnitudinis nota vulgaram majora in poſterum detrimenta ſub diſſimulationis velamine collecturam. Vetuſtas in aula, atque regno Antonii ſimul extinguere partes, adeo ut nulla quemadmodum oportebat, copioſæ factionis ſcintilla relinqueretur; tentare difficile, cunctari periculoſum, exitiabile prorſus omittere videbatur. Plures etiam eorum quibus anteà Aloiſiæ reciproco merito obnoxiis, mulieríſque fortunæ implicitis, atque eodem pendentibus aſtro aulæ omnia ſecreta patebant, hoc ultimo, quo adverſus Antonium Contium proſcriptionis ſeries contexta erat, excluſi, quod ſe per injuriam amotos arbitrabantur, fidem in diffidentiam, amorem in odia invidia premente, converterant. Quoſdam perplexos, & cunctabundos fluctuantium in aula rerum tenebat exitus, quo nempe fortuna mox inclinaſſet, inde opus æſtimaturos, & ſibi conſilia capeſſituros. Volubili more vulgi plerique qui Antonio illarum nuper exilium laudibus celebraverant, ſubinde quia ſecus res ceſſerat, atque eodem manente Rege, Dominum tantum mutaſſe diſpiciebant; Aloiſiam, quòd idem juſſerat, ſermonibus vellicabant In tanta varietate ſententiarum, atque animorum turbatione Rex Alfonſus in ſuſcepto conſilio tacitè perſeverans, ad aliam hebdomadam Caſtelmeliorium Comitem juſſit jam expletas corporalis cuſtodiæ vices extrahere, ne alius minus Regi fortaſſe fidus officio ſuccederet, qui occultum ejus propoſitum exploraret. Deinde, ut ſui moris erat, ad Alcantaræ amœnitatem ſeceſſit, Petro comite fratre, & apparatu, luxúque regio præter morem ſumptuoſo, ac magnifico circumfuſus, ſimul certatim obſequia illi viri nobiles exhibebant, quia explicare ſe jam majeſtas in Rege, & ſupercilium extollere videbatur. Huc etiam cum Rege perrexit Comes Caſtelmeliorius, vocatóque ei, qui erat è ſecretis Conſilii Status incompoſito vultu, & aſperis verbis increpitans dixit, rationem ab ipſo repoſcere

repoſcere Regem ubi eſſet, & viveret adhuc Antonius Contius, an æſtus inimicorũ ob Regis contemptum illũ immeritò rapuiſſet? his minacem in modũ prolatis verbis, & in ſe ipſis habentibus pondus, eò uſque ſuſpenſos, ac trepidos circunſtantes relinquens, ut non memoria abolita injuriæ, ſed pro tempore decoqui videretur. Eodem Alfonſus labente die Uliſipponem revertit; matrem in Regia ſolito more, at jucundiùs ſalutat, blandos cum illa ſermones miſcet, ad ſeria quoque divertit, nec fronte, nec verbis in eo protracto cum illa colloquio irarum quidquam effluere paſſus, quas tunc ingentes ſub pectore revolvebat. Paulò poſt, ex ſententia diſpoſitis rebus, repentè Rex inſcia matre Aloiſia rurſus Alcantaram petit, cùm tumultuariæ hujus diſceſſionis conſcii tantummodò eſſent Comes Caſtelmeliorius, qui eò Regem ſecutus eſt, & Comes Aurogiæ, qui eodem mox ſupervenit. Inde quod tandiu Rex parturierat tandem animo fundens per circummiſſos longè, latéque in regni ambitum nuncios, & litteras monuit Rectores armorum, ſimul urbium, arciúmque præfectos, iniiſſe jam Regem Alfonſum imperium, ac regimen regni, cujus ad ipſum jus, & poſſeſſio, ſoluta tutela, ob ætatem legitimam pertinebat; deinde optimates, primarióſque regni adminiſtros, qui Uliſippone tunc aſſidebant, venire ſtatim Alcantaram juſſit, ut ibi eos ſui conſilii participes faceret, & ſolita officia repeteret, nihil utique prætermittens, quo novi paſſim regiminis popam, ſtrepitúmque diffunderet. Audit hæc Aloiſia, & cum mente, atque animo perturbata, tum mole curarum afflicta ne malorum quidem extremum præ injecta formidine fore putabat jacturam regiminis, ſplendoríſque mutationem. Extemplò itaque Status Senatum fœmina vocat, ejúſque, cui ſummè fidebat in re tam ardua ſententiam mœſta, ac ſollicita exquirit. Hic re properè excuſſa, longius enim cunctari non patiebatur, aſſeruit, parvo quidem negotio vi, ſive arte fruſtrari poſſe conatus Regis, niſi in cauſam illi annitenti populi favor accederet, qui, quia naturæ quodam inſtinctu ad Regem, réſque novas propenſus erat, atque ad illam maximè partem, quam per injuriam oppreſſam, ac tenuem exiſtimaſſet, ſeſe protinus commoturus, & ad filium potiùs, quàm matrem cenſendus eſſet ſuis ſtudiis inclinaturus. Conſuluit idcircò Senatus, ut ſtatim epiſtolam mater ſcriberet Regi, qua de re intempeſtiva, atque ſubita, ſeſéque inconſulta illum blandè, ac ſuaviter caſtigando dilatam ſubinde, aut cum ipſo Rege conjunctam imperii adminiſtrationem depoſceret, & niſi fas eſſet matrem à filio aliquid exorare, & accipere, quòd ita ſaltem è republica foret. Occurreret etiam in via nuper ab illo accerſitis, atque adeuntibus Regem Emanuël Paceccus, juſſúque Aloiſiæ Gubernatricis indiceret, Aloiſiam ut priùs convenirent, quàm ad Regem accederent. Arma interim pararentur quibus Prætorianis militibus, famulis, & qui fidi, atque obnoxii partibus putabantur inſtructis, Aloiſia filium armata conveniens vel cogeret eum ab incæpto, quando leviter ipſe nollet, armorum terrore deſiſtere; modò nec populus, ut metus juſtiſſimus erat, apertè pro Rege tumultuans rem interverteret. His ita conſultis, jam Emanuël Paceccus occupaverat iter, quà ituros ad Regem Aloiſiæ imperio retraheret, editiſque in viæ medio cum ſummo rigore, miníſque mandatis, plerique nobilium Uliſipponem regreſſi ſunt, admodum paucis Regis, quàm matris potiùs imperium fuit. Jam levi concepto de Rege judicio contra

contra id, quod plerumque accidere ſolet, agente, ut cauti plus homines occidentem, quàm orientem potentiam revererentur. Ea Rex ubi exterritus videt, ſimul, & arma in urbe parari, factionémque matris, & copias, & turbas undique augeri, ipſe dum inter æmulos deſtitutus, ac propemodum ſolus ancipiti ſpe, alienáque & incerta pendebat ope, ſéque à principio rem duram aggreſſum, & forſan exitu fœdiorem, tunc quidem dignitati, vitæque ſervandæ magis, quàm invadendo regimini intentus, & anxius, paucorũ, qui aſtabant, amicorum conſilio Julianæ arcis Præſidem clanculum pertentavit. Liceret ne Regi in arcto ſalutis, impetiíque diſcrimine poſito, ſi modò fugam fortuna reliquiſſet afflicto ad ejus arcis tutelam confugere. Verùm hæc omnia momento disjecit repentè comperta Uliſipponenſis populi concitatio, qui inter anguſtias, & animi fluctus audito, verſari tunc Regem Alfonſum, illíque inſidias, & vim, quo minus ſua jura repeteret, ab inimicis, & æmulis comparari, continuò cæpit miſcere cætus, effundere quæſtus, & minas, frequentibus urbis in locis ſuſcitare tumultus, elicere iras, & iris per varia fomenta ſuperaddere faces; jámque arma, & certamen, & juſta certaminis cauſa in ore, atque oculis hominum erant, & vetera quoque reipublicæ vulnera, quæ apud populum conſenuetant, novis adjectis aculeis recrudeſcere videbantur, ebulliebátque atrox jam jam in omnium exitium eruptura ſeditio, quæ Rege Duce, & furioſo pariter Duce terribilior tunc exarſiſſet, cùm viri prænobiles, qui pridie à Rege vocati, & à matre retracti fuerant, & qui vocati quoque non fuerant, mutato cum rebus conſilio, frequentes ad Regem Alcantaram confluunt, ibíque erga Regem, quò animo quiſquam iniquior, ac pervicacior in odio erat, ne crimini mora daretur, aut vultus fortaſsè conſcientiam argueret, eò promptior obſequio erat, & ore dictíſque profuſior. Igitur Aloiſia jam popularem propenſionem intuita ſuo æſtu, afflatúque cætera pertrahentem, & fruſtra per arma ſe quærere imperium, Uliſipponenſis ſi populus, qui ſuper cæteros furere ſoleat, cùm ſemel fræno abruperit, inſaniret, armis tandem, miníſque depoſitis ad preces duntaxat, & verborum delinimenta procubuit, ejuſmodi epiſtolam filio per Targenſem Antiſtitem reddens.

Mihi nuper allatum eſt, Alcantaram te diſceſſiſſe, eò quoque familiam ac regiam ſupellectilem exportatam, eò raptim nobiles accerſitos, & res novas nonnullas queri. Quod cum me planè præterita factum ſit, vereor, ne improviſus iſte diſceſſus tuus quamdam à matre ſeceſſionem, animíque alienationem ſuſt[illegible]. Equidem me tecum hucuſque arbitror optimæ matris functam officio eſſe, tua modò intereſt mearum acceptarum viſcerum partem, & ſpirabilem vitam, & hujus lucis uſuram diſſimilibus rebus non diffiteri. Quare fili à te rogo, ut hos turbidos populi fluctus, quos ſubitò mihi ereptus Uliſippone concitaviſti, celeriter reſtitutus componas, neù temerè credas, me in officio, & amore pro te, aut regni, aut tuorum præcipuè incrementorum ardore concedere quidquam veris, ſeu falſis hiſce novis amicis tuis, aut potiùs extraneos, qui gratiam non jure, impulsúque naturæ, ſed ſibi ipſi proſpicientes dolis, & artibus captant, quam matrem ejus, quem genuit, quem aluit, quem erudivit utilitates curare poſſe, aut appetere. Cæterùm ſi hæc tua præter morem animi elatio, rerumque novarum ſtudium hujus imperii, quod ego tracto, exercitium, & uſum tantummodò ſpectat, & me quoque laboris participem adverſaris, quamprimùm ut illud ſuſcipias, ego ſanè vehementer cupio rejectáque à filio mater

morem illi gerendo ſolatium inveniet. Atqui mecum in primis hæc ratio, atque cauſa tractanda eſt, ut ſine offenſione, ac tumultu, cum reverentia, ac modeſtia, quam exigere debet mater ab optimo filio res omninò conſtituatur. Tuum eſt hoc regnum, tibi ego fideliter adminiſtro, ac ſi fortè meum eſſet, hoc ſponte à me avulſum in te potiſſimum contuliſſem. Tandem cùm te, matre prorſus excluſa, hac immatura imperandi cupido teneat, regni priùs convocare Comitia neceſſe eſt, quo jure ego illis regimen integrè reddam, qui id mihi traditum voluerunt. Cavendum præterea eſt, ne aliqua orta inter nos, & malè recepta, dimanánſque ſimultas, & ſæpè ut contingit, rumoribus aucta occaſionem circumſpectantibus hoſtibus ad Luſitaniæ aditum patefaciat. Quare per Deum immortalem, per regni hujus ſalutem, per id, quod tibi mereri mater tot ſacris naturæ pignoribus poſſum, & pro viribus ſtudui, te oro, atque obſecro fili, ut te ipſe in conſilium adhibeas, ne alienis, & pravis tranſverſum auferri ſinas, néve regnum, quod pater tuus tibi peperit, ego hactenus conſervavi, tumultuosè capeſſendo ſubvertas. Vale.

Lecta hac epiſtola, & accuratiùs per capita excuſſa, præter blandirias, & flores deliciarum litterulis paſſim affuſos, qui altiores in ſe abdere inſidias ſignificabant, illata ex induſtria mentio Comitiorum maximè Regem, & Caſtelmeliorium Comitem perculit, velle per illam in longum extrahere mulierem timentes, quod brevi manu penè Rex confeciſſet, aut rem totam Comitiis expungere, aut aliquid aliud majus in ejus clientium conventu, emptíſque planè ſuffragiis contra Regem ordiri. Paucis Rex igitur verbis, Caſtelmeliorio dictante, Aloiſiæ matri reſpondet. „ Quoniam regimen ipſe regni tractatu cerneret „ aſperum, anceps, multíſque difficultatibus interſeptum, ſtatuiſſe propterea deonerare jam feſſam, ac „ propè cadentem ingenti pondere „ matrem, onúſque totum in ſe trajicere, & hanc egregio ejus merito „ parem ob regnum optimè adminiſtratum matri filium rependere vicem. Porrò autem id regni jus, id „ rerum, & temporis curſum, id in ſe „ ætatis maturitatem requirere, cujus „ habita nunc ratione præſcriptæ jampridem ipſe tutelæ fines exceſſerat. „ Confidere tandem fore, ut Dei ope, „ matris conſilio, fratris benevolentia neque ipſum Regem, neque aliquem regni ſuſcepti à ſe jure regiminis pœniteret. Ex hujus ſententiæ redditis litteris cùm intelligeret Aloiſia in re propoſita immobilem Regem non ullis perverti poſſe fallaciis, nec, quas per ambages abundè collegerat, verborum illecebris deliniri, neque armorum prætereà formidine cogi, cùm duriora paulò ante attrectata conſilia metu populi cecidiſſent, ad extremum neceſſitate compulſa, quod diutiùs vi quoque tenere non poterat, dimittere imperium conſtituit. Id tamen palam in Regia ſolemni ritu, atque pompa fieri poſcebat, ut quãtum per rerum ſpecies, aulæque ludibria liceret, ultrò à ſe poſita regni, nequaquam abrepta videretur adminiſtratio. Qui verò ſuſtulerant Regem, ut Aloiſiæ dominium adimeret, hi metuentes, ne in matris conſpectu filio ejuſdem artibus capro ſartáque mutuò inter illos rei laxamento gratia, cujus intentione reſciſſa fuerat, ipſi tandem, quod uſu plerumque venit debilioribus partium, utrinque repulſi præcipites irent, omni ſtudio, & induſtria ſimul annitebantur, ut filius matri tanquam ex dolis dolos nectenti in quacunque illius actione, ac poſtulato diffideret, & ideò congreſſum abnueret. Itaque Rex iteratis ad Regiam precibus matris accitus, ut ex vetuſto tradito more inibi Regni adminiſtrationem acciperet, in

illo negotio, quemadmodum ipſi mulieris obtrectatores indiderant, fraudem ſubeſſe ratus, adhuc dubius, & cunctabundus Alcantaræ permanebat. Prætereà quò omnibus Rex velut jam ratæ, certæque oſtentaret aſſumptæ dominationis initia, ſibíque adverſus fratris, matríſque conatus quamplures amicos, clientéſque haberet per munera obnoxios, cumulatiùs tribuere cæpit ampliſſima officia & onera regni. Vocato propterea ad ſe Rex è ſecretis Conſilii Status miniſtro referre in acta præcepit, ſex novos conſiliarios, quorum, & nomina prodidit, in Status Senatum à ſe nuper allectos eſſe, eóſque cùm primùm Senatus coiſſet, in ſuffragium ituros. Partium conflictus erat in medio, & in aula diviſa promptum utroque peccanti ſuffugium, nec aliquid fortiùs hucuſque ſuo marte peregerat Rex quo mereretur cótemptum exuere. Hic igitur inſolentius, quàm alium profectò Regem alia tempora decuiſſet, mirabundus in ſpeciem Alfonſo reſpondit. Ea quanquam electio in homines cecidiſſet cum genere tum virtutibus claros, in tanta tamen commotione, & inquietudine, ac turba rerum tumultuariam ipſam videri, ac etiam numero contemnendam. Regem patrem in unum eligendum ſupremi Ordinis Senatorem ſex propè annos aſſidua cura, & vigilia incumbere ſolitum, nocte una filium repentè ſex edidiſſe, ad hæc electore non minus indignum, quàm electis hominibus fore, ſi novos Senatus conſultores acciperet, reluctante, vel neſcia matre Aloiſia, cui fœminæ pater Gubernatricis munus legaverat, regni Comitia ſciverant, jus adhuc integrum ſtabat. Matrem itaque conveniret, à qua primùm, ſicut ea rogitabat, ſecundum veterem conſuetudinem regni dominii jure tranſmiſſo, acceptóque poſt ad libidinem uteretur. Ad hæc dicta reticuit Rex ira, & quæ audierat, & quæ fecerat metu confuſus. Mox idem è ſecretis Conſilii Status, quæ ſeorſum dixerat Regi in eodem Senatu palam expoſuit, aſſeruítque adjectos recenter à Rege Conſiliarios gratos in primis fore Aloiſiæ, ejus tantummodo aſſenſum peti ad ſpeciem decoris, ne ea ſcilicet priùs per contumeliam extorta, quàm ultrò tradita filio imperii gubernacula crederentur, ut ſine dubio reputaretur, ſi quid grave, ea ipſa improbante, vel inſcia ante abdicationem legitimam ſanciretur. Hoc Senatus approbavit, & Rex inclinatione procerum, victus, ac certior pariter factus dolum abeſſe ad Regiam ſe contulit, ubi ſtatim in aula maxima coram magiſtratibus urbis, regnique Principibus Aloiſia in manu Regis Alfonſi regni ſigillum poſuit, quod ex more Luſitano auſpicantis Regis imperium argumentum inſigne eſt.

Ita porrò Aloiſia curis publicis exſoluta, quieti, otióque, ſicut illa dicebat, imposterũ vacatura in ſeceſſum intẽdit. Hunc quoque amplectendũ jam anteà agitaverat animo, ſed quà falſæ expectationis illecebris miniſteriũ, quo ſummè gaudebat, mulier continuandi, quà amicorum eluſa conſilio diſtulerat, nunc inter ſpes, atque vota pendentem, & omnia, ut procederent machinantem, cùm jam fortuna deturbaviſſet, iterum otium, ac ſolitudinem conquirebat. Loci ſitum efflagitat in quo novũ cœnobium conderet, aut jam erecto cœnobio ſedem propinquam ſibi cõſtrueret, at inanis à multis cum ipſa, ac ſæpè numero peteret quanquã bene de pluribus merita, & regali circunſepta ſplendore dimittitur; quod ludo quidam, ſcenæque aulicæ referebant, nimirum fortunam, quæ in iſta jam volverat, non hominem reverẽti; multi ex matris cõtemptu eos velle filii repetere gratiã cenſebant; dolo plerique adſcribebant & fœminæ inſidiis in deferenda ſcilicet Regia fallaces data opera moras interponentis, quòd ſecum tacitè reputaret,

ignotas filio regnandi artes, volubile ingenium, laboris quoque faſtidium, mores incultos, & aſperos, quæ imperiũ non capiebant, eſſe illud ad ipſam quàm citiſſimè tranſlatura. Tandem multoties à multis cum illa ædificii locum repeteret caſu, aut induſtria rejecta, in quodã ſibi gratis oblato rure unde tranſitus eſſet ad Monialium cœnobium Dominicanum Ordinem profitentiũ ædes excitari præcepit. Sed nimis lentè, ac remiſsè cùm id quoq; procederet opus ac tortuoſi etiã ipſa æſtimaretur ingenii, crebuit inde ſuſpicio, fraudibus illam, & ex compoſito verba, tempúſque terentem in cauſa graſſari, ut ita cunctando, & omnia ſegniùs in opere agendo, ad matutitatem intereà, quod coqueret animo, conſiliũ perduceret; quæ alrius in Regis ſubinde pectus afflatus æmulorum immiſſa innumera poſteà ludibria, acrioréſque moleſtias fœminæ cumularunt. Cæterùm ut in novo regimine Regi intendebant officia proceres; aderant greges, & turbæ adulantium, blandientiúmque, vultus, ſermones, animi affectus exemplar Regis expreſſerant, quibúſque multum præſertim erat in corde fellis, plus affluebat ſuavitatis in ore. Rei verò pro ſuſtinendo regimine ſumma in eo planè poſita videbatur, ſi actione, & ſermone Rex imminuti præſertim judicii, & patalaſi quodam afflati vetuſtam, & quæ latè per urbem, regnúmque manarat, querelam refelleret.

Hoc ipſum, quorum maximè intererat, & qui in illo propè torpore, dominantíſque Regis inſcitia ad imperiũ ſibi tenendum triumviratus ſimilitudinem conſtituerant Comes nempè Caſtelmeliorius, Comes Aurogiæ, Cæſárque Meneſeus cùm animo volutarent, fingere idcircò docuerant Alfonſum inceſſum, ſermonem, vultum, multáque ſæpè dicere, ac facere quæ intellectu vix capere credebatur, quoties verò accidiſſet, de arduis imperii rebus improviſa interrogatione tentari Regem, tunc ipſe aut tacebat, aut per inanes verborum circuitus reſponſum eludere videbatur, aut petplexè ſuſpendere mentem, ſin repentè, & appoſitè, quod raró evenerat, reſpondebat, ex corporis parte graviùs ægritudine affectũ declarare volentes parum mente valere Regẽ, qui eumdem livido, & mimico ſimul mordebãt dẽte jactabãt, aut Regis dimidiũ ita locutũ, aut intervalla modica lucis in perpetua caligine mentis, ut amentibus accidit, interfluxiſſe. Percrebuerat hæc vilis, & vulgò jacta de Rege opinio, rumórque prout illum præſidentem Senatui, aut ſubditis, ſibi aut Principum Oratoribus reſponſa dantẽ accepetant, quæ verò tamẽ majora depicta, vel deterius inverſa, vel penitus commentitia ii, qui ad ejus moliendam ruinam quaſi cuniculos fodiebant, æmuli Regis effuderant. At Comes Caſtelmeliorius cùm peracutus, & callidus eſſet ingenio, variis ſtudiis, & artibus nitebatur, ut ſe firmius in gratia Regis, & Regem, qui eum ſuſtinebat inimicorum ictibus inconcuſſum in rerum culmine ſuſtentaret. Nolens itaque Comes publicis ita curis immerſum hærentémque penitùs Regem, ut per uſum inertia, aut torpore fortaſsè per exercitationem excuſſo aliena ſubinde juſſa vel rudimenta dedignaretur, majorem propttereà temporis partem curabat Alfonſum in curſus equorum, in arma per otiũ tractanda, in puellarũ præcipuè delicias, & amorum oblectamenta conferre; hæc tamen cautè ac modeſtè quoque exerceri, integra nẽpè fama, & quantũ res, & latebra pateretur, incorrupto Regis honore. Super hæc cũ eſſet in primis de latere Regis ſollicitus Comes, unde illapſus in animum, gratiæque partæ additio, aut direptio patebat, ſibíque continuò, graviſque imperii curarum onere aſſumpto, vacationem, ac tuta tantummodò otia ſuis ipſe laboribus poſſet concedere Regi, alium illi voluptatis miniſtrum, & artificem otiorum, quo fluentem, ac mollem vivendi morem duceret Rex,

nec

nec ulla deinde tangeret ipſum ab aure, à latere Regis exorta ſuſpicio, ſtatuit. Erat ea tempeſtate cuſtodia publica tentus Henricus Miranda multò idem anteà Caſtelmeliorio Comiti fidus, infeſtus nunc Aloiſiæ carceriſque pœnam,& ignominiam, cùm inter partes præberet occaſio, illi viciſſim remetiturus. Ejus hunc rationibus hominem ob recentia in Aloiſiam odia, & vetera ſecum contracta ſtudia, atque officia opportunum exiſtimans Comes, ſolvi cuſtodia juſſit, è carceriſque ſqualore ad Regiam extemplò traductum, familiaritati, ſtrictiorique, quàm viri notam decebat, fiduciæ Regis immiſcuit. Nec ea porrò Caſtelmeliorium fefellit electio, cùm enim jactæ paſſim hominum voces eſſent, & rumor, ut re ipſa erat, circunferretur, potentiam ſcilicet Comitem, Alfonſi Regis voluntatem Henricum Mirandam intervertiſſe, rarum in aula monſtrum, eo integritatis candore,ac ſolida fide tamen uſus eſt gratia Regis Henricus, ut Comitis opibus nihil omnino per illam officeret, imò in gradu, quem quiſque cepiſſet, ſe mutuis auxiliis invicem adjuvarent.

At non eadem animi moderatio, & amicitiæ vincula, & jura inter ipſum Caſtelmeliorium, & Comitem Aurogiæ, Cæſarémque Meneſeum intercedebant. Hos ſimul initio pari propè amplitudinis gradu gratia Regis Alfonſi velut æqualiter diſtributa ſtatuerat, paulò poſt cùm infinita per ſe cupiditas ſit, ambitio nimis ſuſpicioſa, atque inſociabilis dominatio, cauſæ paulatim ſimultatum obortæ, vel ex induſtria quæſitæ ſunt,quæ in regni potētia, Regíſque gratia malè cohærentes homines,diffidentéſque æmulatione interjecta diſtraherent. Caſtelmeliorii tamen auctoritas, ac penes Regem gratia cùm nec ſatis eſſet hucuſque adulta, necdum eventibus radicata, & quæ exiguis, ac dubiis profecta initiis facilè everti, aut imminui contentionibus potuiſſet, hic ſenſum, & cautè per aſtus agebat, ut per certos quaſi gradus à gratia Regis extruſi retrò paulatim concederent æmuli, nec omni ſpe devoluti ad partes oppoſitas tranſeuntes mala domeſtica augerent. Interim Regis, & Regiæ, regnique unicus ipſe Comes moderator arbiter factus, ſedem in Regia fixit, ubi vixerat quondam Princeps Theodoſius primus Alfonſi frater, fatóque poſt interceptus. Inde miniſtri Principis munus,quem Privatum populariter vocant, cum ſupercilio,ac tumore tantæ altitudinis, quæ Reges coæquat, aut ſuperat,pari,Caſtelmeliorius Comes oſtentans requirere ſtatim cœpit, quid facultatis in illo eſſet, quouſque ſe tanti auctoritas muneris explicaret, quidve exceptum, ſive coarctatū ſupremæ potentiæ eſſet. Regum idcircò Luſitanorum, & antiqua Uliſippone tabularia evoluta, & pulverulenti chirographorum cumuli excuſſi, & exemplaria quoque ex Caſtella relata ſunt, ut limes, & modus illi muneri inveniretur,quod negligentia,aut ignavia Regum reipublicæ intruſum cōtrahi, aut diduci illorū duntaxat arbitrio ſuevit. Hæc diligētius cùm Comes Caſtelmeliorius inveſtigaret,officium illi ſuccurrit quod Puritatis Scribæ antiquitùs vocabatur,ab illis tantum in Luſitania ſolitum exerceri, qui primi miniſtri locum apud Reges obtinuiſſent. Verùm idipſum jampridem ab aula ſublatum,& oblivione propè deletum,imperium cùm occupaſſet,miſcuerat Joannes Regis Alfonſi pater officio, quod erat è ſecretis Conſilii Status, ita ut titulo, ac nomine extincto, vis, & poteſtas in illo retineretur. Erant olim hujus muneris partes, litteras, atque acta publica ſubſcribenda, ac ſignanda porrigere Principi; ad aures propterea latúſque Regis in aula certatim intenta, & unde fluere, ac refluere tanto labore, & invidia quæſita gratia ſuevit, præcipuè

ſpectabat. Nihil hac ratione validius eo tempore offerre ſe Comiti potuit, quò ardentiùs ad occupationem muneris raperetur. Pergit itaque ad Regem, munus expoſtulat, cauſas etiam adnectit, quibus ei deberetur ſummæ fiduciæ pignus. Rex, cujus fidei, atque placito ſe unà cum regno omnino regendum dederat, hoc negare minimè auſus, vocat illicò Petrum Veiram, qui erat è ſecretis Conſilii Status, jubétque ut ipſo Rege præſente Comes Caſtelmeliorius novi officii poſſeſſionem ingrederetur. Petrus, qui & aliàs impunè cum Rege oris libertatem expertus fuerat, & partium fiducia ſuperbè ſecurus tunc quoque arroganter obſtitit Regi, id muneris ipſe referens, non gratis, vel caſu à Joanne patre ejus abolitum, Statúſque Senatui ſecretis immiſtum fuiſſe, nec eſſe quidem modeſtiæ Regis, reſcindere patris acta, nec ſapientiæ quoque, novis inductis rebus conſtitutum jam regimen conturbare, multóque minus eſſe juſtitiæ, gratis alteri dare, quod alteri ereptum per injuriam fuiſſet. Nihil tamen his verbis commotus Alfonſus, ſed in ſe tacitus tantum, ut præceperat, inſtitit, abſque mora rem perpetrari. Hoc adeptum à Comite munus aliud illi ſubinde peperit utilitate minùs pompa, ac ſplendore profectò maius, quod unum, ſed tantum in ſpeciem deerat ejuſdem fortunæ cumulo, ſcilicet ſupremi Ordinis Senatorem, tanta enim primi exercitii auctoritas erat, intimíque ſinus fiducia, ut aliud ab alio eſſe disjunctum minimè pateretur. Igitur Comes Caſtelmeliorius jam ſatis, ſupérque munitus & rerum copia, & regiæ voluntatis imperio, & intra, atque extra Regiam ampliſſimis ſibi delectis officiis, uberiùs deinde, quàm æquitatis, aut meriti ratio poſcebat effundere cœpit in amicos, clientéſque ſuos regalem munificentiam; huic arcis, illi urbis cuſtodiam tradit, aliis opes regníque munia, & armorum miniſteria diſtribuit; fidiores autem honore, ac ſtipendiis amplificatos apud aulam ſecum retinuit, ut adverſus communium obtrectatorum inſidias propiores ſubſidio forent. Nec minor profectò in ipſo Comite cura fuit adverſarios terrere metu, quàm acquirere officiis amicos, aut veteres in officio, atque fide firmare, hinc ut amore, hinc propoſito metu, duplici ſcilicet ratione aulicis partibus oſtentaret, nec ſinere ſe beneficio, nec maleficio vinci aut ſi quis in amore caſu, aut conſilio fortaſſis efflueret, reduceret timor. Hoc conſilio cum oratione vehementi plena ipſa ſpiritus, plena in ſpeciem doloris apud Regem Comes exageraſſet, quid inſolenter, quid imprudenter in illo modo pridem ejecti Antonii Contii proſcriptione, quid orto deinde inter matrem & filium de regno tenendo diſſidio contra jus, contra majeſtatis auguſtum nomen peccatum à multis fuiſſet, quid etiam poſteà? quàm ſuperbè contra Regem feciſſent, quàm improbè cogitaſſent, quàm contumelioſè locuti eſſent, & ſeverè quidem plectendos, qui toties in Regis perſonam deliquerant, eſſe, ne impunitatis fortaſsè illecebra, & odium peccati fomes, & ſine fræno cupiditas majeſtatis delicta multiplicarent, impulit tandem his, aliíſque argumentis Alfonſum ad exilio multandos Ducem Cadavalium, Garciam, & Emanuëlem Melum, Comitem Souræum, atque Pomberium, alióſque regni primarios cives, quibus, & Petrus Veira è ſecretis Conſilii Status adjectus eſt, pugnam Alfonſo meritam ſolvens, intemperanter, ac ſæpiùs in illum effuſæ linguæ.

Plaudebat interim his novitatibus populus, & ea potiſſimùm factio quæ de ſibi inimica, atque adverſa quaſi triumphum in aula jactabat. Altior tamen

men ſubibat ſenioribus cura, tam ſuperba videlicet, tam rigida regni initia pro opinione, quæ plurimùm valet, & re ipſa tum mente, tum corpore mutilo Rege crudele plus, quàm diuturnum, & celere magis, quàm prudens, & conſtans promittere cunctis imperium. Ineſſe adhuc matrem, & fratrem Regis, ut è genere regio fortiora inſtrumenta rerum novarum, & acriora capita partium, híſque in afflictis proceribus, & odio publico faces, & arma tradi, quibus mutatis ſubinde rebus, & his, qui ceciderant ſublevatis, contumaciùs ſimul omnes in Regem, & aſſeclas ejus inſurgerent. Cæterùm omnia tunc proſperè cum auctoribus fluerent, ea falſa, inaníſque lætitia cupidos ad majora curſim audenda, parúmque futuri providos incitabat. Eſt Luſitani moris, in publico veſci Regem, eíque ſplendidè, ac liberaliter epulanti proceres miniſtrare. Hanc veterem conſuetudinem, ut quantum ſubdolè poſſet, colloquia, congreſſus, aditus Regis, quibus minùs ille fidebat, obſtrueret, Caſtelmeliorii calliditas ſuſtulit, præſtititque proptereà, ut in ſecreto cubiculo accumberet Rex, ac ſæpè incompta, rudíque & cui pauci, notæque minoris, caſúque accedentes aſſiſterent, menſa. Simul cùm vetus mos eſſet, Luſitano Regi dum cubitum iret, dum ſurgeret, dum abjiceret ſive reſumeret indumenta domeſticos quoque proceres famulari, ejuſdem conſilii tenore uſus amoverat illos Caſtelmeliorius, regali ſervitio his qui in gradu minori erant, ejúſque fiduciæ, ſectæque hominibus impertito nobilibus famulis ingreſſu tantum in ſpeciem, ac verbo tenus conceſſo, re autem ipſa intercluſo. Graviter quidem hoc præduros in ſuis priſcis moribus Luſitanos offendit, tanquam Rex in paucorum Tyrannidem lapſus, à patriíſque inſtitutis, ac legibus alienus ſic gentem, ut mores faſtidioſè, & contemptim haberet; graviùs tamen hoc ipſum ante cæteros paſſus eſt Govenſis Marchio Palatii ea tempeſtate magiſter, quod ea præſertim quæ ad ſui miniſterii jus pertinebant alius palam intercepiſſet, íſque fortuna, quàm merito potior. Supplex idcircò commeatum à Rege poſtulat, quo inutili propè Regiæ ſervitio dimiſſo Goveam ſe conferret. Perculſus ea improviſa novitate Caſtelmeliorius, tanquam ſi nobilis viri, primúmque tenentis in Regia locum voluntaria ſeceſſio, & cauſa potiùs ſeceſſionis ſupra rerum præſentium aſperitates, turbulentóſque regiminis fluctus, nobilium omnium invidia, & popularibus querimoniis oneratura eumdem Comitem eſſet, cùm Rege tunc interceſſit, ne venia abeundi Marchioni permitteretur. Inſtitit acriùs petendo Marchio, ne more ipſe aulico crederetur nundinari mendacia, rogaríque in eo velle, quod maximè concupiſceret. Tum verò poſtulantis ob pertinaciam, & quò arte molliretur invidia, velut Regis indignatione prætenta, voluntarius diſceſſus in exilium illi mutatur, nedum aula exire permiſſo, ſed inſuper juſſo, ne Regis injuſſu liceret, ab eo municipio diſcedere.

Regiæ ita rebus compoſitis Comes, ejus partibus auctis, adverſis attritis, circunſeſſo undique Rege, nullíque ad ipſum patente niſi per eumdem Comitem aditu, jam animo elatior, viribúſque longè munitior pro extremo rerum conatu, fortioríque potentiæ vinculo Aloiſiæ opprimendæ conſilium orditur, cujus ille in hunc modum ſubtilia, ac fallacia deducere fila cœpit. Defuncta regni regimine mater ægrè, ac perrarò, & ſi quando accidiſſet, nauſeantis in modum inviſebatur à filio Rege, non per eum in curarum communium partem, non in conſultatio-

nem, aut rerum ſaltem notitiam admiſſa. Porrò ut imperio quondàm florentem magna aulæ more adulantium, atque ambientium circunſteterat fœminam turba, neglectam, ac regimine orbatam pauci nunc colere, pauci adire, plerique ſuſpectum fugere limen, ne per eam imperantibus diſplicerent. Sedes ejus ferè deſerta, horrida viſu, triſtíſque, horridior etiam aſpectu exactæ felicitatis, recentíſque frequentiæ memoria paucis, qui raró, ac timidè accederent, apparebat. Hujuſmodi cauſæ, quæ ab Aloiſia tanquam dejecta cæteros alienabant, per æmulorum communia odia, & verſa in utrumque inſidiarum machinamenta Aloiſiam, & Petrum, ut in eadem fortuna verſantes, & alterius alterum ope indigentes ſuper mutua pietatis, & antiqua vincula amoris arctiùs eo tempore colligebant. Inde frequentes aditus, ſecreti, crebríque inter utrumque ſermones, oſcula, amplexus, & omnia intererant argumenta eximiæ inter illos benevolentiæ, & conſtantiſſimæ fidei. Concuſſit, qui per homines pretio, aut muneribus emptos circum omnia explorabant, aſtrictior hic longè præterito viſus inter filium, matrémque nexus. Proinde volventes animo, multum ad ſuſcepta maturanda conſilia faceſſere ſibi negotii matris, fratríſque Regis firmiorem in æquali fortuna conſenſum, & robur, multum auctoritatis, & molis iis acceſſurum partibus eſſe, quas iidem eligere ſtatuiſſent, cùm hæc prudentiam, & regiæ matris auctoritatem, ille populi plauſum, & morum, & gratiæ, & regii ſanguinis ornamentum afferret. Diſtrahere propterea jactas per utraque ex parte fallacias, ac dolos Petrum à matre conſtituunt, ut ambos ſic poſteà diviſos, & mutuis conſiliis excluſos faciliùs opprimerent. Igitur primùm cohortari Petrum, ut propria relicta domo tranſmigraret ad Regiam, ne fortè amoris quò ſtrictiùs, & mutuò conjuncti fratres eſſe deberent quidquam abſentia, vel conſuetudinis intermiſſio laxaret. Hoc autem non imperato ſæpè deducere Petrum ad Regem; huic venatum, ſeu piſcatum, ſeu ruſticatum eunti aſſiduus comes adeſſe Petrus; juri multa remiſſa, multa gratiæ congeſta, nonnulla quoque pro regimine inflexa, ſive correcta ſunt, quòd ita planè placeret Petro; ficta comitas prompta adulatio, inflata quotidie promiſſa adoleſcentis animum, ut de ſententia caderet, oppugnabant. Verumtamen Aloiſia, quæ rerum omnium momenta notabat, cùm ſua ipſa imprimis ſolertia eſſet, artibúſque ſenilibus uſa parvo negotio retexere in filio omnia æmulorum conſilia poterat; & Petrus quem dudum ex germani fratris inertia, notóque furore altiùs imperii conflata ſpes titillabat, ſui juris idipſum, & proprium quàm precarium habere malebat. Quocirca Petrus illecebris ſurdus, & ſuo, & Aloiſiæ quoque matris ingenio in multam ſimulationem compoſitus, quæ inſidiosè ſibi, & falsò dicta, vel facta compererat, ut pura, atque ingenua hilari ſemper vultu, pronóque omnibus ore ſuſcipiebat; omnibus mitem, jucundum, ac planè tractabilem ſe præbere, ſed nihil omninò fidere. Sic igitur Petri conſtantia, clauſóque perſpecto incantationibus animo cùm nihil inſidiæ proficerent, miſtus tunc artibus rigor, & aperta ſeveritas in juvenem applicatur, ut ita proviſio, & per eam incuſſa formido obtineret, quod ficta lenitas non valuerat. Famulos illi primò Rex mutat, quos eidem benevolos, acceptóſque mater rerum cùm potiretur addiderat, ſubſtituítque alios ſuſpectos, infidos ut aptiores ex partibus Regis electos, qui dicta, ac ſenſus ejus exciperent, ac domus ſecreta indagarent, & quorum hominum

hominum mores tali obeundo muneri convenirent, deinde, ut quantum per res, ac tempora licuiſſet, cautè hactenus ducta ea fictionibus larva ſuſtineretur, qui Petri ſervitio priores famuli aſtiterant, nec fides eorum corrumpi per blandimenta ſubjecta poterat, negotiorum obtentu alius poſt alium extra aulam, & urbem cum honore dimiſſi ſunt. Ita igitur Petro domeſticis hoſtibus circunfuſo, ſatiſque deinde proviſo, ne quid novi moliri poſſet, aut ſi aliquid fortè attentaſſet, ut hoc per latera ſtatim efflueret, in Aloiſiam deinde Guſmanam inſidiarum moles incubuit, quarum multiplex ordo longo ipſe tempore, nec minus ſubtiliter agitatus per quædam chirographa, quæ ad Caſtelmeliorium ab intimo conſiliorum ejus immiſſa fortuitò ſubrepta, ac ſtatim prodita ſunt, in lucem emerſit. Is ergo erat literarum contextus, & ordo. Duplici via Aloiſiæ expulſionem à Regia parari commodè poſſe, leni altera in ſpeciem crebris nempè moleſtiis affecta, ludibriíſque jacta euſque irarum acuere in fœmina ſtimulos, donec continuis irritamentis, quæ adhuc patientia ſua vicerat, tandem aliquando ſuccumberet, & pro ſolatio, ac levamento duceret ſua ſponte Palatio cedere; altera duriori, videlicet fidum ad illam ſummittere hominem, qui ejus ſecretò pervelleret aurem, pro ſua dignitate, ac prudenria, & pro ea quam tantopere optabat animi tranquillitate facturam, ſi ultro quamprimùm à Regia diſcederet, ne contumelioſius ſpreta, atque invita mox idem exequi cogeretur. Primam verò expulſionis tenentibus viam horum animi angorum, irriſionúmque quæ notabantur, facilè poſſe contra mulierem initia peti, nectíque tenorem ex eo quod Rex præcepiſſet ut, qui antiquiores erant famuli matris, carioréſque mulieri, jactis ſubdolè cauſis per intervalla procul amoverentur, accedentémque proinde ut veriſimile erat matrem ad filium querelis, ac ſtomacho plenam, quò veniam pro famulis exoraret, triſti reſponſo dimitti, ac deterrima metuentem. Cæterùm hæc per artificia excitata, ſubinde producta, atque ut res pateretur inflexa, & ſuo quoque felle reſperſa animorum irritamenta, quæ ſenſim, aut citò valerent conſtantiam fœminæ excutere, ſuis quoque procedere gradibus, & aliam ex alia contumeliam oriri, & injuriam involvere injuriam, & certaminis cauſam poſſe. Híſque etiam illud accedere, quod hæc, & ſimilia intra domeſticos tecta parietes, atque extraneis ignota, ſeu mitiùs ab illis interprerata vim in ſe magnam haberent, & foris minimè obſtreperent. Alio maximè modo, ſi lenior fortaſſis, aut longior eſſe prior videretur, & breviùs profectò liceret totius rei exitum expediri, per ſecretæ nempè pietatis miniſtrum juſſu Regis ad aurem moneri Aloiſiam, quod Rex habita ratione conſilii ab illa jampridem intenti, divulgatíque, aulico nempè relicto ſtrepitu, urbanóque tumultu, quò reipublicæ curis, laboribúſque defeſſum honeſto otio componeret animum ad ſolitudinem abeundi, aliarum præthereà rerum, quæ huic prudenti, ac malè dilato conſilio ſuffragarentur, neque tunc explicare neceſſè erat, ipſi matri denunciabat, ut rectè priùs de ſeceſſu proviſa quàm citò conficeret, ejuſdem mulieris virtutibus fretus, ita ſe eſſe in eo negotio geſturam, ut abiiſſe, non prorupiſſe, & ultrò profecta non exacta Palatio cæteris videretur. Hujuſmodi erant intercepta chartulæ notæ, in quibus aulæ ſatis inſidiæ & labes, tabéſque patent, & quas inter animi ſordes, ut ſubeat, volutetur oportet aulicus.

Inter hæc, ut convenerant, peragenda,

da, quò perperam factis eſſe ſibi Aloiſia promerita videretur, quæ in caput ejus ludibria, injuriæque paſſim comparabantur, dum per calumnias, criminationéſque conflictas ſimul illam arguere, ſi ſimul pro odio, atque invidia purgare contendunt, inter aulæ inter circulos urbis coram plebeiis, coram nobilibus viris fœda, atque atrocia contra ipſam diſſeminabant, híſque artibus adeò nefarii à matre filium averterant, ut gratius dirúmque filio aſſentandi genus, dulciórque diffuſus ejus auribus ſonus, inſectationes, & probra eſſent, quæ ſæpè numero audiret contra matrem ingeſta. Idipſum, & auſi perſæpè ſunt experiri in altero filio Petro, grave ſed hujus ſilentium, coloris mutatio, trunca quædam interdum, ac velut tumida verba cùm ſatis æmulos urerent, hi tandem pudore metúque perculſi cùm ſecus dicere nollent, inviti ſilebant; nec ampliùs agere Petrus in illos præcepto matris attinebatur, ſiquidem matris defenſio apud ejus obtrectatores inutilis, & Petro lubrica erat. Poſtremò quemadmodum aliam alia acriorem non ſemel punita parit injuria, & patientia licentiam gignit, à verborum contra Aloiſiam intemperantia quodammodo ad manus delapſa res eſt. Illa enim interdiù, noctúque cum in ſecreto ſæpè ſacello animæ poliendæ vacaret, æmuli ejus haud inſcio quidem Caſtelmeliorio, procaces, ac viles, & ex plebis illuvie coactos, pueríſque commiſtos homines ſubmittebant, qui impio clamore, teſtarúmque crepitibus orantem fœminam foris illuderent, ac perturbarent; nonnunquam in vitra, quæ erant ſacelli feneſtris appoſita lapides jaciebant, adeò ut ſupra publicam contumeliam ex avulſorum, illiſorúmque vitrorum fragmentis, & lapidum jactu contuſiones, & vulnera quoque formidarentur. His etiam ludibriis acceſſio fuit in ſpeciem res quidem minor; ſed opinione hominum, ſenſúque fœminæ acerbior, ac cæteris longè major. Solent Hiſpaniæ Reges in publico loco matrem prætereuntes capite illi, genúque modicè flexo reverentiæ atque amoris oſtendere ſignum; ſueto hoc Reginis honore, cultúque patentem bis Alfonſus Rex defraudavit die feſto ſolemni, cùm fœminam prætervectus ad Regiæ ſacellum accederet ipſe, recederétque qui matris contemptus, ut inſolenter inductus, ac proceribus manifeſtus, nec tergiverſationis, aut diſſimulationis velaminis ipſe capax Aloiſiam ita percuſſit ut noluerit in poſterum Regiæ palam intereſſe ſacello, imò doloribus victa re vera deinceps de vulgato ſeceſſu, de Palatii fuga tractaverit, quoniam æmulorum propter conatus, filiíque facilitatem mutandarum ſpes rerum qua hactenus freta diſceſſui moras implicuiſſet, ſecus proceſſerat. Novum hoc illa conſilium in hunc modum Caſtelmeliorio per internuntium aperuit. Conſtrui jamdudum ſibi electam pro ſolitudine ſedem imperaviſſe, hanc porrò cæptam & ad faſtigium penè perductam, ſeriùs omninò quàm rationes ſuæ poſtularent abſolvi conſpicere, aliò proinde à Regia recipere ſe ſtatuiſſe, donec opus perficeretur. His auditis Caſtelmeliorius poſtridie ſeſe Aloiſiæ reſponſum ex Regis mente daturum retulit. Interea cum Rege, atque amicis anxiè ea res conſultatur, quæritur inter eos abſens, an præſens perniciosior & gravior fœmina foret? & utrum ita violentum, an ſponte ſumptum ejus præſtaret eſſe diſceſſum? quid cauſæ, quid rei propoſitæ habere in animo poſſet eo repentino conſilio mulier? cur precaria Reginæ quæſita ſedes? cur diſceſſio præcipitata? cur ipſa modò ſollicitaret, quod hucuſque abnuiſſet; collectam ne ex longo tempore variis

ſucceſſibus itam, aliunde profundere ſtatuit? an teterrimas illas quas triſtis ſolitudo, mœſtúſque ſeceſſus cogitationes ingenerat, acuitque ibi quoque faciliùs extendere poſſe putat ubi minus ineſſet aurium minúſque oculorum, qui ſecreta rerum molimina inveſtigarent? His prolixè diſcuſſis, tandem, quòd tortuoſa perſpecta mulier, ac multiplex aſtu nihil quidem inexploratum, nihílque remiſſum ſive quid ageret, ſive ipſa diceret, pateretur, rejectus conſtanter eſt ille quem minus ingenuè petebat ad alienas ex regiis ædibus tranſitus, ut turbulentus, deformis, qui moleſtiis videretur extortus, quíſque Principi invidiam, & miſerationem erga fœminam populi concitaſſet. Ex adverſo nunc illi prohibitum, quem fraude petebat, exitum, & præſens dedecus impediturum, & quæ poſtea in rem fierent, cohoneſtaturum, cùm jam perfecto ædificio, eò forte digredi fœmina cunctaretur. Secundum hanc ſententiam Aloiſiæ per internuntium nomine Regis reſponſum eſt. Dedecere ſanè Reginam Regia relicta in alienam divertere domum, regiúmque ſplendorem privatis ſordibus immiſcere. At ſi tanta ipſam, ut tunc oſtendebat, ad quiete, otióque fruendum cupiditas incitaret, præcipere quidem in promptu erat, ut ſegnitet nimis hucuſque ædificii pertracta conſtructio celeriùs deinde perageretur. Hoc Aloiſia intellecto reſponſo, quia graviora quotidie timenti jam perſuaſerat ſibi, qualiſcunque profectio eſſet eos inficias minimè ituros, qui tot moleſtiis ipſam exagitatam utcunque diſcedere cogerent, modo ſecus cùm accidiſſet pauliſpet animo erecta eſt, eò, quòd temporis uſu ſpes ſuſtinere labantes poſſet, & quod Regia exire per ſe paratæ vexatio fortaſſe ab inimicis remitteretur. Auxit etiam inanem fœminæ ſpem ingens, & novum quoddam amoris indicium, quod præter omnium opinionem caſu, Rex erga matrem exhibuit. Decumbentem corporis ægritudine Regem Aloiſia mater inviſit. Mulier ut erat ingenii acie, ac natura oris, frontíſque blanditiis, atque illecebris componendis mirificè appoſita, ſuis tunc lenociniis, & lepôris amœnitate filium ita pellexit, ut ſolito rictu, animíque repentè rigore poſito Rex, in matris amplexus, atque oſcula effuſus incognita, ac teneræ ibi multa cùm illa ſigna caritatis ediderit, venire quoque Rex muſicos juſſit, qui ſibi aſſidentem in lectulo matrem cantus dulcedine permulcerent. Aliis amoris, & gratiæ argumentis cùm delectata fœmina eſſet, renuit, & acriter hoc Aloiſia viduitatem cauſata, ex quo enim Joannes pater ejus deceſſerat, nihil auribus adhuc talis modulationis hauſiſſet, niſi quæ in ſacro ſacello divinis laudibus funderetur. Inſtat precibus tamen, urget blanditiis Alfonſus, matríſque brachiis tenaciùs adſtrictus illam ſuaviter tandem cogit muſicorum carminibus intereſſe, mox & aliis amoris illecebris interjectis filii gratiæ non reddita modò mater, ſed arctioris etiam amoris ligata nexu ex eo loco dimitti aſtantibus viſa eſt. Stuporem hujus rei novitas omnibus, ſummam Aloiſiæ lætitiam, parem triſtitiam, ac metum obtrectatoribus ejus incuſſit, quippe quibus jam exploratum Regis eſſet ingenium verſatile, varium, ſibimetipſi adverſum neque dictis, neque actibus ſatis profectò conſtans. Inde conſcientia quoque retortos triſtitia, pavótque illorum animos ceperat, ne parvo quantumvis tempore mater cùm haberet ſibi filium obnoxium, tunc aliquid fortè per Regem moliretur in ipſos, cujus negotii celeritas neque inſidias opponete inſidiis, neque regiæ iracundiæ regreſſum ſineret.

Igitur

Igitur comes Caſtelmeliorius, Aurogiæ quoq; Comes, Cæſarque Meneſeus quanquam priùs inter ſe regiæ, ac potentiæ ambitione diſcordes, nunc communis ſibi metu periculi unanimes concordéſque conſultant, qua via, qua ratione tandem vel omnino perderent Aloiſiam, vel in eam calamitatem præcipitarent, qua extrema ejuſdem ruina in regno ſtabiles ipſi, vel tutiores ſaltem graviori adjecto mulieri periculo forent; nec aliquid aptius inter cogitationum multiplices æſtus, variáſque evolutas terroris imagines ad tem tranſigendam occurrit, quàm occulta Aloiſiæ conſilia, atque vota de transferendo in Petrum imperio, quæ ſæpè ſuggeſſerant Regi, nunc aucta formidine verbis, & per nova argumenta terroris expreſſa, acriùs illi inculcare, atque in animo figere. Sanguini certè, & juri, & naturæ, & omnium hominum amicitiæ, atque fidei renunciare Principibus ſolitum, ut diadema ſervarent; ideò non illis horrori, non verecundiæ fuiſſe hoc ſæpè fratrum, ſæpè parentum cæde cruentum accipere, ac per his ſimillima ſcelera ſuſtinere. Adeuntes itaque Regem monent eumdem, quàm inſidioſa, quàm ſollicita, quàm acuta mulier circūagatur, ut alteri filio ereptum alteri daret, à quo repetere poſſet, imperium. Quid impetus, quid in Petro pro regno occupando flagraret ardoris, hinc à parentis, hinc à lubricæ ætatis ſtimulis, ab ipſa etiam imperandi prurigine, à partibus, ſimul à metu ſi omitteret, à ſpe ſi negotium committeret, concitato. Diviſam jam eſſe aulam, addebant, pleroſque ſummates infidos, captum domi rumoribus populum, foris militiam largitione corruptam; & hæc omnia unius ingenio fœminæ volvi, & peiora in futurum, eadē tunc ordiente, miſceri. Altero propè paſſu, niſi fœminæ reſiſtatur, & per contemptum debilitetur, Petrum imperium occupaturum, & qui jam ſceptrum, & omnia teneret, ne libertatem quidem fuiſſe in tanto rerum turbine retenturum. His, & ſimilibus verbis eouſque Alfonſum vertendi regni formidine turbant, & ira præcipitem volvunt, ut protinùs matrem à Regia diſcedere juſſerit. Hoc ubi Aloiſiæ denunciatur eò magis in ſe concuſſa afflictáq; fœmina eſt, quò per recentia amoris indicia, igniculos illos quos erga parentes natura ſuccendit, pravíque homines malè inſtillando in filio penè reſtinxerant, jam revixiſſe crediderat. Porrò quà pertinaciam inimicorum, quà Regis inconſtantiam, ac levitatem perpendens, & quod ſe inopem, ſolam in medio certaminis poſitam, & crudeliter agitatam fuga, aut exitio neceſſe foret tot cruciatibus finem imponere, Regia confeſtim decedere ſtatuit, ſedis quanquam recentis, quo illa migrabat, ædificatio ut raptim perfecta novæ ſtructuræ ſitu, humeſcentíſque ſoli intemperie, quicumque ante tempus eam habitaſſet, periculum faceſſebat. Eò igitur paulò poſt Aloiſia circa milliarium Uliſippone procul à Rege ſummô nobilium effuſo ſtudio, atq; obſequio deducta eſt, undique inſeſſo à populo itinere, ut Reginā, matrémque Regis tranſmigrantem ſpectarent, aliis invitam, afflictam, & tanquam ad carcerem Principem duci, aliis varius ut paſſim manaverat rumor, tectè prudentem fœminam curis aulæ triſtibus otium, aulicæ turbæ, ac negotio quietem, ac ſolitudinem prætuliſſe, jactantibus. Multi rerum quoque viciſſitudines, præſentia dum præteritis compararent, horrebant, nimirum, quæ auctrix adeundi quondam imperii, ſuſtentandíque ſimul adjutrix, & ſocia viro Bregantio fuerat, quæque illo ſublato ejuſdem à ſe parti regni tutelam inter arma, fluctúſque reipublicæ magnos intrepidè geſſerat, eam ipſam, cùm manere privatim in Regia

non

non licuiſſet, ad ingratam quodammodo, ſeveramque cuſtodiam impactam per vim, & ludibria eſſe. Quid auræ fortunæ? Quid patrocinio virtutis? Quid fallaci potentiæ? Quid aulæ fumoſis, vanéque ſtrepentibúſque opibus fidere liceat? Sic fluere, atque humanas interire denique res, & quæ florere, ſeſéque efferre videntur in aula ptimo quoque tempore arere, aut invidia ſucciſa decidere; in umbra, atque errore verſamur, & pulvis, & cinis poſtremò contegit omnia. Cæterùm ut jure à Palatio dimiſſa fœmina cenſeretur, & nobilium etiam invidiæ & plebis offenſioni, & æmulorum odio, qui in hoc facto allatrabant, occurreretut, confictis ſermonibus, atque ex compoſito fuſis obtrectationes, & quæſtus in illam cumulabantur modò fœminæ pudicitiam, modò matris officia, aliàs, & vitæ cultum, uſúmque regiminis lacerantium. Ex imperii ambitione quæ ſola, nec illa parum muliebre pectus percutiebat, ut ſeſe nectunt, atque implicant invicem vitia, varias in illa ſcelerum ſacies expreſſerant. Rex Alfonſus rei geſtæ pudore, vel odio matris nec viſere ipſam, nec ſalutare. Cæteri ad Regis imitationem compoſiti abnuere colloquia, ſubducere ſenſim obſequia, exhorrere deſertæ limen, quóſque Aloiſiæ quondam obnoxios, & regiminis gratia conjunctos ſortunæ duntaxat converſio ab ejuſdem congreſſu, atque amicitia retraxerat, eos accuratiùs ab illa nunc metus arcebat, cùm rumor etiam efflueret, avidam ultionis mulierem machinari res novas, eóque hiſce vocibus fictis eo tempore timor Luſitanis increbuit, exteróſque pervaſit ut Regis Galli, Regiſque Britanni Oratores hoc vulgi rumore perterriti priuſquam Uliſippone diſcederent à Rege filio impettarint, ut citra ſuſpicionem, Regiſque notam ſas eſſet Aloiſiam adire. Inter has ſimulationes, ſuſpicionúmque caliginem Petrus, & ſi omnia quæ eo tempore agebat in Regis dirigere gratiã, eíque ſe plane ſtudere, atque in omnibus obſequi velle apparebat, id tamen unũ ſimulandi artificio, quod argutum in illo fuit, ac deſiderio Regis excepit, ſcilicet frequẽtare maternam domum, eam honorare, ſæpè conſulere, colere, nihil ſollicitudinis prætermittere, quàm in parentem repoſceret pietas, aut in afflictam Principem miſeratio, quanquam, & ſæpè Aloiſia Petrum corripiebat ne illa officia ſic oſtentando altiores ſuſpiciones, & umbras offunderet illis quibus crudeliter, ſtatim eas vindicare præ manibus erat, incertum, hæc illa ſubjiceret utilitate filii, an quo ita in Regem, partéſque adverſas intenderetur invidia, & erga ipſam commiſeratio. Hoc maximè modò Regia, ac regimine ſimul ejecta Aloiſia, atque in eo calamitatis habitu conſtituta, ex quo ſanè majora cavere ſibi oporteret, quàm aliis inſerre pericula poſſet, tum Rex ſeu metu aliquo matris, ſeu reſidua quadam ſcintilla priſtinæ reverentiæ jam omnino expeditus, atque ſolutus liberiùs, acriúſque revolvi ad ea ſacinora cæpit, quæ ea tempeſtate remiſſa, non penitus interrupta cum cautione, atque modò hactenus exercuerat.

Hæc omnia videbat Comes Caſtelmeliorius, & pravis licet ipſe cupidinibus captum, & corruptelis implicitum, non verò ad extremum perditum vellet Regem, ne ruentis idem Regis exitium utrumque tandem in caſum traheret; modus ei tamen, & ratio minimè ſuppetebat, quem ſama, quem pudor, quem factorum conſcientia, morſúſque non retardaſſet, laſcivientem, atque furentem in ſummo potentiæ tenendi Principem; lenta quippè remedia adeò obduratæ in erroribus indoli, ac regia

Sſ præthereà

prætereà ſuffultæ licentia inefficacia fore putabat, at ſi duriùs, ac preſſiùs monendo, vel objurgando cum illo egiſſet, jure timebat, ne aſperioris moniti merces gratiæ jactura foret. Rex itaq; nullo adverſante, pravo ſuæ cupidinis impetu, æſtúque ætatis abreptus ſuo minus, quàm ſociorũ, quos ſtupra, homicidia, ſua, atque aliena bona alea, popinis, ſcortíſque conſumpta paſſim infames, ac deteſtabiles fecerant, utebatur ingenio. Turpia, & indigna permulta in ignobilia capita facta narrantur, ipſo jubente, vel adjuvante Rege, vel ſaltem, ut oportebat non reprobante. De viris nobilibus hæc habentur. Cùm tanta ardere videretur in Rege humani fundẽdi ſanguinis ſitis, aut ſtolidæ potiùs fortitudinis oſtentandæ, ubi etiam non erant exquirere crimina vitium, affectíque judicii lapſus ſibi etiam gratis aſſerere offenſas proclivem ad iram, illámque ſimul explendam animum impellebant. Hac malitia, ſeu animi levitate provectus Alfonſus ad interitùm ſæpè quæſivit Marchionem Fontanum, nec illum in via, aut ejus ædibus nactus hanc nefariã denique cædem ſuis ſatellitibus demandavit. Inſiliunt, quibus facinus erat cõmiſſum, in Marchionem, lectica dum ipſe vectus incuriosè fortè per urbem deferebatur; clamore, ſtrepitu properant, multas in illũ fiſtulas ferreas excutiunt, jam penè vehiculum, vectorémque dejecerant, cúmque plures, qui de via fortè erant, & qui famuli circunſtabãt hero impigrè ſubvenirent, raptim in illos cõpoſito cuneo graſſatores exturbant, & Marchio tandem propè jam circũventus, & gravior ſaucius elapſus eſt. Hoc deinde Uliſippone comperto juſſu Regis effectũ eſſe, quia Marchio ipſe Fontanus amicus, fidúſque Regi ob diuturnàm cum eo cõſuetudinem putabatur, tantum deinceps ex gratia ejus, quantũ ex odio inceſſerat omnibus timor, cruẽti, leviſque ſcilicet hominis, atque extenui quacunque vera, ſeu afficta in ejus familiares ſuſpicione, cujuſmodi haud paucas tractandi ingeminat uſus, vulnera, & ſanguinem exigentis. Nec minus profectò ſtomachi, invidiæque viris ſubinde nobilibus attulit, quod in Comitem quoque Encerẽſem ejuſdem præcepto Regis palam, ſed fruſtra tentatum eſt. Curru per urbem invectus planè metu, curíſq; vacuus cum uxore, filia, atque fratre pergebat Comes, cùm ecce repentè in ipſum impetum faciunt omnibus noti ſicarii Regis. Clamor, lapides, ſudes, igneæ fiſtulæ gladii, omnia inſtrumenta terroris, interitúſque contra innoxiam familiam, ac venerabilem ſexum expediuntur: contorti velociter ictus alii in aurigam, in equos alii, alii in vehiculum incidunt; collabitur rector, jumentáque pedibus ſurſum innixa, & lateribus acta lora diſrumpere conabantur; mox vel quia metu tantùmodò injecto, vel aſſultu illo improviſo jactare maluerit Alfonſus, quàm exercere ſævitiam, vel quia homines ſcelerati meruerint in publica luce, viáque plebis iram, atque tumultum jam inde furere incipientis, poſt inanem illum fragorem, & hominum fremitum, concurſúmque, nemine graviter læſo, diffugiunt. Hæc crudelitatis, aut furoris ſpecies in Rege, quæ in amicorum, & procerum capita graſſabatur, ne illis quidẽ parcebat qui ſupremæ fiduciæ munia publica auctoritate tractabant. Petrus Noronia, qui è mercedis ſecretis erat, equo vectus à Regia cùm ſe domũ reciperet, fortè in Regis lecticã offendit vacuam ipſam, ſed ſolitis ſtipatoribus circunfuſam. Petit ab his tranſiturus humanitet Petrus in anguſta ſemita locũ, & interim ſiſtit; id ægrè ferentes homines illi, qui rixarum percupidi etiam in comitate, ac modeſtia iras ſuas inflammare didicerant, & tanquam convicio jactati armis Noroniam aggrediuntur, equóque repetitos per ictus excuſſum

cuſſum ſubinde jacentem vulneribus lacerant. Ad tumultum, ad circumſtrepentes undique voces, horrorémque facinoris viſi, quia res propè Regiam acciderat, accurrit etiam Comes Caſtelmeliorius, Petrúmque Noronam ferro conciſum inveniens, extremóque ſpiritu exanguem inde ad Regiam aſportari præcepit; ubi paulò poſt eodem lethali confectus vulnere extinguitur. Ut fortuitum hoc ſcelus non juſſerat Rex; verùm quò peccandi plus acueretur ejus auctoribus ſtimulus loco ſupplicii, præmiis eoſdem affecit; erátque juris ſic ordine inverſo flagitiorum remunerator, qui vindex eſſe debebat.

Majorem profectò admirationem, acrioréſque Ulifippone querelas contulit alia, ſed palam res geſta Regis, quod religio ex ea videretur in ludibrium adducta, cujus mirificè tenax eſt populus, eáque verè, aut in ſpeciem neglecta maximè invidiam Principibus cumulat. Solemnis per urbem, memoriæque paſſionis Dominicæ conſecrata cum pompa de more ageretur, ibi eorum, quos otium, quos ſtudium, aut pietas attraxerât, exundante populi æſtu, accurſúque, aderat quoque Rex, ſed currus velis opertus, unde aſpicere ipſe, nec aſpici per interjecta velamina poterat. Procedebat interim pompa verùm omninò ſeriùs, ut longis ordinibus conſtituta, affluentíque interpoſita populo; & Rex illo defeſſus otio, inquietóque agitatus ingenio uni eorum qui ſecum ibi ſedebant, impoſuit, ut curru deſiliens, alapam ori ejus, qui primus ſe fortè obtuliſſet, impingeret, ex quo rixæ, tumultuoſæque contentionis initium propter hominem laceſſitum, turbatámque ſubitò multitudinem duceretur. Pergit ille, cùm diutiùs tamen, quàm ferox, ac celer Regis animus pateretur, extrahi jurgium, & contumeliam impatienter cerneret Rex, ſeu populi metus, ſeu aliquid verecundiæ inter ſacra ſolemnia præmortui licet pudoris emiſſum hominem tetigiſſet, tum ipſe Alfonſus clam per vehiculi rimas tranſeuntem hominem quemdam gladii ſui cuſpide pupugit. Is cùm ictus dolore, tum dedecore ſtimulatus, ſimul ignarus unde illapſa percuſſio eſſet, educto repentè gladio defendere ſe, atque ire ultum injuriam parat. Unius ſtatim erecti vibrantíſque mucronis fulgor in tanta virorum frequentia mille ſecum eorum contraxit gladios, qui nudas, micantéſque tot inter cuſpides tueri ſeſe, qui jactantiam facere animi, qui, quod fortuito commiſſum cenſebant jurgium dirimere laborabanr. Concitatur hominum multitudo, ſeſéque fuga, metúque premens ultrò, citróque pulſu, ac repulſu diſtracta colliditur. Inde ſacræ imagines ruere, miſceri paſſim altaria, ſolo afflicta divina jacere miſteria, fremitus paſſim turbarum, & lamentabiles voces mulierum ſibi timentium, & violata eſſe ſacra indignantium, querentiúmve, cúmque eo clamore, ac tumultu jam efferatos, & in orbem contractos ſatellites Regis in eam incitatam multitudinis vim temetarius impelleret impetus, cruentum, atque exitu fœdum die illo feſto Ulyſippo facinus conſpexiſſet, niſi vir gravis, ac nobilis, qui fortè Regem comitabatur, eumdem admonuiſſet. Videret, quid ageret, nihil æquale furori populi, nihil exceptum, nec ipſum ardentiùs quàm profanatæ religionis injuria per omnia flagrare, rapique præcipitem. Imò & ſi latius imperitaret Alfonſus, omnia illa ſubverti regna uno impetu poſſe populi. His dictis conterritus Rex, è curru, ubi hucuſque latuerat, deſcendit, palam omnibus fit; etiam vitiis aſperſa majeſtas apud homines valet; coorta tempeſtas ſedatur, currum Rex repetit. Seria ita Rex ludis, & jocoſa cruentis admiſcens aliàs

impium, aliàs crudelem, ludibundum interdum, ac genio indulgentem ſeſe præferebat, cùm revera minus ipſe nequitia quàm animi levitate peccaret, & in adeò volubili ingenio nec virtutes, nec vitia ſatis hærere conſpicerentur.

Ferunt prætereà cùm in cœlo Cometes apparuiſſet, ejúſque ferali crine cùm audiviſſet funera ſæpè Regum, & regnorum exitia defluere, Alfonſum fiſtulis ferreis in illum excuſſis, aut deſpicere aſtrum, aut ſtolidas minas certis cælitum minis objicere voluiſſe, deinde convicia, atque probra iratiùs effuſa vanis ictibus adjeciſſe. Quod plurimi referebant in manifeſtam adoleſcentis inſaniam, in vaticinium nonnulli ex quadam furore, atque animi afflatu ductum, qui cùm in Principibus viget tum maximè in illis, qui hujus Regis ingenio ſimiles, ratione minus utuntur perinde quaſi ita furens, ardénſque conatibus Rex in Cometem incitaretur, ut imperii jacturam eidem præſagientem. Illum rigorem animi, hanc naturæ torvitatem in Rege Venereæ quoque delitiæ præter ſolitum leves excipiebant, ſive id conſultò affectaret, ut ſe virum oſtenderet, cùm diverſa, ipſíque Regi maximè obnoxia fama pervagaretur, ſive id eſſet magis irritamento vitii, quàm voluptatis perceptæ cauſa, ſive affectum malè animum, ac deterius etiam inſtructum ea res quia illicita, ac vetita multò magis extimularet. Cæterùm penes aulicos Regi fidos hæc erat quidem negotii ſumma, ſcortorum videlicet turba vario ſermone jactatam proli nunc utilem ementiri habitudinem Regis. Hoc ergo conſilio elatus jampridem infantulus fuerat, quem Rege natum amici vulgaverant. Inde puella etiam educabatur titulo filiæ Regis. At fœtum utrumque ſuppoſitum, Regíſque ſecuritate confictum eſſe, multi, quos artes aulicæ non fefellerant, muſſitabant. De ultimo planè conſtat, ſic matrem teſtatam apud Judices eſſe. Hæc verò inſignia inter ſcorta potiſſimè unum vel eximia corporis ſpecie, vel fortioris illecebræ veneficio ita devinxerat Regem, ut nec verecundia, nec regiæ majeſtatis dehoneſtamentum, nec quòd in illum, ut Regem, conjecti omnium penè hominum oculi eſſent, inhibere poſſent Alfonſum quin publicis ludis, ſpectaculíſque impuræ mulieris ſocietatem oſtenderet, ídque graviorem tunc apud cives notam inuſſerat Regi, quod plerique fœminam noverant publicè proſtitutam, & quod excelſi, regiíque nihil ſapere, nihil aſſurgere poſſet animus penes quem tanti eſſet vulgati corporis vilitas. Ea porrò ut crudelis, ut falſa mulier, & varias nocendi, aucupandíque perdocta mirabiliter artes, quò erga ſe magis, ac magis amorem accenderet Regis, zelotipiæ quoque facibus incumbebat ejus animum inflammare, unde multum quidem cruoris, ita jubente Rege, meretriculæ vanitas hauſit. Cæterùm nihil hac fœmina potiùs inter tot æmulorum machinamenta res Alfonſi labefactavit, ut enim inepta ſecreto mulier, ac natura loquacior ſæpè omnibus decantabat Regem amantem à ſe redamatum, nunquam ut virum à fœmina, cognitum eſſe.

Dum inter hæc, & ſimilia flagitia Rex præ ſævitia, aut amoribus volutatur, mutuis inſidiis, ac dolis ut alius alium è gradu dejiceret aſcenſúmque ſuper æmuli ejecti caſum attolleret, more ſuo pertinaciùs aulici contendebant. Comes Caſtelmeliorius creſcentis initio potentiæ, quæ ex Antonii Contii ruina profluxerat, pari propè merito, & gratia ut ſuprà relatum eſt, apud Regem cum Cæſare Meneſeo, & Aurogiæ Comite floruit; iiſdem mox gratiæ Regis, imperiíque

riſque æmulatione perculſis, mutuóque ſuſpectis, & cautè inter ſe palam agentibus, at interiùs acerbè commiſſis cùm viciſſim utrinque luderent artes, & oris ſuavitas animi virus, reciprocos ictus latibula tegerent, ingenio, aut fortuna inter eos prævivit Caſtelmeliorius, quos Regia quoque depellere facilè potuiſſet, is niſi pro rerum conditione metueret, ne uterque penitus fractus ſpem, & fortunam quas inter regias amiſerat, in Aloiſiæ partibus quæreret. At ubi lapſu Aloiſiæ ille ex animo timor deceſſit, crimina aliqua partim vera, partim aſficta Caſtelmeliorius in Autogiæ Comitem ſtruens, ea ſcilicet ipſa, quæ idem in ſuis amicis diſſimulando fovebat, primùm illum ex Regia, mox urbe ſummovit. Pulſo in hunc modum Autogiæ Comite, obſtabat etiam Meneſeus, ſed volubili quidem ſpe conſtitutus, cùm à prævalido, vallatóque partibus viro ferè inermis, ac ſolus oppugnaretur. Res in extremum adducta diſcrimẽ tum ultionis cupido, dolórque ægrè eluctandæ manus inimici potentioris rebus omnibus circunſpectis intendere tandem ingenium, animíque colligere vires adegere Meneſeum, quò imminẽtem cervicibus æmulũ prævenireт: acrioris propterea remedii cura jactato venit tandem in mentem ſubjicere Alfonſo, ut Antonius Cotius ex Braſilia, ubi tunc exulabat, Uliſipponem revocaretur. Popularis in ſpeciem erat prætextus, Regi pergratus, plauſibiliſque, abolitio videlicet publicæ injuriæ, ac reſtitutio decoris regii ob intimum ſibi quondam familiarem cum tanto fragore, ac ludibrio majeſtatis abreptum; cauſa vera in occulto, eáque efficax erat, miſcere in aula per res novas ſi fortè poſſet res inimici propitias, cùm illi virum oppoſuiſſet, qui vel omnino occuparet, vel divideret ſaltem voluntatem, & gratiam Regis, ſimul etiam alterius ſubſidio in tanto diſcrimine inniti, atque opis eo tempore egentem reverſionis ſubinde vicem ab Antonio repôſcere. Acria poſtremò, atque acerba cùm duos homines implicarent de gratia, ac potentia penes Regem litigia, ipſe ut medius rorum complecti, aut rebus exagitatis aliquid fortè decerpere potuiſſet, aut quæ impẽdebant ſaltem per ea, quæ in æmulum redundaſſent, certa ſibi pericula ſubterfugere. Hæc erat Meneſei mens. Durior tamen tractatu res videbatur; difficile quippè erat ſepoſitum Regem, aut ſine arbitris convenire, qua cautione quidem uti Meneſeum neceſſe erat, ut pro tanti momenti negotio in aures, & animum Regis influeret. Providerat enim diligẽtiſſimè Comes Caſtelmeliorius ut omnia, quæ audiret, loqueretur, aut faceret Rex Alfonſus per circunfuſos exploratores edoceretur; capitali præterea crimini dabat Comes, ſi ipſo inconſulto, aut ignaro quiſpiam auderet ſecretum habere cum Rege colloquium. Ita ergo dum hæſitat, volvitur animo Cæſar, multíſque diebus occaſioni captandæ ſtudet, regium denique viridarium fortè ſolum perambulantem aſſequitur Regem; fœda ibi gravia, & acerba, quæ in miſerrimo exilio nullo alio crimine niſi quòd diligi meruiſſet, ac bene de Rege meritus eſſet, pateretur eo tempore Antonius amplificat; multa pingit, multa etiam affingit, quæ ingens animi ardor odio, & periculo ſimul afflatus adjecerat, Regem denique impellit, ut reduci ab exilio extemplò juberet Antonium, datis etiam eidem Meneſeo mandatis, ut per ſcriptas ab ipſo regio nomine litteras exul ab Indiis revectus eſſet. Res diutiùs latere Caſtelmeliorium omnia rimantem minimè potuit; cùm ampliùs ei tamen non eſſet integrum quod factum jam eſſet expungere, in auctorem conſilii, cujus ſatis fallacem deprehenderat mentem converſus novo hoc ſtimulo adjecto ejuſdẽ ruinã

acceleravit. Igitur primùm in animo ſecum deſcripto Comes, quibus artibus uſus Antonii regreſſum ab India infructuoſum, & irritum redderet, præmoliendum eo tempore ſtatuit, ut cùm rediiſſet Antonius, tunc Meneſeum omnino afflictum, atque extra aulam, & urbem extorrem offenderet, ne manu, ut dicitur manum in aula lavante, fortiores uterque adverſus communem æmulum vires conjungeret. Itaque quæ acquiſitæ, ampliatæque gratiæ Regis fiducia deliquerat olim Meneſeus, quæque ille idem jure amicitiæ fretus in ejus ſinum effuderat, nunc quod ita intereſſet, effodiens Caſtelmeliorius, atque inimico inſolenter objectans, ſimul res novas moliri, tranſitúmque ad partes adverſas, obtinuit tandem à Rege, ut ejus juſſu multaretur exilio.

Poſt hæc ex Braſilia Antonius Contius, ut Rex Meneſei adhortatione præceperat, Uliſipponem appulit. Navi ex alto cùm ille in portum invectus eſſet, concentu tubarum, belli ſonitu tormentorum, omníque communis oſtentatione lætitiæ ingreſſus ejus obſtrepuit. Verùm è navi jamjam deſcenſuro, cùm ferè tota rei novitate ſublata, ſeſéque calcando premens ad portum civitas concurriſſet, felicémque contumeliam illam jactaret, quæ in tantum celebritatis, ac ſpeciem propè triũphi cõverſa fuiſſet, repentè tunc imperatur Antonio, ne in terram deſcendat, ne Uliſipponem adeat, ſed in remotum quoddam oppidum ſe recipiat, ibíque immoretur ejuſdem ambitu loci regio nomine circunſcriptus. Scenæ hujus, & pompæ eouſque verſatilis auctor, is qui cæteras quoque luſorias in aula partes agebat Comes extitit Caſtelmeliorius, hoc nempè inſidiarum ordine uſus; primò probavit Alfonſo, quod jam non poterat impedire, ab exilio ſcilicet evocandum Antonium Contium, quippè quem inſcio Rege, atque invito, præcipitata ultione, paucorum temeritas ablegaſſet, eorumdémque ad ſanandam ſtultitiam, aut cõprimendam audaciam patere opus eſſe, quod Regi duntaxat decernere liceat, quibus danda, quibus adimenda libertas aut vita ſit, qui vertere ſolum, aut reddi meritò debeāt. Appulſo deinde jam ad littus Antonio, contentioníſque ſtudio, vincendíque libidine ejus reditu prorſus expletis, cùm pauliſper ſuſpenſus, ac propè trepidus ipſe memoria repeteret Rex, quos homo æſtus, quas turbas, ſimultatéſque apud aulam, & regnum concitaviſſet, & utrum extincta materia eſſet, an aliquid tacitè ſerperet, unde novæ ſe ſuſcitare, atque effundere faces poſſent, ſic æſtuātem arripit Regem Caſtelmeliorius, eíque protinùs ſubjicit, *illa* exilii remiſſione, Antoniíque ad urbem regreſſu, aſpectúque jam ſatis rumori, regiæ ſatis auctoritati conſultum eſſe. De regis tutela, ac præſidio eſſe impoſterum laborandum, quod matris, quod fratris ipſe perpetuis oppugnaretur inſidiis; idcircò quo minus Antonio, ut ſeditioſo procerum inſtrumento ſubdendíſque populo facibus, turbulenti, qui multi circunſtetiſſent, homines uterentur, optimum factu ſibi videri, ut ille ſtatim inde retractus, & aula procul ejectus urbe diutiùs, & Regia, & Regis quoque careret aſpectu; dum hæc animorum ubique commotio lãgueſceret, & quæ retrò acta eſſent, deleret oblivio, & deinde conſilium à tempore caperetur. Nullo utique animi affectu magis, quàm metu Alfonſus agitabatur, cujus ſubdolè frænos ejuſdem ingenii, ac naturæ planè peritus Caſtelmeliorius, prout res ſua poſtulat, jam adducendo, jam remittendo, jam ſæpè verſando circunferebat. Premere verò in præſentia æmulum præpotentem, ſummopere infeſtum, atque huic aliorum connexas uno ictu ſuccidere ſpes, conatúſque cùm ſua præcipuè

intereſſe

intereſſe conſpiceret, in iſto negotio ſeipſo major incubuit. Cæterùm cùm ea improviſa adverſarii depulſione maximè ſibi Caſtelmeliorius potentiam, & opes apud Regem confirmaviſſet, ea ipſa non parum ex parte alia debilitavit, clariori planè argumento jam omnibus manifeſto, quod ad potentiæ amplioris menſuram invidiam invidiæ Comiti cumulavit, Alfonſi nempe judicium ſive innata ægritudine torpidum, ſive aliquo veneficio corruptum aliud elicere nihil in regimine poſſe niſi à Comite illi indita, & juſſa; & alium ſibi profectò Regem quærendum eſſe, cùm jam Alfonſum privato in homine perdidiſſent. Porrò autem ut ſibi maximè, & jure diffidit ambitio, ſuíſque affectibus diſcors, ac turbida ſemper eſt, jam Antonio Contio dejecto, & tum à congreſſu, tum ab oculis Regis excluſo, adhuc tacita quædam ſuſpicio, & formidine plus adumbrata, quàm certis indiciis expreſſa Comitis animum remordebat, nimis propenſum erga Antonium ſubeſſe Regem, veteríſque amoris reliquias cùm etiam etiam influeret propinquitas loci quotidie magis in regio pectore creſcere; qui cæteris imperant, ſibi minus imperitant, verúſque clauſum in pectore incendium, ac velut tempore preſſum quidni vehementius aliquando erupturum? ſimul inimicorum aſpicere turmas erecta expectatione, animíſque intuentium Antonium velut hominem cælo delapſum, qui ipſius in aula effracturus potentiam eſſet, aut omninò everſurus. His anxius curis omnia ad hæc Comes callidè referebat, nempè ut ſimul Regem, ſimul Antonium falleret, tanquam abſentia ejus ab aula non à gratiæ Regis contentione, imperióque ſibi ſolidè ſuſtentando, ſed à quietis, pacíſque conſiliis, & tum Antonii, tum ipſius Regis utilitate quæſita eſſet. Præterea quod dicta factis ſecundum ſpeciem congrueret, colere impenſius Comes Antonium, fundere obſequia, crebra munuſcula mittere abſenti, cúmque tunc fortè opulentum in Regia vacaſſet officium, Antonio quanquam ejecto, exulíſque hoc ipſum à Rege conferri curavit, Joanníque Contio ejuſdem Antonii fratri, qui ſacris imbutus ordinibus erat, Eccleſiæ ditiſſimum beneficium.

At verò qui planè comprehenderat inſperatam, ac rigidam illam ſeparationem à Rege fraudulentam eſſe duntaxat Comitis cautionem, non reipublicæ curam Antonius, & quem ille metueret ultorem, falſis velle manſueſcere officiis, & vanis illecebris indormire, ficta per ficta ludificans, ne fortè ſe odiſſe, neu rem percepiſſe cognoſceretur, interim operam dabat ut vel congredi ſemel cum Rege poſſet, confiſus ſi ſemel aſpicere, atque alloqui Regem, manúmque tangere licuiſſet, contra æmuli inſidias ſeſe aliquid profecturum. Hoc ſummo labore, atque induſtria Caſtelmeliorio Comite neſcio impetravit tandem Antonius à Rege, cùm ille ſuo more venatum propè Alcantaram iret. Ibi Alfonſus gratulabundus, & ita lætus, ut ore, atque oculis lætitia nimia difflueret veterem amplexus amicum eſt, quin & illum interrogavit, vellet ne ſtatim redire ſecum ad aulam? Antonius, cujus jamdudum immotum, fixúmque in animo erat, quod nec Regia, nec regimen, nec Regis quoque voluntas, ſive amoris, ſive imperii natura ſpectetur, capere ſimul poſſet Caſtelmeliorium, Antoniúmque parata ad id tempus reſponſione in hunc modum ſatisfecit Alfonſo, tam citam ipſius ad aulam reverſionem difficilem ſibi Regíque futuram, multíſque moleſtiis, & periculis implicatam. Utilius ea tempeſtate fore, ídque ſe maximè deprecari, ne diutiùs eos exulare viros proceres pateretur, qui jure ſuo quon-

dam matri Aloiſiæ imperanti paruerint. Contra jus, & officium hoc utique factum eſſe, contra obſequium parenti debitum, ac regiminis diſciplinam, ac malè ſubditos admonere, ut obedire dediſcerent, filios, ut parentes aſpernarentur. Ad hæc dicta reticuit Rex, rudi, obtusóque ejuſdem ingenio minimè penetrante, hoc ancipiti poſtulato, velle merita nundinari & partes colligere Antonium, quibus pulſo Caſtelmeliorio, locus illi vacaret, quem relicturus ejectus æmulus eſſet. Itaque eo brevi cum Rege congreſſu dimiſſo, ubi ſecretum colloquium innotuit Caſtelmeliorio, ſibíque ex compoſito occultum, ſimúlque revolvit, ſubeſſe Regis animo latebras Antonii fide & conſcientia, non Comitis fide dignas, majora quoque inter regni, ac regiæ domus arcana id ſibi repentè unum obſcura de cauſa, & Antonio auctore interverſum fluctuare in animo cæpit, ac ſtudioſiùs quærere modum, quo ſe clam, ac leniter efferentem, antequam artibus ille creſceret, adverſarium opprimeret. Hæc animo volutanti exploraſſe fortè Comiti contigit, in illo colloquio, quod ſeorſim cum Rege Contius habuerat, regreſſum ad aulam, & criminis veniam ab ipſo pro extorribus poſtulatam, talia enim verba furtim à quodam Regis comite excepta Caſtelmeliorio Comiti poſtea relata ſunt. Nihil hoc indice clarius ſagaci viro neceſſe fuit, ut ſtatim veniret in ſuſpicionem Antonius, ſcilicet ipſum in aula jam partibus ſciſſa, quæ Regem, quæ matrem conſectarentur, cum Principi offenſis, matríque ejus obnoxiis illis exulibus conſpirantem clandeſtina conſilia coquere. Cùm igitur inter eos æſtus ac tenebras mentis nulla unquam melior ad æmulum exturbandum ſeſe interponere cauſa poſſet, quam etiam habebat Caſtelmeliorius cum eodem Rege communem, alacriùs idcircò ad Antonii perniciem verſus ejus ſubinde luſtrare veſtigia cæpit, ſecreta rimari, appoſitíſque propterea, qui colloquia, qui convictus Antonii, qui ingreſſus, egreſſúſque familiarium, & tempora connotarent, ſimul labore, pecunia ſimul effuſa, poſtremò collegit exules illos nobiles cum Antonio Contio, tum eorum amicis, affinibúſque qui apud aulam præſertim erant, conſentientes trahere ſecretò conſilia, quibus per vim extruſo Caſtelmeliorio, mater regia Aloiſia gubernaculis redderetur, Regíque Alfonſo ſub umbra, ac regimine matris non vis, ſed ſpecies quædam imperii, nudúſque regiminis fulgor relinqueretur. Hoc ipſum ita partium concordia ſtatutum, ac certum univerſi deinde magiſtratus ſuffragia, qui Uliſippone degebat, ſancirent, amplior tandem auctoritas, actíſque publicis firmitudo ex regni Comitiorum, quæ ideo ſubindè convocarentur, calculis adderetur. In rem illi obtendebant, in tam arcto, atque lubrico poſitis regni rebus fas eſſe naturæ ad ſuæ originis uſum poſtremò relabi. Hæc enim quæ liberos homines eſſe voluit, ſic populorum ſeu plurimorum nutui atque arbitrio alligavit imperia, ut cùm ea ultrò uni ad majorem omnium utilitatem commiſſa fuiſſent, ſi præter opinionem per illum vi, ſive injuria labefactentur, ab iis, qui ea illi tradidere, liceret remedium malorum ejuſdem lege naturæ petere. Hujuſmodi erat conjurationis intextæ ſeries & cauſa. Qua denique revelata dicti ſtatim à Rege Judices ſunt, qui de Majeſtatis crimine inquirerent. Uliſippone cauſa tractatur; dum verò ibi crimen excutitur, & reorum, ſuſpectorúmque nomina deferuntur, ſtricto Rex inſolenter ſuper teſtantium capita gladio, miníſque congeſtis eos pro Judicio ſimul terrebat, & audiebat, ex quo planè teſtibus perturbatis alia hæſitantia

ex

ex ore verba effluebant, alia interrupta, alia invicem diſſidentia; videbatur nequaquam jure, ſed gladio agi: terror omnia miſcuerat. Tumultuariè tandem cognita cauſa, in actíſque perſcripta, cùm delatorum confeſſio, & arcani, ſuſceptíque conſilii ordo matrem Regis Aloiſiam velut conjurationis miniſtram, vel adjutricem, vel ſaltem conſciam legali quoque ſuſpicione gravaret, miſſus eſt ad illam ſcriba, qui ex forenſibus actis ſuſpicionum deductas notas, ſcriptóque digeſtas perferret, eas ut ipſa videret, atque omninò dilueret. Fœmina tunc gravitatem, animíque celſitudinem præbens, contemptione, & ſtomacho potiùs, quàm rubore, vel ira jam trepidum ſcribam, víxque lingua præ metu, ſeu mente conſtantem tejecit, non legere modò, verùm etiam accipere codicillos propoſitos dedignata; tantum ſeu conſcientiæ fiduciæ mulier, ſeu fictioni, ſeu vili de filio opinioni conceptæ in re graviſſima contulit. Rex ergo cùm minis, metúque matrem inflecti poſſe diffideret, cogi fas eſſe non judicaret, affligere ampliùs non eſſet etiam volentibus locus Regia jam, & regimine præcipitem exturbatam, cum ſqualore, ac triſtitia in ſolitudine agentem, & ſolatiis ferè omnibus deſtitutam, quas fruſtra in parentem concoxerat iras, paulò poſt in affines conjurationis effudit; Theodoſius itaque Melus quinquaginta extra urbem leucas ejectus eſt, Cæſar Meneſeus,& Antonius Contius, qui circa Uliſipponem exilium agebant, in regni fines expulſi ſunt. Obſcuri quoque nominis multos ea conjuratio pervertit, incruento planè ſupplicio, cùm Caſtelmeliorii invidia potiſſimùm excitatam grave nihil in regnum, vel caput Regis per illam intentum eſſe liqueret, tum iracundia, minæque Regis, quas ille ſubitus impetus, reíque celeritas non jactaverat, inani ut plurimùm pompa, ſtrepitúque vaneſcerent.

Cæterùm ea criminis inquiſitio plus apparet terroris, & oſtendendæ per cruciatus ſævitiæ, quàm veritatis inveſtigandæ cauſa diutiùs extracta eſt. Circunfuſi per urbem exploratores, deploratores, delatoréſque colloquiis, conventibus, circulis, ita æquè ſeriis, ac familiaribus jocis commiſcebantur, ut propè cunctis attonitis, perculsíſque formidine civibus non propinquus propinquo, non amicus amico fideret; ſuſpectæ aures, timida verba, intuti vultus, nutus etiam inter colloquia in notas criminis torquebantur, nec ea minus Caſtelmeliorii ſeveritate, ejúſque affirmandæ potentiæ ſtudio agitari, quàm Regis tutela, atque amore apparebat, inſontes enim ut ſontes terror ſimul ac pœna corripiebant, hoc aſtu veteres ſuas privatáſque ſuſpiciones, ac longè deducta odia cum majeſtatis afflicto crimine implicante Caſtelmeliorio. Ea ſeverior cùm quæſtio peracta eſſet jam æmulorum ruina, & qui adhuc ſtabant, his nova ruendi formidine injecta validior, quàm antea fuerat, Comes Caſtelmeliorius majori animi elatione, faſtúque oſtentare potentiam cæpit. Sedem igitur illam, quam adhuc habuerat in Regia ad aliam tranſtulit ipſe partem regio habitaculo propiorem; nova per hoc adjecta ejuſdem invidiæ viri, nova Alfonſi ignominiæ, & contumeliæ plaga, gravior inde quoque obtrectandi, inſidiandíque materies circunſpectantibus inimicis: Regis enim Alfonſi limen aſſiſtentibus ratum, Comitis frequens in tam parva loci diſtantia faciliùs obſervabatur, admitantibus, ac propè dolentibus cunctis inter regnantem, ac Regem non aliud pro obſequiorum collatione diſcrimen fortunam interjeciſſe, niſi quod majeſtas alteri vacua, & ſolo propè nomine picta, vera, atque ſolida alteri videretur

deretur hæſiſſe, & cum imperio conjuncta. Verumtamen ut ambitu quodam mortalium ſeſe ſeries circumagit rerum, & bonorum, malorúmque viciſſitudo Caſtelmeliorii in Luſitano regno potentia jam ad ſummum perducta culmen cùm amplius augeri non poſſet, decreſcere cæpit. Hoc initium mutationis, & tenui ab hoc filo totam retexere telam fortuna diſpoſuit.

Simeon Vaſconcellus Caſtelmeliorii Comitis frater poſt longa, & egregia peracta in Luſitano bello ſtipendia Uliſipponem reverſus eſt. Hoc homine Petrus Alfonſi frater cùm ſyncerè, & familiariter uteretur, id ſive ſorte, aut induſtria, ſive morum conſenſu vel ſanguinis fiat, vel aſtrorum affectione, aſpectúque eoúſque amore ejus obſtrictus eſt, ut in aula pro miraculo cernerentur duo regii fratres aliis duobus ſibíque alienis fratribus dediti, quíque licet inter ſe diſſiderent cum alienis concordes eſſent, cúmque plena eſſent inter fratres Principes odia, quod nihil ad latera redundaret. Accidit etiam nec multò poſt intervallo, ut Petrus graviter ægrotaret. Hanc ſe præbentem occaſionem officii, amoríſque ægroto manifeſtandi ſtatim amplectitur Vaſconcellus, ideo frequenter domum ejus adire, condolere dolenti, ad ſervitutem ægro jactandam procerum famulorum intervertere munia, oſtentationis nihil omittere, quod obſequium, & Principi fidem uberiùs teſtari poſſet. Moleſtiſſimè hoc in primis Petri famuli perſenſere; re tamen prudenter diſſimulata, ne corporis ægritudine afflicto moleſtas querelas adderent, poſt ubi Petrus convaluit per alias expoſitas falsò cauſas tacitè injuriæ dolorem operientes dimitti plerique petunt à domeſtico Petri ſervitio, & mox alius poſt alium digrediuntur. Offendit & graviter Comitem Caſtelmeliorium ea inopinata famulorum diſceſſio in ſuam, fratríſque profectò invidiam exiſtimantem dilapſos proceres eſſe. Obtinuit ergo per Regem Alfonſum, ut negligentia, aut errore à Vaſconcello fratre excuſato paulò poſt famuli proceres ad Petri familiam redirent, uno tantum Encerenſi Comite excepto, ipſoque de induſtria, ut fama publica erat, omiſſo, ut Petro ſemper inviſo, & rebus in omnibus circunſpecto deeſſent viri optimi documenta, Comitíque Caſtelmeliorio, cui minus in domo ſuſpecta ſideret. Porrò autem cùm non parum Caſtelmeliorii Comitis intereſſet ſuſtinere per id temporis apud Petrum in illo gratiæ culmine fratrem ut longa ipſe manu, & imperium, & ſpes imperii, quæ in Petro maximè hærebant, complecteretur, ne rurſus inter proceres æmulatio, compoſitæque nuper offenſiones inciderent, Simeonem fratrem ex Regis præcepto renunciavit domus Petri Gubernatorem, ſive Magiſtrum, quò minimè ablatis, aut intermiſſis reliquorum famulorum officiis, ille dignitate, atque arbitrio cæteros antecelleret. Haud quidem gravatè id primùm accipere nobiles famuli viſi ſunt, quòd animo reputarent, Vaſconcellum domeſtica Præfectura contentum, nihil ſibi deinceps arrogaturum, quod ad reliqua procerum munera in familiæ regimine pertineret. Sed poſtquam ſuo hic, vel fraterno ſpiritu inflatus, & ultra magiſtri ſupercilium erectus inſolenter omnia confundere miniſteria domeſtica cæpit familiam, herúmque trahens, rurſus, acriúſque viri nobiles indignati abeundi libertatem à Rege, Petróque repoſcunt, & impetrant. Nec ea de re ampliùs laboravit Caſtelmeliorius, ſatis hucuſque proviſum rumoribus putans, quod, qui ſua ſponte à Petri ſervitio receſſerant, urbanitate uſus ſemel Rex revocaſſet, ac ſi bona familia erat cur eam reliquiſſent? ſi mala, cur eam repetiſſent?

ſent ? porrò jam recurrentem, aut quæſitam fortaſsè cauſam libenti animo arripuit, qua à Petri familia ſummotis quos parum idoneos, ſuíſque flexibiles nutibus noverat, ſufficeret alios leves homines, & venales, ſibi maximè addictos, Petro infeſtos, domus ejus ſpeculatores, & quibus abundè ſtomachus eſſet, Vaſconcelli fratris ſuperbia, ac tumore calcari. In hunc modum ab acri, ſollicitóque Petrus æmulo circunſeſſus, & undique adſtrictus, dum imperium animo agitat, Regíſque fratris inopiam judicii, morum intemperantiam, gignendíque defectum hoc ſedentis etiam in ſinum ejus illatura quandoque eſſe, ne inter ea domus ejus ludibria opportunus injuriæ ob degeneres ſpiritus, fractúmque formidine animum, & contumeliæ forraſsè patiens æſtimaretur, à novo, & pulcherrimo vitæ inſtituto moderationis, & tolerantiæ laudem ſibi conſtituit. Hic igitur ſæpius excutere pœnitentiæ ſacramento conſcientiam, percurrere ſacros libros, memoria cæleſtium, hominúmque religioſorum monitibus, & conſuetudine paſci, quódque reliquum temporis eſſet animæ procurandæ in bonarum artium, aut literarum ſtudia conferre. Raró proinde Alfonſum fratrem adibat, quaſi utilibus rudimentis ingenio domi excolendo vacans, aut cæli negotiis, rebúſque divinis implicitus: quam improviſam Petri mutationem, ac noviſſimũ vitæ cultum, ut variæ ſunt aulicorũ opiniones, & ſuo aliena plerumque cenſentes ingenio, affectúque nonnulli adſcribebant. Auguſtino de Ceuta ex antiqua Regis familia nuper ante Regis, Petríque pedes repentina morte collapſo, tanquam Petrus de cælo tactus vitam, & mores illo monito expoliviſſet, callidiori quidam intelligentia ſecreto Petri conſilio faciliùs, ac tutiùs Luſitani ſibi parandi regni ea religionis imitamenta fucóſque virtutis attribuebant, quibus minus ſollicitum, intentúmque jam dudum ea de re ſuſpectantem redderet Regem, ac populi ſimul benevolentiam plauſúmque captaret, dum hauſto quaſi cælitus ſpiritu ea Petrus agere videretur, quæ actionibus quoque Regis oppoſita, & comparatione illarum luculentius expreſſa gloria, atque laude clariora fulſiſſent.

Inter hæc Marchio Sandius ex Gallia Uliſipponem revectus eſt ratum Regis cum Principe Nemurtia connubium, Petríque Regis fratris cum Bullonii Ducis filia ore tenus compoſitum nuncians, utque ratio iniretur inſtabat, qua nobiles inde Virgines Uliſipponem aſportarentur. Hiſce nuptiis ſuo, & conſilio amicorum inductus, ut regni nempè ſucceſſionem jam incerta prole Regis ambiguam alterius conjugii acceſſione firmaret, initio planè conſenſerat Petrus, poſtquam verò intellexit etiam tunc cælibem ipſum ut regno inhiantem horreri, ac ſuſpici à Rege, ex quo trepidam ſibi vitam, armatas paſſim inſidias, & circunſtantia pericula noverat, illa ratio connubii ne plus æmulorum incenderet odia, Alfonſíque ſuſpiciones acueret, neve opportunitas æmulis præberetur novas in ipſum inſectationes, atque calumnias ſuper veteres cumulandi, ne dum propoſitas nuptias conſtantiſſimè recuſavit, ſed ſuſpectos etiam habebat, nimíſque moleſtos, & graves, qui in contrariam ſententiam eumdem traducere conabãtur. Hac Petri multoties, & fruſtrà pro matrimonio oppugnati duritiè, animíque rigore comperto Comes Caſtelmeliorius Regem denique adit, orátque ut reluctantem conjugio fratrem ſua auctoritate, ac ſi ultrà opus eſſet, imperio compellat. Poterat enim palam per aſtus videri velle rogatus, aut juſſus ad connubium venire, quod vehementi cupidine premeret. Dies erat feriæ ſextæ majoris hebdomadæ

cùm ad funerea Dominicæ Paſſionis officia de more coëuntibus in Regiæ ſacello fratribus Rex à Comite inſtructus acceſſerat, quemadmodum hortaturus ad matrimonium fratrem alloqueretur. Dictata ibi à Caſtelmeliorio Comite verba celerrimè fundit Alfonſus, inſiſtit, urget in cauſam, verſare fratrem rationibus nititur; verùm, aut quia fluxo, tenuíque Regis ingenio orationis contextus, & ratio intellectu difficilis eſſet, aut quia inſitus quidam in animo furor res non intelligi ſineret, aut intellectas ſtatim effluere, nedum minimè congruentes, ſed oppoſitas etiam negotio, quod tunc tractabat, rationes admiſcens, quo tempore fratrem rogavit, ut contrahere connubium vellet, eodem ſimul increpuit, & minas atroces addidit, quòd unà cum matre Aloiſia conſpiraviſſet, ut diadema interverteret, quorum unùm, ac pondere majus Petrus obſequio, ac ratione purgavit, alterum pervicaciter renuit, haud ſanè fas eſſe dictitans contra renitentem, & adverſantem hominis voluntatem, quæ eſſet profectò vinculum ſacramenti, inferre pro nuptiis minitando, cogendo vim. Cæterùm duas magni quidem momenti nec curæ ſibi minoris res ab hoc extracto cum Rege ſermone collegit Petrus, altiùs ſcilicet eſſe regio pectori immiſſam de affecto à ſe regno ſuſpicionem, nec eam evelli tam facilè poſſe, minus præterea ſuo, quàm impulſu Caſtelmeliorii, ut cælibatum frater exueret, tam vehementer anniti Regem. Firmior illi proinde exorta ſuſpicio, atque infixa in animo eſt, Caſtelmeliorio fortaſsè inſcienter ea fila porrigere Alfonſum, quibus ille ſuſceptæ fraudis, excogitatíque telam exitii perficeret. Rex autem Alfonſus cùm inanem hunc primò vincendi fratrem conatum expertus eſſet, ejuſdem deinde Caſtelmeliorii conſilio Petri ad ſe famulos vocat, ſimul imperat illis, ut orando, monendo, obteſtando curarent Petrum è ſententia dejicere, ſi ſecus accideret, ſe Petro non minus offenſum ob illius pertinaciam, quàm ipſis ob eorumdem inertiam fore. Atqui nedum irritis hortamentis, raucíſque precibus homines apud Petrum circumſtrepebant; verum etiam quò flectere eum à propoſito ſtudioſiùs allaborabant, obdureſcere in illo magis precibúſque rigere conſpiciebant, quippè qui ea omnia ſubdolè, atque enixè fovere Caſtelmeliorium intelligebat, neque aliud ſibi niſi teterrimum provenire à tali obtrectatoris ingenio poſſe. Igitur juſſu Regis præter famulos ejus aliis etiam Comitis opera incumbentibus multis, hic tandem animo exaſperatus, ac propè furens, caput, inquit, Regem abſcindere ſibi poſſe, arbitrium non poſſe, ſéque interitum potiùs, quàm nuptias amplexurum fuiſſe. *Sic* diſſoluto Petri connubio quod *fruſtrà* jactatum cum Bullonia Principe fuerat, inde animum Sandius Marchio ad regias complendas nuptias advertit; quærentíque verus ne eſſet, an fictus, qui in Luſitaniam obrepſerat, & Galliam quoque tetigerat, rumor proli inhabilem eſſe Regem? ſimulatè reſpondit Caſtelmeliorius, illegitimos plures editos Regi filios hanc vulgarem opinionem, ac planè falſam penitùs ſuſtuliſſe. Rebus poſtremò compoſitis, ut regia ſponſa quàm citò Uliſipponem trajiceret, ad Galliam Sandius reverſus eſt.

Interim Aloiſia Guſmana extremo correpta corporis morbo cùm fato ſe proximam intelligeret, filios per litteras accerſiri præcepit, ut ultimum illis amoris materni pignus benedictionem impertiretur. Eo tempore Rex, Petro comite fratre, ex venatu, equorúmque tractatione ad hauriendas de more delicias omninò ſolutus, & vagus, in ſuburbano

urbano rure conſtiterat. Porrò modicè, aut nihil aſtantibus viſus eſt Regis tunc animum tetigiſſe moribundæ matris affectus: acriùs Petrus indoluit, quippè qui ſpes, quas fœmina afflante tetenderat, hoc ictu ſublatas, augendas æmulorum inſidias, ſeque ſubſidio, ac ſolatio ſimul orbatum conſiderabat; præcurrere itaque ipſum ad matrem volentem, ne officii laudem præriperet ille, moratus eſt Rex. Pergunt æqualiter ambo, at ſegniori profectò gradu, quàm verè pati pietatis ſtudium, aut amoris celeritas poſſet; matrem tamen adhuc ſpirantem inveniunt, defunctíque extremo pietatis, ac venerationis officio recedunt. Subinde Aloiſia, ut conſtanter, piéque vixit, interiit. Fuit enim Aloiſia Guſmana eximia conſtantia, pari animi magnitudine, ea ſingulari prudentia, qua internis externiſque regni fluctibus agitata, æmulorúmque conatibus preſſa proſperè, atque optimè ſcivit res domeſticas, atque bellicas fœmina temperare. Viro quondam cunctanti, diffidentique etiam oblatum accipere regnum, hoc propè illa minarum terrore dedit; conſilio poſteà ſuſtinuit; induſtria, ac labore firmavit; ille ſiquidem nihil in regno arduum, hac muliere inconſulta, ſeu reluctante, cùm graviores utplurimùm incurrerent cauſæ, tranſegit. Ad hæc Politicas artes, bonos, & malos regiminis dolos, dominationis arcana, humani latibula ingenii, non modò intelligere mulier, ſed pertractare quoque, ac provehere tam natura, quàm diſciplina mirificè inſtructa fuit; non ſecus enim, ac præſentes fratrum diſcordias regiam hucuſque familiam, regnúmque vellentes ex longo intervallo in animo præſenſiſſet, obſtitit olim ne Odoardus Portugallius Bregantii fratris in Regem aſſumpti nuncio in Germania præventus cuſtodia, quam poſteà ſubiit, elaberetur, quo minùs frater propiùs in fratrem regnantem ex pari natura, diſſimilique gradu invidioſa æmulatione collecta concurrerent; cúmque eſſet ipſa genere Caſtellenſis, eóque nomine inviſa, ac propè execrabilis Luſitanis ea ingenii dexteritate, alieni moris imitatione, deſuetudine patrii, ſollicita, cauta miti ſeveritate, gravíque clementia cum Luſitanis externis verſata eſt, ut etiam cum onere imperii, & molæ præſentis gubernationis invidiæ gratiſſima ferè omnibus eſſet, & maximè popularis. Quædam tamen ab illa vitia, ut fluxa, atque fragilis, contrariíſque affectibus conſtituta humana natura exegit, nimirum profundam honoris ambitionem, ac libidinem dominandi, quocirca nonniſi per vim ablatum adulto jam Regi filio imperii regimen ceſſit, hoc extortum rurſus quæſivit, irrepertum graviter ſenſit, nec Regiam deſerere voluit, niſi dimiſſa. Ut Petri quoque adminiculo, & ope adverſus inimicos, & invidos uteretur, rara, & potiſſima amoris oſtentans minorem erga filium indicia, pro nihilo habuit ſuper multa, eáque ſæva inter fratres aliis de cauſis diſcordiarum ſemina effuſa, inſerere quoque certamen, & ſcrupulum maternæ benevolétiæ, odiíſque ſua ſponte currentes, acritérque commiſſos novis calcaribus concitare. Ad hæc parum otii, quietiſque patiens, aut pacis amica in ſolitudine viſa eſt, cùm ea ſecreta conſilia, quæ ut ipſa redderetur imperio Uliſippone concoquebátur, aluerit, promoverit, vel ſaltè conſultò diſſimulaverit. Cæterùm ſi virtutibus vitia, & adumbratis expreſſas animi dotes, & fortunam cum ſapientia in hac muliere conferre velis, talis faſtigii profectò fœmina fuit, ut illi meritò gens Guſmana ſplendorem familiæ regium, libertatem Luſitania, monumentum gloriæ perpetuum Hiſpania tribuere debeat.

Sublata Aloiſia, crevit Alfonſo Regi libertas, Petróque ab illo ſibi cavendi, dolíſque occurrendi ſollicitudo. Latiùs proinde manantibus ex novis injectis ſuſpicionibus odiis timores, cautiones, diffidia, alteri alterius per ſeria, per jocos inſidiandi libido quotidie inter fratres ingraveſcebant, Comeſque Caſtelmeliorius, qui hactenus Petrum, ut matri conjunctum, ac mutua defenſione vallatum metuerat, hac modò formidine liberatus multò quàm anteà licentiùs agebat. Jam verò cùm nihil Petro daretur reipublicæ attingere, ſed rem ſuam domeſticam tantum, atque eam difficulter omnino, magnáque ex parte aliena voluntate correctam habere, in hoc fomes offenſionum, & certaminum cauſa vertebat, quòd Petri approbatio, atque gratia, in quos ea cecidiſſet, ſuſpectos Alfonſo illius famulos faciebat, & quamvis ſatis initio cautum per ſuſpicaces homines fuerit, ut qui deſtinatus Petri ſervitio eſſet, is ex intimis Caſtelmeliorii clientibus lectus, ejúſque fortunæ alligatus extra heri domum, & ex domo inimica ſuas rationes, & commoda peteret, caſu tamen, aut gratis interjecta ſæpè ſuſpicio, aut de futuro hæſitatio multum Regis, multò magis Comitis animum repungebat, an quemquam eorum Petrus officio, ac meritis lucraretur, an alius in longum ſpe jacta temporarias inter anguſtias ultrò ſe Petro addixerit, vera-ne, an falſa ſpeculator domeſticus retuliſſet. Inter hos graviores ſuſpectionum aculeos, & curarum jactationem cùm ex utraque parte æſtuantium, nihílque ubi conſiſtere tutò poſſent ſolidum intuentium tam perfidia, quàm fides procerum torqueretur, multi tædio feſſi Petri famulitio cedebant, alios, cùm valeret in eis ſuſpicio, honoris ſpecie ſubductos Comes Caſtelmeliorius ad alia munera promovebat. Ita porrò in obſcura, arctáque nimis familia relicto Petro, ac ſplendore domeſtico deſtituto, in corde ſibi ex æmuli offenſa, notóque ludibrio ſenſus animi acer, publica nota foris acceſſerat. Plurimos dies triſtis animo Petrus, tacitus tamen cum hoc dedecore exegit; at ubi Reginam ſponſam ex Gallia adventare delatum eſt, ac ſimul nuptialem, & regiam celebritatem, cui & nobiles Galli profuſo, ac ſplendido luxu, & melior pars regni pulchrè, ac magnificè inſtructa quamprimùm erat interfutura, ne in tanta oſtentatione Petrus, Regíſque frater cum eo ſqualore domeſtico ſpectaretur, petiit ab ipſo Rege, daret ei famulos regio illo apparatu, habitúque fortunæ dignos, alioquin vel nuptiarum effugere pompam, vel illi intereſſe cum contumelia, ac dedecore cogeretur. His argumentis ut fallaciter priùs inſtitutus à Comite fuerat Alfonſus ore placido, hilari in ſpeciem fronte reſpondit; Diceret Petrus, quos ſibi famulos vellet, ut eos protinus Rex deſignaret, hoc ſcilicet animo volvens, ut quos cariores, fratríque fidos ore ejus intellexiſſet, eoſdem idcircò Rex ut minus idoneos excluderet. Paucis elapſis diebus, Petrus ſicut Rex ipſe juſſerat, ſibi famulos nominavit genere, ætate, exiſtimatione conſpicuos, & quorum in moribus reprehendendum tantummodò invidia, quæ nemini parcit, grave quidquam deprehendere potuiſſet, eorúmque, ut pro fide probaret, Regi nomina expreſſit. Tum verò Regem idem offendit, ne dum à prima ſententia diverſum, ſed etiam iratum, & in ipſum Petrum acriter inſurgentem, quòd aſperum ejus ingenium, & horridos mores fugerent Luſitani, & ſupervacaneum utique fore hodie eligere famulos, quos ſanè ipſe ſciret primo quoque tempore dilapſuros.

dilapſuros. Contra hæc repentè commotus multa in ſui patrocinium diſſeruit Petrus, & aliundè cauſam deducens ſolitudinis domus ſuæ; oravit denique Regem, ne ſe pro tanti apparatus feſtivitate in Luſitaniæ luce, in exterorum proſpectu ea incompta, tenuíque familia ſqualentem, & pudore, ac triſtitia marcentem ſineret, neu fidem nuper ſecum obſtrictam falleret. Rex in eodem tamen obtentu tanquam integra cauſa, ac ſolida ratione defixus, fratrem quamvis inſtantem, inanem triſtémque reliquit, ita profectò ratus Petrum neceſſitate compulſum eos eſſe tandem famulos accepturum, quos eidem Petro ſuſpectos, & maximè ingratos ille animo deſtinaverat. Itaque utplurimùm Petrus in ſuis ædibus ſolitarius, & clauſus, & Status Senatu adeundo, & negotiis, feſtiſque publicis, & congreſſu, aſpectúque hominum abſtinebat, cum Rege, amiciſque cauſatus ornamento, ac ſplendore carere ſe regiæ ſobolis Principi conſentaneo, & lucem odiſſe, quæ eumdem ſordibus volutatum oſtenderet. Verumtamen, ne irritatus fortaſsè, atque ira percitus adoleſcens, quem fervor ſimul ætatis, ac regius ſpiritus impellebat, in temerarium, ac præceps in Regem, ac regnum conſilium aliquod rueret, illum interdum conveniebat Comes Caſtelmeliorius Status, belliſque Senatus examinanda conſulta ferens; ſæpè etiam aſſentatoriè Petro ſubjiciebat, ejuſdem ſuffragium, ut magni quidem momenti à Senatu, à republica, à Rege deſiderari, néve mora, aut pernicies ejuſdem ſilentio, & abſentia negotiis communibus afferretur, ipſum à Rege juſſum coram à Petro ſententiam requirere. Hæc nihilominus ficta, & omnia artificiis & dolis, quemadmodum erant, imbuta faſtidioſè Petrus accipiebat. In eo prætereà conſiderabat ſuæ tantum fidei à fratre committi, quæ levia erant, aut vulgi ſermonibus trita, aut plures per rimas jamdudum effuſa, ſubtrahi verò de induſtria gravia, ac latentia Regiæ, regníque negotia, nec de reſtauranda ſibi familia, in quod potiſſimùm incumbebat, conſultò, vel caſu mentionem ullam à Comite induci.

Intereà claſſis ad urbem appulit, quæ ex Gallia Reginam vehebat. Uliſippo, quæ in magna expectatione adhuc novæ inſpectandæ Reginæ fuerat, nunc ingenti commota lætitia ferè tota confluxit ad portum, multitudinis pars, quam locus non capiebat, frequentior diffuſa ſtetit in littore. Verùm in Rege, ad quem priùs eſt allatum adventus Reginæ, ſponſæque pulcherrimæ nuncium, nullus eo tempore viſus eſt animi ſenſus, aut motus vel ſe lætitia efferentis, vel voluptate tacti, vel re nova aliquantulum experrecti; rem in qua illum fortè ludentem deprehendit nuncius, incurioſus, & animo durus explere perſeverabat. Cæterùm quod in alio conſtantia, & æquabilitas animi, inſulſitas, ſive ſtupor illato ex opinione judicio reputabatur in Rege; nonnulli hoc frigidæ Veneri, & quod gignendæ ſe ſoboli ineptum cognoſceret, tribuebant; ferè omnes tamen ab re ipſa licet exigua miſerabile vaticinium de infelicibus nuptiis, ac Regia ipſa, quæ ſponſam acciperet colligebant. Mox Marchio Ruvignus claſſis Præfectus Petro ſignificavit, ſi citra moleſtiam liceret, ad ſalutandum illum iturum. Tres duntaxat famuli nobiles, reliquis anteà dilapſis, tunc in Petri familia erant; Regem itaque Petrus per talem occaſionem admonuit, illiberale profectò fore ſe viſere cupientem claſſis Præſidem non admittere, ſordidum verò illum admittere, ut in ea tam inculta, ac deſerta propè

familia neceſſe erat; quod igitur Rex fratris precibus non dediſſet, laxaret tandem neceſſitati, quemadmodum ſervitii ſplendor, ornatúſque familiæ ortum regio ſanguine virum decebat. Rex Alfonſus Caſtelmeliorii conſilio uſus ita ab hac ſe repentè propoſita cauſa explicuit. Petro, quos tunc ille petebat, famulos minimè aſſignat, ſuos tamen mittit à Regia, qui pro hoſpite excipiendo perfunctorium obſequium præſtarent, illo dimiſſo ad Palatium redirent. Acerbas, & acres idcircò querelas fidum per hominem Petrus evomuit Caſtelmeliorio plenus doloris, plenúſque minatum increpitans, num Regis animus erat, ita ibi fratrem, ut in humili diverſorio ignominia, ac ſordibus involutum, ac mœrore tabentem conſeneſcere pati? an aliunde ſibi quærendum eſſet, ut Rege ſe ortum, & regii ſolii, ſceptríque ſub umbra educatum, nec cultu, animóque degenetem ſe ab omnibus conſpici ſineret? At ille ſuæ ſicut Petri conditionis oblitus ſuperbo, aggreſtíque reſponſo percuſſit internuntium. Hoc cùm Petro ſubinde relatum eſſet, adeò mitem, & facilem ejus animum exulceravit, ut coram omnibus comminatus Caſtelmeliorio Comiti fuerit, arrogantiæ tantæ verborum, & ſupercilii etiam ſupra Regem aſſumpti pœnas nec ſeras, nec leves eſſe ſe ab illo repetiturum. His & ſimilibus publicè jactis in Comitem contumeliis, quas placido ſecus pectori indignatio, atque mœror extorſerat, fortè aderat Vaſconcellus ejuſdem Comitis frater, carus, & ipſe quondam famulus Petro, poſteà nonnihil ſuſpectus, & nunc illi palam offenſus, quod ita fratrem probis, & minis inſectaretur; liberiùs tunc igitur quàm famuli officio, quàm ſuperbis Principis auribus conveniret, Petro reſpondet, muſſitabundus deinde, rictúque oris acerbo parumper domi ſubſiſtit, ultrò poſtremò ſe Petri ſervitio ſubducit. Poſt hæc cùm ira tempore deflagraſſet, pœnitentia perculſus, ac dolens, quod abuſus Principis gratia, remerè amici, atque famuli partes apud Dominum miſcuiſſet, in ejuſdem Petri familiam, & gratiam nequicquam regreſſum variis artibus attentavit. Tenacior eſt enim Principis ira, inſtabilis gratia, ac ſi ira tempore deferveſcit, interdum deponere pœnam, ferè nunquam reponere gratiam ſolet. Sic propè jam diſſipata univerſa Petri familia, cùm ad duos tantummodò viros ingenuos redacta eſſet, ſéque inceſſanter à fratre Rege id injuriæ, ac dedecoris deprecantem, vel ejus ira jactari, vel ambagibus ſperni, ſtatuit tandem ab urbe ſecedere, ſimul ne improviſa diſceſſione quæ à turbidis occupata res utique novas in regno parere potuiſſet, occaſionem ipſe turbarum, ac tumultuum incitamenta quærere videretur, præmonuit in tempore fratrem, quoniam honeſtè ſibi, ac decenter Uliſippone vivere non liceret, ut oculorum in aula notas, & maligna linguarum verbera ſubterfugeret, aula ſimul, & urbe cedere ſtatuiſſe; hoc ſi Regi diſpliciuſſet, impediret, ut facilè poterat, aut cauſæ tandem concederet, juſtóque dolori parceret. Hæc tumida Principis verba, rudes, quæ Regis jam præterfluxerant aures, qui eorum momenta pendebat, acerbiùs, & altiùs inſedere Caſtelmeliorio; ipſe quippè duos fratres diſcordes eſſe volebat, mutuis odiis exulceratos, ſeſe invicem atterentes, & partibus implicatos, ut faciliùs utroque ſic imminuto pro ſuis artibus uteretur, eò tamen ardere, atque ſpargi fraterna diſſidia, atque odia nequaquam volebat, ut foras ex linea domeſtica miſſa, atque in propatulo poſita totum regnum factionibus

tionibus ſcinderent, & ipſum etiam unà cum Regis, regníque periculo volverent. Inſtitit igitur ille quàm maximo potuit apud Regem conatu, hic tandem ut Petro de iis, quos ſibi ſelegerat, famulis obſecutus eà noxia conſilia depelleret. Hoc autem loco mirari, atque attendere libet, quàm ex alto petita principio conſueta, atque antiqua inter fratres certamina profluant; nam ſuo quanquam levis ingenio, ac natura volubilis Rex, ad omnia quoque perpetuò Caſtelmeliorii Comitis verbo, nutúque verſatilis, ejuſdem nunc rationes, & monita aut non capiens, aut ſpernens in quo minùs expediebat, negotio maximè obduruit, Comitémque ſæpiùs inſtantem convicio tandem rejecit. Cùm diutiùs itaque Petrus minas, & preces ſurdis Regis auribus ceciniſſet, ac minor etiam Regis duritie Caſtelmeliorii potentia comperta eſſet, jam omni ſpe deſtitutus, & ad conſilia turbida verſus poſtquam Reginam, & Regem feſto apparatu Uliſipponem ingredientes ſplendori, atque pompæ regii ſtrepitus comitatus immiſtus, atque ita ſuæ deformitatem familiæ tegens ſecutus eſt, uno Roderico Meneſeo Comite ad Queluſii ſeceſſum unam ſupra dimidiam Uliſippone diſtantem leucam divertit. Ea re confeſtim per urbem vulgata, & longè latéque deinde per regnum vagis rumoribus aucta deſciviſſe fratrem à Rege fratre, ebullire ſeditionem, & civilia jam arma parari, fama circunferebat; inde in Caſtellam loquaciùs, ut ſolet, effuſa, ſub Rege pupillo flacceſcens eo tempore imperium impedimento fortaſsè fuit, ne finitimos hoſtes opportuna tunc cura ſubiret amiſſi regni recuperandi. Uliſippo præcipuè cum aula ſimul in ſtudia, partéſque diſciſſa numero, ac merito plures qui Petro quàm qui Regi favebant, haberet, Petrū ſpectabat, ut imaginē recti Principis regnatricis familiæ pignus, imperii columen Luſitani, quod alludere velle Rex pravis conſiliis impulſus, ejúſque moribus videretur. In Regem enim, ſuorum præter morum intemperantiam, & corruptelam vitæ, reciderat etiam ex nimia Caſtelmeliorii potentia, faſtúque contracta publicè invidia, haud ſecus, ac illam Tyrannidis ſpeciem Alfonſi ſocordia, ac ſumma facilitas paſceret; Petro ex adverſo ejuſdem Comitis odia, quibus & ipſe Petrum perſequi videbatur, & fratrem in fratrem per inſidias acuere nobilium, ac plebis amorem intenderant. Cæterùm propè omnes Caſtelmeliorio Comiti infeſti, iratíque illum diſcordiarum artificem, illum odiorum miniſtrum, illum malorum in aula omnium initium, ac fomitem conclamabant, & qui pro ſuo imperio ſtabiliendo ad excidium familiam regiam, & regnum peteret.

Intereà diverſi alii Regem, alii Petrum aggreſſi proceres illorum lenire iras, & componere lites vehementer annitebantur; utrumque propterea monebant, ne internis diſtracto, avulſóque regno diſcordiis in communem perniciem arma externa vocarent, néve hoc puſillum diſcordiæ ſemen, niſi protinùs ſuffocetur, in vaſtam publicorum malorum ſegetem creſceret; minima quæque malorum, ne alia aliis innexa, atque accidentibus aucta vires colligerent, in bono regimine præcavenda, quanto magis ne altiora capita regni diſſideant, quæ omnia diviſa, atque inverſa trahere cum ingenti rerum, & hominum ſtrage poſſent? Hìc Petri Alfonſi fidem advocabat, qua ille ſe primùm obſtrinxerat, eos famulos Petro daturum, quos idem nominaviſſet, nec in aula ipſi Petro fas eſſe cum tanto ſqualore, atque ignominia verſari. Rex contra dicebat, impetu, ac pertinacia, non ratione in cauſa pro-

cedere Petrum, & æquum eſſe præterea majori minorem fratrem ſubmitti, multóque magis cùm ætatis prærogativæ jus quoque Regis acceſſerit. Sic dum falſam conſtantiæ laudem, aut iracundiæ quadam dulcedine expleri quærebat Alfonſus, minimè intelligebat, quòd auctoritate, atque gratia ipſe apud populum imminutus flecti cùm nollet, ire præcipitem oportetet, & quòd ex ea pervicacia in eas ſpes aſſurgeret Petrus, quæ ſine contentione, ac diſſidio tam citò explicati, collimaríque nequaquam poſſent. His tamen omnibus rationibus potior cum Petro Reginæ interceſſio fuit. Hæc cùm ſecta jam vena decumberet, compulit Petrum, ut ipſam adiret, & comitatis ſecũ officium exolveret. Multo ſtudio, multíſque blanditiis, ſive ad rem ſimulatis, ſive primo, qui poſteà recrevit, amore coortis venientem Regina Petrũ excepit, & ſimul ex Petri conſpectu ipſi ægro tanti ſolatium, animi ſimul mœrorem oſtendens ex ſtaterna offenſione productum, rogavit denique Petrum, ut ad animi ſaltem corporíſque ægritudinis levamentum conſiſtere ſecum in Regia vellet, quoad res inter fratres pacificè conveniret; moleſtum ei quoque importunúmque futurum ſi ex tam longinquo ad ipſam víſendam ſpatio, ut frequenter deſiderabat, accederet. Movit tunc Principis animum cùm mulieris pulchritudo, atque illecebra, tum reverentia debita ſexui, ſummæque claritudinis nota; inde in certamine victus, ac penitùs profligatus ad componenda, ſeu reſcindenda cum fratre litigia Reginæ ejuſdem arbitrio ſe planè, projecit. Cauſa igitur inter fratres reginæ impetio diſcuſſa quò neutri res fraudi, aut detrimento ſoret, decretum eſt tandem ex prudentum virorum conſilio, ut uno duntaxat ex priùs nominatis excepto, *aliòs*, & novos Rex Petro ſamulos deſignaret, quos idem Petrus appellaviſſet. Res ita conficitur; Lis, in quam aula, ac civitas ferè tota coierat, Reginæ interventu diſſolvitur. Redeunt fratres in gratiam, hæc ſi ſemel corrupta bona fide ſaciri poteſt. Cæterùm ex longo tempore averſis animo fratribus, mutuíſque quotidie ſuſpicionibus ictis, cùm cauſæ odiorum integræ permanerent, nova hæc offenſio cautionem utrique, & alii ab alio formidinem auxit, paulatim quaſi jam inſtrumenta lævigarentur, quæ in Regis ruinam expediebantur.

Subſidio erat Petrus inveterata diſſimulatio, & fortunæ inter æſtus æquè jactata, atque expurgata prudentia, ſimul ingenium Regis ingenio præſtantiùs. Contra furor, & impetus Regi, nulla ferè diſſimulatio, multóque minus nocere, quàm dicere, & obeſſe plus poſſe, quàm velle. Itaque Rex in amicorum colloquiis lacerare perſæpè fratrem abſentem, mordere præſentem, pungere illum ubicumque dediſſet occaſio; aſperiorem quoque naturam, acriorem linguæ inſolentiam, petulantius aurium faſtidium induiſſe in omnibus Rex videbatur quæ ad fratrem pertinuiſſent. Fortè ſemel evenit, ut ſolemnis ingreſſus in urbem Reginæ gratia cùm haſtiludium Uliſippone celebraretur in illo equeſtri decurſu Petrus Marchionem Marialvæ laudaverit, ut equo alacriter inſidentem. Colludebat tunc cum Marialvæ Marchione Comes Caſtelmeliorius; ſuſpicatus idcircò Rex in hujus odium, & contumeliam eam à Petro prolatam eſſe Marchionem ornando laudem, perinde quaſi colludentis æmuli commendatio alterius profectò gloriam obtereret, ira valde commotùs, & animo ferox; Niſi Regina adeſſet, retulit fratri, ibi ſe illum, quem dextera tetigit, mucronis ictibus confecturum fuiſſe. Mollius, & cum quodam

dam ſimulatæ modeſtiæ artificio hiſce minis reſpondit Petrus, nihil omnino cum illo ingenuo ſermone putaſſe ſe, aut falſæ Marchioni laudis affictum, aut veræ detractum Caſtelmeliorio, nec certè decere cruorem illum temerè fundi, quem ipſe Regi libare paratus eſſet. Sed ne hoc miti quidem reſponſo Regi Petrus ſatisfeciſſet, nec, quod calere jam cœperat, majoris diſſidii cauſa ceſſaſſet, niſi illud ſtatim oppreſſum Reginæ precibus foret. Hujuſcemodi caſus, quibus perpetuò oppugnata nutabat patientia Petri, ac diffidentia quotidie fota in odiorum intentionem vires recolligebat, ferè innumeri memorantur. Tandem ubi Petrus animo volvit, ſi tot ipſe ludibriis, atque inſectationibus feſſus ſemel frangeret tolerantiam, exitiabile ſibi futurum; ſin minus, toties laceſſitam, nec fractam omninò patientiam majorum impoſterum fore injuriarum incitamentum, proinde nec patientia, nec impatientia proficere quidquam poſſe, & vel obruiſſe contumeliis, ac ſimul patientia diſrumpi in illo miſerrimo ſtatu oportere, vel ultionem impatienter cum certa clade conjungere, tam multis jactatus undique curis extorquere poſtremò per metum à Rege conſtituit, quod lenitate, ac modeſtia eò uſque firmiter uſus minimè potuiſſet, ita tamen, ut cautè, ac latenter incuſſus timor quamdam obſequii, ac benevolentiæ ſpeciem præferret. Poſtulat ergo Petrus armorum imperium à Rege, quod propter regni cuſtodiam circa fines agitabatur. Ad rem afferebat, urbanas inter delicias, & aulæ delinimenta nimio ipſi otio, ac tædio ſitúque marcenti exercitio tunc opus eſſe, quo certè nullum unquam laudabile magis, & utile, quàm quod in Regis, regníque ſalute collocaretur. Ad hoc ſummi honoris, atque fiduciæ munus in molliori etiam ætate per matrem olim regentem ſibi aditum patuiſſe, nec bellici quemquam pœnituiſſe à ſe exerciti miniſterii, nec porrò domi, militiæque ad communem ſalutem conſtituendam, aut propugnandam ex jure naturæ, aut officii videri minus fidei, atque induſtriæ exigere poſſe, aut debere fratrem à fratre, quàm ab extraneis, & ſanguinis lege disjunctis. Hujus verò conſilii acumen, ac tacita ratio erat, clam per ea verba in animo Regis infigere, quod plus eſſet in Petro, quod poſſet ille metuere, quàm, quod ſtolidè ſperneret, tum ſi in quæſiti fortaſsè pondus rudi Rex intellectu non cecidiſſet, quod Regi terrori, ſibíque præſidio fuiſſet, per arma feliciùs auferre. Cùm itaque hoc Petrus à Rege peteret, & quod petebat inſuper cauſas adjiceret, obſtupuit Alfonſus, fratrémque ſæpiſſimè repetentem velut elinguis, reſque improviſæ cogitatione confuſus adhuc ambiguum, ſuſpenſúmque tenebat. Inſtat inſuper Petrus, cúmque etiam, atque etiam urgeret, & pro reſponſo Regē laſſaret, hic denique ſtomachatus cum fremitu, & ira rem difficilem, inquit efflagitas, ac longo tempore excutiendam. Petro deinde dimiſſo, advenit Caſtelmeliorius, qui ubi audit à Rege Petri petitionē velut attonitus exclamavit, non baculum militarem, ſed diadema regníque ſceptrū clariores jam per ambages à Petro quæri, & compeſcendam profectò eſſe adoleſcentis audaciam, qui adeò inflatos, ac turbulentos paſceret ſpiritus. Eo acuto nimis conſilio, & quo minimè Petrus intelligebat terrores, ac minas, quæ minores, æqualéſque ſæpè coërcent, in potentiores homines jacta citiùs perniciem imparibus ſtruere, metum, quem fratri inferre tendebat, in ſe maximè revolutum per idem commentum accepit. Ex eo enim anxiùs Comes Caſtelmeliorius trahere deinde in animo cœpit, Petro quis auctor temerarii conſilii fuerit, quive tantam

in ſe rerum novarum molem conceperit, ut incautum adoleſcentem regni expectatione ſublatum, fratri Regi ſemper diſſentientem ad deſiderium armorum, explendæque cupiditatis occaſionem impulerit, præſertim propè Caſtellam æmulam Luſitaniæ, ubi impatientiæ regni nondum maturi occupandi, quæ ardeſcere in Petro ſuſpectabatur, ſi arma domeſtica non ſufficerent, conciraret externa, & cùm attentè circunſpiceret omnia, incidit ille tandem in duos è Petri familia viros Comitem nempè Turrium, Comitémque Sancti Joannis egregios pro bello milites, atque Duces, & longa militiæ diſciplina provectos. Hos igitur vel quia ille à Petro ſuſcepti in Regem conſilii verè participes noſſet; vel potiùs quia propter ingenii propenſionem, & uſum, belli ornamenta efferentes ad gloriam armorum fortaſsè Principem incitaſſent, extemplò à Petri làtere avulſit, honeſta propterea ſubjecta cauſa, ſtrepitus belli nonnihil tunc temporis apud finitimos exaudiri, ubi præſto eſſe debebant, tanti meriti, ac nominis Duces. In hunc modum contentioſæ, ac novæ penè quotidie cùm inter fratres incurrerent cauſæ, acriúſque ſeſe per continuas ſuſpiciones intenderent, & mutuò animos vulnerarent, ubi diſſidium intercedebat, in pejus ſemper, quod minus poſſet, Petri conditio delabebatur. His & Regina tandem ſe fluctibus miſcuit, difficile eſt enim, nec minus periculoſum inter aulicos æſtus, & partes velle tenere, medias, hunc quippe è medio ſæpè calumnia, levis ſæpè ſuſpicio trahit, quíque metu, cautione, aut ſegnitie fortaſsè ductus, ut tranquillius, aut tutius eligit medium, ab utriſque perpetuò ſibi cavere partibus, & utraſque ſimul metuere neceſſe eſt. At Regina quam antea communis cum Petro querelæ ratio, & fortunæ affectúſque ſimilitudo conrraxerat, cùm ex parte Regis abjectæ, opiſque indigenti media ſibi tenenda via nulla eſſet, tam animi impetu, & ratione, quàm rerum neceſſitate coacta ad Petri partes accèſſit. Ceperat enim uxoris ſatietas, atque faſtidium Alfonſum primò, quia nuptialis amoris vinculum proles & prolis quoque defecerat ſpes; deinde quia propter languentem in ipſo Veneris uſum, quòd zelotypiam in homine magis accendit, & propter partium etiam contagia, benevolentia, atque ſtudio erga Petrum accenſam Reginam exiſtimabat. His odii argumentis, & cauſis acceſſerat etiam ſuis artificiis, atque fallaciis Comes Caſtelmeliorius; veritus ille quippe, ne ea ipſa amoris, ac fidei pars, quam in Reginam Alfonſus applicuiſſet, in aliquo ſibi fortaſse rerum arbitrium demeret, ſatius idcircò duxit offenſam, querentémque Reginam à regimine prorſus excludere, quam ſibi, Regíque obnoxiam cum quadam regiminis umbra in regiis partibus retinere. In hoc ſtatu Regina ut à viro ludibriis, ut à Comite injuriis affecta, & propter jam exploratam potentiæ apud Regem debilitatem cum orbitate prolis, parum etiam ab aulicis culta, tutelæ proinde, atque fidei omninò dedita Petri univerſas cum illo machinas adhibebat, quibus gravem, & imparem æmulum deturbaret. Notum hoc erat Caſtelmeliorio, ſuis ergo verſutiis, artibúſque confiſus, ita illum poſtremò, qui in ejus perniciem toto conatu, atque induſtria Petrum cum Regina conjunxerat, reſcindere nexum ſtatuit.

Latius per urbem, regnúmque manaverat antiquis ex cauſis producta ſuſpicio, & novis quotidie rumoribus aucta Reginam adhuc Virginem eſſe, nec regali ex eo toro ſuccurrere ſpem, quæ ſucceſſorem imperio promitteret. Proinde, quos verè ante alios reipublicæ

reipublicæ cura premebat, perſæpè Comitem admonuerant, ut ſtabilito Petri connubio, quàm citò provideretur, ne externi aliquando, vel hoſtes in vacuum regnum irrumperent. Comes verò Caſtelmeliorius cujus retruſa mens erat, hoc genitale vitium Alfonſi, ut perutile Petro, fraudi, ſibi Regíque futurũ, quò diutius tergiverſando poſſet, fuco, & mendaciis obtegere, jam ſpe fallendo, jam refellẽdo proceres ſubdolè rem extrahebat. Nunc verò ſecum ipſe volutans, quòd ex novo Petri connubio tantum regno munimenti acceſſurum fuiſſet, quantum Regiæ, diſcordiarum, & ſimultatum incendiorum, cùm Reginæ ante oculos aſſiduò mulier obverſaretur in ſpem imperii ſobolem peritura, quam ipſe defectu Alfonſi Regis abjecerat, ſimul quod eadem ratio conflatæ in uxorem ejus invidiæ atque inde incidentium offenſionum ab ipſa Regina alienatura Petrum fuiſſet, ac ſi res ita fieret, ut rerò ſimilis erat, rationes, utriuſque domus cum affectibus ſeparari, ipſúmque Caſtelmeliorium inter Reginam, & Petrum, & ejuſdem uxorem, inter Petrum, & Regem ſuis odiis, & cauſis ſemper implicitos, diſcordéſque jactantem ſeſe validiùs, ac ſuas opes confirmaturum, Regem idcircò adit, illi optimatum ſententiam exponit, connubium inire Petrum cenſentium, adjicit etiam, vel ab eodem ſuſceptos in matrimonio filios regno, & regiæ familiæ ſubſidio, ac firmiori tutelæ fore, vel ſi ſobole Rex caruiſſet, unico fulcimento magni momenti rem eſſe, nec ullo pacto licere, eam in incerto relinqui. His propoſitis argumentis, magíſque imperioſo conſultoris ingenio permotus Alfonſus, ut quàm primùm uxorem duceret fratri denunciavit. Petrus, qui dolum, & doli etiam artificem, & quò vergeret dolus ſatis intelligebat, ut fallaciam fallacia truderet, tempus, quo de tanti momenti re ſeriò ut par erat, ſecum deliberaret, modeſtè popoſcit; reſponſum deinde calamo expreſſum in hunc modum porrexit Regi.

Nuptiarum moleſtias, & inquietas perpetuò curas, à quibus ipſe aliter abhorrebat, ut morem gereret Regi, ſe quoque averſantem ſubire paratum eſſe. Cæterùm cùm magni momenti res ageretur, in qua eſſet habenda & communis familiæ ratio, tum regni, tum Principum exterorum, optimum factu videri ſibi idoneum ad Angliam hominem mitti ſuſcitatum ſententiam Regis qui fœdere, affinitate, ſtudio, & multis utrinque utilibus cauſis Portugalliæ familiæ conjunctus eſſet. Inde ille in Galliam, poſt in Italiam res, & conſilia, quæ vertere tempus poſſet, explorando tranſiret, ut omnia prudentiæ præcepta pro tanti negotii mole, & qua momenta maxima rerum pendebant, ſolertia, labórque percurreret. Dignum verò qui acumine ingenii, rerúmque diligentia, ac peritia talis negotii auctoritatem, ac vim ſuſtineret inter cæteros cauſæ collatos Joannem Roxam è ſuæ familiæ ſecretis ſeſe præferre. Cætera à Petro Regis judicio relinqui. Vera, nec ſubdolè ficta, ut utique erant his verbis Petrum eſſe locutum Rex, & Comes exiſtimantes tantum dilationis, & moræ quæ ſæpè negotia deludit aut frangit, ſimul miniſtrum qui rem ſuſpectam, ac dubiam tractaret è Petri ſinu dimiſſum accipiunt. Inter has cunctationes, & mutuas ſeſe fallentium hominum artes, res quædam fortuita hæc omnia decreta turbavit, rebúſque malè jam pridem affectis deteriùs deinceps exagitandis multiplices cauſas præbuit. Gallus quidam, vetúſque Reginæ famulus cùm per Tranſtaganam provinciam pergeret, orto in itinere jurgio ab homine Luſitano confoditur. Homi-

cida ſtatim comprehenſus, & ad Conimbriam primùm adductus paulò poſt vinctus Uliſipponem trahitur, & cauſam in vinculis dicere cogitur. Tunc de ejuſdem patrocinio familiæ, déque ſuo in Gallicam gentem oſtentando favore, atque gratia nimiùm Regina ſollicita,& ultionis ardore ſuccenſa ſontis ſupplicium vehementer urgebat. Hic verò à ſacro ſe aſylo, quò primùm effugerat, ſacrilegè abſtractum in carcere poſitus querens Eccleſiæ jus appellabat. Diſtrahitur itaque cauſa ad utriuſque fori cognitionem, & variè hinc, & inde ancipiti jure implicata, atque in ſummam cõtroverſiam adducta ſententiam de crimine protrahebat. Regina ab initio, & valdè ipſa inculcando è Status ſecretis miniſtro præceperat, ut ea res, quia ad ejus familiæ virum ſpectabat, per eos iudices ageretur, ad quos pertinebat Palatii cauſas excutere. Is tamen neglecto Reginæ mandato ad alios urbis magiſtratus temerè cauſam conjecerat. Evenit ſubinde, ut idem Status miniſter, cùm Reginæ litteras ferret, quas regiis de nuptiis gratulatum Angola miſerat, ab eadem Regina per occaſionem requireretur, quid de illo Galli homicida tandem ſtatutum ab Regiæ Iudicibus foret. Retulit ille, in multis Tribunalibus rem agitatam, & varia altercatione diſcuſſam Caſtelmeliorii denique juſſu ad Status Senatum rejectam eſſe, ibi adhuc pendentem hærere cauſam. Graviùs cùm hæc audiſſet Regina ſuccenſa, quod plus privati gratificatio, quàm imperium Reginæ apud hominem valuiſſet, ipſa prætereà in eo Comitem rata per anfractus, & moras ſic illam trahendo intervertere cauſam in animo habere, ut novum ſibi dolorem, atque ignominiam publicè inureret, contumaciæ, atque inſolentiæ liberiùs quàm Reginæ gravitatem decebat, miniſtrum increpitavit. Deinde ut irarum præcipuè impotentes muliebres animi ſunt, priſtinum illud jamdudum incluſum in Comitem odium, & novis quotidie cumulatum injuriis, quod tanquam ſub cinere latitabat, per occaſionem ſubitò exarſit, ac totum ſimul effuſum eſt. Proinde illa acerrimè invecta: Annuum, inquit, ſibi pollicitum dotali lege ſtipendium injuria, & ludibrio hucuſque non ſolvi, nec porrò, quod tolerabile foret etiam egenti, ut in reipublicæ commoda impenderetur; verùm, ut id quoque pretii ad jam pingues regni latrones, everſoréſque prædarum tantarum pro cumulo accederet, qua tempeſtate ignobilium, ac vilium ad ſuſtinendum ſplendorem hominum, & ipſa Regina in ſordibus jaceat. Se quoque omninò retractam à publicis curis, notitiiſque languere otio, ac mœrore tabeſcere ſini mulieri ſuſpectæ ſimilem, vel ineptæ, vel res publicas aſpernanti, quaſi aliquis eſſet poſt Regem, quem premere pluſquam Reginam imperii utilitas poſſet. Nihil à Rege prætereà ipſam niſi cum rubore dimiſſam, niſi irritam poſtulare. Quinetiam mentis quodammodo explorari ſibi receſſus, ac latebras cordis, ut omnia ex compoſito fluerent ejuſdem propoſito, ac deſideriis adverſa. Inde integratam Reginæ gratiam clientibus eſſe, favorem ambiguum, meritum oneroſum, queri, aut tacere, aut injurias diſſimulare peræquè ſibi periculoſum. Poſtremò hæc ſe frequentia æmulorum livore ludibria non intra Regiæ concluſa parietes, ſed foris etiam expoſita pati, atque omnibus manifeſta, tanquam ſpretæ vexatæq; Reginæ commendationem à regno peterent, vellentque tandẽ pro laude, ac barbariæ oſtẽtatione jactare ſibi in mancipium Reginam ceſſiſſe. Ad hæc, & talia Regina cùm patria libertate

bertate provecta eſſet, ea aſperitate verborum velut fulmine ictum Caſtelmeliorium Comitem voluit; nam illum è ſecretis Status miniſtrum in primis acceptum, ac fidum ipſi Comiti acceperat. Miniſter verò plus gratiæ Comitis fiſus quàm de Reginæ iracundia diffiſus, totius ejus orationis, quos acutè diſtinxit, articulos ſumma velocitate percurrens querelas, & maledicta in Reginam retorta conjecit, ſed eo ſtrepitu, petulanti, fractóque geſtu, ac vivida voce, ut ex eo iratior, animóque Regina commotior modeſtiùs hominem loqui præceperit. Ille ex adverſo procaciùs exclamans, alta voce ſibi dicendum eſſe, reſpondit, ut ab omnibus audiretur, cúmque concitatus ipſe dicendi impetus incompoſita verba raperet, tacere tunc illum Regina jubet; nihilo tamen minus cùm eodem ille animi ardore, & contumacia linguæ celerrimè verba volvendo perſtreperet, de ſella Regina exiluit, & tergo in loquentem converſa citato paſſu interius cubiculum repetebat. Porrò ille adhuc furens, ac propè demens Reginæ laciniam arripuit, quaſi tenere abeuntem, ac plura dicere vellet. Tunc in ſe ipſa Regina collecta, & ſimul oris modeſtia, ſimul rubore ſuffuſa frontis imperio, & majeſtate vultus magis, quàm verbis, aut vi ruſticè hærentem ſummovit. Regem deinde Regina conveniens, eíque, ut acta res erat exponens adjecit precibus lachrimas, & fidei pignus ab ipſo recepit, ad cæterorum terrorem, aſſerendúmque Reginæ decus communem ſe injuriam ulturum. Regina digreſſa, intrat ad Regem Caſtelmeliorius, qui alio colore, alia ſpecie rem totam adumbrat. Docet Regem multò magis Reginam quàm è Status ſecretis hominem in fortuita illa altercatione loquendi modum præteriiſſe; huic enim duntaxat crimini dari poſſet, paulò liberiùs ab ipſo fuiſſe Regis, regiminíſque defenſionis ſuſceptas partes, nimirum, ut juſtus dolor, & ea iniqua quoque inſectatio rectè in cauſa publica ſentientem perculerat. At Reginam arrogantiùs, ut ſæpè ſolebat, in Gallicam libertatem effuſam, & communia obſequia, atque merita proterentem, & miniſtros, & Regem, & Luſitanum prætereà nomen in eodem propemodum faſce ore inflato, ac vehementi complexam eſſe tam Luſitanæ Reginæ gradus, & moris, quàm fœminæ ingenuæ decoris oblitam. Cæterùm, ne hujus Reginæ nominis fulgor, ac ſpecioſa jactatio deciperet Regem. Uſui quidem multò magis imperio bonum miniſtrum, quàm bonam Reginam eſſe, nedum proli inutilem illam, quæ una profectò terrarum in orbe ratio mulierum parcere ineptiis, earúmque vitia excuſare, aut tolerabilia facere poſſit. Igitur ſatis, ſupérque indulgeri in hac cauſa Reginæ cenſendum eſſe, cùm ipſa Regina, ejúſque ſimul profeſſi partes lenocinio, & ambage verborum ludificentur, in longum ſpe tracta ſupplicii. Multa amicis eſſe ignoſcenda, plura etiam diſſimulanda, maximè cùm ſtudioſiùs erectæ partes, & cura ſollicitæ intendendis in aula factionibus ſtudeant; at in æmuli gratiam affligere amicum, hoc eſſe profectò vel voluntaria amici jactura contrarias augere partes, vel partis oppoſitæ lucro amici exitium apponere. His auditis facillimè Rex in Caſtelmeliorii ſententiam adductus hanc exequi ſtatim inſtituit, Reginam videlicet in hominis pœnam ſollicitè inſtantem ſupplicii mora defatigare, fictíſque promiſſis eludere.

Incidit has inter moras dies feſtus Antonii civis Uliſipponenſis, cujus ſacram Divi memoriam in ſingulos annos recolere civitas ſolet taurorum certamine ludicro. Hos publicos ludos cùm

cum cauſam Regina prætexens, iis intereſſe non poſſe diceret, eo anno Uliſippo intermiſit. Poſt ubi paruit, ex ſupplicii quod fruſtra Regina in Conſilii Status miniſtrum urgebat, cunctatione, haud minus dolore percitam, quàm implicitam verecundia avertere oculos à publico aſpectu fœminam Principem voluiſſe, tunc pro miniſtro, & contra miniſtrum, ut ſemper aula ſuevit, ex rationum menſura, ex animorum propenſione, & conſilio variis ſermonibus, atque affectibus ſciſſa actiùs utrinque ſtudia partium exagitabat; integris autem, qui & pauci erant, ac neutras ſectantibus partes ſimpliciter videbatur, effuſa linguæ licentia peccaſſe miniſter, & quod jure, & exemplo fieri debebat, ne impunè protervo foret. Inter hos, qui ratione, vel ſtudio in hac cauſa præcipuè Reginæ partibus hæſerant, ultione, atque ira Petrus in primis exarſerat, in ea illata Reginæ injuria ſeſe maximè læſum, atque obliquè perſtrictum putans, tanquam Comes Caſtelmeliorius jam latenter, jam palam, & pluribus manibus uſus contumelioſè, ac ſuperbè verſare fœminam ſtatuiſſet, ut vanum, quod pro illa Petrus aſſumpſerat, patrocinium omnibus oſtentaret, aut ita fractam ludibriis Reginam, & contumeliis perpetuis affectam, videret, ſi poſſet ad alias trajicere partes, aut gravioris ſubeundæ miſeriæ metu coërcere. Indignatus itaque Petrus, & omnia audendo experiri ad ſatietatem vindictæ certus primò indixit Caſtelmeliorio, ut pro jure, & continuò è ſecretis Status miniſter notæ omnibus impudentiæ, ac petulantis loquelæ pœnas exolveret, ne ſecus illas, atque ſeveriùs idem exigere Petrus ab homine cogeretur; in Status deinde Senatum ingreſſus acerbiùs, & palam conqueſtus eſt de illius hominis arrogantia, de gravi inflicta Reginæ injuria, de intoleranter dilato, aut per moras, aſtúſque deluſo in hominem ſontem ſupplicio. Ut ſummum dicebat " apud Regem imperium, ita ſupremum penes Senatus ordinem ſummum judicium, atque conſilium ſtare. Ejuſdem itaque officii, atque " oneris eſſe in re tanta proſpicere an, " & quæ modo ſatisfactio conveniat " fœminæ Principi, externæ Luſitanæ " Reginæ publicè læſæ, & à projectæ " quidem homine audaciæ vulgariſque " conditionis, cùm rationem injuriæ " liqueat ex affecti, afficientiſque conditione pondus, ac turpitudinem mutuari. Ipſos decere quoque ut Conſiliarios regni primarios cuſtodéſque " reipublicæ Reginæ ſuccurrere juri, ut " prudentia, ut genere claros, ut quorum equeſtrium inſignium in pectore " ſtemmata fulgeant, fœminam nobilem vindicandam ſuſcipere, tegere " externam, præſtare tandem ne Luſitaniæ fortaſsè Regina dum incaſſum " injuriam, ac dedecus deprecatur, nec " noxæ, ut oportet addicitur reus, pereat denique ipſa pudore, ac mœſtitia " confecta, ſordidíque impunitas hominis Reginæ cum ſpiritu comparetur. Hæc, & ſimilia Petrus alacriùs, " & fuſiùs, quàm anteà ſolebat in Status Senatu locutus, obtinuit tandem, ut è ſecretis Status miniſtro, quia intemperanter Reginam compellans jus majeſtatis imminuiſſet, exilium decernetetur. Idipſum, & Regi ſubinde probatum eſt, jam truces ob Petri minas terrefacto Caſtelmeliorio, ejúſque præcipuè compertam in ira duritiem, illíque uni pro jure cauſæ tunc primùm, & planè Senatum aſſentientem. Ita porrò delecto Caſtelmeliorii cliente, & illo fruſtra adverſante Petri opera, ac ſtudio in exiliũ ejecto, huic, qui cum Caſtelmeliorio ſæpè congreſſus, in cæteris rebus ferè ſemper offendens contemptus, aut fractus à certamine abſceſſerat, nunc ad majora deinceps audenda hoc ultimo

mo eventu inflata ſpes eſt, animúſque inde etiam virium, & animi robur dilabi, ac reſlare fortunam, quæ propitia, ſeu adverſa, ut ſtatim deſiſtat, incipere minimè ſolet, in viro ſuperbo cenſenti. Jámque ex inde quotidie ipſius Petri vires, partéſque creſcebant, & hominum numero, & nota, & inſuper cauſis, quas morum aſperitate, aut vi æmulationis, aut inconſulta vindictâ, importunóque remedio aſſiduè Comes multiplicabat. Nam extra Reginam antiquis de cauſis, & nunc ob recentem injuriam Caſtelmeliorio palam infenſam, aderat etiam Dux Cadavalius qui injuriæ magis imperati, exactíque à ſe primũ exilii, quàm gratiæ ſibi ejuſdem poſteà remiſſi memor injuriam potiùs, quàm gratiam reddere acceptam in illis fluctibus laborabar. His addebatur Sancius Emanuël vir factioſus, ſollicitus, acer, officio non minus, quàm animo militaris, & in primis offenſus Caſtelmeliorio, quod circa Eſtremotium deleto ipſius ductu exercitu Caſtellenſi victóque Joanne Auſtriaco, magni nominis Duce cujus pugnæ felicitas res Luſitanas afflictas ſuſtulerat pro tantæ victoriæ præmio exauctoratus ſtatim fuiſſet, & in vulgarem ordinem jactus. Multi erant prætereà proceres ob falſas, & veras admiſtas Caſtelmeliorii ſuſpiciones, congeſtáſque calumnias à Petri quondam ſervitio dimiſſi, quorum injuria nonnulli falsò in ſe ductæ ſuſpicionis, ingratíque ſervitii, alii vera jam ſibi cognita cauſa, conſcióque animo impulſi ſpes quas penes Alfonſum Caſtelmeliorii diffidentia, aut interpoſita invidia reſtinxerant in Petri partibus conquirebant. Horum hominum numerus nec exiguus, nec moli, quæ diligenter tunc aſſurgebat parũ utilis videbatur; eorum enim plerique permiſſionis ſpeciem à Petri domo cum ampliſſimis regni muniis impoſiti eſſent, res novas, & turbas in regno Petro quærẽti longè aptiores inciderant, quippè quibus in promptu eſſet, officia & publicarum momenta rerum, quæ pro Alfonſo Rege tenebant, mutata repentè fide, ad Petrum deferre. Reliqua hominũ multitudo tunc amicitia, aut clientela, & propria, aut communi utilitate prætenta, ſeu turbarum dulcedine copulata præclarorum Ducum auſpicia conſectabatur, adeóque pet id temporis Petrus factione, opibus, auctoritate, gratia Uliſippone pollebat, ut detrudere Regem, ſi fortè vellet, ne dum ipſe poſſet Caſtelmeliorii potentiam labefactare. Sed ea res in perſonam Regis nondum ſatis matura, nec ut negotii gravitas poſtulabat ratione, & conſilio ſatis concocta erat, ſimul per gradus, & valdè cautè tentanda res erat, quemadmodum vires acuere, atque experiri prudentia in rebus minoribus ſolet, ut poſt maxima tutiùs aggrediatur. Placuit idcircò in Caſtelmeliorium primum impetum fieri, ut fortunam in illo certaminis, & clientium fidem, atque animos explorarent, ſimul Rex hoc conſultore, hoc imperii adjutore nudatus, cùm hebetem, ac rudẽ, nec ullo pacto capacem regiminis mentem oſtenderet, eodem onere prægravatus, ac ſolus faciliùs iturus in præceps eſſet. De ordine, ac forma, quæ in Caſtelmeliorii conſtruenda ruina tenenda eſſet conſultum unà cum Petro conveniunt ejus amici, arctioríſque fiduciæ clientes. Ibi cohorrentibus propè cunctis humano ſanguine manus pollui, hoc niſi neceſſitas cogeret, poſt varias contentiones, & varia quoque diſcuſſa conſilia, hæc illis tandem ſententia ſtetit. Abſtractum à Regia, vel extra Regiam, ubi eum inveniſſent, repente virum ad Indias, vel aliò terrarum Orbis extrudi, ſin vi illatam repellere vim, aut inconſultè Caſtelmeliorius multas, ut ſe proripere poſſet, eluctari dexteras vellet, tunc gladio rem tranſigi, fortunæque arbitratui permitti.

Cùm ita ea res pararetur, vel quia prudentia, vel fraude ſecretum illud effluxerit, vel quia eadem ſeſe prodidiſſet, ut fieri plerumque ſolet, magna agendarum machina rerum, vim, & inſidias contra ipſum armari priùs ſuſpicatus, paulò poſt certus Caſtelmeliorius, jámque metu, & horrore viſceribus ejus infuſo; omnia vero majora faciens, non eripi velle ſibi tantummodò imperium, ſed vitam etiam, & ſpiritum ratus totam in ſe conſpirantem, ac bullientem Uliſipponem arbitrabatur. Igitur Regem propè attonitus adit, ediſſerítque conjurationem in aula magnam Petro Duce, ejúſque partibus auctis invaluiſſe, cujus quidem propoſitum eſſet, in ſacro limite Regiæ ipſum Comitem interficere; vehemens, acérque ſimul amplificat, quocumque labore, & interpoſita induſtria obviam quamprimùm eundum impiorum conatibus eſſe. Quid enim Regia ipſa reſperſa cruore, fræno pudoris, ac timoris excuſſo, conculcatóque reſpectu Regis, reliquum ultra perfidiæ, ac ſummæ impudentiæ foret, niſi cædere Regem, aut ejurare? Olim Antonium Contium à latere Regis, nec alio crimine avulſum, niſi quod ex Regis gratia, & amore fingere invidia, livórque potuerit; Simili culpa nunc ipſum Caſtelmeliorium, ſi amoris meritum culpa ſit, ad perniciem, inimicorúmque ſatietatem invidiæ etiam in Regiæ ſacrario, Regíſque ſub umbra quæri, ídque forſitan aſſecuti, ut ſecundis in rebus ambitione præſertim, ac diſſidio jactatis, longè plus inſoleſcit, ac turget hominum animus, & vires audacia colligit, quidni ad fœdiora ſubinde lapſuri fuerint? Primò autem Regis miniſtro dejecto, quò ulterius niſi in Regem eniti avida, & flagrans, & ſuo ſcelere felix temeritas poſſet? Infelicē, ac momētaneam eſſe profectò Regū benevolentiam à tot æmulis impetitā, tótque molibus oppugnatam, Regéſque cùm amicos, quibus nituntur ſuſtinere non poſſunt, nec ſeipſos quidem ſuſtentaturos. Hoc ſermone perterritus Rex planè ſe dedit Comitis poteſtati, ille ſcilicet provideret, qua antevertenda via ſceleſtorum conſilia eſſent. Itaque Comes Caſtelmeliorius Palatii ſtatim geminari cuſtodias juſſit, inſtrui etiam equites omnes, qui feriari anteà ſolebant, & per ſtipendia jampridem erant, aulæ ſervitio addicti, ac Regiam circunſidere. Præter homines noctu ſuos quoque clientes, & famulos armis inſtructos circa Regiam vigilias ducere juſſit, cùm ex ea interdiù prodire conrigerat, ſatellitum, & militum agmine circunfuſus non minus ſe metuendū, quàm metuentem palam omnibus oſtentabat; undique arma, ſequi ſolita major clientium, famulorum, ac militum multitudo, Regiæ præcipuè tumultus, variæ hominum facies, & paſſim ſtrepitus, rumoréſq; rei novitate, atque inſcitia horribilem ſpeciem præ ſe ferebant. Hoc rerum novarum aſpectu, variíſq; caſu, aut induſtria cōpoſitis vocibus, aut ab ipſa formidinis ſcena, quā Regia repræſentabat, effuſis, æſtuans ſuíſq; prorſus ejecta ſedibus civitas quærere, properare, turmatim ad Regiā confluere, ſollicita eſſe. Cæterùm ubi præter illam primā terroris imaginē nihil inde moveri, nec conſueta Palatii officia, aut negotiorū ambitum interruptum conſpiunt, omnes breviter dilabūtur, & animorum incerti utrum Regis, an Caſtelmeliorii ſecuritati ea vis armorū, & militaris pompa parata eſſet, cùm anceps utrumque fama diſſipaviſſet. Tum verò Petrus poſtquā Regiam præſidiis abundè muniram videt, præterea quod celeritas, atque ſecretum tutum conſiliū facere potuiſſent jam Caſtelmeliorii providentia disjectū, eludere idcircò quantū induſtria & acumine ingenii fas eſſet, negotiū intentus, ne ad Regiam eundo Regem

Regem fratrem, & Comitem ut ſuſpectus offenderet, néve inſolita abſentia conſcientiam argueret, ad villam Queluſiam, ut ſui moris erat, ſeceſſit. Anxio ibidem agenti, cùm ipſum irriti incœpti triſtitia pudórque, & ab æmulo elapſo metus, & rurſus ejuſdem redordiendi negotii timor, ac propemodum deſperatio teneret, intereà delatum eſt à Caſtelmeliorio Comite appoſitos, ac ſubornatos eſſe ſicarios, qui ipſum Petrum veneno interficerent. Affictum ne hoc crimen per adverſarios Caſtelmeliorio Comiti fuerit, quo prima in illum excidii machina everſa, novam ſubinde fallaciis extruerent, an revera Caſtelmeliorius prævenire potentem æmulum, partibúſque egregium veneno tollere Ducem tentaverit, cùm utrumque vero ſimile ſit, nec ſecus venenum, quàm ſimulatio veneni regni ſæpè inſtrumenta, atque aulæ iniqua artificia propoſita fuerint, nec ab ullo etiam audaciæ, atque flagitii genere abhorreat concitata ſemel ambitio, nos parum hucuſque compertum habemus: tantummodò conſtat hac amicorum delatione exulceratas hujus Principis aures eſſe.

Re igitur clam cum amicis communicata, & ſeriùs à Petro omnium ſententiis excuſſa, poſtremò convenit, ut ſollicitiùs, intentiúſque quàm anteà præſtiterat Petrus modò ſibi proſpiciens ſenſibus ipſe nihil, quibus maleficæ peſti via ad interitum eſſe poſſet, niſi cum cura exploratum attingeret. Hoc ipſum deinde verum, ſeu falſum Caſtelmeliorii conſilium de induſtria curarent, ut in vulgus exiret, & colore clariùs expreſſum rumore manaret, quo animi popularium ad res novas præpararentur, quas puniendi ſceleris cauſa Ductores partium excitaviſſent. Tandem Petrus cùm ſatis ſciret, in caput ejus inſidias moliri Caſtelmeliorium, ejuſdem à Regia, & ab urbe, ac totius reipublicæ curis, expulſionem ad debitam crimini pœnam, cautionémque ſalutis à Rege depoſceret, neque inſtando, atque urgendo apud Regem unquam deſiſteret, donec idem iniquo, vel æquo animo, eo modo, & non alio fratris injuriam ultũ, & ſalutem aſſertũ iret. Secundum hanc ſententiam hujuſmodi codicillos Petrus ad Regem deferri curavit. *Satis ſibi cognitum eſſe, Comitem Caſtelmeliorium in ipſius vitam tendere inſidias, ſimul jam circumſeſſam ab illo novis militibus Regiam, fraudulenta ſuppoſita, atque in vulgus effuſa cauſa, ne ea violaretur à fratre Regis, quorum altero cùm ſuam ille dignitatem, & famam dilaceraret, ſalutem cum altero peteret, orare propterea Regem, ut ad tanti delicti ſupplicium, quamprimum Comes relegaretur ab aula, dura ne ſecus ſibi neceſſitas poneretur pro ſua dignitate, pro vita ipſa tuenda ad regna externa confugere.* Legit has litteras Rex, legit etiam Caſtelmeliorius, communique dolore, metúque percurſas ad Status Senatum extemplò rejiciunt; qui ſubitò ut cauſam atrocem, ſummíque ponderis tractaturus nocte ipſa intempeſta Regis imperio cogitur. Ibi diverſa ut hominum erant ingenia, partiúmque diſciſſa ſtudiis, variatis peræquè ſententiis, qui cum Rege, & Caſtelmeliorio Comite ſentiebant, in hunc propè modum locuti ſunt. Datas ad Regem à Petro lit- “
teras contumaces, intemperantéſque “
videri, minimè dignas, qua verecũdia “
ſupplex, nec tumido verbo minax fra- “
ter deberet ad Regem fratrem accede- “
re, cùm enim querelã, & criminis no- “
tam adverſus Caſtelmelioriũ afferrẽt, “
eas etiam ſceleri pœnã, præſumpto ju- “
dicio, ſtatuere, háncque precibus non “
permiſſam, velle videri per vim expri- “
mere poſſe, tãquã in eodẽ negotio co- “
gerẽt Regem imperiũ, aut vim ſubire. “
Quod ad Caſtelmeliorii fortunã ſpe- “
ctat: Nemini hominũ fas eſſe negari, “
quod aliũ alio amiciorem hominẽ ha- “

„ beat cur ergo id Regi cōtendi liceat in „ uno Caſtemeliorio? Ex hac animi in „ quemquam affecti propenſione, im„ pulſúque naturæ, quæ ſtrictiorem „ in quem reſpicit hominem, fidu„ ciam etiam intendit, & animos con„ trahit, monſtrum illud oriri, ut ita „ eſſe porrò videtur hoc torvo ex in„ vidia intuentibus oculo, quod Pri„ vatum, & primùm in Hiſpania mi„ niſtrum appellant, tótque in Reges „ querelas cumulat, non ſecus, ac „ adeò fero, vel ferreo animatus Rex „ ipſe deberet temperamento eſſe, ut „ omni animi affectione ſuperior, ac „ motibus integer erga unum nequiret „ magis quàm alium animo agi, infle„ ctíque. Eſſe inſuper Regem Alfon„ ſum adoleſcentem ætate parum ex„ pertum, valetudine fragilem, cúm„ que adjutore, atque Duce in regi„ mine indigeat, atque ideò præſen„ ti hoc ejecto alium, & illicò ei ſub„ ſtituere neceſſe ſit, iiſdem odii, at„ que invidiæ in quoquam à Rege ſub„ lecto, ac cæteris antepoſito recur„ rentibus cauſis, primos idcircò mi„ niſtros cum imperii confuſione, ac „ dedecore majeſtatis eſſe quotidie pro„ pè extollendos, quotidie præcipitan„ dos. His addi etiam abjecti, exilíſque „ animi famam, ac notam quam pro„ palam Rex contracturus fuiſſet, ſi „ tam remiſsè, tam citò minis, ac diris „ quàm precibus potiùs ſuccumberet „ fratris, eóque tandem, quod poſcit, „ aut imperat, vel conceſſo, vel extorto, „ Regíſque inconſtantia, ac nimia faci„ litate perſpecta, in illo utinam Petrus „ deinde quieſcat, & ſecundarum tran„ ſitu rerum, atque in impetu ambitio„ nis, & ætatis ardore ſeſe continere, ac „ frangere ſciat. Immenſam eſſe profe„ ctò mortalium cupiditatem, non opi„ bus, non imperiis, non honoribus ſa„ tiari, quò plus ſibi acquiſitis indul„ get, & opes, ac titulos jugiter vorat, eò plus eſurire, atque appetere. Quid “ ſi temerè tandem exactus Caſtelme- “ liorius, atque injuriæ dolore prove- “ ctus ad regna aliena, atque inimica “ perfugiat, imperii ibi deſcriptionem, “ rationes ærarii, occultas aulæ miſerias, “ & arcana regiminis proditurus? Sal- “ tem eo everſo, verti penitùs regnum, “ rebúſque novis, ac turbulentis ſuſpe- “ cto oportere hoc tempore affluere, “ cùm novarum avida rerum, regnó- “ que ipſi minitans ruere turba ſemper “ clientium unà cum capite ſoleat. “ Poſtremò ſuperiorem neque legibus “ Petrum, neque Caſtelmeliorum in- “ feriorem legibus eſſe. Rege uno ex- “ cepto omnia per leges ſuo jure, & “ ordine æquanda. Si reus igitur ille “ ob cogitatas in Petri caput inſidias “ jure compertus fuerit, ſuo more lex “ quærat, & puniat, ſin Petrus con- “ tra morem; & jus enitendo Re- “ gem, legémque vicerit, procul du- “ bio cavendum omnibus eſſe, ne in- “ gentis ſpiritus adoleſcens tanto ſuc- “ ceſſu nimis inflatus hiſce initiis inci- “ piat proludere regno. Alii contra “ diſſerebant. Præter regii ſanguinis “ cauſam æquum eſſe, reſpicere etiam “ in Petro, ipſi quidem hucuſque jam “ prole Regis incerta ſpes regni, re- “ giæque Bregantiæ ſervandæ domus “ incumbere. Tanti porrò momenti “ hanc rationem exiſtimari, ut mos “ ille qui inter barbaras nationes in- “ valuit, ſuſpecta nempè ſeditionum “ in imperiis incendia fraterna cæde “ reſtinguere, cùm regni ſucceſſor “ ambigitur, exceptione fratribus “ ſuffragetur. Fateri prætereà, mi- “ nimè Regi negandum eſſe, vel “ animi affectione, vel eminentia “ comperta virtutis, ac fidei inter “ amicos, & imperii miniſtros ali- “ quid majus uni tribuere, verùm id “ moderatiùs cum alienis, laxiùs Regi “ cum fratre gerendum eſſe, cùm illi “

æqualium

„ æqualium invidiæ ſubjaceant, hunc
„ ſtatus ſublimitas eximat, nec minus
„ idcircò tanta alieni cum Rege cõmu-
„ nio, quàm Regis à fratre alienatio
„ cunctis invidioſa, & violenta quo-
„ dammodo videatur. Quod ſi mi-
„ nus, quàm deceat hæc cura ſollici-
„ tet Regem, atque in alium jure con-
„ torta in ſemet gratis recipere jacula
„ non recuſet, vel de re ipſa Privato
„ eſſe maximè laborandum, ut in eo
„ ſcilicet gradu à Regis ſemper uxo-
„ re, fratribus regiis, eorúmque vali-
„ dis partibus oppugnando, perpetuó-
„ que potentiæ, gratiæque ſummo in
„ ruinam pendenti. Atqui obſtare di-
„ cebant etiam quemdam impetum ani-
„ mi, & cæcum illum naturæ motum,
„ ut in homine in Rege, qui erga unum
„ magis, quàm alium vi illa inſita abri-
„ pitur. Hoc tamen afflatu, inſtinctú-
„ que naturæ cùm operari neceſſe ſit,
„ improvidè agi, in privatis homini-
„ bus poſſe potiùs, quàm in Regibus
„ excuſari; hos enim, quò latiùs impe-
„ rant aliis, eò ſtrictiùs imperare ſibi de-
„ bere, quódque proprio demunt ar-
„ bitrio, reipublicæ dare. Vetera plena
„ paſſim hiſtoriarum volumina eſſe,
„ quas turbarum in Orbe procellas,
„ quos in imperio turbines excitaverit
„ nimis quondam indulta potentia li-
„ bertis, laxatáque regni cura, quos
„ nemo tamen exevit magni intelle-
„ ctus, ac nominis Princeps. Irrupiſſe
„ autem nunc in Hiſpaniam hanc ho-
„ minum peſtem, mutato tantum vo-
„ cabulo, ſub nomine Privatorum per-
„ inde ac verbi hujus additamento
„ opus eſſet, ne errore oſtentatæ po-
„ tentiæ Privatus, & fumo, atque ſtre-
„ pitu pluſquam regio eſſe fortaſſe
„ Rex crederetur; & irrepſiſſe quidem
„ in ſpeciem curas Principis allevan-
„ di, cùm ita re vera illas aggravet,
„ cumulétque ut odiorum, invidiæ,
„ incidentium paſſim malorum, quæ-

relarum perturbati, inverſique regi- “
minis fluctus in privatum hominem “
jacti acriùs redundent in Regem, “
ac proinde difficilè Rex uſui Priva- “
to, aut Regi eſſe uſui Privatus poſ- “
ſit. His rationibus quoque addi ca- “
pacem imperii Principem Privati “
non egere ſubſidio, at ſi eguerit “
adeò enervem, ac debilem Princi- “
pem difficilè ſuſtentare ſe ſuſtentan “
tem poſſe, cùm tanta præſertim in- “
vidiæ moles Privatum, & qui Priva- “
tum ſuſtinet hominem premat, ut “
utrumque procul dubio tranſverſum “
actura denique ſit. Tanto ſub one- “
re in præſens Caſtelmeliorio Comiti “
laboranti momenti plus addere Pe- “
trum, cùm admodum factione, digni- “
tate, ex regio influente ſanguine viri- “
bus valeat; ideò ejus epiſtolam quam- “
quam obliquè minacem, & incom- “
poſitam, ejuſdem ſi opibus compare- “
tur, nonnihil quoque modeſtiæ viris “
prudentibus ſapere, dum per eam ro- “
gat quod poteſt, ſi libet, & cogere. “
Tandem ſi idipſum fortunæ commit- “
tere placeat, eóque Petri nervos & “
animum explorare, atque in extre- “
mum diſcrimen adducere, ita ut vel “
Caſtelmeliorius, vel Petrus in hoc pe- “
riturus certamine ſit, cùm difficilli- “
mum planè ſit utrumque concordem “
in aula tenere, conſiderandũ præterea “
eſſe, utrum eorũ ſervare, ac tueri ma- “
gis conveniat, & an fuga, vel interitu “
Petri Caſtelmeliorii ſalutem, opéſque “
redimere liceat. Adhæc, ſi Petrus, “
quod orando obtinere nequierit, & “
vi exequi poſſit, cùm velit, ad extremũ “
per vim extorſerit, quantum rerum in- “
de novarum, quantum tumultuum, “
turbationúmque emerſurum in reg- “
no eſſe. In hunc propè modum “
cùm ex utraque parte vario ingenio,
atque ſtudio in Status Senatu diſſertum
eſſet, is planè tandem conſenſit, eſſe in
primis diligenter experiendũ, ſi precibus

fortè Petrus, ſive blanditiis, uſúque temporis molliretur, ſin minus alia adhibenda fore conſilia, quæ ratio, tempúſque pro rerum ordine ſubjeciſſent. Igitur Marialvæ Marchio miſſus à Rege, qui regio nomine Petro diceret, juſſu ſuo Regiam extra ſuetam cuſtodiam juſtis de cauſis novis militibus ſeptā eſſe. Comitem verò Caſtelmelioriū, ſi copia ipſi fieret, paratum eſſe, Petri genibus advolutum coram objecta diluere. Biduo Marchioni Petrus reddendum Regi fratri reſponſum diſtulit. Intereà illum amici, clientéſque monebant. Quò remiſſiùs, quò ſegniùs in tanti momenti negotio procederet Rex, ut nempè delatum veneni crimen, & conflata ex crimine invidia ſimulatis officiis, vanáque pompa, & circuitu verborum, ſpatióque interjecto dilaberetur, eò porrò conſtantius, ac fortiùs, ea res ne frigeret eſſe Petro incumbendum, ſi ſecus accideret, ab inuſta, & impunè viro Principi injuria, neglectáque querela, ac peſtifera tolerantia majora ſanè proventura Petro pericula, majora Comiti emolumenta, poſtquam ſcilicet innotuerit, in graviſſima Petri cauſa, & aulicorum ſeceſſione pro Caſtelmeliorio, & contra fratrem duriorem ſtetiſſe Regem, quáque ultimam ille indignationem promeritus eſſet ampliorem fiduciam, & gratiam Regis comparaviſſe. Ex eo enim homines intellecturos, qua levitate propoſitæ cauſæ Petrus, capitiſque litigio ceſſiſſet, ea utique ipſa in ſuſpiciones, & iram prolapſum eſſe, nec merito cauſæ magis, quàm animi affecti vitio querelam criminoſam inductam, Comitémque Caſtelmeliorium adverſus tot crebros, validóſque Petri conatus adhuc firmum, & inconcuſſum in aula, in Regis gratia, in rerum faſtigio manentem, à tanto viſo periculo, in quod ſemel illum conjecerat Petrus, per oblatam, aut quæſitam quamprimùm occaſionem, irrito primo, majori ſe poſteà ſcelere vindicaturum eſſe. Qui verò Petri partes hucuſque ſecuti eſſent, modò ſecum examinantes, qui & Regis frater ſibi eſſe ſatis nec judicio, nec viribus poſſet, nec ſuis quoque ſatis tuendis clientibus fore, quidni conſilium experimento mutent, ac protinus defluant? Reliquos more vulgi, quem ampliùs in aula valere, & in partibus vincere pateat, illi omnes acclamaturos. Intelligeret ergo Petrus in hac ſuſtinenda fortiter cauſa, ſuam amplitudinem, famam, decus, omnes vitæ ſuæ rationes, & ſpes collocatas, & fixas eſſe. Hujuſcemodi oratione commotus animo Petrus, & in ſententia priſtina confirmatus, biduo poſt retulit ipſe Regi, acceptam à Caſtelmeliorio Comite injuriam adeò in propatulo eſſe, vulgi ſermonibus tritam, & ad faſtidium propè jactatam, ut ea deleri, tollíque niſi publico teſtimonio nequaquam poſſit: orare *propter*eà, atque obſecrare Regem, ut quemadmodum rei gravitatem decebat, mœrentem, læſúmque fratrem conſolaretur, & peculiari ejus vitæ periculo, utrique communi ſarciendæ famæ conſuleret.

Hæc ſtatim reſponſio per internuntium cùm reddita Regi eſſet, quoniam priori Petri ſermone mitior, & quadam aſperſa modeſtia, animíque pudore apparebat, in ſpem, ſed inanem ſuſtulit Regem jam langueſcere fratris iram, ac ſi res ex compoſito conſultando, & fallaciter pollicendo diutiùs prolataretur, laſſari negotium, deflagrare ſenſim invidiam, effluere ſuſpiciones poſſe; error tamen ſubinde conſtitit, cùm per ficta, & iterum, atque iterum redeuntia temporis intervalla ſuſpicatus ſibi Petrus illudi, tunc felle plenus, & iracundia codicillos miſit ad Regem, in his Caſtelmeliorium ſibi quàm citò ſolvere pœnas vehementiùs efflagitans, concluſitque in epiſtolæ calce,

ce, funeſtam, inviſam, ſempérque inacceſſam ſibi Regiam futuram, dum in ea moraretur Comes Caſtelmeliorius. Videt has litteras Rex, videt ſubinde Caſtelmeliorius, atque ubi tot inter nexus difficultatis, æſtúſque doloris certum per eos explicare conſilium prudentia minimè potuit, vitato de induſtria Status Senatu, quia ibidem pro utraque parte variare paulò ante ſententias, & hominum ſtudia cognoverant, ſuper his conſulturus ſecretus amicorum conventus ad ſemotam Regiæ partem vocatus eſt. Hìc horum nonnullis cauſa prolixè agitata, placebat, vi, & armis agendum in eo rerum articulo eſſe, ne ulteriùs progreſſa fratris Regis audacia omnia abſque obice nempè, ac temerè ſternens invincibilis tandem fieret: ergo & tenebræ, & vincula, & ſqualor cuſtodiæ, & cultrum etiam, & laqueus cùm his opus eſſet ad cohibendum furorem adoleſcentis, avertendámque imminentem reipublicæ peſtem, rémque ad exitum perducendam pergeret ipſe Rex prætorianis, militibus, adminiſtris, regníque nobilibus comitatus; celeritate, audacia, magnis in re tanta conatibus opus eſſe, alioquin Petri inſolentiæ, atque minis fratri cedendum turpiter eſſe, & palā Alfonſum ludibrio habitum novis quotidie inſultationibus objici, ac de ſuo jnre de ſua majeſtate ad extremam uſque perniciem decidere, urgente fratre, ſubactum iri. Nihil Regibus quidem germanis infeſtius. Cæteris opes, aut irritos titulos, ut per menſuram conditionis arriperent, ut diadema ſurriperent, fratribus per apicem gradus, qui ſummo proximus eſt, ambitionis illecebras ducere. Et reſiſtendum profectò initiis, ne explorata fortè Regis deſidia, torpórque Petri magis ſuperbiam, & ſpes, quas fovet, altiſſimas inflet, quando nec lex ſatis, nec fides, nec ſanguis, nec hominum verecundia pro regni coërcenda cupidine conſtent. Leniorem alii ſententiam ſecuti ſunt; Petri ſcilicet famulis in cuſtodiam repentè conjectis cùm illum exemplo terrere, tum partium auxilio nudare. Ita ſuorum quoque domeſticorum miſeriis propulſandíſque periculis occupato minus opis, ac temporis fore in alios jacere minas, aut inſidias, & vim moliri. E re eſſe prætereà in minori negotio Petri vires, & animū, & populi ſtudia, atque ingenia planè cognoſcere, ne ſerò fortaſsè id exploraſſe pœniteat, cùm afflictis omninò rebus, atque in maximam perturbationem adductis, inde regreſſus minimè pateat. Validius, ac fortiùs extremæ calamitatis remedium adhibendum prudenter eſſe, poſt levia, atque mitia nequicquam experta, cùm nunquam, niſi fortè coacta vis, ac temeritas laudabilis fuerit, & media ſemper tenenda, niſi cuncta prærupta jaceant; nam ubi in cuſtodiam Petrus impegerit, aut perpetuam in carcere libertatem, ſi ſuſtinere modò cuſtodia tantum Principem valeat, aut inibi vitam oportet pro Regis ſalute deſerere; utrum eorum exitioſius, ac peſtilentius evenire pet temporis poſſit imperio qua res poſcebat maturitate, atque ſtudio pervolutandum eſſe. Decretum eſt igitur, ut in Petri pœnam, & contumeliæ ſpeciem ejúſque ſpiritus infirmandos ejuſdem famuli ſtatim comprehenſi in carcerem truderentur. Sed dum rei peragendæ initium cautè attrectare regii quærebant, gravior ea ſanè, quæ menti, & conſilio primùm occurrerat, difficultas injecta eſt. Quippè vallatus clientibus Petrus agebat, præſto ipſi etiam erat magna ex parte nobilitas; in neutram multi labentes partem ex rerum, quæ ambiguè pendebant, momentis ſuſpenſi, poſt decreturi eventum circunſpectabant; Petrúſque de occulto Regis conſilio certior palam omnibus declaravit, omnia proſpera, ſive

adverſa, quæ in certamine ſibi ſors ſtatuiſſet cum fortunarum, capitíſque periculo unà cum ſingulis famulis ſe libenter ſubire paratum eſſe; aut ſimul omnes perituros, aut ſimul injurias ulturos fuiſſe. Sic nuper intentum à Rege conſilium evanuit, & Petrus quia prima ceciderant, magis animo confirmatus vocat omnes Conſilii Status, ſimul omnes ferè proceres, urbíſque patritios, qui frequentes in ejus ædes cùm conveniſſent, ille indignatus expoſuit. „ A Caſtelmeliorio ſe publicè diffamatum quod polluere ipſe Regiam „ ejus cæde, & cruore molitus eſſet, „ inſidiis præthereà ſe, rebúſque veneficis appetitum, ut vel injuſtas Regi „ falſi criminis pœnas daret, vel ab eodem Petro veneno Comes exigeret, „ cùm ab ira fortaſsè fratris elapſus eſſet. Hac mente quoque Palatium „ paſſim armatis inſeſſum, & omnes „ propè aditus intercluſos, quò ſuæ „ conſcientiæ tumultum, ac ſceleris „ notas ficto periculo Regis obtegeret, „ nec ſe aliter tutum exiſtimare niſi Regem, & fratrem perpetuis diſcordiis „ implicitos, mutuóque debilitatos „ vulgi dentibus lacerandos variis commentis, atque artificiis objiceret; ad „ Regem quaſi tutandum minus amoris fraterni vinculum, ſubditorum benevolentia, integritas fidei ſemper „ perſpecta valerent, quàm pauci milites mercenarii alii Caſtelmeliorii voluntatis mancipia, alii ex ima populi „ fœce collecti. Ita porrò ab homine „ iniquo, & mirum in modum verſuto „ ſuis odiis Regem, ſuis periculis, ac „ ſceleribus implicari, ad tantámque reſtinguendam cupiditatem, ac tollendam ſimul invidiam regii nunc fratris „ innoxium ſanguinem peti. Tanti „ proinde ſe modò flagitii coram omnibus pœnas à Rege depoſcere, ne „ illi, quia idipſum impunè fuerit, novis de cauſis furor augeſcat, néve ex Petri calamitate, ac ruina Tyrannus " exurgat, qui nullo adverſante, deinde licentiùs, ac ſæviùs in popularium " cervices, & bona graſſetur. Hæc, quæ " Senatoribus Petrus, regníque nobilibus ore diſſeruit, ſcripta ſubinde tranſmiſit cæteris Tribunalibus urbis, omnéſque alacriter reſponderunt, illius ſe cauſæ dignitatíque, ut conſonum erat, pro viribus affuturos.

Ea res graviter Regem Comiténque momordit, & quod Petrus velut publicæ ſibi uſurpans auctoritatis imperium regni Ordines convocaverit, & quod illi accerſiti paruerint perinde quaſi in domum privatam, & tunc officinam ſeditionis facta ſeceſſio fuerit, dum clara, & aperta inter fratres contentio, & publica odia, metúſque turbarum vel hæſitantes, & cunctabundos tenere magnates debebant. Majores itaque nervos, atque animi firmitudinem, quàm in Petro crediderant ex partium robore conjectantes, pergere poſt exploratiùs, & rem tempetare, ac lenire cæperunt, ne potiùs, quàm in incæpto inhiberent, gratia, & opibus validum irritarent adoleſcentem. Itaque illatæ tanquam injuriæ fratri omnino Rex cupidus ulciſcendæ, ideóque ut judicium integrum eſſet, cauſæ diſtrictiùs inveſtigandæ, Petro denunciavit, ut proderet ipſe Regi præſumpti criminis indicem, quò planè conſtaret à Comite Petrum veneni fraude appetitum. Hoc modo incorruptè, legíſque præſcripto cùm cognita cauſa eſſet, ficti, aut commiſſi compertus criminis reus, vel jure ille plexus, vel abſolutus foret, non enim euſque ſibi fratris ſaluti vacandum, aut deſiderio ſtudendum eſſe, ut bonæ frugi ſubditi, adminiſtríque omnino jura negligeret, fratríſque gratia judicium inverteret. Ad ea Petrus; Ita, inquit, cordi ſibi jurium vigorem, ac reverentiam eſſe, ut ne ea unquam poſſent in hac cauſa labefactari,

ctari, in primis Alfonſum oraverit, quod etiam iterùm repetebat, ut aula abſente Caſtelmeliorio, ab eóque ad tempus reipublicæ curis omiſſis, hujus criminis diſquiſitio procederet, cùm inter fragorem armorum, quem ad omnium terrorem Comes Caſtelmeliorius longè, latéque diffuderat, tantámque Regíque propè patem oſtentationem potentiæ haud ſatis profectò jura, atque leges exaudirentur. Quis enim audeat illius ad judicium deferre nomen, à quo interitus, vitæ, fortunarum ſuarum omnium arbitrium pendeat? Omnia eſſe primùm jure conſtituenda, ut produci, & productum hærere denique poſſit in homine ſonte crimen, nec pro juſta infligenda reo, in actorem pœna reſiliat. His Rex auditis Status Senatum extemplò cogit, & quia in priori Senatorum conventu plura fuiſſe Petro propitia illorum ſuffragia noverat, quò nunc ſibi convenientem in cauſa calculorum rationem iniret, Palatii quoſdam miniſtros, & Judices ipſius quoque partibus illigatos ſuffragia laturos adjecit. Alium prætereà juriſprudentiæ peritorum conſeſſum, ut ea ipſa res arctiori via juris excuteretur, indicit; ſiquidem ita juri, & publicæ ſimul utilitati conſulere Princeps in omnibus debet, ut aliud juvetur, ab alio, & claudicare jus ſæpè ſoleat, cùm ratio altera refragatur. Quibus, cùm conveniſſent, cauſæ hujus viciſſitudines, atque ordinem Rex declaravit, clauſitque ſermonem, in eo duntaxat totius negotii cardinem verti, liceret Petro nec-ne morem in illo geri, quod priuſquam contra Comitem Caſtelmeliorium illata crimina tractarentur, ut aula ille abeſſet, poſcebat, rerúmque regimen intermitteret, quo minus veri fortaſſe teſtes, ut aſſerebat à quæſiti veneni delatione ingenti viri potentia, atque ampliſſimo officio deterrerentur. Collatis ergo ſententiis, ac ſeriùs omninò diſcuſſis, quæ pars major ſuffragatorum hominum erat, eáque arte, atque illecebris accerſita, illa numero ſcilicet vicit, & Petrum injuſta petere cenſuit. Suſtulit animos Regis, Comitíſque Caſtelmeliorii hæc publica auctoritate ſancita de re controverſa ſententia, quia Status Senatus judicium, & juris peritorum conſulta, quibus plaudere ſolet populus jam poſſent ipſi Petri conatibus anteponere, & quia regia dignitas, & imperii majeſtas, & vis jure quoque ſubnixa ineluctabilis videretur; fractas propterea jam Petri vires, & partes Comitémque ſuo munere, & loco ſubſidio juris immobilem Rex arbitratus, in finitimis locis, in arcibus, propugnaculis, urbibúſque majoribus regni conſilii ſui certiores Gubernatores per litteras fecit, juſſitque ne cuiquam, niſi publica fide regno exire liceret. Appellere quoque claſſem Uliſipponem præcepit, aditúque tandem ad Petrum quoſdam proceres interdixit, tanquã ingenio feroces, ætate fervidos juvenes, & qui animum adoleſcentis ſeditioſis cogitationibus innurrirent. Ita porrò civilium armorum ſonitus, qui Uliſippone hactenus obſtrepuerat, per regni latitudinem circumlatus maximam Luſitanis incuſſerat curam, quò turbulenta res illa ſpectaret, & quò ad ultimum eruptura hæc armorum procella eſſet. His ita confectis, Alfonſum Rex ſtylo deinde ad Petrum expreſſa Senatorum, Judicúmque ſuffragia miſit, ut ea videret, & intelligeret, ſcilicet, in eo quod gerebat munere, & loco, quamvis marceret Comes Caſtelmeliorius, fas eſſe tamen integra cauſa, jure inviolato ad ſtrictius examen de veneno prolatum crimen adduci, reliqua ab ipſo Petro, quæ extra cauſæ rationem quæſita eſſent, haud parum obeſſe Regi, nihil Petro prodeſſe poſſe, nec lædi æquum eſſe

eſſe profectò ipſius Regis auctoritatem, ut alterius libidini obtemperetur. Poſtquam ita Petrus latam Senatus, Regíſque ſententiam accepit, cùm nec ipſum prætereà fugeret, quod per ambitum, ſive metum Comitis artibus vitiata Senatorum ſuffragia fuiſſent, perbrevi ad conſultandum temporis ſpatio petito, impetratóque rem cum amicis, qui noctù, ac frequentes acceſſerant, contulit. Ibi poſt acriorem, & multam ad noctem diſceptationē productam inter omnes poſtremò convenit, ut Petrus etiam invito, ac reluctante Rege ad Tranſmontanam provinciam, ubi arma in finitimis gubernabat Comes Sancti Joannis, impiger ille miles, ipſique Petro in primis obſtrictus, jamdudum ſermone, miníſque jactatam profectionem inſtrueret; ſi ea porrò objecta formidine, Regem nihilo ſecius in protegendo, ſuſtentandóque Caſtelmeliorio pertinax animus retineret, tunc è veſtigio Petrus decretum iter inciperet. Veriſimile quippè erat, hoc maximè modo paſſim confuſis, & fluctuantibus rebus, & Comite, ac Petro in eo periculo conſtitutis, ut uterque perdendus, aut alter alterius lapſu ſervandus eſſet; regníque in medio penderet ex fraterna diſcordia litigium, vel ſua ſponte ceſſurum obſtinatâ ſententia Regem, vel urbis populum concitatum, cùm ſimul ardere, ac furere cœperit, in meliorem mentem illum eſſe tracturum; ſi ſecus res cecidiſſet, Petrus, ut conſtituerat, ad Tranſmontana tranſiret, milite & armis inde munitus Uliſipponem quamprimùm regrederetur, ubi externis internis adjectis armis, quæ intus erectæ, caleſcentéſque partes comparaviſſent, uno impetu, unóque animo hinc & inde incumbentibus cunctis ea quidem Comitis, atque Regis Petríque fortuna fuiſſet quam felicioris, ac potentioris arbitrium inter protrita jura, ſolutáque legibus arma ſtatueret.

Secundum hanc ſententiam Petrus Alfonſo Regi reſpondit. Per Status Senatus Conſiliarios Marchionem Marialvæ, Sandiúmque tuo nomine, tuóque mihi mandato relatum eſt, in eam te veniſſe ſententiam, ne ab aula, ac negotio diverteret Comes Caſtelmeliorius, quoad, ut petebam ejus in me attrectati veneni crimen via juris exploraretur; ad id te quoque conſilii per eos, adjeciſti, magni nominis Senatorum, juríſque prudentum ſuffragiis impulſum; reſponſum mihi prætereà, quod reddere tibi debeo, & quod juſtæ in hoc loco defenſionis ſimilitudinem habet, brevi curriculo temporis adſtrinxiſti, ut quemadmodum mihi ſignificaſti, modò æſtuantem, & vagam fluctibúſque contortam reipublicæ navim tranquillitas citiùs exciperet, & quanquam deceat me, Rex, in omnibus tibi ſuccumbere, optimè tamen quam ex animo tibi profiteor ſolida veneratio, culrúſque cum mea libertate poteſt, juríſque ſubſidio, quod rurſus, ac meritò imploro, conjungi. Agitur enim de fortuna, exiſtimatione, atque vita Principis regiæ ſobolis, & Luſitana diſciplina receptum eſt, minoris quoque momenri negotia majori animi intentione diſcutere. Recurrit prætereà, ſatíſque robore viget in primis expoſita mihi, necdum abolita difficultas, quo ſcilicet pacto tantam ad cauſam dilucidandam ingredi liceat Caſtelmeliorio armis undique circunfuſo, eáque pompa ſtrepitúque potentiæ nimiæ ſemper in ſe, & nunc pluſquam in ſe eſt ad terrorem, & faſtum amplificatæ, qua videlicet illum nimis ornatum, téque oneratum Rex voluiſti. Sit loco exempli, quod nuper Senatoribus contigit, in quibus cùm magis incuſſus à Comite metus, quàm fides, & vis officii valuerit, iniquè

„ apud illos primò propoſita cauſa, poſt
„ deteriùs excuſſa, tandē cum inſolen-
„ tia, & errore, & meo quoque convi-
„ cio jactata eſt. Quid porrò de toto
„ certamine & exitu cauſæ hac lubrica
„ mihi via ſperandum impoſterum eſt,
„ cùm in ejus etiam proluſione per in-
„ juriam offenderim? Non enim popoſ-
„ ceram ego, ut Comes Caſtelmeliorius
„ ſeu honore, ſeu opibus acquiſitis, ſeu
„ potentia, aut regiæ gratiæ faſtigio meo
„ reſpectu devolveretur, ſed ut momen-
„ taneo propè receſſu daret juſtitiæ locū
„ quo cauſa deinde legitimè conſtituta,
„ aut ſontem ſupplicium, aut inſontem
„ ut ſe eſſe fatetur, laudis, & gloriæ ma-
„ joris acceſſio ſuper tantam fortunæ
„ plenitudinem tenuiſſet. Scio etiam
„ quid altercante Senatu ſenſerit, quid
„ diſputaverit Martinus Melus, quid
„ Joannes Roxa, quid Petrus Monterus
„ dixerit; quorum venerandam cani-
„ tiem hominum, & tot per annos pro-
„ batam rerum experientiam empta, aut
„ per vim extorta ſuffragia multitudine,
„ & turba, non æquitate vincere potue-
„ runt. Deformis hujuſce fraudis, & cor-
„ ruptelæ judiciorum illud in cauſa pro-
„ fectò eſt, quod per aſtus Caſtelmelio-
„ rius privatam cauſam publicæ admiſ-
„ cet, Regémque ſuo ſcelere, atque pe-
„ riculo gratis involvit, & primo loco
„ Regem, ſeſe poſt Regem apponit, tan-
„ quam utilior reipublicæ foret privati,
„ impuríque hominis ſuſtentatio, quam
„ fratris unici Regis, in quo ſpes hoc tē-
„ pore nititur, ne regia familia pereat, ne
„ alienigena, ſive Tyrannus orbatū ca-
„ pite regnum occupet. Hac corrupta,
„ ac livida mēte Comes à te facilè, Rex,
„ impetravit, ut nobilibus viris, qui do-
„ mum meam venticare ſolebant, te ju-
„ bente, illo exultante in meam contu-
„ meliam, animíque dolorem eſſet adi-
„ tus interclus, cúmque in hoc offendi-
„ cula cōtumaciæ, ac nova turbamenta
„ reipublicæ quæreret, utque ipſe inju-
„ riæ diſſimulator, aut vindex majora

ex ea eſſem dedecora, aut pericula ſu- “
biturus, inquietum ejus conſilium il- “
lorum obedientia, mea moderatione, “
& obſequio disjectum eſt. Ille interim “
latè pedites, equitéſque conſcribit, ac “
dum præſenti quaſi belli apparatu Re- “
giam, & urbem confuſione, metúque “
jam propè torpentem, ac ſtupidam te- “
net, modò pro ſe, modò pro Rege vim “
illam hominum jacit, armorúmque “
congeſtam eſſe. Ego tamen minimè “
paveo, neque fragorem ob iſtum, ar- “
morúmque jactationem, ac turgidas “
minas unquam memoria, aut animo “
exciderit, quid regio ſanguine dignū, “
quid tantorum majorum exēplis non “
degeneri viro congruat etiam injuriis “
cooperto, & periculis circunfuſo. Tua “
certè videre nec parum intereſt, Rex, “
cum Comiti Caſtelmeliorio Petróque “
pariter convenire, atque in Regia ma- “
nere impoſſibile ſit, in eo cauſam ver- “
ſari, ut à Petro Caſtelmeliorio, vel ab “
hoc Petro præbendæ cervices, atque “
alterutri in aula cadendū ſit; & quo- “
niam Caſtelmeliorii multò magis, “
quàm fratris videtur hucuſque ſollici- “
ta, & anxia te cura percellere, equidem “
cedam aula, cedā protinus urbe, om- “
ni ſolatio, & commodo cedam. Ita “
fiet, ut domeſtici belli incipientis in- “
cendiū, quod mea præſentia, ut æmu- “
li dicunt, inflammat, abſentia reſtin- “
guat, tibíque fratris amiſſi vicem Ca- “
ſtelmeliorii fortuna, ſalúſque repenſet. “
His redditis Regi litteris, revera, & cele-
riter Petrus deſtinato ſe itineri compara-
bat, quod cùm clanculum fore, ſubdo-
lè diceretur, rumore paſſim, & pompa
de induſtria diffuſis, omnibus manife-
ſtum volebant. Cunctis igitur evulga-
to, ut fidem faciebat etiam itineris ap-
paratus, à Caſtelmeliorii potentia, atque
artibus victum diſcedere Petrum, atque
extra Regiam, & patriam illius inſidiis,
illius ſuperbia, atque ſcelere percitum,
fugatúmque voluntario ſecedere exilio,
& hunc unicum eſſe fratrem, ne dum
domo

domo vacua, ſed deſperatâ quoque ſobole Regis, tunc repentè tumultuari, atque ardere Uliſippo, & paſſim addere faces ac turbas cœpit, multíque prænobiles viri, ſuo exemplo, & induſtria majora præbentes incendio fomenta ruere jam illam tēpeſtatem diſſeminabant, qua ex antiquo, ſed falſo prodito vaticinio Uliſipponis fora ſemitæque debebant humano ſanguine redundare, quod utique erat fiduciam addere affectis, quaſi inſtinctu, afflatúque Divini Numinis erupturа ſeditio foret. Septem hominum circiter millia armis eo tempore inſtructa computabantur iter Petri intercipere prompta, ambitioſámque inter Petrum Comitémque Caſtelmeliorium de potentia, & imperio pendentem conflictu civili dirimere litem. Ea res porrò, ut populariter exardebat, ubi Regi, & Comiti patuit, illorũ tunc animis prorſus abjectis, & ſuam regníque ſimul timentibus cladem cum vis vi collata, & populi plauſu, & nobilitatis præſidio, & ſtudio rerum novarum in Petro ſuperior æſtimaretur, quæ primò ſe paſſim annorum, atque minarum circuntulerat moles, & aſpera hucuſque Petro reddita verba fuerant ſubitò in preces, omníſque amotis ſuavitate reſperſa blandimenta vertuntur.

Ad Petrum itaque Rex epiſtolam miſit plenam illecebrarum, ac ſimulatæ benevolentiæ fratrem per illam amanter ad Regiam vocans, atque omnia ex animi ejus ſententia ſe ipſe facturum pollicitus, ſi modò turbarum incaleſcentium tumultum, & populi motus, fluctúſque quos ejus nota indignatio conciverat, ejuſdem mutatio componeret. Petrus autem animo volvens quantum ex formidine orta lenocinia, atque illecebræ teneant, quámve ſtultum fuiſſet, alienæ fidei, incertóque fortunæ, aut æmuli arbitrio relinquere quod jam haberet in poteſtate, utendúmque ipſi viribus partium, dum ſpe & amore calerent, propoſiti tenax, fucíſque ſubinde fucis illudens reſcripſit Alfonſo, ac ſimilia confingens lenitatis imitamenta, quibus petitus à fratre fuerat, in fine epiſtolæ poſuit, Caſtelmeliorium ſemper in Regia fore ſecum inſociabilem, & alterutri eorum ibi eſſe manendum, aut abeundum, utrum Regi placeret, cùm res adhùc integra eſſet amplecteretur. Inter hæc clariora jam quæ priùs clandeſtina erant Uliſippone conſilia cœtúſque ſimul armorum collati undique acervi, fremitus, querimoniæ, aperta populi concitatio, prodigia quoque, Politicorum nempè commenta ad populares captandos animos, falſi ſparſim rumores ad odia partium exacuenda, probroſi libelli divulgabantur, atque ita profectò erant omnia compoſita, ut Ducis ſignũ, nutúmque expectare tantummodò videretur gravida flammis, armíſque jam jam partura ſeditio. Hæc omnia intuetur Comes Caſtelmeliorius, nec vi jam fruſtra primo tentata Petrum, nec precibus, aut illecebris repetitis, nec Regis imperio, vel hortamento molliri, flectíve poſſe, imò inſoleſcere magis in dies, & ſpes, animóſque ampliores ex ſuorum alacritate, ex æmulorum cognito metu colligere, ac ſtatim idcircò, niſi alter alteri cederet fratrem cum fratre, & cum civibus cives impio certamine, fœdiori exitu concurſuros, qua tempeſtate ſibi velut belli civilis cauſæ ſive victo, ſive victori turpia omnia, & acerba ceſſura quidem fuiſſent, & cùm vires, & ratio tanto explicando conſilio deeſſent, ad ſubtiliores excogitatos dolos, aſtúſque ſuffugit. Verùm eo inſidioſi propoſiti laqueo, quo capere Petrum Caſtelmeliorius contendit, tunc ipſe irretitus offendit. Regia enim, & urbe, ut Petrus inſtiterat, ille poſtremò decedere ſtatuit, prius tamen pactus ſecretò cum Rege eſt. Extorris in ſpeciem illicò abiret Caſtelmeliorius, paulò poſt Rex Uliſippone digrederetur, tanquam vellet regni fines inviſere. Inter hæc vaneſcente tumultu, & partium, quæ ægrè tam citò,

vel

vel iterum cogi poſſent, ardore quoque remiſſo, ſimul harum Rectoribus, Ducibúſque pœna vel præmio, vel arte ſubductis, quædam ex facili ipſo Comite abſente, atque in ſpeciem afflicto parari remedia poterant, ejuſdem opportuna regreſſui, quæ hucuſque pro eodem homine intenta, ipſius præſentis, atque in apice ſtantis invidia ſubverterat. Menſe poſt interjecto Uliſipponem Rex reverſurus itineris ſibi comitem Caſtelmeliorium adjungeret, ſecúmque receptum,& confirmatum Regiæ, ac regimini reſtitueret, cùm & lætitia reverſionis Regis in plebe ſuo more inſtabili obrutura quodammodo eſſer quæ tempore, & hominis lapſu jam ſeneſcere perrexiſſent, in Caſtelmeliorium invidiam, & odium. Qui verò amore rerum novarum,aut ſtudio contentionis ad exigendum Caſtelmeliorium ſua ipſi erant etiam pericula perſecuti, vel fortè tæderet illa repetere, vel ſemel his ſatis eſſet, quod nimium terendarant, impetraſſe. In hunc modum diſpoſitum erat profectionis, reverſioníſque Caſtelmeliorii, inter ipſum, & Regem conſilium, & ordo. Cæterùm id ſe tunc ita facturum promiſit Alfonſus, ſimulatè verò, an ex animo incertum eſt, cùm potuiſſe mutare ſententiam, ſuadeat ſumma levitas Regis, & finxiſſe, ex eo quoque veriſimile ſit, quod tandem pertæſus Rex hominem eſſet, qui tot ipſi in aula moleſtias, & in regno pericula cumulaſſet, vel quia per illam occaſionem ex manifeſto ſcilicet Comitis metu, ac præcipiti propè fuga, & eodem etiam abſente melius Rex didiciſſet in quo ipſe diſcrimine verſaretur, cùm ille res quoque graves, & utrique periculoſas deterere priùs apud Regem, vel ſilentio premere conſueviſſet, niſi verius fortaſſe dixeris fidem à Rege ſolutam non eſſe, quod fato quodam,& latentibus cauſis gratiæ Regum immineat, ut tempore conſeneſcat, aut pereat, & ſæpè ſæpiùs, quæ gloria floruerat in peſtem hominis corrumpatur. Utcunque res fuerit hac inter Caſtelmeliorium, & Regem clam interpoſita fide venir etiam in mentem Caſtelmeliorio, ut in illo negotio, quantum rei faciem ſpectabat, cùm Rege Petróque velut conſilii particeps Regina quoque intercederet. Cauſam ad rem prætexuit quod regii ſplendoris, ſummíque faſtigii tenendi gratiâ; atque inconſtantiæ palam vitandæ notæ fore optimum, videretur, ſi Rex tandem Alfonſus, quod Petro hactenus negaviſſet, Reginæ concederet,quò ipſe Caſtelmeliorius à Petro,Rex à Regina victus in eo aulæ certamine videretur, re verò ipſa meditatæ fraudis miniſtram Reginam ſubjicere Caſtelmeliorius intelligebat, ut inde acriùs doleret Petrus, cùm rediiſſet, ut Comes credebat, in aulam alterius ſe dolo deceptum eſſe, alterius inſcitia. Rogat ergo Reginam, ut in Regis, Petríque gratiam tale negotium aggrediatur; magni prætereà inter Regem fratrémque diſſidii, quod totum urere regnum incipiebat, ab eadem Regina compoſiri, ſummam gratulationem,& gloriam fore in ipſam redundaturam. Suſpecta omnia dicta, atque facta ut hominis tortuoſi Caſtelmeliorii Comitis erant, & tum maximè, quod omni ſolertia, & acumine ingenii ad ruinam eluctandam incumberet. Proinde Regina in re propoſita hærens, & cunctabunda, ne ab homine caprioſo, quem oderat, & cui maximè diffidebat, deciperetur, immiſcere ſe cauſæ niſi Petri conſenſu, iteratíſque precibus noluit. Igitur rurſus per internuntium à Petro Regina quæſivit. Certa, ratáque jam, ut convenerat, Caſtelmeliorii ab aula profectione, ſcire prætereà ſe velle,quonam ille modo,& quo inde profecturus abiret, & qua denique ratione expulſo, ejectóque ſalus publica fide conſtitueretur. Ad quæ Petrus cùm reſpondiſſet, à Regia, atque urbe Caſtelmeliorio quamprimùm

Xx exacto

exacto, omninò de reliquo ſe in Reginæ poteſtate futurum, hæc iterum ſciſcitatur, ſibi clariùs intelligendum, quouſque negotium ad exitum perducturæ ejus arbitrium, & fides extendi poſſet, ne fortè invita rem interverteret. Ita Petrus quominus negotium per ambages corrumpi, aut prolatari plus juſto poſſet, tum demum Reginæ explicavit locum, quo pulſus Caſtelmeliorius adiret quo Uliſippone longiùs abeſſet, gratiorem profectò ſibi, tutiorem Comiti fore; fidem indemnitatis, quam ille meritò repoſcebat, eo ſe vinculo dare paratum eſſe, quod arctiùs in magni momenti rebus obſtringere Principes ſoleat. Cæterùm fidei, & imperio, quibus totum ſe anteà Reginæ tradiderat, nihil ipſum exceptum velle. His rebus Regina ſatis inſtructa, mox cum Comite, ac Rege, ſtatutum ut erat, negotium abſolvit. Duo tamen initio pactis Caſtelmeliorius adjicere voluit, & per Reginam obtinuit, ut per ejus ſcilicet exitum voti compos Petrus jam factus, à veneni prius jacta querela deſiſteret, tum conſtitutæ concordiæ capita. Fidem ſimul oppignerantes Regina, Petrúſque ſubſcriberent. Cur autem is fœdum ſibi attentati in Petrum veneni crimen impoſitum tegi nunc oblivione maluerit, quàm legibus diſcuti, & hoc idem elegerit ſuæ ne conſcientiæ, an potiùs calamitati diffiſus, quâ effrænatiùs ex metu æmulorum ſoluta odia rapere etiam inſontem illo impetu potuiſſent, haud ſatis nobis hucuſque compertum eſt. His rebus ita compoſitis, jam diſceſſurus ab aula fidem Caſtelmeliorius repoſcebat à Rege, quâ inter ipſos conſtiterat, alium poſt alium abire, Uliſipponémque ſimul repetere. Verumtamen ſive id hominis aſtus, ut diximus ſuprà, ſive ſententiæ levitas fuerit, Alfonſus, quod primò promiſerat, nec mox ratum habuit, nec præſtitit. Itaque Comes Caſtelmeliorius hinc à Regina impulſus, hinc à Petro jactus, illinc à Rege præter opinionem irriſus, cùm omnia jam ipſum, reflante fortuna, deſeruiſſent, aſtu, ac labore fruſtrà conſumptis ſeſe tandem ab aula furibundus proripuit, & in quodam cœnobio ſeptem circiter leucas procul ab urbe conſedit. Sic eo denique viro, qui tandiù, & rerum potitus, & Regis erat, expulſo, & malorum omnium in ſpeciem velut extincta face, reverà diſcordiæ, ac certaminum fomes in aula deinceps exarſit potiùs quàm deſiit, cùm ſtante Petri cupiditate, ſtante Regis inertia, quidam prætextus, non cauſa turbationum in amoto Comite defeciſſet.

Rex enim inquieto volvebat animo, quidquid Petrus ab ipſo obtinere in quacunque contentione eniſus fortiter eſſet, illum ſemper victorem, & populariter plauſum, victum ipſum Alfonſum, & cum dedecore diſceſſiſſe, quidni ergo inter tot circunſtantium, & adulantium hominum incentiva, nimíſque arridentis proſperitatis illecebras in diadema, ſceptrúmque tandem inſiliat, quod etiam nunc per regulares quoſdam conatus, per certos quaſi gradus appetere videretur? Præterea ſibi fratrem nimis infeſtum ſuſpectam uxorem, populi fidem ancipitem, adminiſtros, regníque proceres à gratia Regis averſos, quippe quæ, ſicut nuper in Caſtelmeliorii cauſa contigerat, in quocumque eam reperiſſet, acerrimè ſemper à Petro, ac feliciùs oppugnabatur; atque hæc porrò moleſta, ac multiplex cogitatio, quæ cautionem, atque conſtantiam ei, qui prudentia polleret Principi peperiſſet, qui ea carebat, Alfonſo cum dolore, metúque furorem augebat. Adverſus Petrum maximè Rex, à quo plus ipſi Regi cavendum erat, & à quo uſu temporis artibúſque captandum, quod hactenus fruſtrà per vim tentaviſſet, rudis artis diſſimulandi quantum irarum, quantum pavoris in mente conceperat, improvidè verbis, & rebus

rebus exaggerabat. Ea ptopter nedum illas exarmari cohortes, quas ad coërcendam ſeditionem, Caſtelmeliorio adhortante, collegerat, noluit Alfonſus, ſed illas etiam expleri juſſit; nonnullas etiam propè, & è fronte Petri domus conſiſtere juſſit, inanibus hiſce minis inſultans, & provocans, quem vi terrere ſeu vincere hucuſque fruſtrà, & cum maximo detrimento comperetat. Ad hæc poſt ejectum, expulſúmque Caſtelmelioriũ ad genua Regia Petrum affuſum, & gratias, amotíſque blandimenta miſcentē torva fronte, rubentibus oculis, vultu horridus tacitúſq; tecepit Rex, ſubinde, ut illi quoque ſalutare Reginam de more liceret, petenti non verbo Rex, ſed capite annuit. At Pettus hæc omnia ut vi deſtituta ſpetnens, nec incautus, aut ſegnis ex propitia fortuna factus eaſdem ttactando artes, quæ adhuc proſperè ptoceſſiſſent, delere omninò reliquias fractarum paulò ante pattium inſtituit, quæ niſi funditùs hauſtæ pet occulta relicta ſemina reviviſcere potuiſſent. Comes enim Caſtelmeliorius, etſi corpore abſens, per eos tamen, qui ejuſdem factionis, atque fiduciæ lateri Regis aſtabant, conſiliis, & monitis non deſiſtebat in aures ejus influere, erántque eo tempore circa Regem illius inſtrumenta potentiæ cùm ejuſdem conſiliis applaudetent homines, réſque exequendas, ut Comes dictabat, urgerent. Super hæc homines, Comitíſque clientes agitare apud Regem Petri ſupetbiam, inſectari inſolentiam, & contumaciam, ſatis ſe ipſo furentem inflammare quotidie magis ingeſtorum eſca verborum, & ſtimulis contumeliæ: repetere ſæpiùs horum omnium certaminum quibus imperium exagitabat, regni diadema ſibi finem, & præmium in animo Petrum conſtituiſſe, ficto quidem erga Regem amote, veto in Petrũ odio compulſi, cùm enim integro Petro, ægrè ſe incolumes reputarent, pet hæc expreſſa, ac ſæpè inculcata diſcrimina Regi, ſi nihil fortè pro ſe, pto eis intentatum reliquiſſet Alfonſus, & quæ ptemebant, & quæ impendebant ſibi peticula cogitabant cum peticulo Regis immergere. Rex ergo liberiùs, atque incitatiùs, quā antea ſolebat ditas, & minas in fratrem, in partes effundens, jam humi ſucciſa capita, jam ſtrata corporibus ſota, jam vias cadaveribus intercluſas, jam ptofluvia cruoris, ac terræ miſcete cœlum inaniter ſtrepitabat, & cùm hæc frequentiſſimè dicetet, ne Reginæ quidem auribus abſtinebat, quanquam omnia explotantem, atque prodentem crederet illam, & in Petrum maximè pronam. Regina propterea quia viri inconſtantiam, ac ſimul impetum noverat, cùm vereretur, ne is irâ fortaſsè cæcus, ac præceps in frattem exoſum denique rueret, clam monuit Petrum, ad Regiam ne accederet, fratríſque congreſſum ubique vitaret. Irâ ſemper tumentem, & in illum minitabundum infremere Alfonſum, nihil ſatis munitum, nihil omninò eſſe tutum ab homine furioſo, ac novis inſuper ſtimulis agitato. Hæc admonitio movit adoleſcentem ad maturandum conſilium, quo adverſarum partium teſidua planè convellere conſtituerat, ne Regi ſcilicet proximus ſupereſſet qui ejuſdem regere, ac flectere poſſet arbitrium, aut indignationem inflare. Tres per id temporis homines etant, quos illius aulæ calamitas lateri Regis reliquos fecerat, iíque arctiori fiducia, atque ſtudio Caſtelmeliorii fortunæ obſtricti, & gratiores idcirco Regi, Henricus nempè Miranda, Emanuël Antuneſius, Antonius Souſa è ſecretis Conſilii Status, is, qui ob contumeliam palam verbis Reginæ illatam paucis ante diebus relegatus ab aula ibidem, ſed clam cōſenſu Regis agebat. Intet hos opibus, ſtudio Regis, Caſtelmeliorii amicitia, & in ejus quoque afflicta fortuna florens Miranda excellebat. Hunc igitur ptimò corripere Petrus dectevit, ut ejus facilius

ciliùs ruina ſubinde reliquos pertracturum. Miſit idcircò, qui clam ejus aures pervelleret, properè, & tanquam ſua ſponte decederet aula, ne ſatis monito, ſibíque minimè conſulenti deterius quidquam accideret. Sic erant in Petrum extra regium ſplendorem, & animum inter res proſperas hoc tempore magis explicitum ob expulſum præcipuè Caſtelmeliorium ſtudia plebis accenſa, ut non aulicis ille modò, ſed Regi etiam, pluſquam anteà unquam fuerat, terribilis immineret. His ergo intellectis Henricus, atque extrema deſperatione perculſus haurire illicò ſibi propriis manibus vitam primùm & fruſtrà tentavit, deinde conſilio cum animus non ſuppeteret, membris captus, ac debilis reſtitit, poſtremò clanculum fugit indignatione, odióque populi exterritus, qui, ſi in illum fortè incidiſſet, vivum diſcerpere minabatur.

Audit hæc omnia Caſtelmeliorius, quia aſſiduè inde meabant, ac remeabant nuncii reſponſa, & conſulta ferentes, monétque Regem Alfonſum, ne quid iracundè, aut celeriter ageret, ne quid temerè loqueretur, niſi quoſcumque lege immobili fata conatus, & ingenii vim interciderent, arte, ſeu dolo, non conſertis viribus vinci, & ſimulatione potiùs officii, quàm apertis inimicitiis Petrum everti quandoque poſſe. Reverentia, metúque Regis excuſſo, perturbatam rationem, & rerum ordinem eſſe; & ſuffragante quoque natura ad ſuum omnia redire cum tempore locum, niſi ira, & celeritas opportunam medelam tollerent. Rex autem, qui ex oraculo tanquam edita, etſi parum his uti ſciebat, conſilia Comitis æſtimabat, in Senatu cùm paulò poſt occurriſſet res graviſſima conſultanda, Petrum enixè rogavit, ut ſententiam ibi laturus cum reliquis conveniret. Is tum ſecretæ hortationis Reginæ memor, quæ acceſſum ad fratrem interpellabat, ſimul ea ſpecie concordiæ, atque fiduciæ ratus, non ingenuè ſibi blandiri, ſed fictè paſcere populum in animo habere Regem, aut alios ſubtexere velle dolos quibus frater incautus deprehenderetur, hoc primo obſtinatiùs repudiavit. Inſtitit etiam orando, commonendóque Rex Petróque litteràs dedit ſtudioſas, ſuaves, egregiæ reſtes benevolentiæ, quæ ut ſtatim ad ſe veniret, illum ſuaviter oppugnarent; multa ſe quoque facturum promiſit in clariora erga fratrem amoris indicia, atque ut Reges præſertim populo, ac ſcenæ deſerviunt, cujus potiſſimùm opibus innituntur, ejuſdem exempli Rex circunferri per urbem litteràs juſſit quò planè conſtaret fratrem à fratre, & hoc altioris quidem faſtigii, in amore provocatum non reſpondere, imò in longum jacere odia, & altiùs in corde concoquere iras. Has litteras accipit Petrus, ac ſimul evulgatas intelligens planè anxius, & animo æſtuans in ſe ipſo volvere cepit, iret necne ad fratrem iterum, atque iterum accerſitus; pertinacia dedecori, ac publicæ notæ ſibi; jactantiæ Regi, ac voluptati quoque futura erat; rurſus facilitas ſibi periculo, opportuna Regis conatibus erat. Sic varia, ac multiplici rerum expectatione ſuſpenſum, ac fluctuantem hominem impulit ea ſuper cauſa explorata Reginæ ſententia, ejuſque conſilio tandem toties vocatus ad Regiam ſe contulit Petrus, ſed ad omnia diſſimulanda paratus, & clientibus circunfuſus. Venientem admiſit Rex, & niſi, quo paulò ante uſus cum illo erat, ingrato ſilentio, rictúque tamen omninò frigidè, & ob ægrè ſuppreſſam in animo iram hæſitantibus penè verbis, & quodam orationis, & vultus affectato delinimento, fucóque quæ ex adverſo tam concinnè, tam aptè actione, ac ſermone adũbrare didicerat Petrus, ut ineptè Rex exercebat. Cæterùm ea licèt ſic ficta exiliſque inter fratres reconciliatio ſpeciem quamdam

quamdam domi concordiæ, aut longiores pro certamine inducias, & foris quietum imperium aliquando ſuſtinuiſſet, niſi novis ſubinde quæſitis, aut ſe ſe fortè implicantibus cauſis jam ad certam regni jacturam fortuna compelleret Regem. Ablegato Caſtelmeliorio, difficilè, inſolentérque eo tempore verſabatur Alfonſus in curis publicis obeundis, quas ille coactus abjecerat; obſtabat enim ingenium in Rege voluptatibus fractum, ac vitiorum illecebris irretitum, è quibus ægrè ſe ipſe extricare inveterata conſuetudine poterat, tum imperitiâ rerum quam eas negligenti, deditóque penitùs otio aliena ſollicitudo, labórque alienus invexerat, tum viridis ejus ætas, ingeniíque hebetudo gravitati, & copiæ tantarum rerum, & quibus præter ſolitum regnum tunc æſtuabat difficultatibus impares. Rex igitur electurus, qui loco Caſtelmeliorii tanta ipſum levaret curarum mole, onúſque cum illo divideret, qua tempeſtate opus erat, virum integrum legi, & à partium ſuſpicione, & contagio immunem omninò compertum, is cæco magis affectu, quàm vi rationis inductus Antonium Souſam ſufficere ſtatuit, qui erat è ſecretis Conſilii Status, ex acrioribus Caſtelmeliorii clientibus, & tunc impulſu Reginæ, decretóque Regis extorris, at, illa ignara, occultus in Regia. Hoc quidem conſilio Rex à Regina petivit, ne ea gravaretur Antonio Souſæ exilii pœnam remitti, ſiquidem paucis pro verbis, & his primo impetu effuſis jam ſatis ille penarum dederat. Tum verò & ultionis minus ardore, quàm metu ad hæc verba vehementer Regina commota, ne ſcilicet adverſarius in potentiæ apice, conſtitutus graviora ab ipſa poſteà ludibria pro exilii vice repeteret, id ipſum conſtanter negavit Regi. Deinde cum aſſiduis quotidie precibus, & verborum ambagibus Rex, ut aſſenſum exprimeret, mulieris animum fatigaret, hæc ira tandem, & muliebri quodam faſtidio, ac ſatietate perculſa. Eſſe Regis in manu poſitum, in- " quit, quidquid ipſi de Antonio ſtatue- " re collibuiſſet, non autem in ſua pote- " ſtate reſtitutũ illum aſpicientem do- " loris amaritudinem temperare. Rex " remetè tunc arbitratus, eò ſe plus mollituturum Reginæ iram, quò Antonii culpam attereret, Status Senatus de Antonii exilio decretum, quod Reginam hucuſque latuerat, fœminæ exhibuit, cujus hæc erat ſententia. Sedulò ex- " cuſſis, quo ſtudio, cultúque decebat, " libellis, quos in Antonium Souſam in- " vecta ad Status Senatum Regina tranſ- " miſit, alióque ab eodem Antonio Sou " ſa Senatui quoque porrecto quo im- " poſitum ſibi crimen omni veneratio- " nis officio diſcutere ſatagebat, & ſi " Antonio duntaxat propoſitum fuerat, " prona, & obnoxia Reginæ patere, quæ " tunc immeritò querebatur, Luſitanæ " gentis obſequia, nihilominus cautum, " ídque magis, ut indignationi, volun- " tatíque Reginæ, quàm merito cauſæ " conſuleretur, per aliquot dies exulem " hominem agi, reverenter prætereà " Reginæ ſuggeri, ut hujuſmodi of- " fenſiones diligentiùs in poſterum de- " clinaret; nam levia, & futilia quæ in " privatis æſtimarentur, ad Regiam ma- " jeſtatem traducta, majúſque inde pon- " dus, ac robur accipientia ſæpenume- " rò turbamenta, & reipublicæ exitia " fuiſſent. Tali decreto conſultiùs, & " graviùs Hiſpano pro more Status Senatus egerat, nempè Reginam, quod auguſtæ ipſius dignitati, ac regio ornamento congrueret, à privato homine læſam, aut ſpretam minimè faſſus, nec ideò vel nimia linguæ licentia, vel animi ardore lapſum illum impunè dimittens, ſed tanquam Antonii exilium arbitrio, ac celſitudini potiùs, quàm Reginæ daretur injuriæ.

Atqui nobilis mulier ſeu Hiſpani

moris ignara, nec Hiſpanam oſtentatione & arte à Gallica libertate, & candore ſecernens, ſeu ab illis impulſa, qui jam ſerpentem ſufflare ignem ad extrema votorum non deſiſtebant, ubi non rectè, aut ſolerter Senatus mentem interpretatur, imò plus fidei, privatíque hominis teſtimonio, quàm Reginæ auctoritati querelæque attributum, brevíque exulantis hominis ſpeciem non ad injuriæ ſolutionem, ſed ad ipſam decipiendam fraudulenter excogitatam fuiſſe, ira inſolenter excanduit, & poſt multa ferocia, atque aſpera nimis profuſa verba, quæ & mulieri, & Reginæ, & coram viro regia quotidie exiſtimatione, ac decore per varia momenta cadenti, ſuperbia, furórque dictare potuit, citato gradu ad interius cubiculum ſe recepit, ubi ſupplicem ſcripſit libellum ad Regem, rurſus via juris cauſam exagitari, reóque condignam infligi pœnam efflagitans. Libellum Rex accipit, & quanquam Conſilii Status, vel in ſpeciem tueri per id temporis intereſſet prolatam à ſe ſententiam, ille tamen quia Conſiliarios nunc propè omnes ad fratrem ex fortunæ inclinatione propenſos noverat, rejicere noluit, ut ſolitus erat ad Status Senatum Reginæ libellum, at illo ſuppreſſo blanditiis, minisve per tempus, artéſque ſperabat, inflecti fœminam poſſe. Super omnes animi affectiones, quæ intempetanter ipſum agebant, iracundiæ præſertim impotens erant Alfonſus, qua modo cum ira collata, quæ in fœmina ſuperat, cùm acriùs uterque urgeret in rem, & cauſam diversè pro viribus traheret, neutríque interim eſſet temperandis affectibus modus aliæ ex aliis offenſiones, ac domeſticæ ſimultates in dies propè ſingulos emanabant. Inter ſe oppoſitis ira Principibus, & palam animis alienatis, ulceratíſque plena ſilentii, ac triſtitiæ, omninò inculta, ac deformis jacebat Regia, ac propemodum deſtituta; nemo enim omnium neceſſitate niſi coactus bile ita correptum, ac ſtomachantem adire Regem audebat. Regina in ſuo cubiculo clauſa mœrore propè confecta, tenáxque nimis doloris ſeu ira, ſeu verecundia, ſeu ultionis aviditate provecta nec lucem, nec quemquam hominum dignabatur aſpicere. Inter hæc etiam Antonius Souſa, nequaquā, ut anteà, cùm pudore, ac formidine occultus, ſed procaciùs, & palam verſabatur in Regia, ſimul ſollicitus, intentúſque arma paſſim colligere, obſtrepere, imperare quæ agenda eſſent, armatis ſeptus incedere, armatis cubare, quaſi ad vim, & conflictum hucuſque licet victrices inſtructa illa pompa laceſſeret partes. Ad hæc animo turgidus, quod ipſum Rex, & Regina certaminis cauſam haberent, & quod tantum ipſe curatum incuteret Regiæ, ac populo Luſitano jactantia plenus, & minis incendia, vaſtitatem, rapinas omnia omnibus publica exitia denunciabat. Hæc ex compoſito excepta verba, & in majus ſubinde aucta, & mendaciis quoque corrupta æmuli in plebem diſſeminabant, ac ſimul addebant, Antonium Souſam, ſi Uliſippone fortaſsè depelleretur, cum regio equitatu ſimul erumpere, atque extra urbem exercitu comparato eodem redire conſtituiſſe omnia in rebellium ſupplicium, atque ruinam flammâ, ferróque miſturum. Alia, & ſimilia prætereà, quibus rem veriſimilem facerent, confingebant; erátque retruſum dolo conſilium, ſic alienarum à Rege populum faciliùs Petro ad omnia, quæ vellet, addicere, jam iſtum adoleſcentem ut libertatis propugnatorem, & everſorem Tyrannidis intuentium. In hunc modum per aſtus animis plebis imbutis, excitatíſque, dum mæſtæ, afflictæque Reginæ ſuccurrere Petrus pro gratia reddenda cupit, graviorique perinde Regem offundere metu, & alium ab ipſo quæſito addere gradum imperio, expellere tandem, alia niſi via licuiſſet, per vim, atque arma Antonium Souſam decrevit. Magna erga nobilium, &

popula

popularium conflata manu domo ſua Petrus diſcedit; eo tumultu, atque ſtrepitu ex induſtria clara luce, vocibúſque jactato ad Regiam euntem plebs obvia partim rumore, ac re nova partim illecebris excitata circunfluit, adeò, ut ſimul, ac Petrus Palatium ingreſſus eſt, tanta in area illa ſubjecta frequentia hominũ inundaverit, quantam tota propè urbs capiebat. Subiit in Regiam Petrus, ibíque pauliſper ſubſtitit, donec omnes eò convenirent ab ipſo pridie accerſiti Status Senatus Conſiliarii, quorum auctoritate, canitie, conſenſúſque ſpecie ſtudebat notam ſubterfugere invidiæ, ac planè intelligere populum, utilitatem privatam nullam, ſed reipublicæ rationem, meliorúmque conſenſum, cùm remedio ſerviret, tot fluctuum adverſa, motúſque rerum concitaviſſe. Mitiùs præterea, cautiúſque ad rem fore ducebat, priuſquam ipſe Petrus violentas in Antonium manus injiceret, tentare, ſi fortè poſſet, cùm Rege, ut idem populi metu, & conſpirantium terrore compulſus à ſe, quàm ab aliis, & cum minori dedecore aula illum exactum mallet. Ita igitur omnia cùm ex ſentẽtia parata eſſent unà cum Senatoribus Petrus Regis cubiculum introivit. Jacebat in lectulo Rex adhuc languens, ac propè torpidus ſomno, quem ab his cum moleſtia excitatus paulò ante diſcuſſerat, intuitúſque repentè fratrem, & Senatores, & Proceres ſevero, triſtíque vultu cum murmure, & turba hora importuna accedentes ſuſpicatus rem atrocem occurriſſe, verſo & ipſe colore, vultúque dejectus, & anxius vehementer turbatus eſt.
„ Tunc Petrus: Regnum, inquit, & do-
„ mus noſtra in extremo nunc ſita diſ-
„ crimine pendent; populus enim pro
„ Regina tumultuans, & numero mul-
„ tus, & armis circa Regiam conſtipa-
„ tus ardénſque rapi, dedíve ſibi ad ſup-
„ plicium Antonium Souſam expoſtu-
„ lat, ne inulta Regina ſuæ dignitatis
„ meritíque ſplendorem, aut præ affe- "
cti animi anguſtia vitam amittat, quin "
etiam ne manibus quidem ſeſe tem- "
peratutum exclamat, ſi jure adeò ini- "
quo, & acerbo turbulenti, ſordidíque "
hominis gratia apud Regem Reginæ "
cauſam, ac dignitatem extinguat. Igi- "
tur, & te, & me, & majeſtatem imperii, "
& jura cõmunia, ac ſtẽmata Domûs "
cõculcãda, ac perdẽda nunc opus erit "
irato populo tradere, aut fœdũ homi- "
nẽ gratia tua indignũ Reginæ gravẽ, "
omni populo inviſum, & conclamatũ. "
Vide, obſecro Rex, an id quod jam "
nequeat minis, ac precibus plebs à "
te ſubinde, cùm velit per vim expri- "
mere valeat, tum ſi ea concitata, & ar- "
mata, & impotens ſui ſemel omninò "
frænos excuſſerit, quando finem exci- "
dii factura ſit. Plura dicere Petrum "
volentem iratus Rex interrupit, cùm enim nova hæc aliis, & acribus admodum multis cumulata ſupra virum moleſtia ardentiores furori faces adjiceret, ſic ira exarſit, ut horribiles voces limphato ſimilis dederit, gladium, gladium ſæpè repoſcens. Petrus in multis jam caſibus aſſuetus cunctatione, ac ſpecie quadam modeſtiæ Regis eludere impetus, medium, quem ipſe gerebat gladium evaginavit, illum Regi ſe porrecturum, pectúſque daturum affirmans, ſi revera ferire vellet. Regina interim concurſu populi, Regiæ fragore, ac tumultu, horriſonis viri perterrita vocibus, ac propè attonita mente ad ſedem ejus cucurrit, Regémque invenit in lectulo ſe verſantem, Procerum turbâ vallatum, aſſiduo clamore, gemitúque furentem, & niſi ira, quæ ebulliebat, cæteris ſenſibus alienatum, ac propè ſtupidum. Quærenti Reginæ, ac ſæpenumerò inſtanti, quid rei eſſet, & quæ tam ſubita clades in ipſum inundaviſſet, Rex tandem reſpondit, Antonium Souſam in ejus deſpectum, & contum eliam occiſum fuiſſe, velle autem modò Regem ipſum tumultu terreri fraudibúſque deludi, quò certa nefariis impunitas foret.

Tunc falli profectò Regem,ut omnium conſcia Regina ſubjecit, quia vivus erat Antonius. At ſurdæ erant Regis ad omnia hortamenta, atque ſolatia aures, tunc altiùs in animo infirmo, & anguſto furore obſtrepente. Tandem Dux Cadavalius extractum à quodam latibulo Antonium, & ſua quoque auctoritate defenſum, ne in tranſitu à populo necaretur ad Regem incolumem duxit. Quo viſo, Rex tot ira, & errore excitatos lenivit potiùs, quàm animi fluctus oppreſſit. Regina, Petrúſque recedunt, cæteríque ſenſim è Regis cubiculo dilabuntur. Incerto ſubinde auctore fortuita, ſeu ficta ex profeſſo vox emanavit,viſo Antonio,dixiſſe Regem, rectè omnia compoſita eſſe, quâ porrò gratanter acceptâ, & ad Reginæ Petríque aures allapsâ voce, tunc iidem exiſtimantes ſua ſponte, vel Regis imperio, ne pati miſerrima cogeretur, aulam Antonium deſeruiſſe, ad Regiæ feneſtram accedunt, ut infra odio, atque ira populum æſtuantem, ſucceſſúque pendentem læta,ac ſerena proſpecta faciei comprimerent. Verùm extemplò rumor evanuit, nec alia profectò patuit ab ore Regis elicita vox, niſi tantummodò parcere ipſum, qui Antonii expulſionem urgentes adeò ſibi moleſti, importuníque fuiſſent. Aderat cùm hæc diceret, Rex Sabugalius Comes, qui loco obſequii, lucríque ducens, quod ſuperbè, inſolentérque hactenus erat in Regem actum cum tumultu,atque ſtrepitu poſtulaſſent à Rege, quod modeſtiâ obtinere diffiderent, liberiùs illi reſpondit, nihil eo tempore perpetratum ab ipſis, quod crimini affinem veniam, & non mercedem, aut laudem Regis, & omnium promeruiſſent. Inſtitit Rex ſe veniam eſſe daturum, cúmque ferociùs eam recuſare Comes repeteret, pudore, merúque perſtrictus continuit ſe Rex, & pallore ſuffuſus adjecit, veniam, & laudem pro cujúſque meritò ſe collaturum. Adeò in tranſverſum, ac miſerè præceps ſemel impunè læſa cùm labi cæpiſſet regia auctoritas ferebatur. Cæterùm ira, & inſcitia conſultricibus peſſimis eos inter æſtus, animíq; caliginem agitantibus Regem, quóve ipſe periculo per id tempus volutaretur ignorans, aut ſpernens, ſatis Petro, ſatis populo factum putans, quod tumultuosè irruentibus, & verbis, factíſque inſultantibus peperciſſet, gratiam indultæ pro inflicta ignominia veniæ velle in Antonii utilitatem transferre, ac nihil ampliùs ideò curare de hominis miſſione apparebat. Ille inter hæc ſermone arrogantior, & vultu, quod tanti ſcilicet ipſum, quanti regnum facere Regem cognoverat; pro cujus cauſa jam illud in extremum propè diſcrimen adduxerat, obſtinatiùs, procaciúſque in Regia perſeverabat. Hæc Petrus animadvertit, conſilióque amicorum adhibito, quærere cæpit; quid factu opus eſſet cùm poſt tot omnium impetus, conatúſque nihil de ſua pertinacia Rex, *nihil* de ſua petulantia remittere vellet Antonius. Fuêre inter eos,qui ibi Petro conſulerent, ut eodem momento depoſito Rege, diadema, & imperium ipſe repentè occuparet, nimirum ſummam in ipſo potentiam, fratris Regis effractam, occaſionem in promptu eſſe, ea ſi ſemel elaberetur; denuo quæſitam non inveniri,aut in pejus mutari poſſe, utendúmque proptereà ſecundo illo impetu populi dum res caleret, dum cauſa valida ſtaret, dum populus ſtudiis, & illa animorum unione flagraret; niſi populo inſaniente, in pace regna mutari difficilè poſſe. Expalluit hoc audito ſermone Petrus, mox verecundo rubore tinctus, ac ſpecie indignantis eò ſe veniſſe reſpondit, res imperii compoſitum, non abreptum. Rei tamen exitus paulò poſt docuit ea oratione offenſum, & graviter Petrum fuiſſe, quod temerè auſus aliquis eſſet ejus animi latebras attrectare, & cordis arcana introſpicere non tali tempori, non tali conſeſſui,

fideíque horum hominum committenda; fluxa prærereà, arque lubrica fote Pettus novi imperii fundamenta cenſebat, turbulentè, ac fortuitò, ut res eo tempote miſcebatur, ſuper aura verſatili jacta populi. Ad hæc curſu ipſo rerum, & hominum habitu tam proſperè cuncta fluerc, ut non inconſtantia, ac levitate populi intruſus, ſed conſultò vocatus, exoratúſque paulò poſt eſſet Luſitanis imperaturus. Dectetum igitut eſt. Antonio Souſæ, Emanuëlíque Antuneſio, quem ut Antonio in primis amicum, Regíque pergratum idem apud omnes invidiæ premebat æſtus, capitalibus minis imponi, ut Palatio ſtatim,& utbe diſcederent, ſi præcepto obſtitiſſent, arma confeſtim, & vim expediti. Hoc, ut convenerat,uttique denunciatur,qui poſtquam vident neque à Rege, neque ab amicis qui ſpontè,aut violenter alius poſt alium evaſerant, neque aliundè contra vim, peſtémque impendentem aliquid eſſe ſibi præſidii, aut ſpem ullam effugii pari fortuna dejecti, atque animo fracti reſpondent tanrummodò orantes, ut latebras ſaltem noctis ipſorum fugæ Petrus permitteret, ne ſecus furentis in populi manus inciderent. Quod juſtè poſtulant, impetrant; inde Emanuël, Antoniúſque Regeinconſulto,nocte ipſa intempeſta diffugiunt.

Ubi illuxit, Regíque ſtatim innotuit, quod inſcio,ac nolente ſe homines Palatio furtim elapſi eſſent, valde admiratus, ac ſimul animo percitus, ingratos ſcilicet homines inimicorum formidine magis affectos fuiſſe, quàm regia gratia, tecentíque pro illis contentionè cum tanta rerum turbatione ſuſcepta, tanquam eſſet in aula novum metu percelli magis, quàm gratia, orientémque potentiam colere, occidentem negligere, inquiri illos diligentiſſimè juſſit. Atqui juſſa Regis eò tempote infirma, & planè afflicta auctoritas erat, illíſque fuga ſaluti fuit. Itaque Rex jam omnibus ejus amicis majoris ſpe partim lucri, vi partim abſtractis, aliis ſpontè metúque ſubductis ingentem circa ſe ſolitudinem, ut turbas adulatrices aliàs propitia fortuna trahit, in adverſa fortuna mœſtus aſpiciebat, nec, & paucorum, qui in illa amicorum fuga reſtiterant, odioſa graviſque minus, quàm ſolitudo ipſa ſocietas hominum Regi fiebat, quippè qui omnia dicta factáque ejus inſpiciebant, ac deteriùs interpretata vulgabant. Suſpecta ei etiam erant Status Senatus conſulta, ut palam, ac pervicaciùs jam cum Petro conſentientis, nec ipſi alioquin auctoritas, mens, ſive ratio Regi conſtabat, quibus alieni conſilii loco ad obeundas curas publicas uteretur, quinimò aſſiduis, novíſque eo tempore offenſionibus, ac multiplici cura maximè perturbatus, & in tanto ſqualore, ac triſtitia Rex conſtitutus nec regnare ſciebat, nec vivere. Ingraveſcebat quotidie hoc privatum, & publicum malum, & palam etiam fiebat quod æmuli Regis, ut ipſum impetio minorem arguerent, ideóque faciliùs meditata tranſigerent, graviora tunc illi extricanda regni negotia ſubjiciebant, quæ ut calumniæ,ſi rectè, errori, ſi malè deliberaſſet obnoxia, peræquè timidus Rex præteribat. Itaque cùm ita ſubditi Regis, & Rex illis, ſibíque ipſi magis diffideret Rex, contemnebantur proptereà leges, ſqualebant ipſa judicia, Ærarii,Statúſque ampliſſimus ordo in negotiis, & cauſis expediendis hærebat,ac propè torpebat formidine ſimul, & otio; ſine clavo, ſine rectore, vaga, atque incerta eos inter motus, æſtúſque civiles fluitabat quaſi reſpublica, adeóque ex illa rerum propè omnium confuſione, ac tumultu futura breviter timebatur extrema pernicies, & clades imperii, ut regni, ac regiminis abdicatio, quæ tot per inſidias adverſus Regem primùm intenta fuerat, jam pro ſtatu miſerrimo rerum,quo jacebat reſpublica, etiam ab integris poſcere

poſceretur. In tanta imperii jactatione, juſtóque incuſſo bonis etiam hominibus metu, omnes ferè cenſebant à ſummo magiſtratu, auguſtíſque regni Comitiis extremum, & fortius eouſque labanti, inclinatóque regno ſubſidium petendum eſſe. Verùm hæc ut jure coirent regia opus erat auctoritate, quæ ea legitimè cogeret, nec flectete Alfonſum ad ea convocanda, niſi difficile videbatur, in illo enim cum populi gratia, auctoritas, vires, opes alia poſt diffluerent, nec ita proſtrato, atque afflicto reliquum miſero Regi, niſi regni jactura foret, per eam mentionem Comitiorum in eripiendi ſibi denique regni ſuſpicionem facillimè cecidiſſet, quia tamen ab ejuſdem hominis pertinacia cum animi levitate, & judicii quoque inopia conjuncta quædam arte, defatigatione permulta, nonnulla per vim æmuli tandem extorſerant, ad Comitia jure cogenda placuit utcunque arietare animum Regis incipere, ut quantum viribus poſſent reipublicæ non deeſſent, quàm Regis excidio tunc reparare neceſſe erat. Cameræ Uliſipponenſis conventus de convocandis regni Comitiis primum ad Regem libellum ſupplicem dedit fuſiùs in illo imperii calamitates, ſubditorum querelas, ærarii indigentiam exponens, & citò audiendos eſſe clientes, ut tot prementibus undique malis celeriùs, quod ita petebant, remedium adhiberetur. Intellexit ſtatim Alfonſus illorum hominum mentem, ſeſéque per illos propriæ ruinæ artificem quæri, idcircò tergiverſatione, atque mora, & fallacibus verbis poſtulatum eludere contendebat. Quæ cùm homines percepiſſent, rémque in ſe admodum implicatam, ac dubiam animo cernerent cohortati ſubinde per litteras ſunt civitates primarias regni, ut eadem à Rege Comitia publico nomine peterent.

Paucis elapſis diebus Status Senatus, cui tunc Rex, Regina, & Petrus interfuêre, conſultus à Rege, ut illius duntaxat animum pertentaret, quid ipſe cenſeret de regni Comitiis, pleno conſenſu, ac nulla prorſus refragante ſententia reſpondit, eſſe protinus convocanda, ut imperio labanti quàm citò ſuccurreretur. Cæterùm in tam frequenti Senatu rara illa, & omninò ſuſpecta ſuffragiorum concordia cum turbida eſſe ea videretur Regina, Petróque Ducibus conſpiratio, res planè magis incitamento fuit, quo duriùs exinde Rex Comitiis cogendis adverſaretur. Deluſus idcirco Senatus die illa receſſit. Rurſus poſtridie Status Senatui coacto, ad quem Rex non acceſſit, Sandius Marchio præcipua inter collegas auctoritate ſcriptum exhibuit, in quo copioſè, ac vehementer exaggerabat amorem cultúmque Reginæ, fratri obſervantiam, & ſtudium à Rege debitum; ſi aliquando prætereà dedignatus non eſſet Alfonſus vulgares, extraneos, ac negotiis tam gravibus impares in regiminis partem, arctiorémque fiduciam reclamante quoque populo adſcitos, cur ita nunc ipſe abhorreret à ſanguine, lege, natura ſibi conjunctis, altiori quoque intellectu, & pari propè faſtigio in eadem fortuna verſantibus, iis nempè, ad quos propius damna, ſive incrementa reipublicæ pertinebant? Poſtremò aſſerebat ejuſdem Regis, laxitate, ac deſidia fluere labíque paulatim imperium, nec in tot circunfuſis, & aliis quotidie emergentibus malis ſubvenire aliquo modo reipublicæ niſi regni Comitia poſſe, atque idem libellus à Senatoribus cunctis ſubſcriptus, & obſignatus ſtatim ad Regem tranſmiſſus eſt. Rex eo perlecto, & Marchionis libertatem reprehendit, & graviùs dolore arſit, quòd ſubdole, ac falſo modo quamdam imperii diviſionem, & formam per ambages inſolitam introducerent, qui & totum eidem per Comitia ſurripere conaban

conabantur. Aſſiduis propterea pte- cibus ſæpè in Regia, ſæpè in Senatu pleno jactatis, aliàs minis, aliàs illecebris laceſſitum, atque omninò laſſatum, & tamen hucuſque improbando Comitia conſtantem, & regidum fregit poſtremò neceſſitas Regem. Quippe univerſi Uliſopponis magiſtratus, & Regni Ordines palam, & acerrimè conſtrepebant. Comitia publica conclamantes. Reiterata Status Senatus decreta non ſuo more conſiliaria, ſupplicia, & ut alloqui Regem decebat, ſenſibus verecunda, ſed imperioſa, minacia, & vaticiniis propè funeſta ad Regem deferebantur. Prætereà ſeu cubaret, ſeu deambularet, prandio, vel cœnæ, vel quieti aliquando vacaret Rex, in Regia, extra Regiam, & quocúmque illum negotii, vel otii, vel voluptatis cauſa trahebat, ubique & frequentet ſubmiſſi non deerant qui perpetuò imperandis ſuper Comitiis aures ejus obtunderent. Ex urbibus etiam, & oppidis regni ſubornatos per viros ad res novas erectis, & concitatis litterarum quotidie faſces ad Regem perferebantur Comitiorum congreſſum urgentium. Victrices Petri partes ita latè jam omnia obtinuerant, eóque devoluta res erat, ut non ſecus admittens, quàm omittens Comitia Rex imperii ipſe amittendi utroque modo diſcrimen adiret; námque regni Comitia non æquitatem, & modum, ſed figmenta fucóſque ambitioni concinnatura callidè quærebantur, cui ex parte illi ſemel fruſtratæ, cùm tantum factio oppoſita prævaleret aliunde irrepere in Regem, aut larvâ detractâ fortaſſis irrumpere licuiſſet. Itaque Rex aliàs falli, aliàs regi, aliàs cogi ejuſdem levitate, ac ſocordia jam à principio aſſuetus, cùm hoc tempore & acriùs malo ancipiti premeretur ſollicitæ, ac dubiæ mille mentis fluctibus obrutus, cùm inde exitum non inveniſſet, poſtremò ſuccubuit, convocandíſque regni Comitiis trium menſium terminum poſuit: quod etiam illorum cupidine longius cum hoc temporis intervallum novis jam rebus inhiantibus videretur, ex eo ad integrum menſem contractum eſt. Poſt quæ ſolus, ac tacitus Rex, quid expugnatus, quid invitus, quid æmulis placiturus egiſſet, ægro ſecum reputans animo, & quod omnia ipſum cum ſecunda fortuna deſeruiſſent, & omnia circa ſe hoſtilia, atque acerbiſſimè infeſta cerneret, non modò ſibi de imperio perdendo metuens, ſed etiam de libertate, atque vita, quæ in æmulorum ſententia, & arbitrio per Comitia futura ſubinde fuiſſent, occultam idcirco fugam meditabatur. Hoc ergo animo regii ſtabuli equos aliquibus clam diſtribuerat, navigia, quæ in portu erant ſecretò parari juſſerat, alia quoque opportuna fugæ Rex adornabat, erátque trepido, ac mœſto Regi conſilium ad Tranſtuganam, ſi fieri poſſet, provinciam trajicere, ibique implorare ſubſidium, & fidem immunium ab ea partium contagione clientium. Non fefellit profectò Petrum fuga, quæ furtim apparabatur; nam præter copias, & vires ſedulitate quoque & induſtria vincebat Regem, circummiſſíſque in loca aptiora cuſtodiis facilè ipſam prævertit.

Inter hæc Luſitaniæ Procuratores ad indicta Comitia Uliſipponem conveniebant. Regina verò cui ſatis compertum erat, illorum auctoritate, ac ſententia per jampridem concocta conſilia Regem imperio depoſitum iri, cùm fœmina pati minimè poſſet abjicere à ſe Reginæ ſplendorem, & faſtum, aut cum inanis ludibrio tituli ruinæ Principis ſupereſſe, quando ne uxoriæ quidem voluptatis illecebras, aut prolem ſperare ex illo infelici connubio poterat, excutere jugum his cauſis impulſa conſtituit. Solita igitur ſæpè ſæpiùs voluptatis, & otii causâ ad Franciſcanum quoddam Monialium cœnobium Regina

gina divertere, eò rurſus certa die cùm veniſſet, paucis puellis dimiſſis in eodem cœnobio conſtitit, non Reginam, non nuptam, ſed ſe Virginem eſſe dictitans, atque ad ea ſaxa ab inflexa parumper fortuna, ne in tanta tempeſtate periret omninò, jactatam. Poſt hæc hujuſmodi codicillos ſua manu conſcriptos ad Regem deferri curavit. *Patriam, cognatos, domum ego deſerui, & opes meas alienavi, ut pro ſocietatis jure, & officio mereri de te Rex optimè poſſem, ſed quoniam, ne hoc mihi, ut optabam, liceret, fortuna diſpoſuit, conſcientiæ meæ ſtimulis modò, æſtuque affluentium ab omni parte malorum, & metu, ne pejora fortè ſubirem, exagitata ad Galliam redire conſtitui. Rogo à te igitur, ut veniam petenti concedas, ac dotem mihi reſtituas, cùm id uni tibi pro certo liqueat, quod noſtris inanibus nuptiis, nihil equidem ipſa tibi pro thalami jure debeam. Supereſt nunc, ut ita te mecum habeas, ſicut magnanimum Regem decet pro Principe externa, fida olim ſocia, tuo imperio ſatis addicta, nunc à fortuna projecta, & rebus omnibus deſtituta.* Hos codicillos poſtquam ſolvit, legítque Rex re improviſa valde concuſſus pauliſper attonitus, ac ſtupido ſimilis colore etiam exanguis, ac tacitus hæſit; irâ deinde ſtatim refluente cum ſanguine effuſa, primóque illo impetu actus properare ad cœnobium cœpit, reluctantem quoque Reginam per vim inde, per arma, ſi aliâ viâ non liceret, quomodocunque abſtracturus. Præviderat Petrus jam conſilii Reginæ præſcius, quantam irarum volvere molem ignominiæ, ac doloris ſimul infixus aculeus in animo regio, eóque ad irã præcipiti valuiſſet ea res improviſa, quæ, & ſenſus, & rationes Regis tempore iniquo labefactabat, néve furentis Regis inſania fortè violari fœmina poſſet, conſilia, viréſque prævenerat. Ubi ergo reſcivit Petrus ardere, ac furere Alfonſum, iráque provectum, & concitatum ruere ad cœnobium, ut Reginam abriperet, ipſe tum viris nobilibus comitatus, multiſque rei famâ, caſúve per iter adjectis ad cœnobium ſe contulit. Ibi Regem clauſas jam fores cum ſtrepitu, ac turba dejicere molientem minis cum precibus miſtis, & incuſſa quoque formidine avertit, & quanquam frementem, & magnos irarum agentem æſtus, rurſus tamen deluſum, & inanem ad Regiam redire compulit. Cæterùm tam multa inter vulnera, & validos ictus, quos nimis in Regem Alfonſum irata fortuna contorſit; nullus quidem hoc fortior, qui manu Reginæ cecidit, eumdem afflixit, genitalem quippè defectum ejus adhuc vulgi rumoribus agitatum, nec ſatis omninò compertum palam omnibus ratum, ac certum Reginæ diſſociatio, & cauſa fugæ, ejúſque ex compoſito circumlata paſſim epiſtola fecerat; ingenii ſiquidem imminuti, & morum inſuper vitio nec Rex eſſe ſcire videbatur Alfonſus, nec Regem etiam imperio per ſobolem dare vitio naturæ poſſe. Regina poſteà quam ſedem ſuam in illo cœnobio, donec aliud de ſe decerneret, abſque ulla alia moleſtia fixit, Petri colloquium petiit, & ſecretò cum illo habuit, in quo palam tractaſſe fertur de reditu ejus in Galliam; ſuſpicio tamen, & vulgatus ubique rumor, nec vana de cauſa prolatus increbuit, clam inter eos facta verba de ineundo ſimul conjugio, quando illud cum Rege contractum lege eſſe irritum, patuiſſet. Statim enim Regina poſt Petri colloquium litem de matrimonii reſciſſione apud Eccleſiæ Judices, nec Rege ipſo diſſentiente, inchoavit. Mox regni Proceres convocavit, eóſque ſimul admonuit quibus impulſa cauſis ſeceſſionem à Rege ſtatuerit, ac verecundè popoſcit ſicut humanitatis in viro nobili officium, & miſerationis in homine quoque viſcera requirebant, ut juvarent mulierem periclitantem, ſubvenirent egenti, & in ſolo alieno fœminæ Prin-

cipi

cipi conſtitutæ, atque inter fortunæ fluctus patriæ portum reſpicienti. Nuntium poſtremò miſit in Galliam, quæ, quaque ipſa ratione geſſiſſet, ut Gallo Regi, & conſanguineis Principibus declararet.

Rex Alfonſus intereà hoc extremo Reginæ caſu animo, & copiis maximè afflictus, cùm alia ſuper aliam continuè ipſum calamitas premeret, cutis mordacibus undique ictum, ac lacerum animum in diverſa ſpargebat. Irâ ipſe ardebat, ultioniſque cupidine in Reginam, & fratrem ut ſibi perſpectos auctores malorum omnium, ſed ardorem, impetúmque vindictæ pavor ex unione, partiúmque potentia, qua Regina, Petrúſque ſubnixi tunc impunè agitabant, incuſſus frangebat. Ita porrò hinc rabie incitatus, hinc formidine preſſus Alfonſus, qua ſe ratione abſque nova injuria extricare, quóve tandem evadere ex tot difficultatibus poſſet omninò æſtuabat. Urgebat etiam ipſum ambitio ingens tenendi regni, at aderat jam ſatis quoque cognita ſibi ſuſtinendarum imbecillitas rerum, & quædam animi deſperatio, quod ſibi etiam ipſe inæqualis, & impar tanto ponderi videretur; & eſſet, neque eo per alium imminui, aut quoquo pacto levari per æmulos cogeretur, quaſi lege optionis ab inimicis conſtrictus eſſet, ut ſolus ipſe imperaret, aut imperium dimitteret: ergo cedendum imperio, ſeſeque æmulorum ſubmittendum arbitrio, ſerviendú eſſe denique Regi, & diadema, regale ſolium, ſceptrúmque quæ venerationis paulò ante cultúſque maximi fuerant, ludibrii inſtumenta fore, & propediem ſervilia alimenta à ſuis ſe inimicis, & jure ſubditis oraturum, quando vita, quæ in dubio etiam erat, ſuperſtes afflicto foret. Hic ita pugnantium, & inter ſe diſſidentium variorum affectuum tumultus, unde in animi cruciatum intimæ furiæ, facéſque deſæviebant, tantam regio animo, immanitatem, tantum quaſi ſtuporem corpori invexerat, ut cum nec vultu, nec dictis, nec actione planè conſtaret, imperio prorſus inhabilem eſſe Regem magis quotidie, magíſque hominibus innoteſceret. Ea propter frequenti Status Senatu, primariiſque collectis magiſtratibus urbis, auferre jam omnibus certis imperium Alfonſo Regi, qua ratione mitius hoc fieri, aut minus, aſperè poſſet eo tempore tantum agitabatur. Petrus enim tanquam à regni curis, & gubernaculo averſus, ſeu altiora ipſe tacitè volvens, ſcilicet, bene, ut nonnulli, vel ſecus conjecerant, ut ereptum Alfonſo diadematis ornamentum cum clavi cura conjungeret, fortè, aut conſilio jecerat, durè ſibi, & iniquè proviſum iri, ſi regiminis ipſe curis, & laboribus jactaretur, dum ejus frater Alfonſus in umbra, atque otio regiis honoribus clariſque titulis eniteret. Res porrò cum ſollicitiùs, ut rei gravitas poſtulabat à conſiliariis excuteretur; fuêre, qui dicerent, utrique fratri pariter eſſe regni regimen ſubeundum, ita ut, penes Regem oſtentatio quædam, ac regiminis pompa foret, rationem, onus, & vim imperandi Petrus aſſumeret, exemplo recenti ex Caſtelmeliorio Comite ducto, quem ſolo niſi nomine, atque inutili ſpecie, de reliquo Regem, egiſſe viderant. Hæc tamen ut aſperior opinione, tractatúque difficilis multis, & jure ſententia diſplicuit. Non enim inter Caſtelmeliorium, & Regem, qui unanimes, penitúſque concordes imperitaverant, ob diſcrimen conditionis, ac regiminis ordinem ea intereſſe poterat æmulatio, quæ perpetua inter fratres, nunc verò ex eventis recentibus trucior, ſi in dominium fortè coïret, penè imperium diſcerpere valuiſſet, alius quippè dominus fuerat, alieni alius dominii vicarius, & ad nutum Principis amovendus; at dominationis ex æquo

participem neminem unquam fuiſſe, nec Luſitaniæ regnum orbis quanquam terratum latitudinem implevillet, duorum imperia paſſurum unquam fuiſſe. Illa igitur in Senatu ſentētia tecepta eſt, quâ ablatâ prorſus Alfonſo gubernacula regni ſtatim ad Petrum tranſmitterentut; ſi huic decreto obluctaretut Alfonſus, nec preces, nec minæ, nec utilia argumenta valerent ſubigere reſtitantem, tum ille ne dum impetio,ſed libertate caderet. Hoc ipſum deinde curarent, ut regni Comitia de mote ſancitum vellent,ad quæ diſcutere quoque ſpectabat, an una cum regni gubernatione per id temporis expediret abjicere etiam Alfonſum inſignia, noménque regium, quæ fratris ſpolia Petrus indueret, & an etiam conduceret, ſpontè cedentem imperio cum libertate Regem relinquere. Hæc magno conſenſu cum in Senatu decreta eſſent, primâ luce Senatores ad Regem pergunt triſte hoc Senatus conſultum Regi denunciatum, aberat eo tempore Petrus, ne ejus aſpectu deformior rata illa ſcena pateret, névc Rex eo viſo irritatior, iracundiæ, ac vindictæ pluſquam temporibus indulgeret,progreſſúſque Marchio Caſcaſius, cujus vigorem animi non exacta jam ætas, non fracta valetudo minuerat, quid Rex ageret, ſciſcitatur, regiis tunc referentibus famulis, ſerò illa nocte cubitum ſeceſſiſſe, jámque ſopitum jacere Regem, indignatus, vultúque ferox ſubdidit Marchio, ut dormientem protinus excitarent, quod verecundia ruentis licèt eo tempore majeſtatis cum efficere famuli averſarentur, comminati, ſtrepere ille, cædere oſtium tam fortiter inſtitit, donec Rex, ſopore diſcuſſo, introduci Senatum juſſit. Tunc alta voce Caſcaſius, *Incuria tu*, inquit, *delitiis ſomnóque torpes, dum regni ruina te, nos, & per te ſimul oppreſſura minatur. Proinde cum neque imperii, neque ſobolis capax ſis, onus quod tuas, ut videtur, exuperat vires in Petrum fratrem libenter exonera, ne Rege regnum orbetur, ne herede familia regia, néve quod ultrò nolueris, confeſtim invitus ſubire cogaris.* Idem cæteri Senatores, ſed mitioribus verbis explicuere, Concilii præſertim acta notantes. Ad ea Rex ore confuſus, pectore anxius, multáque ſigna perturbationis oſtendens, legitimum ſe Regem eſſe, reſpondit, atque in illam injuriam ſuarúmque rerum calamitatem livore, & invidia, & calumniis æmulorum conjectum, porrò extremum uſque ad anhelitum, quocumque interjecto periculo,aut metu, ſponte ſe regnum non dimiſſurum, ſi cogere vellent de rapto adverſus illos imperio, déque impiè interverſo diademate ſibi ad illud Tribunal provocaturum, quod ſupra Reges,& homines eſſet. Ita fruſtratus eo primo conſilio Senatus ad vim deinde inferendam converſus eſt. Cujus agendæ rei modus, & ratio ad ſolidam ferè noctem in ædibus Petri variis ſententiis extracta eſt, formidine ſcilicet populi, qui ut prius per errorem, partiúmque artificia ſublatus conſpiraverat contra Regem, ipſi nempè, ipſi ſtultè prodeſſe ratus, dum ab ejuſdem latere Regis, favore, plauſúque tumultuans pravos miniſtros abriperet, nunc perſona cum ipſa Regis appeteretur, meritò timebatur, ne colore deterſo utpotè in Regem natura proclivior planè rem conturbaret. Igitur poſt multam ſuffragiorum contentionem, & varietatem aliorum audacia, aliorum cautione, metúque rem diſtrahentium ea tandem ſententia ſtetit, ut etiam invitus exutus imperio cuſtodiæ Rex traderetur, útque res ardua, imprimíſque odioſa popularis in ſpeciem, aut lenior ſaltem meliorum oſtentatione conſenſus, atque aura ſuperaddita populi fieret, ad eam exequendam pergeret ipſe Petrus univerſis Uliſipponis, regníque magiſtratibus communitus, ſimul

nobilibus viris, præſertim qui virtute, & canitie, & probitate morum vulgò ſpectabiles eſſent, ea præterea populi pars vocaretur, quæ facilius, flexibilis videbatur partiúmque ſtudiis obnoxia, nec foras tam citò manaret cuſtodia impoſita Regi, ſed vario, atque incerto ſparſo paſſim rumore tandiù apud plebem eluderetur, donec mirationis, ancipitiſque triſtitiæ cauſas ratio, vel tempus quod omnia vincit, attereret. Induſtria ſeu dolo tandem, aut gravioribus minis ſubſcriptus codicillus à Rege ſubduceretur, quo ſatis pateret, non vi ablatum, ſed Petro ſua ſponte conceſſum Regem imperium depoſuiſſe.

His rebus ita conſultis, & pro ſententia paratis, cùm primùm illuxit, Petrus ingenti hominum multitudine conſtipatus ad Regiam ſe contulit. Ibi Regem adhuc cubantem cuſtodia militum ſepſit, inde januas unde aditus erat ad ſedem Regis diligenter occluſit, miſſus poſtremò, qui amiſſæ libertatis ſententiam à regni ordinibus latam indiceret Regi, & tunc ille ipſe modò minitans, modò exhortans, preces interdum illecebris miſcens, inferendæque ſi plus obſtitiſſet, extremæ protinus vis terrores ante oculos fundens à conſternato jam Rege, & fœda, atque turpia, ac miſerrima quæque timenti reſcriptum hujuſmodi extorſit, quod ſtatim vulgatum eſt, *Luſitaniæ urgentibus malis, Status Senatûs conſultò, ultro Regem Alfonſum conſtituiſſe à ſe rejectam in Petrum fratrem imperii adminiſtrationem transferre ejúſque legitimos ſucceſſores, ſibi verò ſuiſque alimentis ex regni copiis ſepoſita præſcripſſe in ſingulos annos ſolvenda nummûm trecenta millia, ſimulque jura, & proventus Bregantiæ domus, accitumque dominium complecterentur.* Ita in cuſtodiam Rege conjecto, regni ſubinde Comitia ejuſdem Regis auctoritate coacta Uliſippone ſunt inſtituta. Vehementi, acríque contentione hîc agitata res eſt de libertate, de regni regimine Regi erepto, & utrum fas eſſet in Petri verba jurare tanquam Principis, Gubernatoris, regníque cum tempore hæredis, an etiam diadema cum regiminis miniſterio Alfonſo Regi ſublatum Petro tribuere, & quidem prona, ac facilia ſeſe præſtitere Comitia ad reliqua Petro, quæ ad futuri ſpes regni, aut exactam, & integram pertinerent formam regiminis, relaxanda, duriora verò in uſurpandæ Coronæ articulo, ſatis enim reipublicæ cauſæ proviſum Luſitani Procuratores exiſtimabant, cùm ille cujus errore, atque inſcitia ſive animi pravitate adhuc fluctibus laboraſſe reſpublica viſa erat, jam detruſus à gubernaculo eſſet. Cætera nonnullorum ambitione potius, ac deſiderio rerum novarum, quàm jure, ſive rerum neceſſitate contendi, quóſque iræ, atque odia, partiúmque incitamenta in Regem nuper accenderant, jam tetigerat miſeratio tandem afflicti; & per ludibria irriſionéſque fortunæ omninò deformis conſpecti Regis. Atqui alienum ſe verbis Petrus à ſuperbo titulo Regis, calculorum quamvis hoc ſorti, & arbitrio commiſerit, oſtendebat. Regina verò, quæ ob expectatum cum Petro connubium, nihil unquam ipſa detrahere de nominis vanitate, conſuetóque ſplendore, faſtúque regio volebat, & quæ minus, ut mulier ſciebat deſideria contrahere, aut occulere, ſtudioſiùs, ac ferè palam apud regni Procuratores rem intendebat. Qui nihilominus ſtatuerunt, ut omnia imperii ſubſidia, ornamenta, atque jura præterquam regios faſces, ac nomen lege Comitiorum ſibi Petrus aſſumeret, nec vulneri vulnus, cùm opus non eſſet, in miſerabilem maximè Regem adjiceretur. Nonnihil etiam difficultatis miſerationis præcipuè tactis aculeo Comitiorum auctoribus incidit de libertate ſcilicet Regis ſive cuſtodia, cùm aulæ quidem rerúmque imperiti ſibi temerè perſuaſiſſent,

ſuaſiſſent, fore, ut ſolutus libérque Rex tranquilliorem imperii quo ipſe dejectus eſſet, poſſeſſionem æmulor fratri relinqueret, nec multò plus turbulentas ubique tempeſtates, atque procellas, ſedulò niſi Rex premeretur, ex pertinaciùs illico arſuris fratrum diſcordiis exiſtimarent, eſſe clientibus ſubeundas. Melior propterea, majórque pars, cùm miſerationem utilitas vinceret in illo convenit, ut perpetuæ cuſtodiæ Alfonſus manciparetur. Poſthæc, quod adhuc Reginam Regi alligaverat canonico jure matrimonio dirempto, ea ipſa Regina Status Senatus, Ordinúmque conſenſu Petro Principi nupſit, ſimul vulgaris, ut ea turpitudinis nota mulieris nempè à ſuperſtite fratre ad alium fratrem nuptiarum mutatione delapſæ penitus deleretur, Clementis ſubinde Pontificis Noni diploma pro honeſtate publica acceſſit. Rex longo poſt intervallò ut cuſtodia palam adſtricti deforme nimis ſpectaculum Regis aulæ, regníque oculis, rerúmque novarum ex eo materies, & fomes ſubduceretur ad inſulas Tertias tranſlatus eſt. Inde cum Uliſippone, & paſſim in regno vulgatum eſſet ærumnis, atque animi angore penè confectum Regem in quodam Orbis ſeceſſu miſerrimam vitam ducere, & populi quoque pietas hujuſmodi nunciis, quæ repetebant, tum vitio, tum artibus acutis graviſſimè laceſſita in furorem quandoque eruptura prudentibus videretur ſimul Regina Angla ejus ſorore annitente Rex Petri juſſu in Luſitaniam revectus eſt, ubi nunc propè Uliſipponem degit ineleganter exculto, ſitúſque deliciis amœno loco, ſed attentiſſimè cuſtoditus. Huc tandem perduxit Luſitaniæ Regem Alfonſum inopia judicii, ſobolíſque defectus, quæ imperii præhabendi fratri prætextus, cauſáſque plurimas intulerunt, actioréſque fraternæ ambitioni, ac diſcordiæ jam cum Orbis initio natæ propagatæque ſtimulos excitarunt.

FINIS.

INDEX RERUM.

Numerus Paginam denotat, litteræ a, b, primam vel ſecundam Columnam.

A

AIAMONTII Marchio perduellionis ſupplicium dat. 108.a
Alexander Correra, multas equitum Luſitanorum turbas fugat. 319.b
Alexander Farneſius externi equitatus magiſter. 390.a
Valentiam intercipere tentat. 408.a
Alfonſus, Henrici Lotaringii filius, ob devictos Mauros, Portugalliæ Rex proclamatur. 3.b
Alfonſus Joannis Bregantii, maximus natu filius, Luſitaniæ regno ſuccedit. 252.b
A matris tutela avellitur. 349.a
Ejus vita, inſtituta & mores. 444
ſtolida virtutis obſtentatione bis in mortis diſcrimen ſe implicat. 452.b. 453.b.
Per Status Senarum monitus, vitia, non mores mutat. 455.ſeq.
Marchionem Fontanum ad interitum quærit. 482.a
Ejus ſicarii impetum faciunt in Comitem Encerenſem. ibid.b
Religionem in ludibriũ vertit. 483.a
Inter ipſum & fratrem diſſidia. 495.b. & ſeqq.
Exutus imperio cuſtodiæ traditur. 536.
Ex inſulis Tertiis revectus propè Uliſſiponem degit. ibid.
Alfonſus Melus, Caſtellenſes milites turpiter exercet. 127.a
Angliæ Legatus Galli, Hiſpaníque auxilia, pro reducendo ſuo Rege implorat. 290.b
Angliæ Rex Catharinam Portugalliam uxorem ducit. 314.b
Pacis Caſtellæ cum Luſitania interventor. 442.b
Anna Guevara Olivarii tyrannidem Regi Catholico exponit. 165.a
Antiſtes Uliſipponenſis in proceſſione ſolemni, vero aut ficto miraculo plebem movet. 35.b
Regni adminiſtrationem accipit, uſque ad Bregantii acceſſum. 36.b
Primum ſuſcepti muneris facinus. 37.b
Aloiſia Guſmana virum ad regni rapinam impellit. 21.a
Mortuo viro, regni tutelam ſuſcipit. 253.a
Fœdus cum Gallis, & Anglis ſancit. 268.b
Inter ipſam & filium, acres oriuntur contentiones. 459.a
Alfonſo Petrum natu minorem opponit. 460.a
Simulat ſe regni regimine abdicare velle. 461.b
Quâ induſtriâ illud ſibi propagare ſtudet, eâ ipsâ ſibi abrogandum accelerat. 466.b
Imperium tandem dimittere cogitur. 471.b
Juſſu Regis ab aula diſcedit. 480.b
Ejus mors, & animi dotes. 493.a
Antonii Almadæ ad Bregantium Oratio. 19.b

Antonii Barbarini Cardinalis dolus, ut Legatus Luſitanus ad Curiam Romanam accedat. 123. a
Antonius Contius ſubdolè captat Alfonſi Regis benevolentiam. 446. a
Ordinis militaris inſignia à rege impetrat. 458. b
partes & factiones in aula fovet. 459. a. & ſeq.
Senatus decreto, ipſe & clientes ad Braſiliam exules ejiciuntur. 463. & ſeq.
Uliſipponem revocatus in fines regni expellitur. 486. a
Antonius Portugallius, unus ex regni Luſitani competitoribus, à Philippo II. vincitur. 4. b
Antonii Silvæ fides in regem Catholicum. 32. b
Antonius Souſa ſufficitur Caſtelmeliorio. 521. a
Procaciter verſatur in aula. 522. b
Unde diffugit cum Emanuële Antenuſio. 527. a
Antonius Tellus Meneſeus claſſem Indicam, quàm à Philippo moderandam ſuſceperat, in eundem hoſtiliter inſumpſit. 72. b
Averenſis Dux, claſſi adverſus Luſitanos præficitur. 348. b

B.

Balthaſſarus Hiſpaniarum Princeps, artibus Olivarii malè educatus. 168. a.
Bellum Luſitanum elangueſcit. 342. a
Belvaſii Spinulæ Oratio, pro redintegrando in Luſitania bello. 257. a
Bracarenſis Decani Vaſconcelli fratris, domus diripitur. 30. a
Bregantiæ Dux à Richelio ſollicitatur, ad ſuſcipiendum avitum regnum. pag. 8. b.
Ab Elvenſi antiſtite ejus animus expugnatur. 21. b
Rex ſalutatur. 38. b
Uliſipponem ingreditur, & Coronam ſuſcipit. 39. a
Tributa quæ poſt Philippi II. mortem introducta fuerant, delet. 59. b
Civium pecunias, & opes cenſet. pag. 78. b.
Ultimum diem obit. 252. a
Ejus mores. ibid.

C.

Canalia pugna. 374. & ſeq.
Campomajoris dolo tentatur ab Hiſpanis, receptio. 129. a
Carazenæ Marchio. 301. a
Sufficitur Joanni Auſtriaco contra Luſitanos. 403. b
Ferro incendióque omnia vaſtanda cenſet. 404. a
Ejus ad primores Ducum oratio. p. 408. b.
Villavitioſam capit. 413. a
Carolus Padillia in Philippum IV. conjurat. 237. & ſeq.
Conjurationis ſeries. 240. b
Cum ſociis in vincula compingitur. p. 245. b.
Animo interritus jugulatur. 247. a
Caſtelmeliorii Comes Salvaterram furtim invadit. 189. b
Caſtelmeliorius Comes, Contio dejecto Alfonſi gratiam invadit. 466. b. & ſeq.
Ipſe, & Comes Autogiæ, Cæſarque Meneſeus, triumviratus ſimilitudinem conſtituunt. 472. a
Regis tandem, regníque unicus moderator remanet. 473. b
Primarios regni exilio multat. 474. b
Aloiſiæ opprimendæ conſilium orditur. 475. b
In Petrum Principem, veneni crimen ei imponitur. 507. a
Expellitur à Regia. 518. a
Caſtrilii Comes armorum imperium Joanni Auſtriaco denegandum putat. 302. a
Catalaunia deficit à Rege Catholico. pag. 7.
Defectionis cauſæ. ibid.
Catharina Medicea Luſitaniæ regnum ambit, & quo jure. 4. a

Catharina Portugallia Anglorum regi nubit. 314. b
Catholicæ aulæ motus cùm deſcivit Luſitania. 48. a
Ea de re Philippus IV. Senatum conſulturus acceſſit. ibid.
Chriſtophorus Brittus Villavitioſæ Gubernator. 409. b
Urbe capta fugit ad arcem. 413. b
Cujus obſidio ſolvitur. 420. b
Cometes Regis Catholici mortem prænunciat. 422. a
Comitia cōguntur Uliſippone in ſumma rerum Confuſione. 537. b
Conflictus ad Jereſium, in quo Caſtellenſis primo impetu obrutus, poſteà concidit hoſtem. 388. a

D.

Didacus Cavallerus magiſter equitum in Auſtriaci exercitu. pag. 308. b.
Elvum furtim captum miſſis, expectatione deluſus revertitur. p. 382. a.
Didacus Correa cum quingentis equitibus à Luſitanis ſternitur. 407. a
Didacus Suarius regis Catholici in Luſitania miniſter. 8. a

E.

Eboræ deſcriptio. 353. a
Emanuel Carafa, ob dicendi libertatem, in vincula conjicitur. p. 314. a
Emanuël Lovatus Pintus Jurumeniæ Præſes. 323. a
Exortum in urbe tumultum prudenter extinguit. 329. b
Emanuël Saldanius, quòd pro viribus Olivençam non deffendiſſet, perpetuo exilio multatur. 267. a
Elvenſis Antiſtitis oratio in Comitiis Uliſippone habitis. 59. a

F.

Fabritius Roſſeus Valentiæ Alcantaræ Gubernator. 323. b
Ferdinandus Tellius Elcam capit. p. 133. a.
irrito conatu S. Martini oppidum obſidet. 134. & ſeq.
Elcam urit, & arcem excindit. p. 137. a.
Fortuitus caſus conjurationem de regno Luſitano occupando penè diſiicit. 26. a
Franciſci Carneri Centurionis Luſitani interrita audacia. 414. a
Franciſcus Farus Odemiræ Comes, educationi Alfonſi regis præficitur. p. 445. b.
Franciſcus Luzena Bregantii adminiſter. 176. a
Tenduntur ei ab Olivario inſidiæ. ibid.
Inſons extremo tollitur ſupplicio. p. 179. b.
Franciſcus Rabellus in Valverdenſi obſidione occumbit. 114. a
Franciſcus Sancius ſecretum conjurationis in Regem Catholicum, detegit. 100. a
Franciſcus Tuttavilla Sangermanenſis Dux Caſtellenſi exercitui præeſt. 253. b
Milites contra Olivençam ducit. p. 260. b.
Quæ ei honeſtis conditionibus deditur. 266. a
Sub Auſtriaco, armorum Gubernator ſecundo loco renunciatur. p. 308. b.
Aulam petit, diſcuſſurus calumnias ei ob cladem Canaliam affictas. 389. a
Militiæ munere devolutus arma in Luſitaniam reſumere vetatur. 390. a

G.

Gaſpar Arus Caſtrilii Comitis filius moritur. 420. a
Georgii Meli audax facinus. 26. b
Granenſis Marchio contra Olivarium inſurgit. 159. a

H.

Henricus Lotaringius Luſitaniam reſtaurat. 3.a
Uxorem ducit Thereſiam Caſtellæ regis filiam. ibid.
Henricus Cardinalis Sebaſtiano ſuccedit. 3.b
Ætate & curis confectus extinguitur. 4.a
Henricus Miranda propriis manibus vitam ſibi aurire tentat. 520.a
Hiſpanos inter, & Italos milites, de ordine,& loco diſſidium. 311.a.ſeq.
dirimitur per regem Catholicum. 314.a.
Hollandi Luſitanas opes apud Indos evertere intendunt. 65.a
Hollandorum perfidia. 75.a

I.

Incendium oppidi Arroncii. 382.b
Joannes Auſtriacus Catholici Regis filius nothus. 301.a
Armorum imperium adverſus Luſitanos ſuſcipit. 308.b
Origuelam repentè invadit. 309.a
Arroncium capit. ibid. b
Alconcellum recuperat. 311.a
Funditùs Villabuim diruit. 318.b
Morbam incendit. 322.a
Jurumeniam obſidet. 323.ſeq.
Capit. 340
Aveirum recipit, & ad terrorem ſolo æquat. 341.a
Monfortis ei deditur. ibid. b.
Cratum excindit, ſclopíſque Gubernatorem tranſverberari jubet. 344.a
Oguelæ honeſtas conditiones tribuit. 345
Ei pro ſuo arbitrio bellum gerere permittitur. 348.b
Eboram obſidet. 353.b
Circumjacentia municipia ad deditionem compellit. 354.a
Ipſam quoque Urbem capit. 358.a
Ad Odigebenſe flumen infeliciter pugnat. 370.a
planè vincitur in Canalia pugna. 374
Aulicorũ adverſus eũ quærelæ. 383.a
Exauctoratus Conſocram ſecedit. Ad ultimos patris amplexus non admittitur. 426.b
Ei provinciæ Belgicæ præfectura demandatur. 440.b
Joannes Ciumazerus, Romæ Orator regis Catholici, Luſitani conatibus ir obviam. 115.b
Joannes Cueva victus avaritia, Julianam arcem Bregantio addicit. 43.b
Joannes Garaius fruſtrà in Olivençam impetum facit. 85.b.& ſeq.
Succedit Monregio in armorum præfectura. 112.a
Joannes Mendus Vaſconcellus Badajocium obſidet. 269
Obſidionem ſolvit. 284.b
Joannes Padillia Vercellenſis civitatis præfectus. 242.b
Dum vinctus in Hiſpaniam mittitur voluntaria cibi abſtinentia, mortem ſibi accelerat. 250.b
Joannes Pintus, Luſitanorum mentes in favorem Bregantii explorat. 9.a
Eo duce, imperii occupandi tempus & ordo ſtatuitur. 23.a
Iſabella Borbonia acres cum Olivario contentiones gerit. 138.b
Urget regis in Aragoniam profectionem. 141.b
Ejus inſtinctu Caſtrilius regi mala reipublicæ detegit. 156.a
Juliana arx intercipitur à Bregãtio. 34.b
Jurumeniæ deſcriptio. 322.b
Obſidio. 323
Deditio. 340.a

L.

Larpeci Antiſtes apud Urbanum VIII. pro Bregantio Legatus. 114.b
Laurentianus Comes Barcarotæ arcem petit. 253.a
Suis ipſe capitur inſidiis. ibid.
Ad Badajocium fuſus, ab urbis obſidione deterretur. 264.a
Irrito conatu Valentiam aggreditur. ibidem.
Leganeſius armorum Præfectus adverſus Luſitaniam. 216

Propugna

Propugnaculum, pontémque inter Elvum & Olivençam expugnat, & excindit. 271.a
Luſitanos cædit & fugat. ibid.
Capit & diripit Villavitioſam. 218.b
Albuquercium fugat. 219.a
Ad Catalauniam cum armorum præfectura transfertur. ibid.
Legiones quæ Mediolani verſabantur, in Caſtellam tranſvehuntur. 348.b
Locuſtarum prodigio prænunciatur Luſitani imperii converſio. 11.a
Ludovicus Almeida Tingi Gubernator, Regis Catholici averſatur promiſſa. 315.a
Ludovicus Arus cladium quas Hiſpaniæ Olivarii inſolentia attulerat, reſtaurator dici cupit. 259.b
belli expeditionem ſuſcipere cogitur. 281.b
Badajocium ab obſidione liberat. p.284.b.
Villabuim diripit. 286.a
Elvum obſidet. 287.a
Cæduntur à Luſitanis ejus copiæ. 291. & 292.
Victus licèt eundem in regis gratia locum retinet. 293.a
Pacem cum Gallo ſtudioſè tractat. p.288.a.
Apud Irunem cum Mazarino Cardinali convenit. 296.b
Ludovicus Lancaſtrus Luſitanos fugat. p. 128.b.
Ludovicus Meneſeus Cantagnedæ Comes, Luſitani exercitus Dux. 317.a
Jurumeniæ obſeſſæ ſuppetias ferre tentat. 335.a
Urbis tuendæ ſpes amiſſa diſcedit. p.336.a.
Revocatur ab Alfonſo rege. 349.a
domus ejus diripitur à populo. 362.b
Valentiam Alcantaræ obſidet. 392.a
Et in poſſeſſionem Bregantii traducit. 397.b
Carazenenſi adventus ſui certitudinem denunciat. 415.a
Caſtellenſes profligat in planitie Montiſclari. 416.& ſeq.
Ludovicus Meſchita Eboræ Gubernator. 353.b
Ejus juſſa recipere detrectant duces. ibidem.
Ludovicus de Souſa, electus Portus Antiſtes conſilio dedendi Eboram Auſtriaco pertinaciter reſiſtit. 356.b
Salibus pungitur ab Auſtriaco. 358.a
Luſitaniæ deſcriptio. 2
Luſitani imperii mutationis variæ cauſæ. 7.a
Luſitanorum affectus erga Bregantium. pag. 13.a
Luſitaniæ defectio reliquas regiones antiquæ ſuæ ditionis attrahit. 55.b
Luſitanos inter, & Hollandos amicitia initur. 63.a
Luſitani complures nobiles in fide Regis Catholici perſiſtunt. 68.a

M.

Margarita Sabauda Luſitaniam adminiſtrat. 7.b
Ejus conſtantia in mutatione imperii. 30.b
Extra urbem ad cœnobium transfertur. 41.a
Variis affligitur ærumnis inſtigante Franciſco Luzena. 45.a
In Caſtellam redit. 110.b
A colloquio regis arcetur per Olivarium. 111
Extremæ ruinæ Olivarii miniſtra. p.152.a
Maria Thereſia Gallorum regi nubit. p.299.b. 299.b
Lutetiam Pariſiorum regio apparatu evehitur. 301.a
Marſinus Comes curam armorum ſubit. 402.b
Arroncium ſolo æquat. ibid.
Mathias Albuquercius Alconcellum invadit. 183.& ſeq.
Villanovam capit. 186.a
Albuquercium oppidum fruſtrà obſidet. 195.a
Monticium vaſtat. 201.a
Mazarinus Cardinalis pacis negotia

cum Aro tractat. 290. b
Medinæ Turrianæ Ducis in Status Senatu pro Joanne Auſtriaco oratio. p. 253. b.
Ejus ſuffragio commendantur arma Auſtriaco. 305. b
favet Reginæ conſilio pro imponendo fine bello Luſitano. 431. a
Ejus ſuper hac re oratio in Status Senatu. 482. a
Michaëlis Vaſconcelli regii in Luſitania miniſtri, ambitio & avaritia. 8. a
In armario latens ab Antonio Sotenlio confoditur. 29. a
Ejus virtutes & vitia. ibid.
Molingenius Luſitanas copias fudit. 202. & ſeq.
Capit Sanralexium.
Franciſcum Melum ſuperat. 206. b. & ſeq.
Monregii Comes Regis Catholici exercitui præficitur. 79. a
Ejus ignaviâ Elvi recipiendi occaſio elapſa. 81. a
Monroïus infauſto ſucceſſu Jurumeniam aggreditur. 117. b
Montiſclari pugna in qua victor Luſitanus. 416. & ſeq.
Mortaræ Marchio. 301. a
Mulieres Uliſipponenſes ad ærarium exhauſtum locupletandum ultrò monilia offerunt. 44. b
Mulierum quarundam animus & virtus. 137. b

N.

Naſſaus Comes Angolam diripit. p. 65. b.
Urbem D. Thomæ flammis abſumit. 66. a
Nemurtia princeps Alfonſo Luſitaniæ regi nubit. 491. b
A viro ludibriis, à Caſtelmeliorio injuriis affecta ad Petri partes accedit. 500. b. & ſeq.
Ad Franciſcanarum cœnobium divertit. 532. a
Litem de matrimonii reſciſſione inchoat. ibid. b
Dirempto cum rege matrimonio Petro nubit. 536
Nicolaus Velaſcus Minorita, conjurationis in Regem Catholicum negotia tractat. 99. b
Nitardus pacem cum Luſitano diſſuadere conatur. 436. a
Ejus oratio. ibid.

O.

Odigebenſis pugna in qua ſuperati Caſtellenſes. 369. a. & ſeq.
Odoardus Bregantii frater, Catholici Regis operâ, apud Germanos cuſtodiâ detinetur. 58. & ſeq.
Mediolanum traducitur. 143. b. ſeq.
Mortis ejus narratio. 230. & ſeq.
Ognarus Comes omiſsâ Caralauniâ Luſitaniam urgendam cenſet. 50. a
Ejus argumenta. ibid.
Olivarius Comes regis Catholici miniſter. 6. b
Diffidia in Gallia ſuſcitat. ibid.
Variis dolis Bregantium circunvenire conatur. 11. b
Ipſe ſuis dolis capitur. 12. a
Contra ipſum miniſtrorum quærelæ apud regem. ibid. b
Sidonii cognati crimen diluere conatur. 104. a
Ipſius genus, cultus, vitæque inſtitutum. 148. b. & ſeq.
Inter Cæſarem & regem Catholicum diſſentionum ſemina jacit. 158. b
Lapſus ejus à gratia regis. 169. b
Loëccium ſecedit. 173. b
Oppidanorum quorundam in Bregantium fides memorabilis. 85. a
Oſſunenſis Dux propugnaculum extruit propè Almeidam. 384. b
Caſtellum Roderici adoritur. 397. b
Obſidionem ſolvere cogitur. 399. a
Profligatis à Luſitano copiis ſibi fugâ conſulit. 400. a

P.

Paccus pilâ transfixus occumbit. p. 310. a
Pamphilii Cardinalis oratio, ut Legatus Luſitanus à Pontificis aditu arceatur.

ceatur. 118. b
Pax inrer Galliæ & Hiſpaniæ reges. p. 298. a.
Capitum pacis ſumma. ibid.
Pax inter Caſtellēſes & Luſitanos. 441. b
Pacis conditiones. 442. a
Petrus Magallianus Oſſunenſem Ducem profligat. 400. a
Petrus Princeps Luſitaniæ Alfonſi regis frater. 445. a
Ejus indoles. 449. b
Nuptias cum Bullonii Ducis filia recuſat. 491. b
Caſtelmeliorii expulſionem expoſcit 507. b
Proceres regni, urbíſque Patricii Petri cauſæ ſe affururos pollicentur. p. 512. b.
In ejus favorem tumultuatur Uliſippo. 516. b
Omnia imperii jura præter regis nomen aſſumit. 535. b
Philippa Villiena in conjuratione pro Breganrio filios accendit, & armat.
Philippus II. Luſitaniæ potitur. 4. a
Philippus IV. in Aragoniam proficiſcitur. 142. b
Bellum acrius redintegrat in Luſitaniam. 253. a
Pacem inir cum Gallo. 298. a
Severè præcipit, ut Luſitani qui ad fidem reverſi fuiſſent lenirer tractarentur. 367. a
Febri correptus decumbit. 422. b
Medinæ Ducem ſtatuit univerſi regiminis adminiſtrum. 423. b
Mutato per dolum codicillo, Marſitonæ, regni turelæ adſcribit. 424. b
In extremis conſtitutus proceres regni alloquitur. 425. b
moritur. 426. b
Ejus mores. 427. a
Teſtamenri ejus ſeries compendiaria. ibid. b
Pirovani Marchionis mors, & mira canis in eum fideliras. 379. a
Pugna circa Elvum in qua Caſtellenſibus victoria cedit. 82. a
Pugna inter venti & Maii colles, in qua Luſitani ſuperiores. 275. b. & ſeq.

R.

Regina Gubernarrix Caſtellæ, Luſirano bello finem imponere deſiderat. 430. b
Regia Uliſipponis à conjuratis occupatur. 27. b
Richelius Cardinalis regni Galliæ ſummus adminiſter. 6. b
Varios hoſtes in Auſtriacam domum commovet. ibid.
Hortatur Bregantium ad ſuſcipiendum avitum regnum. 8. b
Rodericus Silva Dux Ixarenſis, conjurationis in regem Catholicum princeps. 240. a
Ejus in tormentis ſuſtinendis conſtantia. 249. b
Perpetuo carceri mancipatur. ibid.
Seniò confectus interit in arce Legionis. 250. a

S.

Sancius Emanuel Villafloræ comes ſummus Luſitani exercirus dux. 290. a
Proſternit Caſtellenſium aciem. 291
Elvum obſidioni eximit. 292. b
In Tranſtagana regione armorum imperium obtinet. 349. a
Eboram negligit. 350. a
Vincitur ab Hiſpanis. 352. a
Quos ſuperat ad Odigebenſe flumen. 369. a
Auſtriaci exercitum delet in Canalia pugna. 374. & ſeq.
Amiſſam Eboram recipit. 382. a
Sartiranæ Comes Oguelæ Præſes. 346. b
Poſteà Eboræ. 382. a
Scombergii Comitis audacia. 310. a
Sancium reſtitanrem ad pugnam flectit. 373. b
Sebaſtianus rex Luſitaniæ in Affrica cæditur. 3. b
Sebaſtianus Mattus Bracarenſis Antiſtes inſidiarum in Bregantium autor. p. 88. b. & ſeq.
Diem obit in carcere. 192. a
Sidoniæ Medinæ Dux copiis Caſtellenſibus

ſibus præficitur. 54.a
In Bœtica regnum ſibi parare inſtituit. 64. a
Vallisſoleti reliquum vitæ ducere jubetur. 107.b
Spinula Cardinalis armorum regimen in Gallæcia ſuſcipit. 191.a
S. Stephani Comes exercitus Caſtellenſis dux. 181.a
Suarii domus odio publico devovetur. p. 72. a.
Suarii filia præclarum pudicitiæ exemplum edit. ibid.

T.

AD Tertias inſulas expeditio. 76. a
Theodoſius Bregantiæ Dux phreneticus moritur. 5. a
Tingi oppidum in Angli ditionem decedit. 316.b
Toralti Marchionis occiſio. 84. & ſeq.
Turrecuſius Marchio, à Catalaunia in Caſtellam cum armorum imperio transfertur. 193.b
Militarem diſciplinam reſtituit. 194.a
Petulanter ei obſiſtit miles. 199.a
Elvum infœliciter obſidet. 211.a
Militiæ miſſionem petit. 214.b

V.

VAlverdem diripit & incendit Luſitanus. 132
Vaſcus Maſcaregnus Valverdis oppidum ab Hiſpanis reſtauratum rurſus incendit. 182.b
Badajocium obſidet. 183.a
Copias retrò abducit. ibid.
Exauctoratur à Bregantio. 183.b
Velezius Marchio cum ludibrio victus Româ excedit. 219.a
Villæ regalis Marchio, ejúſque filius Camignæ Dux capite plectuntur. 99.a
Viverus multa Luſitanorum oppida incendit. 137.a
Uliſippo in poteſtatem Bregantii venit. 27.b
Ejus deſcriptio. 41.b
Propter Eboram amiſſam populus concitatur. 361.a
Cantagnedæ & Antiſtitis Uliſippon. ædes diripit. 362.b
Sedatur tumultus. 366.b
Urbanus Octavus Cardinalium ſuffragiis Catholici & Luſitani Oratoris negotium excutiendum relinquit p. 116.b.

Z.

ZEdofreite Prior cauſam Eccleſiæ Luſitanæ agens Romæ, ab Hiſpanis invaditur. 220. a. & ſeq.
Zirolæ Comes Orator Romæ pro rege Catholico turbas concitat. 219.a
Pontificis congreſſu interdicitur. p. 226. b.
Legati munere exutus Româ diſcedit. 229.b

FINIS.

Liber Primus.

	Errata	Corrige
4	quia hærede	qui hærede
	Reginæ Galliæ	Regina Galliæ
6	nouitatis prona	nouitatibus prona
8	poſſet ipſo	poſſet ipſe
14	ſi vis oculis	ſiccis oculis
24	eumdemq. per aetem	eumdemq. peratrem
	conſcionum etiam	conſciorum etiam
	conceptum iri	corruptum iri
23	illo mutata	illo mutato
28	in irruenſium pectora	in irruentium pectora
	militum auem	militum aciem
29	hunc primum	tunc primum
31	ad cætera verſus	ad cætera curſus
34	ineptusq. regiminis	ineptusq. regimini
31	Chriſti in breue	Chriſti in cruce
	elaui regnum	clauum regni
38	exulantium incompoſita	exultantium incompoſita
39	Cæteri mos enim	cæteri pedites mos enim
42	Tractare deditio	tractari deditio
43	modò modò libidine	modò fraude modo libidine
	ſucculentos ereptos	luculentos ereptos
44	Regi ſibi contuendo	Regi ſibi conſtituendo
45	pio imperio	pro imperio
45	libertatem deceret	libertatem decere
	in cuſtodia dediſſet	in cuſtodia dediſſe
46	Bregantius placebat	Bregantio placebat
49	ictus illæ	ictus ille
50	ingenij indoliſque	ingenii indolis, quæ
51	quale ſupplicum	æquale ſupplicium
52	Hunc veto	huic vero
54	ſententia viuit	ſententia vicit
	hæc in noui belli	hæc in belli

Liebr Secundus.

	Errata	Corrige
59	incotis, ſpiritusq.	cruoris ſpirituſque
	ſictricem nemorum	fictricem rumorum
	explicitus verſus	explicitus curſus
60	regentisq. noctis	rigentiſque noctis
63	maritime curſus	maritimi curſus
64	clauo ſuſtinuit	clauo ſubſtituit
65	eſſet collata ſubſidia	eſſet per collata ſubſidia
68	de his cogeretur	de his ageretur
76	quod iecti	quondam eiecti
77	ſolidiusq. pacta	ſolidiuſque compacta
80	conſciorum quidem	conſciorum quidam
82	vel de aueiſione	vel de acceſſione
83	quæq. ſacramenta	quæque ſarmenta
93	dolor affixerit	dolor affixerit
94	cuius tranſitus	cuius tranſitu
95	turpidi ſpiritus	turgidi ſpiritus
98	contra ipſa	contra ipſam
102	paſſim intelnceret	paſſim interlucerent
	indices detereret	indices deterreret
104	interpoſita ſignatorũ	interpoſit ſigna totum
105	& Lnſitania vbi	& Luſitaniam vbi
	caperet Princeps	caperet Principes
107	ſicarias in caput	ſicarios in caput
109	aut pigeitiæ	aut pigritie

	Errata	Corrige
110	Oliuarij coſlodia	Odoardi cuſtodia
113	ædium faſtigij	ædium faſtigiis
114	ei mederatius	ei moderatius
	vrgentem permetent	vrgentem premerent
115	fauor accedete	fauor accederet
117	purro Tyranne	porrò Tyranni
119	aut in auſa	aut in cauſa
	ſemel emaret	ſemem emanat
121	Gallaſne	Galliſne
122	permanet impeiium	permaneat imperium
124	ſplendentium ſectatur	ſplendentium ſectantur
	Hiccifmodi	Huiuſmodi

Liber Tertius.

	Errata	Corrige
128	æmula ratio	æmula natio
129	ingenii commenſa	ingenii commenta
130	aſſultibus inuincibilis	aſſulſibus inuincibili
	ſolutæque pecuniæ	ſolutæq; gratia pecuniæ
131	propoſita ſructus	propoſita fractus
	præter æternam	præter externam
	rerum contemptum	rerum contemptus
	oſtiatim pergengo	oſtiatim pergendo
137	ruinarum mnbilibus	ruinarum molibus
140	ad Aragoniam abeumpere.	ad Aragoniam iter abrumpere
142	militiæ depoſuit	militiæ popoſcit
143	impunitatis illecebris	impunitatis illecebras
145	quæ vinctis	quæ cunctis
146	maturies ille	maturius ille
147	itinere circuire	itinera circuire
154	retuli Oliuario	retuli ab Oliuario
155	peccata ſuis	peccata luis
156	quique annus	quique annuis
	opibns ſignautur	opibus ſaginantur
157	eius propterea	eiuſque propterea
158	æqualia fingere	qualia fingere
161	Pontificem numero	Pontificem numeret
168	hucque fuerat	hucuſque fuerat

Liber Quartus.

	Errata	Corrige
179	plnſum fore	plauſum fore
185	ſuſus ab Arca	fuſus ab Ana
186	nox cum appareret	nox cum appeteret
186	laceros aperuiſſee	laceros muros aperuiſſet
191	ex compito ducit	ex compoſito ducit
192	non ſatis ipſum	non ſatis ipſe
193	tradente ſententia	trudente ſententia
195	ſubſidio actulæ	ſubſidio ac tutelæ
196	ſclopis exuperant	ſclopis exceperant
	viris incedenribus	viris incedentibus lubricus
197	in campo natus	in campo nactus
	ibi ſententiis	ibi ſententias
	torpore veſtra	torpore veſtro
188	iam Paſciuientam	iam laſciuientem
199	ſe belle	ſe velle
203	inclinata propemodus	inclinata prope modum
208	hoſtium ouili	hoſtium oculis

Liber Quintus.

	Errata	Corrige
217	ſibi obnixi	ſi ibi obnixi
219	abiicique periculo	obiicique periculo

	Errata	Corrige :
220	iam diſcrimen	iam in diſcrimen
221	ſuffragia & colores	ſuffugia & colores
222	vſus Zirolenſis	vſus Zirolenſi
223	Omnino putantur	omnino putatur
226	ambigiumque	ambagiumque
	ſuſpenſoſque iam	ſuſpenſoque iam
229	ſtabiliſquæ	ſtabilis eſſet quæ
231	parcendo eſſe	parcendum eſſe
233	nempe crudelitas	nempe credulitas
238	moliri, ac dici	moliri ac diù
240	vili iactura	vilis iactura
244	Pedemontanæ vrbis	Pedemontana vrbs
247	verſari Iudicibus	verſari à Iudicibus
248	indiciorum conſenſu	indiciorum conſenſus

Liber Sextus.

	Errata	Corrige
254	commeatus, quam	commeatus abſumit, quam
253	ac virum	ac virium
260	huius excedio	huius excidio
261	pene delectos	pene deiectos
	animus deieciſſet	animus defeciſſet
263	voluenti repentique	voluenti repetentique
	dignitate ſecit	dignitate ſuit
265	currunm munimen	curuum munimen
	quoque deterreret	quoque detereret
266	exultationemque ſibi	vltionemque ſibi
289	implente Regina	impellente Regina
281	quam ingratam	quamquam ingratam
282	dici in certo	diù in incerto
283	cum remorſus	cura remorſus
	vim tirocinio	cum tyrocinio
285	nihilominus omnino	nihil omnino
287	Campomaiore con-tendit	Campomaiorem conten-dit
288	ſimilique triſtitia	ſimiliſque triſtitia
290	quemcumque iactari	quæcumque iactari
	eam circunſeſſam	eam circunſeſſum
292	Cęterum Sancio	cęterum ſaucio
	noluerunt ordines	noluerunt ſoluere ordines
297	& induſtria	& induſtria contenderent
288	poteſt adiutis	poteſt adiutus
288	altiſſimus regni	altiſſimas regni
289	pacis appoſitum	paci appoſitum
292	afflicto ſcelere	afficto ſcelere
298	modo ipſi Bregantio	modo ipſe Bregantius
299	iure dirimerentur	iure dirimeretur

Liber Septimus.

	Errata	Corrige
305	talique in Ioanne	taliſque in Ioanne
307	eligeret Ducem	eligere Ducem
308	perfringi duries	perfringi durities
310	pondere commotus	pudore commotus
	à cępta Caſtellenſibus	cępta à Caſtellenſibus
311	iactatus enim	iactus enim
319	impedimentis impli-citis	impedimentis implicitus
321	vim oppido	cum oppido
322	his proſuntorie	his perfunctorie
	& ſelebroſum	& ſalebroſum
328	numerus mulirum	numerus militum
	poſtquam breuem	poſtque breuem
332	nouam cohortam	nouam coörtam
336	præſidio vacaret	præſidio curaret
339	circumſpecta expro-brata	circumſpecta, explora-ta
339	neue incendio	neue incendium incendio
340	totieſque imitatus	totieſque irritatus
342	circumcidentis oræ	circunſidentis oræ
345	hoſpites admiſti	hoſpites admiſſi

Liber Octauus.

	Errata	Corrige
349	à Marte	à matre
350	cultor iniuriæ	vltor iniuriæ
353	Eboram irritus	Eboramontem irritus
354	in ipſo loco Luſitani	in ipſo loco hæſerant Lu-ſitani
355	omnique generis	omniſque generis
357	quas laxata	quaſi laxata
360	exitus in anguo	exitus in ambiguo
361	verecundiam docebat	verecundiam decebat
364	impetu lucem	impetu luem
368	huiuſmodi videatur	huiuſmodi videbatur
370	celeriter inſtituie	celeriter iter inſtituit
372	apud Duces agiteban-tur	apud Duces agitabatur
375	fugas ſeu cędes	fuga ſeu cędes
	efficit loco	effecit vt loco
378	pluris etiam	plures etiam
381	omnia imprudentia	omnia imprudentiam
382	milites lecti	milites lecti ſunt
383	pugnæ diffuſus	pugnæ diffiſus
387	qua turbarum	qua tubarum
388	populabundus egreſ-ſurus	populabundus egreſſus
390	offenſiones. Hiſpa-nis	offenſiones impegit. Hiſ-panis
391	extemæ dementiæ	extremæ dementiæ
392	pacifice conuenire	pacificè conuenere
396	conſtituris anguſtiis	conſtitutus anguſtiis
397	pauló ipſe	pauló ante ipſe
400	primo ordinea	primos ordines
402	ne purgari	nec purgari

Liber Nonus.

	Errata	Corrige
407	patriæ ſibi reddito	patriæ ſibi redditæ
412	ſuffugium petebat	ſuffugium petebant
414	conuerſam eſſe	conuerſum eſſe
415	quaſi iocum	quaſi per iocum
	hoſtibus interrogat	hoſtibus inferendum inter-rogat
	vtili ſanè	vtilius ſanè
418	effluxerant conſtipare	effluxerant conſtipari
	turbaſque cruentos	turbaſque cruentas
424	quidem religioſus	quidam religioſus
426	quibus à ſe	aliquibus à ſe
427	immediate cautus	immodicè cautus
478	implicaret Imperio	implicaret Imperia

	Errata	Corrige:
429	aut in partis	aut in paruis
	tributis populis	tributis populos
432	conditio ſola	condicio ſolet
	iactus eſt	iactatus eſt
	nullus tunc tantæ	nullis tunc tantæ
433	non adeo	nou audeo
	conſilia producat	conſilia producant
434	contendite audaciam	conrundite illam audaciam
435	moderarius	moderaiius
	Hunc autem	Nunc autem
	nec itaſcatur	ne iraſcarur
437	& commentiis	& commentitiis
	quamquam omnes	quam omnes
441	ideo quaſi nouercæ	odio quaſi nouercæ
	tandem inuadere	tandem innaderer
	Regiiſque ptæcipuè filii	Regiique præcipuè filii

Liber Decimus.

445	in librorum cauſa	in liberorum cauſa
447	lætam ſibi	læſam ſibi
	ita iniuria	ita incuria
448	clarè manaret	clarè manarent
451	alienorem quotidie	alieniorem quotidie
	bellua	belluam
	illorum præcipuè	illarum præcipuè
454	corpora agiliores	corpore agiliores
	tot iouidentium	tot incidentium
455	ſuæ deberet ſalntis	ſuæ deceret ſalutis
456	affuturam non oculis	affuturam velut non oculis
458	ſtabilia conſilio	ſtabilita conſilio
460	robus æquatis	robur æquaris
	moliminibus fore	moliminibus foret
	natura inclinatam	natura inclinatum
462	hotum amplitudine	honorum amplitudine
463	Regiſque nimis	Regique nimis
404	auditu quenquam	aditu quenquam
	ad Regiam aditus	ad Regem aditus
465	quod videbat miniſtros	quos videbat miniſtros
466	ſecuta ſunt	ſecutæ ſunt
468	Comes Aurogiæ	Comes Autogiæ
	regiminis popam	regiminis pompam
472	imperiū non capiebāt	imperium non capiebat

	Errata	Corrige.
	afflatus æmulorum	afflatu æmulorum
474	pugnam Alfonſo	penam Alfonſo
476	non imperaro	non impetraro
	ludibriiſque iacta	ludibriiſque iactata
478	criminationiſque conflictas	criminationiſque conſictas
	ſi ſimul	ſe ſimul
	cultuſque patentem	cultuque parentem
482	grauior ſaucius	grauiter ſaucius
	ſcelerati meruerint	ſcelerati metuerint
484	ex quadam furore	ex quodam furore
486	res ſua poſtulat	res ſua poſtulabat
487	quod dicta	quo dicta
	congrueret	congruerent
489	apparet terroris	apparatu terroris
	exploratores deploratores	exploratores delatoreſque
492	de aff.cto à ſe regno	de affectato à ſe regno
493	collecta concurrerent	collecta concurreret
496	aggreſtique reſponſo	agreſtique reſponſo
	iactari vel ambagibus	iactari noſſet vel ambagibus
497	Petri Alfoofi	Petrus Alfonſi
498	ægro tanti	ægrotanti
599	obruiſſe contumelis	obrui ſe contumeliis
501	ſobolem peritura	ſubolem paritura
	quam ipſe	quam ipſa
	rero ſimilis	vero ſimilis
	validiùs ac ſuas	velidiùs, ac tutiùs ſuas
502	inde integratam	inde ingratam
504	porrò delectò	porrò deiecto
506	arma, ſequi	arma, equi
	tamen exeuit	tamen euexit
511	illecebras ducere	illecebras dicere
	per temporis	per id temporis
513	Alfonſum Rex	Alfonſus Rex
	quamuis marceret	quamuis maneret
518	à Petro iactus	à Petro iactatus
525	ſubditi Regis	ſubditi Regi
527	ad Traſtuganam	ad Tranſtaganam
531	ſimilque	ſimulquæ
	accitumque	auitumque
	aulæ quidem	aulæ quidam
532	æmulor fratri	æmulo fratri
	artibus acutis	artibus auctis

005664295